BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
32 P
22
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
C
27

Tomo Unico

K = A° 7 = N:1

~~XIX B 30~~

12
25
B
6

COMMENTARII
VNA CVM QVÆSTION.
IN OCTO LIB. PHYSICORVM ARISTOTELIS.

AVCTORE HIERONYMO PLA BONARVM Artium Magiſtro, Sacræ Theologiæ Doctore, Primæ philoſophiæ in Academia Valentina Interprete, & in eadem Prorectore.

AD DON CHRISTOPHORVM FRIGOLA, REGIVM Capellanum, Canonicum, & Decanum Almæ Eccleſiæ Metropolitanæ Valentinæ, & Florentiſsimæ Academiæ Rectorem prudentiſsimum.



S [redacted]
Conuento ... de Victoria

S. [redacted].

[redacted].

Carmel. Diſcal.

[redacted]

Rome.

CVM PRIVILEGIO.

VALENTIAE, Apud Ioannem Chryſoſtomũ Garriz. M.DC.IIII.

Expenſis Auctoris, apud quem extant exemplaria: extant etiam apud Chriſtophorum Garriga Bibliopōlam.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LO REY. E PER SA MAGESTAT

DON Ioan de Sandoual, Marques de Villamiçar, primer caualleriz, y gentil hom dela Cambra de ſa Mageſtat, llo𝔠tinent y Capita general en la preſent ciutat, y regne de Valencia. Per quant de part de moſſen Gerony Pla preuere, Meſtre en Arts, Doctor en ſacra Theologia, Cathredatich de metaphiſica de la Vniuerſitat de Valencia, y Vicerector en ella, Nos es eſtat ſupplicat, ſos de noſtra merce manar concedir, y donarli la infraſcrita llicencia, e facultat, de que per lo temps a nos ben viſt, puixa fer imprimir y vendre vn llibre per aquell compoſt, y intitulat: Commentarij vna cum quæſtionibus in octo libros phyſicorũ Ariſtotelis. De tal manera que ninguns impreſſors, llibrers, mercaders, ne altres perſones: per lo temps infraſcrit puguen imprimir, o fer imprimir dit llibre, ni portarlo impres de Regnes eſtranys pera védrel en la preſent ciutat y Regne. E nos attes que dita obra es bona, y profitoſa; y que pera dit effecte hi ha donada llicencia per lo Ordinari, ho hauem tengut per be, y manam fer, y expedir la preſent. Perço ab tenor de aque-

lla, expreſſament, y de noſtra certa ſciencia, dellliberadament y conſulta, per la Real authoritat de que vſam, donam, e concedim al dit doctor Geroni Pla, o aqui ſon poder tindra, llicencia permis, e facultat pera que lliberament puga per eſpay, y temps de deu anys imprimir, e ho fer imprimir y vendre lo dit llibre, ſens que ho puga fer altra perſona alguna, ni portar dit llibre impres de Regnes eſtranys pera vendrel en dita preſent Ciutat y Regne, per tot lo dit temps de deu anys, ſots pena al qui lo contrari fara de encorrer en perdicio dels tals llibres, y en pena de cent florins de or de bens dels contrafahents exigidors. Diem perço, y manam a vniuerſos y ſengles officials, y ſubdits de ſa mageſtat, dins lo preſent regne aqui pertanyga, que la preſent noſtra Real llicencia en la forma ſobredita, e per lo dit temps guarden, y obſeruen, y en aquella noy contrauinguen en manera alguna, ſi la gracia de ſa Mageſtat tenen per cara, y en la deſſus dita pena deſigen no encorrer. Dat. en lo Real Palacio de Valencia, a quinze de Iuny. M.DC. y quatre.

El Marques de Villamiçar.

V. Aguirre Reg. *Reig Fiſc. Aduoc.*

Franciſcus Paulus Alreus.

Indiuerſorum xxij. fol. clxxviij.

NOS Petrus Geneſius Caſanoua præſbyter, vtriuſque iuris Doctor, Præpoſitus Eccleſiæ metropolitanæ Valentinæ, domini noſtri Regis capellanus, pro Illuſtriſsimo, & Reuerendiſsimo domino don Ioanne de Ribera Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Patriarcha Antiocheno, Archiepiſcopo Valentino, de conſilio ſuæ Maieſtatis, &c. In ſpiritualibus & temporalibus in dicto Archiepiſcopatu officialis, & Vicarius generalis tenore præſentium licentiam, & facultaté concedimus, in iſto Archiepiſc. imprimendi, & védendi librú inſcriptú: Commentarij vna cum quæſtionibus in octo libros phyſicorum Ariſtotelis: Auctore Hieronymo Pla, bonarú artium Magiſtro, ſacræ Theo. D. primæ Philoſophiæ in Academia Valentina Interpræte, & in eadem Prorectore. Quem doctor Petrus Ioánes Aſſentius vidit, & examinauit, & in eo nil contrarium fidei catholicæ, & bonis moribus, ſed vtilem potius ſtudioſis philoſophiæ, & Reip. iudicauit. Dat. Valentiæ die decima quinta menſis Iunij, anno M.DC.IIII.

Caſanoua.

Michael Ioannes Yuorra Not. pro Sec.

APPROBATIO.

EGO Petrus Ioannes Aſſenſius S. T. D. & Academiæ Valentinæ Procancellarius ex mandato & commiſsione Illuſtriſ.& excellentiſsimi Domini D. Ioannis de Ribera, Dei, & Apoſtolicæ ſedis gratia Patriarchæ Antiocheni,& Archiepiſcopi Valentini,de conſilio ſuæ Maieſtatis, &c. vidi, & diligenter perlegi hunc librum,qui inſcribitur:Commentarij vna cum quæſtionibus in octo libros Phyſicorum Ariſtotelis,auctore Hieronymo Pla,bonarum artiumMagiſtro S.T.D. Primæ philoſophiæ in Academia Valentina Interprete, & in eadem Prorectore;& nihil in eo reperi,quod doctrinæ,vel pietati Chriſtianę repugnaret:quin potius maximum ingenij ſplendorem, ſummam eruditionem,variam, & multiplicem philoſophorum omnium fere lectionem,contextum Ariſtotelis ad vnguem explanatum,& ex illo emergentes quæſtiones docte,& peracute pertractatas; & ita dignum cenſeo, vt in lucem prodeat in communem omnium bonarum artium ſtudioſorum vtilitatem,& prouentum. Idcirco præſentibus propria manu ſubſcripſi die 10. menſis Iulij anno ab orbe redempto. 1604.

Petrus Ioannes Aſſenſius

ERRATA SIC CORRIGE.

FOlio.4.columna 3.linea.31.propoſitiones,propoſitiones.fol.9.c.4.l.34.eſſe,eſſe.f.14.c.4.l.34.ſet,ſed.fol.19.c.2.l.35.natura,nobis.f.29.c.3.l.12.vnitę,vnite.f.60.c.3.l.18.Prima,Principia.f.62.c.1.l.31 generationis,conſtitutionis f.76.c.3.li.5.materiæ,formæ. f.80.c.4.l.3.intrinſeco,extrinſeco.f.94.c.2.l.15. vnitatem, entitatem. f.106.c.4.l.20.priuatio,quies.f.111.c.3.l.14. promaneat, permaneat. f.121.c.1.l.17.da,ad f.134.c.2.l.l.20.negando,diſtinguendo. f.139.c.l.44. conſeruare,conſecrare.f.151.c.1.l 6.ſuperiorioti,ſuperiori. f.214.c.1.l.32.aptus,aptum.f.218.c.4.l.11.dici,diei.f.239.c.4.l.34.alteruis, alterius.f.241.c.4.l.24.ſine,ſiue. f.144.c.3.l.12. eficiat, efficient. f.211.c.4.l.14.diuiſum,indiuiſum.f.245.c.1.l.27.ſpatij,termini.f.254 c.2.l.22. extenfio,extenſio. f.284.c.3.l.20.exiquo,exiguo. f.288.c.3.l.24. quadratus,quadratas.f.315.c.4.l.34.ſinem,finem.f.339.c.4.l.19 ratione, nec ratione.

DON CHRISTOPHORO FRIGOLA, REGIO CAPELLANO, CANONICO, ET Decano Almæ Eccleſiæ Metropolitanæ Valentinæ, & Florentiſsimæ Valentinorum Academiæ Rectori meritiſsimo.

GENTIVM victores Romani, DECANE Ampliſſ. bellicis artibus, & domeſticis conſilijs prudentiſſimis percelebres, quos multis titulis cōmendat Auguſtinus in libris de ciuitate Dei, inter alia præclara vitæ inſtituta, vnum illud obſeruarunt, vt in aditu cœnaculorum, vbi opipare apparata conuiuia ſumma iucunditate & voluptate celebrantur, teſte Plutarcho in Sympos. litteram. S. qua ſilentiū ſignificabant, inſcriberent. Quaſi conuiuas admonitos vellēt, nulla re magis Sympoſiarchi liberalitatem, conuiuii ſplendorem, epularum ſuauitatem ferculorum multitudinem, condimentorum diuerſitatem prædicari poſſe & extolli, quàm ſilentio. Et quidem prudentiſſime: cum maior laus nulla eſſe poſſit, ea quam verbis exprimere nequimus, ſed ſolo ſilentio admiramur. Solent plerūque auctores librorum Mæcenates ſuos omni laudum genere exornare, vt teſtatam illorum virtutem, pietatem, & beneficentiā relinquant, atque hoc officij genere eos magis ſibi deuinciāt. Ego verò ſemper exiſtimaui eximias tuas virtutes, præclara corporis & animi ornamenta, ſingularia beneficia, quæ in me DECANE Honeſtiſſime, plena manu contuliſti, nulla re magis commendari & efferri poſſe, quā ſilentio, tum quòd nullius tanta dicēdi vis ſit aut tam aureum orationis flumen, quod illa dicendo aſſequi poſſit: vt Parētum tuorum dignitatem, egregia facinora publica regia munera ſumma cum laude geſta, tacita prætermittam, quæ ſi dicendo vel leuiter attingere vellem, latius quidem quàm in ipſis Ariſtotelis commentarijs diſcurrere poſſem: tū quod eximia tua modeſtia

benefi-

beneficentia potiùs quàm laudibus delectetur. Quod ſi Demoſthenes Alexādrum Regem ita alloquitur; Nihil habes, Rex, vel fortuna tua maius, quàm vt poſſit, vel natura tua meliùs, quàm vt velit ſeruare plurimos: poſſum ego etiam & meo, & huius florentiſſimæ vrbis & regni Valentini nomine de te eadem vel potiùs multò maiora dicere, qui me conſilio & auxilio iuuaſti ſemper, & huius vrbis & clariſsimi regni dignitatem, ſplendoremq; & ornamentum in his generalibus comitijs Valentinis ingenti tua prudentia, vigilantia, & ſollicitudine, multis honorum cumulis augeri & exornari curaſti. Quæ fuit tua moderatio animi, æquabilitas, & humanitas? Quæ in omnes benignitas, affabilitaſque ſermonis? Quam libenter obuium te omnibus, ac facilem exhibuiſti? Quam benignè audiſti adeūtium deſideria? Quam intenta oculorum acie, & animi contentione, communia patriæ commoda pro tua virili parte defendiſti, conſilijs iuuaſti? Quoties graui & aculeata oratione Reipublicæ cauſſam dixiſti? Apud Romanos, vt auctor eſt Dionyſius Halicarnaſſus, Dion Chryſoſtomus, & Caſius, Plutarchus, Salluſtius, Marcellinus, & alij complures, qui bene de republica meriti erāt, multis titulis in cœlum vſque erigi, & extolli, multis etiam muneribus tum publicis, tum priuatis donari conſueuerūt; ego tamen tibi acerrimo patriæ cuſtodi ac defenſori munuſculum hoc breues in octo Ariſtotelis libros Phyſicorum cōmentarios offero & dico, tum vt me acceptorum memorem beneficiorum oſtendam, tum vt debiti obſequij monumentum aliquod relinquam. Et enim cum te Rectore Academiæ Valentinæ, quam ſingulari prudentia moderaris, tueris, & auges, ego Vicarius tuus eos commentarios non minus diligenter elaboratos etiam quàm elucubratos, multis moleſtijs excuſſos nominis tui amplitudini debitos iure conſecro. Accipe ergo illos quo dicantur animo dignitate tua & auctoritate protege, atque in dies expecta meliora, quæ tua benignitate cōfiſus pollicerè poſſum. Deus Opt. Max. quam diutiſſimè te ſeruet in columem ad litterarum præſidium. Vale, ex hac tua Academia, Idib. Iunij Anno Domini. M.DC.IIII.

Doctor Hieronymus Pla Academiæ
Valentinæ Prorector.

LECTORI.

PRodeunt iam tandem, Lector, diuino beneficio noſtri in octo Libros Phyſicorum Ariſtotelis Commentarij, quos ſin minus commendandos, æqui tamen bonique conſulendos efficere debent tum rerum, quæ in eis pertractãtur, dignitas & granitas, tum in eis perquirendis & explicandis iuxta optimorũ ſententiam philoſophorum adhibita à nobis diligentia, induſtria, ingeniique contentio, careat omni inuidia verbum, nam illa quam ſint exigua vt ſatis experti ſumus, ſic libenter fatemur. Res ergo quæ in hiſce Commentariis enodantur, philoſophicæ ſunt, ex ipſis philoſophiæ fontibus vberrimis hauſtæ, quam diuinus Plato Deorum donum, Tullius inuentum, Platonicus Apuleius Deorum & hominum internunciam tradiderunt, omnes rerum natura conſtantium exploratricem, cœli & mundi, quæque in eorum ambitu pulcherrima continentur, contemplatricem, cauſarum omnium effectum quorumcumque ſedulam indagatricem, menti lumen ſplendidiſsimum, ignorantiæ caliginis in qua volutamur, expultricem, & in ipſo altitudinis ſtudio cœlo ipſo ſublimiora intuentem ſcientiam appellarunt. Seneca philoſophus eximius, & ſapientiſsimus dicendi & ſentiendi magiſter, naturæ rerum gratias agit, quòd ſecretiora eius mentis acumine ingreſſus, diſcuſſa terra illa nebula, quæ, teſte Græco Homero, & Latino Virgilio, obtutus mortaliũ hebetat, menteſque applauſo ignorationis velamento obducit, ſolius philoſophiæ adminiculo indagauerit, quæ vniuerſi materia ſit, quæ rerum formæ, qui motus, quæ animæ vis, qui auctor omniũ & conſeruator, quæ rerum viciſcitudo, continuuſque ſucceſſus. Plura de philoſophiæ excellentia, & philoſophorum æſtimatione attuliſſem, ſin adeſſent eloquentiæ parens Marcus Tullius in epiſt. didaſcalica ad Quintum Fratrem. lib. 2. officc. cap. 1. & quæſtionum Tuſculann. lib. 2. cap. 3. Plinius natural. hiſtor. lib. 7. cap. 30. & lib. 24. cap. 5. Seneca lib. 11. epiſtoll. epiſtol. 74. & ad Lucillum epiſt. 16. & 98. & in Polycratico lib. 3. cap. 9. Martianus Capella de nuptiis philologię. Agellius lib. 9. de noctib. Atticis. Auguſtinus de ciuitate Dei lib. 22. cap. 22. Cœlius Rhodigin. antiqq. lection. lib. 4. cap. 30. & lib. 12. cap. 21. Vincentius

* Belua-

Beluacenſis in ſpeculo naturali. Iacobus Magni in Sophologio ſapientiæ lib.2. cap.13. Beroaldus in enarratione quæſtionum Tuſculann.aliique quamplurimi,qui orationis grauitate glorioſæ & præpotentis philoſophiæ laudes proſecuti ſunt.In Ariſtotelis vero Phyſicis libris interpretandis eam methodum ad vnguē obſeruauimus,vt primū auctoris textum vt breuem,conciſſum, & laconycum, ita grauem atque difficilem iuxta veriorem grauiſsimorum philoſophorum ſententiam explicare , germanum ac legitimum ſenſum,quantum aſſequi licuit , extrahere & enodare contenderimus , mox adhibitis grauibus diſputationibus, de natura materia,forma,priuatione,loco,vacuo,motu,tempore,æternitate,indiuiſibilibus,aliiſq; de rebus præſtātiſsimis, eas quæſtiones diſceptandas ſuſceperimus,quæ & naturalem philoſophum excolerent , & aditum aperirent ad ſecretiora Medicinæ & Theologiæ myſteria capeſcenda. Qua in re quoties algendum & ſudādum fuerit,quot exhantlati labores & facti ſumptus in grauiſsimis philoſophis perquirendis & conſulendis ad ea paranda quę huic operi perficiendo neceſſaria cenſebantur, quot etiam moleſtiarum turbines ſuperati in excudendis prælo commentariis,quoties itidem maxima ſomni pars,& neceſſaria feſſo corpori quies ademēda,præſertim tot hoc tempore,in quo Vicerectoris florentiſsimæ Valentinorum Academiæ munus ſuſtinui,ſæpe etiam infirma & imbecilla valetudo impediuit,teſtes eos expoſco , qui eandem prouinciam aliquando ſuſtinuerunt. Sed nihil aliud gratiarum expoſco,quam vt interim æqui bonique cōſulantur,dum alios paro in libros Ariſtotelis de cœlo,de matheoris & elementariis impræſsionibus, de mundo, de ortu & interitu,de anima,vt vltimum philoſophiæ naturæ colophonē addamus.Quod prę́ſtabimus breuiter,ſi Deus Opt.Max. vt aſſolet,generoſis noſtris conatibus propitius & benignus adfuerit. Interim Vale Lector,ex noſtra Bibliotheca Idibus Iunij Anno Domini M. DC.IIII.

Doctor Hieronymus Pla Academiæ Valentinæ Prorector.

INDEX CAPITVM, QVÆSTIONEM, ET DVBITATIONVM HVIVS TOMI.

Primus numerus folium, ſecundus paginam denotat.

LIBER PRIMVS.

PRAEFATIO, & prolegomena. 1. 2

Quæſt. 1. *quod nã ſit obiectũ philoſophiæ naturæ.* 2. 2

Quæſt. 2. *Vtrum philoſophia naturæ ſit vna ſcientia.* 5. 1

Quæſt. 3. *Vtrum philoſophia ſit neceſſario.* 9. 2

De inſcriptione horum librorum. 10. 1

De diuiſione librorum phyſicorum. 11. 2

Caput 1. *In quo proponit Ariſt. methodum ſeruandã intradenda philoſophia naturæ.* 11. 2

Quæſt. 1. *an in intellectu ſit primum cognitum.* 14. 1

Quæſt. 2. *quæ ſint nobis & natura notiora, & an aliquando eadem ſint nobis & natura nota.* 19. 2

Quæſt 3. *Vtrum ad perfectam rei cognitionem neceſſe ſit omnes eius cauſas cognoſcere.* 20. 2

Cap. 2. *In quo proponit Ariſt. quæſtiones de principijs rei naturalis.* 21. 2

Quæſt. 1. *an philoſophus naturalis poſſit probare ſua principia.* 23. 1

Quæſt. 2. *vtrum ſubſtantia ſecundum ſe ſit diuiſibilis.* 25. 1

Quæſt. 3. *an totum diſtinguatur a ſuis partibus.* 27. 1

Cap. 3. *In quo ſoluit Ariſt. argumenta Parmenidis, & Meliſi.* 31. 1

Cap. 4. *In quo impugnat Ariſ. phyſicos.* 33. 2

DISPVTATIO DE maximo & minimo, ſiue de terminis magnitudinis, & paruitatis rerum omnium.

QVAEST. 1. *An res naturales viuentes habeant* * 2 *termi,*

terminum magnitudinis, & paruitatis. 36. 2
Quæſt. 2. *an ſubſtantiæ inanimatæ habeant terminum magnitudinis, & paruitatis.* 40. 2
Quæſt. 3. *an accidentia habeãt terminũ magnitudinis, & paruitatis.* 46. 1
Cap. 5. *principia rei naturalis eſſe contraria.* 48. 2
Cap. 6. *de numero principiorũ.* 50. 2
Cap. 7. *principia partim eſſe duo, partim tria.* 53. 2
Cap. 8. *in quo ſoluit Ariſtot. quandam dubitationem.* 57. 1
Cap. 9. *in quo refellit ſententiã illorum, qui non diſtinguebant priuationẽ à materia.* 58. 1

DISPVTATIO DE principijs rerum naturalium.

PRIMA *pars diſputationis, quæ eſt de principijs in communi.* 60. 1
Quæſt. 1. *an principia ſint contraria. ibidem.*
Quæſt. 2. *an principia rei naturalis ſint tantum tria.* 61. 2
Secunda pars diſputationis de principijs quæ eſt de natura. 64. 2
Quæſt. 1. *an in rebus naturalibus ſit neceſſari materia. ibidem.*
Quæſt. 2. *an materia prima ſit ſubſtantia.* 67. 1
Quæſt. 3. *an potẽtia ſit de eſſentia materiæ primæ: & an materia prima ſit pura potẽtia.* 68. 2
Quæſt. 4. *an materia prima habeat ex ſe propriam exiſtentiam.* 73. 2
Quæſt. 5. *an materia prima poſſit exiſtere abſque forma.* 76. 1
Quæſt. 6. *an materia prima ſecũdum ſe ſit corporea, & an habeat formam corporeitatis.* 78. 1
Quæſt. 7. *an materia prima habeat ſecundum ſe quantitatem coæuam, & dimẽſiones interminatas.* 79. 1
Quæſt. 8. *an materia prima ſecundum ſe ſit generabilis, & corruptibilis.* 80. 2
Quæſt. 9. *an materia prima ſecundum ſe ſit principium corruptibilitatis.* 82. 1
Quæſt. vlt. an materia omniũ generabilium, & corruptibilium ſit eadem numero. 83. 1

TERTIA PARS DISputationis quæ eſt de forma, & priuatione.

QVAESTIO prima an ſit forma ſubſtantialis, & quæ ſit. 84. 2
Quæſt. 2. an omnes formæ naturales educantur de potentia materiæ. 85. 2
Quæſt. 3. In qua multæ dubitationes pertractantur. 88. 1
Quæſt. 4. an priuatio ſit principium diſtinctum a materia. 89. 2

QVARTA PARS DISputationis, quæ eſt de principio indiuiduationis.

QVAEST. 1. quid ſit principium indiuiduationis in rebus materialibus. 91. 2
Quæſt. 2. quid ſit principium indiuiduationis in materia, & forma. 95. 1
Quæſt. vltima, a quo ſumant indiuiduationem ſubſtantiæ immateriales, & accidētia. 95. 2

LIBER SECVNDVS.

CAP. 1. quid ſit natura, quid ens naturale, & quid ens ſecundum naturā. 97. 1
Quæſt. 1. an diffinitio naturæ tradita ab Ariſtotele ſit recta. 99. 2.
Quæſt. 2. an materia ſit natura. 101. 2
Quæſt. 3. an forma ſit natura, & an omnis forma ſit natura. 103. 1
Quæſt. 4. an natura dicatur vniuoce, vel analogice de materia, & forma. 104. 2
Quæſt. 5. an quæuis natura ſit principium motus, & quietis. 106. 2
Quæſt. vltima in qua obiter pertractantur aliquot dubitationes. 107. 2
Cap. 2. qua ratione differat phyſicus a matematico, & an phyſicus conſideret materiam & formam. 109. 1
Cap. 3. de cauſis. 111. 1
Cap. 4. de caſu & fortuna. 112. 2
Cap. 5. quid ſint caſus, & fortuna, & quomodo conueniant. 113. 2
Cap. 6. qua ratione differant caſus & fortuna. 115. 1.
Cap. 7. in quo proponūtur duo theoremata ad cauſas pertinentia. 116. 1

DISPVTATIO DE cauſis.

PRIMA pars diſputatio de cauſis. 117. 1
Quæſt. 1. quid ſit cauſa. ibidē.
Quæſt 2. an ſint tantum quatuor cauſarũ genera. 118. 2

SECVNDA PARS DISputationis. 120. 2

QVAEST. 1. In quo conſiſtat cauſalitas materiæ ibidem.
Quæſt. 2. in quo conſiſtat cauſalitas formæ. 122. 2
Quæſt. 3. in quo conſiſtat cauſalitas cauſæ efficientis. 124. 1
Quæſt. 4. in quo conſiſtat cauſalitas finis. 127. 1

TERTIA PARS DISputationis de cauſis. 139. 2

QVAEST. 1. an cauſæ ſecundæ aliquid efficiant. ibid.
Quæſt. 2. an accidentia poſſint producere ſubſtantiam, & accidens. 132. 1
Quæſt. 3. Vtrum Deus concurrat immediate cum cauſis ſecundis. 135. 2
Quæſt. 4. an idē effectus numero poſſit eſſe a multis cauſis. 138. 2
Quæſt. vltima in qua multæ dubitationes pertractātur. 139. 1

QVARTA PARS DISputationis de cauſis.

QVEST. 1. an ſint caſus & fortuna. 141. 2
Quæſt. 2 quid fatum. 142. 2
Cap. 8. an natura operetur propter finem. 143. 2
Cap. 9. vnde ſumatur neceſſitas in rebus naturalibus. 145. 1
Quæſt. 1. vtr. omne agens naturale operetur propter finē. 145. 2

LIBER TERTIVS.

CAP. 1. in quo proponit Ariſtoteles ſuum inſtitutum. 146. 1
Cap. 2. quid ſit motus. 146. 2
Cap. 3. in quo reperiatur motus. 147. 1

DISPVTATIO DE motu.

QVAEST. 1. an diffinitio motus tradita ab Ariſtotele recta ſit. 149. 1
Quæſt. 2. an diffinitio motus cōueniat omni motui. 150. 1

Quæſt.

*Quæſt.3.ad quod prædicamentum pertineat motus.*151. 2
*Quæſt.4.qua ratione ſe habeat motus ad actionem & paſſionem.*153. 1
*Quæſt.5.an actio ſit in agente, vel in paſſo.*154. 2
*Cap.4.de infinito.*155. 2
*Cap.5.nõ dari infinitum actu.*157. 1
*Cap.6.in quo abſoluitur quæſtio de infinito.*159. 1
*Cap. 7. quid ſit infinitum.*160. 2
Cap. 8. in quo ſoluuntur rationes quibus probauit capite quarto infinitum eſſe, 162. 2

DISPVTATIO DE infinito.

QVAEST. 1. an viribus naturæ poſſit dari infinitum. 163. 1
Quæſt. 2. vtrum per aliquam potentiam poſſit dari infinitum actu. 165. 1

LIBER QVARTVS.

*CAP. 1. in quo pertractat Ariſtoteles in vtramque partem quæſtionem an ſit locus.*167. 2
*Cap.2.locum neque eſſe materiam,neque formam.*169. 1
*Cap. 3. quibus modis aliquid ſit in alio,& an idem ſit in ſe ipſo.*170. 2
*Cap.4 quid ſit locus.*171. 2
*Cap. 5. qua ratione cœlum ſit in loco.*173. 2

DISPVTATIO DE loco.

*QVAESTIO prima an ſit locus.*175. 2
Quæſt.2.an locus ſit interuallũ ibidem.
*Quæſ.3.an locus ſit ſuperficies.*177. 1
Quæſt.4. de immobilitate loci. 179. 2
Quæſ.5.an locus ſit æqualis rei locatæ, & an vnum corpus poſſit eſſe in duobus locis, & duo corpora in vno loco. 180. 2
*Quæſ.6.an locus habeat vim attrahendi & conſeruandi locatum.*183. 2
Quæſ.vltima an primum cœlum ſit in loco. 184. 1
Cap.6. an ſit vacuum,nec ne. 184. 2
*Cap.7.quid ſit vacuum.*189. 2
*Cap.8.non dari inane ſeparatum.*190. 2
Cap.9.non dari vacuum coniunctum cum corporibus, 192. 1

DIS-

DISPVTATIO DE vacuo.

QVAEST. 1. an ſit vacuum ſiue inane. 193. 1
Quæſt. 2. an poſſit dari vacuum. 194. 1
Quæſ. 3. an per vacuum poſſit fieri motus. 194. 2
Quæſt. 4. an ſi res mouetur in vacuo, moueatur in tẽpore vel in inſtanti. ibid.
Cap. 10. de tempore. 195. 2
Cap. 11. quid ſit tempus. 196. 2
Cap. 12. in quo proponit Ariſtoteles quædam cõſectaria. 198. 1
Cap. 13. de quorundam aduerbiorum ſignificationibus. 199. 1
Cap. 14. in quo proponit Ariſtoteles multas quæſtiones de tempore. 200. 1

DISPVTATIONES de tẽpore in quibus diffuſius ea omnia, quę docuit Ariſtoteles hoc lib. 4. a capite. 10. vſque ad finẽ libri enodãtur.

DISPVTATIO. I. DE tempore in qua agitur de natura illius.

QVAEST. 1. An ſit tempus. 197. 1
Quæſt. 2. an tempus ſit ens rationis, vel ens rei. 100. 1
Quæſ. 3. an diffinitio temporis tradita ab Ariſtotele ſit recta. 201. 1
Quæſt. 4. an tempus diſtinguatur a motu & a mobili. 203. 1
Quæſ. 5. an tempus ſit ſubſtantia vel accidens. 206. 1
Quæſt. 6. an tempus ſit quantitas, vel quando. 206. 2
Quæſ. 7. quid ſit tempus. 211. 2

DISPVTATIO II. IN qua agitur de partibus temporis.

QVAEST. 1. an ſit vnicum tantum tempus. 213. 1
Quæſt. 2. qua vnitate tempus ſit vnum. 215. 1
Quæſt. 3. an aliqua pars temporis ſit præſens. 216. 2
Quæſt. 4. de diuiſionibus & relationibus temporis. 222. 1
Quæſ. vltima, in qua aliquæ dubitationes pertractatur. 225. 1

DISPVTATIO III. DE tempore in qua agitur de inſtantibus.

QVAEST. vnica an in tempore reperiantur inſtantia. 226. 2

DISPVTATIO IIII. de tempore, in qua de durationibus agitur.

Quæſt.

QVAEST. 1. de durationibus in cõmuni. 231. 2
Quæſt. 2. in qua aliquæ tractātur quæſtiones de æternitate & æuo 233. 1
Quæſt. 3. de duratione rerum corruptibilium & accidentium illarum. 237. 1

LIBER QVINTVS.

CAP. 1. de modis quibus aliquid mouet, & mouetur. 241. 1
Cap. 2. ad quas Categorias ſit per ſe motus. 243. 1
Cap. 3. in quo quædā iacit fundamenta. 244. 1
Cap. 4. de vnitate motus. 244. 2
Cap. 5. de contrarietate motus. 246. 1
Cap. 6. quanam quies ſit cõtraria motui. 247. 1

DISPVTATIONES IN ea quæ docuit Ariſtoteles libro quinto.

DISPVTATIO PRIMA. In qua agitur de ſpeciebus & termino motus.

QVæſt. 1. Vtrum generatio & corruptio ſint proprie motus. 249. 1
Quæſt. 2. An generatio immediate ſubiectetur in materia prima. 250. 1
Quæſt. 3. An ad ſubſtantiam ſit per ſe motus, vel ſolum mutatio. 251. 2
Quæſt. 4. quæ ſint de ratione motus proprie dicti. 252. 2
Quæſt. 5. An ad quantitatem detur per ſe motus. 154. 2
Quæſt. vltima, an ad qualitatem, relationem, vbi, & motum ſit per ſe motus proprie dictus. 257. 1

DISP. SECVNDA DE vnitate motus.

QVAESTIO 1. Vnde ſumatur vnitas generica, & ſpecifica motus. 259. 2
Quæſ. 2. Vnde ſumat motus vnitatem numericam. 261. 2
Quæſt. 3. de vnitate generis ſupremi motus, & qua ratione eius prædicamentum ſit ordinandum. 263. 1

DISPVTATIO TERTIA de contrarietate motus.

QVæſtio. 1. An motus ſit alicui motui cõtrari°. 266. 2
Quæſt. 2. An quies ſit cõtraria motui, & qua contrarietate. 268. 2

xx LI-

LIBER SEXTVS.

CAP. 1. *Nullum continuũ cõponi ex indiuiſibilibus.* 270. 1

Cap. 2. In quo explicatur ſimilitudo magnitudinis, motus & temporis. 271. 1

Cap. 3. In quo proponit quædam theoremata temporis. 272. 1

Cap. 4. De diuiſione motus. 272. 2

Cap. 5. In quo proponuntur quædam motus theoremata 273. 1

Cap. 6. Ante quãuis mutationem reperiri mutatũ eſſe, & ante quoduis mutatum eſſe mutationem. 273. 2

Cap. 7. In quo proponit Ariſt. varia theoremata de finitate, & infinitate motus. 274. 2

Cap. 8. De eo quod eſt inſiſtere ſiue ſtare. 275. 1

Cap. 9. In quo ſoluit Ariſt. rationes Zenonis. 275. 2

Cap. 10. Indiuidua non poſſe moueri, & nullam mutationem eſſe infinitam. 277. 2

DISPVTATIONES *in ea quæ docuit Ariſt. hoc libro ſexto.*

DISPVTATIO PRIMA de partibus continui.

QVæſt. 1. Vtrum continuũ componatur ex indiuiſibilibus. 278. 1

Quæſt. 2. Vtrum partes continui actu ſint in illo, & an ſint actu finitæ, vel infinitæ 278. 2

DISPVTATIO SECVNDA de indiuiſibilibus continui.

QVæſt. 1. An in continuo ſit [illegible] aliquod indiuiſibile. 284. 2

Quæſt. 2. An in continuo ſint actu indiuiſibilia terminantia, ſcilicet lineæ, & puncta. 286. 2

Quæſt. 3. An in continuo ſint actu indiuiſibilia copulantia. 291. 2

[illegible] *ſiuo ſint indiuiſibilia actu.* 301. 2

DISPVT. TERTIA DE modis incipiendi & deſinendi.

QVæſt. 1. Qua ratione incipiant & deſinant res ſucceſſiuæ. 302. 1

Quæſt. 2. Qua ratione incipiãt & deſinant res permanentes. 305. 2

Quæſt. 3. In qua aliquæ dubitationes pertractãtur. 306. 2

LIBER SEPTIMVS.

CAP. 1. Omne quod mouetur ab alio moueri. 309. 1
Cap. 2. Mouens & mobile debere eſſe ſimul. 309. 2
Cap. 3. Commutationes ſolum eſſe ad qualitates tertiæ ſpeciei. 310. 2
Cap. 4. An quiuis motus poſſit cũ alio comparari. 311. 2
Cap. 5. De proportione inter mouens & quod mouetur. 313. 1

LIBER OCTAVVS.

CAP. 1. An motus ſit ſempiternus. 314. 2
Cap. 2. Refert ſentẽtias. 315. 2
C. 3. An oĩa moueãtur. 316. 2
C. 4. Oĩa ab alio moueri. 317. 2
C. 5. Eſſe primũ motorẽ. 319. 1
Cap. 6. Eſſe æternum. 321. 2
C. 7. Lationẽ eſſe primã. 323. 1
Cap. 8. Motum in orbem poſſe eſſe æternum. 324. 2
Cap. 9. Eſſe ſempiternũ. 326. 2
Cap. 10. Primũ motorẽ virtutis eſſe infinitæ, & partibus vacare. 327. 2

DISPVTATIO PRIMA de mundi æternitate.

QVæſt. 1. In qua aliquæ dubitationes pertractãtur.
Dubitatio. 1. Quid ſit creatio. 329. 2
Dub. 2. An cognoſci poſſit viribus naturæ. 330. 2
Dub. 3. Si Ariſt. cognouit. 332. 1
Dub. 4. Vtrum mũdus ſit efficienter à Deo. 332. 2
Dub. 5. An Ariſt. cenſerit omnia eſſe à Deo. 333. 1
Quæſt. 2. An Deus produxerit mundum libere. 334. 2
Quæſt. 3. De æternitate mũdi.
Dub. 1. An mundus fuerit ab æterno. 336. 2
Dub. 2. Quo anni tempore conditus fuerit. 337. 1
Dub. 3. An Ariſt. exiſtimarit fuiſſe ab æterno. 338. 1
Quæſt. 4. An à Deo potuerit ab æterno creari. 339. 2

DISP. SECVNDA DE motu locali.

QVæſtio in qua pertractantur dubia de motu locali. 345. 1

DISPV. TERTIA DE primo motore.

QVæſt. 1. An ſit primus motor. 348. 2
Quæſt. 2. An primus motor ſit vnus. 349. 1
Quæſt. 3. An primus motor ſit omnino immobilis. 350. 1
Quæſt. 4. An primus motor ſit infinitæ virtutis. 351. 1

INDEX RERVM OMNIVM PRÆSTANTIORVM, QVÆ IN HIS Commentarijs explicantur.

Primus numerus folium, ſecundus columnam denotat.

ABSTRACTIO.

ABSTRACTIO realis, & rationis, & earum ſubdiuiſiones. 6. 4
Quotupiex ſit. 15. 4

Accidens.

ACCIDENTIA prædicamenta'ia, quæ habeant neceſsitatem ex ſe, & quæ non, & non omnia in hærere. 46. 1
Generantur. 4. modis. 89. 1
Accidens producere ſubſtantiam, & accidens quid ſit. 132. 3
Virtute propria non attingit productionem ſubſtantiæ. 132. 3
Virtute ſubſtātię attingit. 132. 4
Producit accidens. 133. 3
Producere ſubſtantiam virtutute ſubſtantiæ quid ſit. 134. 4

Accretio, actio, actus, agens, agere,

ACcretio animatorum & in animatorum qua ratione differant. 41. 4
Sumitur tripliciter. 255. 1
Actio proprie duplex. 125. 1
Idem eſt cum paſsione. 153. 2
Non eſt formaliter motus, nec paſsio etiam. 153. 3
Tranſiens & immanens eſt. 154. 4
Eſt in paſſo. 154. 4
Numeri:a eius vnitas a ſubiecto. 263. 2
Actum & potentiam pertinere ad eandem categoriam, qua ratione intelligatur. 70. 1
Agentis artificialis duplex actio. 118. 4
Agentis naturalis & liberi diſtinctio. 315. 2
Agens naturale qua ratione dicatur efficere totum compoſitum. 131. 1

Agentia

Agentia omnia qua ratione agant propter finem. 145. 4
Agere ex neceſsitate naturæ quid ſit. 334. 3

Aeternitas, æternum, æuum, æuiternum.

AEternitas quid. 233. 3
Solam ſucceſsione carere qua ratione intelligatur. 235. 3
Aeternum qua ratione habeat præteritum, & futurum. 233 4
Ab æterno non poteſt eſſe res ſucceſsiua. 340. 2
Ab æterno nō poſſunt eſſe creaturæ permanentes ſuæ naturæ relictæ, imo etſi immotæ ſemper conſeruētur. 343. 2
Aeuum quid ſit. 234. 3
Eius tres ſignificationes. 234. 1
Quarum rerum ſit duratio. 234 4
Eſt duratio viſionis beatificæ. 235. 4
Eſt duratio cuiuſuis creati incorruptibilis. 236. 4
Eſt ſpecies infima. 237. 1
Extrinſecum, quod ſit menſura cœterorum non eſt conſtituendum. 236. 1
Aeuiternum non habet menſuram extrinſecam. 236. 3

Angelus, Anima.

ANGELI mali qua ratione torqueantur ab igne. 3. 4
Angeli, & entia rationis non repreſentātur per ſpecies per quas cognoſcuntur. 17. 4
Angeli qua ratione cauſent inferiora. 138. 1
Animam rationalem eſſe formam corporis deffiniuit Cōcilium Vienenſe, & immortalem Lateranenſe. 95. 4
Anima rationalis qua ratione pēdeat a materia. 122. 2

Cadauer. Cœlum.

CAdauer incipit per primū ſui eſſe per accidens. 46. 1
Cælum primum qua ratione ſit in loco. 184. 2

Cauſa, cauſatio, cauſalitas.

CAuſæ efficientis definitio explicatur. 124. 3
Efficiens phyſica & moralis, præcipua, & inſtrumentaria. 124. 4
Inſtrumentaria, coniuncta, & ſeparata. 125. 1
Quædam diuiſiones. 125. 2
Finalis ratio in quo conſiſtat, 127. 3
Finalis cauſalitas in quo conſiſtat. 127. 4
Particularis, libera, & neceſſaria. 130. 1
Materialis quid ſit. 121. 1
Particulares aliquid efficere, oſtenditur eſſe de fide. 130. 2
Quattuor modis poteſt con-

currere ad productionem ef fectus. 136. 1
Secundæ vniuerſæ, & corporeæ qua ratione concurrant cum cauſis particularibus. 128. 1
Vniuerſæ pendēt à particularibus. 138. 2
Ratio nō eſt ſynonyma. 139. 3
Poteſt eſſe alterius cauſæ. 139. 3
Formalis nec expellit formam in genere cauſę formalis, nec efficientis. 139. 4
Exemplaris pertinet ad genus cauſæ formalis. 140. 3
Materialis definitio propoſita ab Ariſtotele. 111. 3
Sunt ſibi inuicem cauſæ. 112. 1
Variæ diuiſiones. 112. 2
Genera quattuor ex Ariſtotele. 116. 1
Sæpe coincidunt. 116. 2
Sumitur multis modis. 117. 3
Variæ definitiones. 117. 4
Earum genera quattuor tātum ſunt. 119. 1
Phyſicæ & moralis duo diſcrimina. 120. 2
Reſpectu eiuſdem effectus poteſt eſſe phyſica & moralis. 120. 4
Cauſa, cauſalitas, & cauſatio qua ratione differant. 121. 1
Ad cauſæ diſtinctionem quę diſtinctio requiratur. 122. 3
Formalis diffinitio. 122. 3
Eius plures effectus. 122. 4
Eiuſdem effectus formalis primarius nequit ſuppleri à Deo 124. 1
Cauſalitas efficientis in quo cōſiſtat. 126. 2
Finis non datur propriè reſpectu Dei. 129. 2
Materiæ reſpectu totius. 121. 2
Materiæ reſpectu formæ & totius compoſiti. 121. 3
Formæ in quo conſiſtat. 123. 1
Cauſatio efficientis in quo cōſiſtat. 126. 3

Chriſtus.

CHRISTI Domini humanitas habet propriam exiſtentiam. 124. 1
In triduo non habebat partes vnitas inter ſe, illis tamen erat vnitum verbum. 29. 4

Circulus.

CIrculi ex ęquo diſtantes ab eodem centro ſunt idem. 181. 1

Cognitio.

COgnitio clara, & confuſa. 14. 4
Actualis, & potentialis, diſtincta, & confuſa. 16. 4
Perfecta, ſimplex, & compoſita. 20. 3
Comprehenſiua quæ requirat. 20. 4
Omnino comprehenſiua quæ requirat. 21. 2
Perfecta, ſcientifica per quam cauſam debeat fieri. 21. 1

Contactus, Continuitas, Continuum.

Con-

Contactus inadęquatus qua ratione ſit admittendus. 300. 2
Continuitas poſitiua & negatiua. 266. 3
Continuum cur ſic dicatur. 244. 3
Continuum, contigua, & conſequenter ſe habentia. 270. 1
Non componitur ex indiuiſibilibus. 277. 3
Non habet actu partes determinatas. 279. 3
Actu eſt diuiſibile in partes infinitas. 280. 1
Non habet actu partes proportionales. 280. 2
Eſſe vltimo diuiſum implicat. 281. 2
Continuum & eius partes ſunt eiuſdem rationis. 292. 2
Non habet actu indiuiſibilia copulantia. 293. 3
Non habere actu puncta copulantia oſtenditur doctrina Ariſtotelis, & rationibus firmiſsimis. 294. 3
Non habet actu lineas copulantes. 269. 3
Non habet actu ſuperficies copulantes. 297. 4

Corporeitas, Corpus.

Corporeitatis forma quid ſit. 78. 2
Corpus finitum partium detractione abſumitur. 35. 4
Subſtantiale duplex. 78. 1
Simplex qua ratione habeat vnum tãtum motum localẽ. 261. 2

Corruptibile, Corruptio.

Corruptibile ab intrinſeco, & ab extrinſeco. 80. 4
In corruptionis inſtanti nondũ res eſt corrupta. 63. 4

Creatio, Creatura.

Creationis definitio. 329. 3
Cognoſci poſſe lumine naturæ oſtenditur rationibus, & præclaris Patrum teſtimonijs. 330. 2
Eam veteres philoſophi agnouerunt, & etiam Ariſtoteles. 332. 2
Creaturæ definitio egregie explicatur. 330. 2

DEVS.

DEVS cur ſe ſolo nõ poſsit ſupplere cauſas intrinſecas. 76. 1
Eſt in omnibus rebus tribus modis. 136. 3
Concurrit immediate cum omnibus cauſis ſecundis, quod demonſtrant varia ſcripturæ teſtimonia. 136. 3
Concurrit immediatione virtutis & ſuppoſiti cum cauſis ſecundis. 137. 1
Quarũ cauſarum vices poſsit ſupplere. 140. 4
Eſt agens liberum adhuc in doctrina Ariſtotelis. 336. 1

Diſpoſitio, Diſtinctio, Diuiſio.

Diſpoſitio vltima qua ratione fiat in inſtãti. 45. 4
Diſtinctio realis, & rationis, & harum ſubdiuiſiones. 27. 4

Quotuplex ſit.73. 4
Realis poſitiua & negatiua. 89. 3
Realis reperitur inter formas ſubſtantiales.27. 4
Rationis inter aliqua ſufficit ad ſeparationem illorum.31 2
Diuiſio tot modi, contingere poteſt, quot accidit compoſitio.25. 2

Duratio.

Durationis diffinitio. 232. 1
Non diſtinguitur ex natura rei ab exiſtentia. 232. 3
Intrinſeca non menſurat. 233. 1
Diſtinguitur ratione ab exiſtẽtia.233. 2
Eſt triplex.233. 2
Tantum eſt rei actualis, & diſtinguitur ab eſſentia.231.4
Permanens creata nec habet præteritum, nec futurum. 235. 1
Includit aliquam rationẽ quantitatis.231. 4
Quotuplex.227. 1
Intrinſeca duratione dicitur res proprie durare. 231. 3

Efficientia, effectus.

Efficientia ſolum reperitur in cauſa efficiente. 126. 1
Effectus vnus numero de potẽtia naturali non poteſt eſſe a multis cauſis, poteſt tamen de abſoluta.138. 4

Elementa, Ens, Eſſentia, Exemplar.

Elementa carere termino paruitatis egregie oſtenditur.42. 4
Secundum ſe tota ſunt corruptibilia. 238. 1
Ens mobile obiectum philoſophiæ naturæ. 4. 1
In communi non eſt totum potẽtiale. 17. 4
Includit conceptum ſubſtantię & accidentis in ſuo conceptu.17. 3
Eſſentia & exiſtentia nõ diſtinguntur materialiter. 74. 1
Exemplar quid ſit. 118. 3

Fatum, finis.

Fatum quid ſit.142. 4
Reſpectu Dei eſt effectus, reſpectu aliorum cauſa.142 4
Qua ratione admittendum a Chriſtianis. 243. 1
Finis hominis naturalis, & ſupernaturalis.9. 4
Pro re & pro conſequutione, & quatuor quæ in eo inueniuntur.127. 2
Eius multę acceptiones. 127. 1
Eius cognitio materialiter & formaliter.128. 1

Forma fortuna.

Forma & materia non ſunt entia naturalia.4. 3

Simpliciter fit per generationem, materia vero fit talis 55. 4
Omnis excepta anima rationali comproducitur. 86. 4
Omnis generabilis, excepta anima rationali, educitur de potentia materiæ. 87. 1
Omnis naturalis habet propriam exiſtētiam incompletam. 88. 2
Naturalis non poteſt exiſtere naturaliter abſque materia. 88. 3
Omnis excepta anima rationali eſt corporea vt quo, & generabilis & corruptibilis per accidens. 88. 3
Subſtātialis immediate vnitur materiæ primæ. 88. 4
Rei naturalis & quæuis anima eſt natura. 103. 3
Artificialis qua ratione diſtinguatur a materia. 108. 2
Accidentaria tribuit eſſe eſſentiale toti compoſito. 123. 1
Eſſe ſeparabilem vnde proueniat. 82. 3
Eius multa nomina. 84. 3
Diuiſiones eius. 84. 4
Naturalis formæ deffinitio. 85 1
Educi de potētia materię quid ſit. 86. 1
Naturalis duratio eſt tempus. 239. 1
Artificiales qua ratione educātur. 87. 2
Alię ordinantur primo ad eſſendum, ſecundo ad operandū, aliæ vero è contra. 133. 2
Fortunæ diffinitio. 114. 2
Proſpera quæ ſit, & qui dicantur fortunati, 114. 4
Eius & caſus comunis diffinitio, & diſcrimen. 115. 1
Eius & caſus deffinitiones explicantur. 141. 3
Opiniones veterum de eā. 142 1. 2
Eius & caſus effectus nō datur reſpectu Dei. 142. 1
Datur in rebus inferioribus, ſimiliter & caſus. 141. 4

Generatio.

Generatio ſumitur vt actio, vt paſsio, & vt mutatio. 62. 1
Qua ratione differat a creatione. 80. 3
Per ſe & per accidens, ſimiliter & corruptio. 80. 4
Non eſt motus proprie. 249. 3
Eſt mutatio proprie, ſimiliter & corruptio. 249. 4
Subiectatur in compoſito. 250. 4

Immediatio, Inanimatum, Inceptio.

Immediatio virtutis & ſuppoſiti. 136. 1
Immediatio vide verbū Deus.
Inanimata in multiplici differentia. 41. 1
Carent vtroq. termino de potentia abſoluta. 41. 2
Incorruptibilia habent termi-

num magnitudinis & paruitatis defacto & de potentia naturali. 41. 2
Corruptibilia habent terminũ magnitudinis & paruitatis per accidens. 41. 3
Secundùm ſe carere termino intrinſeco & extrinſeco demonſtrant tres firmiſsimæ rationes. 41. 3
Inceptio & defiſsio abſolute & vt tanta quid ſit. 43. 3

Indiuiduum, Indiuiſibile.

INdiuiduum triplex. 91. 4
Indiuiſibile non mouetur niſi ſuperficies, & hæc per accidens. 307. 4
Solum moueri per accidens & quid ſit. 276. 3
Aliquod eſt in corpore. 285. 3
Separatum qua ratione habeat terminum. 287. 3
Nequit eſſe immediatum alteri in continuo. 272. 1
Indiuiſibile vide verbũ inſtans, verbum ſuperficies, verbum punctum, verbum linea.

Infinitum, Inſiſtere, Inſtans, Inſtantaneum.

INfiniti quinque ſignificationes ex Ariſtotele. 157. 1
Deffinitio ex Ariſtotele. 161. 1
Multiplex eſt. 163. 1
Diffinitio eius explicatur. 163. 3
Potentia datur tam additione quam dettactione. 164. 1
Actu non datur. 164. 5
Viribus naturæ dari nõ poteſt actu. 164. 3
Secundum quantitatem etiam eſſet infinitum ſecundũ eſſentiam. 165. 4
Componi ex genere, & differentia repugnat. 166. 1
Actu ſecundum magnitudinẽ nequit dari de potentia abſoluta. 166. 2
Actu ſecundum multitudinem nequit eſſe de potentia abſoluta. 166. 3
Diffinitio explicatur. 163. 3
Potentia infinitum ſemper eſt actu finitum. 340. 1
Partibus carere oſtẽditur. 103.
Inſiſtere eſt in tempore. 175. 1
Inſtans durationis & naturæ. 226. 3
Temporis duo ſignificat. 227. 1
Intrinſecum & extrinſecum. 227. 2
Copulans non eſt in tempore. 227. 4
Intrinſeco nec poteſt incipere motus localis, nec aliquis ſucceſsiuus. 304. 4
Nequit eſſe immediatum alteri in continuo. 274. 1
Per intrinſecum incipiunt & definunt omnia vibẽtia. 305. 3
Per intrinſecum incipiunt & definunt omnia inſtantanea. 306. 3
Datur in initio & fine temporis

ris,ſed non in medio. 301. 4
Omne eſt alicuius temporis. 303. 2
In extrinſeco incipiunt & deſinunt ſucceſsiua. 304. 2
Intrinſeco poteſt incipere motus proprie dictus. 304. 3
Omnia incipiunt & deſinunt in inſtanti. 303. 1
Inſtantanea exiſtunt ſed non habent durationem. 232. 2

Inſtrumentum, Intellectus.

INſtrumentum ſeparatum poteſt attingere productionem ſubſtantiæ. 135. 4
Inſtrumentum vide verbũ cauſa.
Intellectus primarium obiectũ non eſt vniuerſum formale. 15. 2
Qua ratione ſit veluti tabula raſa. 16. 2
Eius primum cognitũ duplex. 16. 4
Eius primum cognitum mouẽs & terminans quid ſit. 17. 1
Eius primum cognitum ſecundum Scotum eſt ſpecies infima. 18. 1
Noſter eſt in certa regula eorũ quæ Deus poteſt facere. 77 4

Linea, Locus, Lumen.

LInea & punctum etiam ſi eſſent non poſſent eſſe terminantia. 286. 4
Nulla potẽtia dari poteſt ſimiliter nec punctum. 287. 1
Locus quid ſit. 173. 3
Nec eſt interuallum, nec ſubſtantia, nec trina dimenſio à ſubſtantia ſeparata. 176. 1
Non eſt vacuum, & diſtinguitur reipſa a locato. 176. 3
Formaliter nec eſt qualitas, nec relatio, nec vbi. 177. 4
Naturalis quid ſit. 178. 3
Qui dicatur immobilis, & cur. 180. 1
Eſt æqualis rei locatæ. 180. 4
Idem an poſsit habere duo corpora, & an vnum poſsit eſſe in duobus. 182. 1
Non eſt terminus motus localis. 258. 3
Naturalis vim habet attrahendi & conſeruandi locatum. 183. 4
Eius diffinitio in comuni. 178. 2
Eiuſdem quædam diuiſiones. 177. 1
Affectiones comunes. 171. 3
Lumen nunquam exiſtit in ſola ſuperficie. 289. 4

Materia.

MAteria vt differat à priuatione. 54. 2
Diſtinguitur ſpecie à priuatione. 54. 4
Qua ratione cognoſcatur. 56. 4
Phyſica triplex. 64. 3
Quomodo appelletur ſubiectũ, elemẽtũ, & materia. 64. 4
Prima qua ratione differat ab alijs. 65. 2

Prima non eſt ſubiectum generationis. 65. 2
Eſt neceſſaria in omni re & trāſmutatione naturali. 65. 4
Eſſe Deum exiſtimauit Dauid de Dinando. 67. 2
Eſt ſubſtantia partialis 68. 1
Primæ diffinitio. 77. 3
Potentia eſt de eſſentia materiæ primæ. 69. 2
Prima eſt pura potentia ſubiectiua. 71. 3
Ex ſe eſt actu ens. 71. 3
Ex ſe eſt ſubſtantia incompleta. 72. 3
Ex ſe habet actum ſpecificum. 72. 4
Habet propriam exiſtentiam. 74. 2
Nunquam eſt ſine forma. 75. 4
Poteſt exiſtere abſque forma. 76. 1
Non eſt corpus de recta ſerie. 78. 2
Non habet formam corporeitatis. 78. 3
Ex ſe non habet quantitatem. 79. 2
Ex ſe non habet dimenſiones. 79. 3
Secundum ſe nec per ſe nec per accidens eſt generabilis aut corruptibilis, ſed ſolū ratione modi. 81. 1
Per ſe eſt principium corruptionis. 82. 1
Per ſe non eſt principium corruptibilitatis. 82. 2
Eſt vna numero poſitiue. 83. 2
Eius appetitus quid ſit. 84. 1
Naturaliter eſt diſpoſita ad animam rationalem. 86. 2
Denudata cur potius recipiat hanc formam, quam illam. 89. 2
Eſt natura. 101. 4
Semper eſt principium paſsiū motus, forma non ita. 107. 4
Tot ſunt materiæ, quot res naturales. 83. 3
Primæ duratio eſt æuum, & tempus. 239. 1
Materia triplex. 121. 1
Qua ratione concurrat ad eductionem formæ. 121. 4

Maximum, Medium, Menſura, Mixtum.

Maximum, & minimum poſitiue & negatiue. 36. 4
Poſitiue ſecundum perfectionē. 37. 1
Poſitiue ſecundum perfectionē in creaturis. 37. 1
Poſitiue, & negatiue de facto ſecundum quantitatem. 37. 2
Maximo & minimo ſecundum quantitatem carent res omnes de potentia abſoluta. 37. 3
Medium comparatum ad vnū extremum habet rationem alterius. 49. 3
Menſura & menſuratum debēt eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ. 240. 4
Menſura cæterorum eſt primū in vno quoque genere. 327. 2

Mix

Mixti generationis primarius terminus a quo non ſunt elementa. 250. 1

Modus, Mobile, Motus, Mouens.

MOdorum incipiendi & deſinendi definitiones. 303. 2
Modorum eorundem aliæ definitiones. 303. 4
Mobile omne eſſe ſemper diuiſibile. 320. 2
Mobile partim eſt in termino a quo, & partim in termino ad quem. 276. 4
Mobile manet idem in inſtanti, ſed nō quieſcit. 275. 4
Motus cœli eſt naturalis reſpectu principij paſsiui tātum. 118. 4
Metaphorice & proprie. 114. 3
Diffinitio illius. 147. 1
Diffinitio explicatur. 149. 1
Diffinitio conuenit motui proprie & improprie, naturali & artificiali. 150. 2
Diffinitio conuenit ſynonyme omnibus motibus; 151. 1
Quinque extenſiones. 151. 4
Pro forma fluente pertinet ad categoriam termini. 152. 1
Pro fluxu nec per ſe, nec reductiue collocatur in aliqua categoria. 152. 1
Succeſsiuus eſt quantitas per ſe. 152. 2
Non eſt quid commune ad actionem, & paſsionē adhuc analogice. 153. 3
Eſt ſubiectum actionis & paſſionis. 153. 4
Quinque extenſiones. 239. 3
Non menſuratur motu tanquā duratione. 240. 1
Menſuratur tempore arbitrio humano. 240. 2
Nec eſt in termino a quo, nec in termino ad quem. 241. 3
Proprie dictus, & mutatio proprie quid ſint iuxta Ariſtotelem. 242. 4
Ad tres tantum categorias. 243. 1
Continuus quis ſit. 244. 1
Vnde ſumat vnitatem genericam, & ſpecificam. 244. 4
Vnde ſumat numericam. 245. 1
Qui dicantur oppoſiti ab Ariſtotele. 246. 3
Succeſsiuus ſubiectatur in ſubiecto ſub termino ad quem. 251. 3
Proprie non requirit ſucceſsionem. 253. 3
Localis neceſſario requirit ſucceſsionem, & cur. 253. 4
Proprij duæ condiciones. 255. 2
Proprius non requirit formam fieri cum reſiſtentia. 255. 3
Per ſe ad vbi. 258. 1
Motus nō datur motus, neque mutationis mutatio. 259. 1
Non fit, nec fit mutatio. 259. 4
Vnitatem genericam, & ſpecificam vnde ſumat. 260. 1

*** 3 Motum

Motum & mutationem poſſe eſſe ad eundem terminum, deducitur ex Ariſtotele 260. 3
Numerica eius vnitas quid requirat. 261. 3
Vnitas numerica requirit ſolā continuationem. 262. 4
Ratio eius in quo conſiſtat. 263. 4
Differentia eſſentialis a mutatione ex Ariſtotele. 264. 1
Ratio eius in cõmuni. 264. 1
Eius genus ſupremum. 264. 2
Eius prima diuiſio in ſuas ſpecies. 264. 4
Proprie dicti diuiſio. 265. 2
Categoriæ eius ſeries. 265. 3
Solum localis eſt ſemper acquiſitio. 266. 1
Quatuor in eo inueniũtur. 266. 2
Secundum ſe non eſt motui cõtrarius. 267. 1
Alterationis qua ratione opponantur aduerſe. 267. 4
Accretionis & decretionis opponuntur improprie, & quomodo. 268. 1
Ad locum opponuntur per accidens improprie. 268. 1
Illi quænam quies opponatur, & qua ratione. 269. 1
Non eſt in inſtanti. 272. 2
Omnis eſt in tempore. 273. 3
Supponit mutatum eſſe. 273. 4
Succeſsio & duratio oritur ex triplici capite. 195. 1
Mixti cur non poſsit eſſe in inſtanti. 195. 1
Quinque habet extenſiones. 201. 2
Mouentium tria genera. 116. 3

Mutatio, Mutari, Mutabile, Mutatum eſſe.

MVtatio ſumitur vt mutatio, & vt productio. 80. 4
In inſtantaneis non ſunt ſimul fieri & incipere, licet ſint ſimul fieri & factum eſſe. 63. 4
Quæ requirat neceſſario. 65. 2
Mutationis non datur mutatio. 243. 2
Proprie nõ requirit quod ſit in inſtanti. 253. 1
Tria ſunt tantum genera. 263. 4
Diffinitio eius recte explicatur. 126. 4
Mutationis proprie diuiſio in ſuas ſpecies. 265. 2
Non ſemper eſt fieri & productio. 265. 4
Poteſt opponi priuatiue mutationi per accidens tamen. 268. 2
Ei qua ratione opponatur quies in termino a quo, & in termino ad quem. 269. 3
Mutari quid ſignificet apud Ariſtotelem. 242. 1
Mutari quot modis poteſt excogitari. 242. 1
Mutari proprie quæ dicantur. 126. 2

Muta-

Mutabile à principio intrinſeco,& à principio extrinſeco. 126. 1
Mutatum eſſe primum datur in fine motus. 273. 2
Eſt in inſtanti. 273. 4
Supponit motum. 274. 1
Fit in fine motus, & non in medio. 302. 2

Mundus.

MVndi ſiue vniuerſi ordo. 183. 3
Quinque illius ſignificationes. 332. 3
Duæ definitiones. 333. 1
Eſt efficienter à Deo. 333. 1
Secundum omnia eſſe à Deo cognouit Ariſtoteles. 333. 3
Libere eſſe factum à Deo eſt de fide. 334. 4
Secundum omnia productum eſſe à Deo per intellectum & voluntatem. 336. 2
Non fuiſſe ab æterno demonſtrat ſcriptura. 336. 4
Quo anni tempore ſit factus. 337. 2
Quo die creatus. 337. 3
Iuxta Ariſtotelis ſententiam fuit ab æterno. 338. 2

Natura, Naturale, Notius.

NAturæ diffinitio. 97. 4
Significationes ex Ariſtotele. 98. 3
Vndecim ſignificationes. 101. 1
Eſſe in determinatam qua ratione intelligatur. 104. 1
Synonyme dicitur de materia & forma. 105. 1
Quæuis eſt principium motus in compoſito. 107. 2
Quæuis eſt principium quietis poſitiuæ etiam in cœleſtibus corporibus. 108. 2
Opus naturæ qua ratione dicatur opus intelligentiæ. 136. 4
Naturalia & artificialia qua ratione differant. 97. 3
Naturale ſumitur multipliciter 100. 2
Diſcrimen ab artificiali. 100. 2
Eius quinque ſignificationes. 101. 2
Ab artificiali qua ratione differat. 108. 2
Notiora natura quæ dicantur. 19. 2
Quæ ſint. 19. 3
Notiora nobis quæ dicantur. 20. 1
Notiora nobis & natura aliquando diſtinguuntur, aliquando non. 20. 1
Notius natura non eſt quod eſt ſimplicius. 19. 4

Obiectum.

OBiectum pertinet ad cauſam formalem. 119. 3

Pars.

PARS determinata, & proportionalis. 278. 4
Dicitur dupliciter. 279. 1
Proportionales ſunt potentia infinitæ. 282. 2
Simul ſumptæ non ſunt cauſa totius. 30. 4

Philoſophia.

PHiloſophiæ ſex diffinitiones. 1. 3
Ad quid inuenta. 2. 1
Eius nomen inuenit Pythagoras. 1. 2
Quotuplex. 2. 2
In tota latitudine non eſt vna ſpecie infima. 6. 3
Philoſophia naturæ eſt ſcientia multiplex genere. 7. 2
Simpliciter neceſſaria eſt ad multos particulares fines hominis. 9. 4
Reſpectu totius Reſp. chriſtianæ, & ad finem ſupernaturalem maxime vtilis. 10. 1
Non docet res oppoſitas fidei, ſed potius nõ attingit illius veritates. 16. 3
Inanis fugienda eſt, ſed non vera. 10. 4
Suas affectiones demonſtrare poteſt per quoduis genus cauſæ. 21. 2

Potentia.

POtentiæ quędam diuiſiones 69. 1
Quæ ſit accidens, & quæ ſubſtantia. 69. 3
Quadruplex, ſimiliter & actus. 70. 2
Abſoluta quid ſit. 76. 1
Paſsiua, naturalis, & obedientialis. 86. 1

Principium, Priuatio, Punctum.

PRincipium, cauſa, & elementum idem aliquando ſignificãt apud Ariſtotelem. 12. 2
Principia alia rei, alia cognitionis, & hæc in duplici differentia. 23. 4
Per ſe nota, & immedia in duplici differentia. 24. 1
Cognitionis poſſunt probari in philoſophia quantum ad exiſtentiam contra negantes illa. 24. 1
Rei poſſunt demõſtrari in philoſophia naturæ. 24. 2
Probare illa in philoſophia naturæ munus eſt metaphyſicæ, & cur. 24. 4
Prima ſunt contraria, & ex illis omnia fiunt. 49. 1
Generationis tria tantum eſſe demõſtrat Ariſtoteles. 51. 4
Principiorum diffinitio explicatur. 60. 1
Principium & cauſa qua ratione diſtinguantur. 61. 1
Principia omnia eſſe contraria medio iuramento confirmat Aquarius. 61. 3
Intrinſeca generationis, & rei genitæ. 62. 1
Rei naturalis tantum ſunt duo. 62. 2

In-

Intrinſeca generationis natura lis ſunt tria tantum 62. 3
Principiũ non eſt neceſſe quod ſit,quando ſit,aut eſt res,cuius eſt principium.63. 3
Indiuiduationis quid ſit. 91. 4
Indiuiduationis in ſubſtantijs materialibus quid ſit. 92. 2
Indiuiduationis materiæ & formæ.95. 2
Indiuiduationis animę rationalis.96. 1
Indiuiduationis in accidentibus.96. 3
Principium & cauſa ſe habent vt ſuperius & inferius. 100. 4
Priuatio a parte rei eſt formaliter principium, ſed non eſt formaliter priuatio. 64. 3
Formæ proxima & remota. 89. 4
Eſt ens reale. 90. 1
Eſt idem cum materia. 90. 2
Nō eſt formaliter ens rationis, nec reperitur a parte rei. 90. 2
Qua ratione exiſtat ante operationem intellectus. 120. 1
Punctum terminans implicat eſſe in continuo. 290. 3

Qualitas, Quando, Quantitas.

QValitas eadem re ipſa, eſt multiplex ſpecie. 257. 2
Solum tertiæ ſpeciei per ſe terminat alterationem. 257. 3
Qualitates extremæ ſecundum ſe, carent termino intenſionis & remiſsionis, vt diſpoſitiones non ſic ſe habēt. 47. 2
Mediæ carent terminis intenſionis,& extenſionis. 47. 3
Quando ſumitur a tempore intrinſeco. 211. 3
Quantitas molis & perfectionis quot modis diſtinguantur. 25. 3
Secundum ſe caret vtroque termino. 46. 4
Vt diſpoſitio,& qualitates corporeæ habent vtrumque terminum. 47. 1
Ad eam datur per ſe motus. 255. 4
Quantitatem ſequi materiam quomodo intelligatur. 80. 1

Quies, Quieſcere.

QVies quid ſit, & quotuplex, & qua ratione incipiat, & deſinat. 308. 3
Triplex. 106. 4
Priuatiue opponitur motui, poſitiue vero eſt perfectio illius. 107. 1
Motui contrariatur. 247. 1
Quietes inter ſe cōtrariæ. 247. 2
Quies quid ſit & quotuplex. 268. 4
In termino à quo, & in termino ad quem, & quæuis dupliciter ſumitur. 269. 1
Quietis principium non datur. 275. 2
Quieſcere quid ſit ibidem, & 275. 2

Rotundum.

ROtundum perfecte non tã git planum in puncto, aut linea, ſed in ſuperficie. 299. 3
Rotunda colunna non tangit planum in linea. 301. 1

Singulare, Solares, Species Specificum.

SIngulare non eſt primum cognitum, & oſtenditur contra Durandum. 15. 1
Solares radii in concauo ſpeculi per refractionem producunt ignem. 132. 4
Ex ſpeciebus conſecratis qua ratione poſsit fieri vermis, & acetum. 66. 4
Specificum eſſe completum, & incompletum. 71. 1

Subſtantia, Superficies.

SVbſtantia corporea reipſa differt à ſua quantitate. 25. 4
Secũdum ſe eſt indiuiſibilis 26 1
Corporea ſecluſa quãtitate ſolum eſt corpus de categoria ſubſtantiæ. 26. 2
Corporea quantitate deſtituta non circunſcriberetur loco. 26. 3
Corporea poteſt creari abſq. quantitate. 26. 4
Subſtantiæ diuiſio in materiam & formam, & totum compoſitum realis eſt, ſed nõ in realitates diſtinctas. 30. 4
Subſtantias creatas habere terminum in perfectione adhuc de potentia abſoluta explicatur ex D. Thoma. 37. 2
Corruptibiles menſurantur tẽpore. 237. 4
Corruptibiles non habẽt menſuram permanentem. 238. 1
Ad ſubſtantiam eſt per ſe mutatio, ſed non motus. 252. 1
Superficies recurrit circuitione 286. 2
Non eſt per ſe colorata. 289. 1
In ea ſola non poteſt eſſe color 289. 2
Superficies, & latitudo, longitudo, & linea qua ratione ſe habeant. 298. 4
Superficies nequit ſeparari. 290. 4

Tempus.

TEmporis definitio Ariſtot. 197. 1
Eſt menſura quietis. 199. 1
Eſſe probatur teſtimoniis ſacræ ſcripturæ. 197. 1
In eo tria poſſumus conſiderare. 199. 3
Eſt ens rei. 199. 4
Eius definitio explicatur. 201. 1
Eſt menſura quietis. 202. 3
Formaliter diſtinguitur a motu. 203. 2
Idem eſt cum motu. 203. 4
Eſt accidens reale. 206. 2
Eſt quantitas per ſe. 207. 1

Eius

Eius extenſio non eſt extenſio motus.208. 3
Eſt quantitas continua per ſe. 209. 4
Non eſſe quando oſtenditur cō tra Suarez.210. 4
Eius definitio explicatur. 211. 4
Eiuſdem alia definitio.212. 3
Eſt cuiuſuis ſucceſsionis duratio.213. 3
Tēpus primi mobilis ex ſe non eſt menſura omnium temporum.214. 2
Non eſt multiplex genere. 215 2
Eſt vnum ſpecie infima. 215. 3
Eſſe præſens & eſſe exiſtens diſtinguuntur.217. 1
Quid dicatur præſens, præteritum,& futurum.217. 2
Dicitur præſens reſpectiuè.217 3
Nec eſt præſens,nec exiſtēs ratione inſtantis.218. 2
Exiſtit ſecundum ſe.218. 3
Abſolute ſumptum non eſt præſens.219. 1
Quoduis eſt præſens a parte rei 219. 2
Non poteſt menſurare motum 239. 4
Tempore redditur motus menſurabilis.239. 4
Tempus non poteſt menſurari motu,nec e contra.240. 1
Eſt infinitum,ſicut magnitudo, & è contra.271. 4
Tēpore finito nequit percurri ſpatium infinitum.274. 3
Temporis pars exiſtens & præſens.219. 3
Eius quædam diuiſiones. 222 3
Relationes quædam explicantur.224. 3
Eius diuiſio in præteritum & futurū adducta a philoſophis non eſt recta, ſed quæ adducitur a Grammaticis.225. 2

Terminus, Totum.

TErminus magnitudinis intrinſecus & extrinſecus. 38 2
Totum vniuerſum, actuale, & potentiale. 16. 3
Duo ſignificat, eiuſque ſex acceptiones.27. 3
Phyſicum reipſa differt à qualibet parte.28. 1
Phyſicum non diſtinguitur realiter ab omnibus ſuis partibus vnite ſumptis.29. 3
Phyſicum non diſtinguitur re ipſa ab omnibus ſuis partibus non vnitis.29. 4
Diſtinguitur ratione a partibus nō vnitis,& ab vnitis vt vnitæ ſunt, nec re, nec ratione. 30. 1
Totius naturalis corruptio eſt corruptio alicuius entitatis realis,ſed non realiter diſtinctæ ab entitate partium manentium.30. 8
Totum arte factum non habet formam realiter diſtinctam à materia.30. 3

To-

Totum negatiue duplex. 283. 1
Totum actu non eſt neceſſe quod habeat partes actu. 282. 3
Totum poſitiue & negatiue. 282. 4

Vacuum, Viuens.

VAcui definitio. 190. 1
Dari probant multa experimenta. 193. 1
Cur exhorreſcat natura, & quare non detur extra cœlum. 193. 2
Dari videtur confirmare difficillima ratio de tabulis leuigatis. 193. 4
Dari poteſt. 194. 1
Poteſt effici ab Angelo. 194. 2
In vacuo non datur motus, ſed poteſt dari. 194. 3
Non poteſt fieri motus in inſtāti. 195. 1
Viuens maximum non fit mai' per nutritionem. 40. 3
Viuentia habent terminū magnitudinis & paruitatis. 37. 3
Habēt terminum intrinſecum magnitudinis, & paruitatis via generationis, & in ſtatu naturali. 38. 4
Per nutritionem habent terminum intrinſecum magnitudinis. 39. 1
Adhuc in ſtatu præternaturam nunquam terminari extrinſece, contra communem ſententiam defenditur. 32. 2
Habent terminos intrinſecos magnitudinis in ſtatu natura li, & alios in ſtatu præter naturam. 39. 4
Non poſſunt definere niſi per vltimum eſſe, & facile diſſoluitur oppoſitæ ſententiæ ratio. 40. 1

Vnitas, vnum.

VNitas numerica motus ſumitur ab vnitate mobilis, termini, & quando. 263. 2
Vnum numero poſitiue & negatiue. 83. 2

Z

ZEnonis rationes probātes non dari motum diſſoluit Ariſtoteles. 275. 4

Hic rerum Index finitur.

COM-

COMMENTARII VNA CVM QVAESTIONIBVS IN PRIMVM LIBRVM Phyſicorum Ariſtotelis.

AVTHORE HIERONYMO PLA, BONArum Artium Magiſtro, & earundem in inclyta Valentinorum Academia publico profeſſore.

PRAEFATIO.

DECREVERAM certe his Commentariis accuratam diſputationem præponere, in eaq. totius Philoſophiæ generalem quandam diuiſionem adiicere, & alia communiſsima, quæ multis ſcientiis deſeruiunt, diſputare: ſed temporis anguſtiis preſſus, & nullo ferè fruens otio, quotidianis lectionibus implicatus ab hac euerſus ſententia; præſertim cum videã multa eſſe in his libris Phyſicis difficillima, in quibus noſtram aperiendo ſententiam, magis quam in illis, diſcipulorum vtilitati conſulemus. De his enim prolegomenis tot a Simplicio, Egidio Romano, Hieronymo Balduino, Cardinali Toleto, & præcipue a doctiſsimo patre Benedicto Pererio, aliiſq. præclare dicta ſunt; vt non ſolũ mihi imperito Philoſopho, ſed peritis multis, qui modo extant, ab aliis dicta tranſcribendi, & minime philoſophãdi, locus cõcedatur. Quare de his prolegomenis ſolum aliqua obiter pertractantes, quæ nobis neceſſaria viſa ſunt ad libros, quos modo interpretandos aggredimur, ad contextum ſtatim accedemus; ſtilum iuxta veterum, & noſtri temporis Philoſophorum (præſertim D. Thomæ, & Franciſci Vicomercati, quos inter Ariſto. interpretes ſatis accuratos exiſtimamus) mentem interpretando, & aliqua, quæ ex illo paſsim oriuntur, dubia pro dante aliquando iuxta noſtrã diſputando. Multa enim a recentioribus eruditè exagitata ſæpe perlegi, & illorum deſiderio captus, ita illorum contemplationi, ſemel iterum atque iterũ operam dedi, vt liceat iam noſtram in rebus ad naturæ Philoſophiam pertinentibus, etſi aliquantulũ immaturè, aperire ſententiam. Ad rem ergo accedamus.

DE DIFFINITIONE philoſophiæ.

NOminis Philoſophia (vt refert Diogenes Laertius libro 1. de vitis Philoſophorum) author fuit Pythagoras maximus ſapiens, olim enim Philoſophi, ſophi, id eſt ſapientes dicebantur: ſed quoniam multi non veræ & ſolidæ ſapientiæ effigiem expreſſam, ſed adumbratam imaginem tenentes ſophorum nomine gloriabantur, vt horum inanem gloriam & arrogantiam comprimeret & coherceret: rogatus a Leonte tyranno quanã arte pol

ſeret, ſi reſponſum adhiberet ſe non eſſe ſophum, ideſt ſapientem, ſed Philoſophum, ideſt ſapientiæ ſtudioſum, & amatorem. Quare per Philoſophiam idē modo, quod olim per ſophiam intelligitur; Philoſophiæ enim nomen nimis commune eſt, & ſub ſe multos intellectus habitus complectitur, vt ex eius diffinitionibus fiet apertius.

Omnis ars (vt docet Ammonius in præfatione in Porphyrij inſtitutiones) habet rem ſibi ſubiectam, atque extremum (vt eius verbis Ammonij) ideſt materiam ſubiectã & finem; poteſtq; & a materia ſubiecta, & a fine, & ab vtroque ſimul diffiniri. Hoc probat Ammonius propoſitis Medicinæ, & aliarũ artium diffinitionibus; affertq. aliis omiſsis, quinque Philoſophiæ diffinitiones.

1. Diffin. Prima diffinitio. Rerum quia res ſunt cognitio. Quæ primo exponitur; ideſt rerum, vt conueniunt in communi ratione entis; ſecundo exponitur; ideſt nulla habita ratione vocum, & notionum: tertio exponitur ab ipſo Ammonio ita; rerũ vt res ſunt, ideſt rerum vniuerſarum. Quæ diffinitio adducitur a Nunneſio in oratione de natura Logicæ.

2. Diffin. Secunda diffinitio ita habet. Cognitio rerum humanarum, & diuinarum. Per res diuinas, æternas & incorruptibiles intelligimus; vt ſunt Deus, Angeli, & cæleſtia corpora: Angeli enim, & corpora cæleſtia licet principium habuerint, vt catholica fides docet, ſunt tamen res æternæ, quia a principio intrinſeco fine carent. Per res humanas intelliguntur, quæ ortui & interitui obnoxiæ ſunt; vt quatuor elementa, quæ ex illis fiunt mixta, & quæ de mixtis & elementis in Philoſophia concluduntur affectiones.

3. Diffin. Tertia diffinitio eſt. Similitudo hominis cum Deo, in quantum patitur natura humana. In Deo enim duplex vis, ſiue potentia relucet; altera, qua cuncta cognoſcit, omnia namque nuda ſunt & aperta oculis eius; altera, qua cuncta ſuauiter diſponit. Quia ergo per contemplatricem Philoſophiam cuncta, quæ viribus naturæ poteſt, cognoſcit homo; & per actricem familiæ, & integræ Reipublicæ ſaluti conſulit, earumq. quadam procuratione tenetur, & proprias animi effrænatas perturbationes temperat, ac moderatur: merito Philoſophia Dei ſimilitudo appellatur, verũ non omnimoda, ſed in quantum fieri poteſt, & natura patitur humana. Cum enim humana natura a diuina infinito diſtet interuallo in cognitione, & rerum omnium gubernatione; Deus, & homo, solã proportione quadam poſſunt conuenire.

Quarta diffinitio deſumpta eſt ex Platone in Phædone, & ſic ſe habet. Mortis cõmentatio, ſiue præmeditatio. Ideſt Philoſophia eſt ſeparatio animi a corpore, per quam vitæ vinculum diſſoluitur, quo animus in corpore continetur. Et quia vinculum hoc duplex eſt, vnũ naturale, quo naturaliter animus corpori coniungitur; voluntarium alterũ, quo animus noſter peccati fomite coinquinatus corpori alligatur, & omni reluctante rationis regula, miſere corporis paret imperio: ſolutio etiã huius vinculi animi a corpore duplex erit, vna naturalis, qua animus noſter ab hoc corporis ergaſtulo ſeiungitur; & alia volũtaria, qua homo a ſenſibilibus rebus ſemotus, & a corporis ſocietate ſeuocatus ſe totum rerum præbet contemplationi. De qua ſecunda morte, ſiue mortis commentatione, propoſita diffinitio debet intelligi. Olim enim adoleſcentulus quidã, Cleombrotus nomine, cũ a Platonis Phædone didiciſſet debere Philoſophum mortem præmeditari, quaque ratione id fieri deberet cũm prorſus ignoraret, altiſsimũ aſcendit murum, ex quo ſe præcipitem dedit, vitamq. cum morte commutauit. 4. Diffin.

Quinta diffinitio. Ars artium, & ſcientia ſcientiarum. Quæ diffinitio, ſi ratione dignitatis ſumatur, ſolum conuenit Metaphyſicæ. Solet etiam Logicæ adaptari, eo quod ita Logica aliis artibus & ſcientiis deſeruit, vt illis ad ſuas quæſtiones accu- 5. Diffin.

rate

rate pertractandas neceſſaria præbeat inſtrumenta.

Duæ priores diffinitiones Philoſophiæ deſumptæ ſunt a materia, tertia & quarta a fine, & quinta a præſtātia. Iſtæ ſunt quæ vulgo circumferuntur Philoſophiæ cō-munes diffinitiones. Si tamen recte perpendantur, inueniemus certe ſub nullius harū terminis Philoſophiam contineri. Ariſt. vero 2. Metaph c. 1. diffinit Philoſophiā, ſcientiam veritatis contemplatricem, hæc enim ſunt illius verba. *Recte autem Philoſophia ars, & ſcientia veritatis contemplatrix appellari poteſt.* Sed hæc Ariſtot. diffinitio recta eſt, ſi ſolum diffiniatur contemplatrix Philoſophia. Vt ergo Ariſt. diffinitio vtramque complectatur Philoſophiam, illi hæc poterit addi particula, (& iuxta rationis regulas voluntatē perficiens) Morum enim Philoſophia eo tendit, vt voluntatem perficiat. Vt enim peritus nauta clauo nauim ab inundantibus huc atque illuc maris in cælum vſque erectis fluctibus agitatam gubernat, ita Philoſophia morum effrænatos appetitus ſenſitiui actus rationis fræno moderatur. Et quāuis, ſi proprie loquamur, Philoſophiæ nomen ſolum complectatur actionis, & contemplationis Philoſophiam, tamen quia alia etiam reperitur, (vt infra ex diuiſione Philoſophiæ conſtabit) quæ factiua appellatur, proinde aliam debemus proponere Philoſophiæ diffinitionem, ſub qua omnis Philoſophia comprehendatur; quæ facillime colligetur, ſi Philoſophiæ finis inſpiciatur. Philoſophia ergo (vt docet Toletus hic cap. 2.) eo fuit inuenta, vt ignorantia, quam miſer homo propter peccatū incurrit, quoad fieri poſſet, expelleretur; homo autem per peccatū præter alia, hæc tria mala ſibi comparauit, rerum ſcilicet veritatis contemplatricis ignorantiā, eorum quæ ſecundum rationem agere tenebatur ſimiliter, & rurſus eorum, quibus propter peccatum ad vitæ ſuſtentationem indigebat. Cum igitur factus fuerit ex hac triplici parte ignarus, indiguit ſcientia, & cognitione, qua verū cognoſceret, quæq. agenda & facienda conſideraret. Poterit itaque Philoſophia in communi ita diffiniri. Scientia docens verum cognoſcere, rationi conſona agere, & ad vitā neceſſaria efficere. In qua definitione ſcientia, quæ eſt veluti genus non ſtricta, ſed lata ſumitur ſignificatione: aliæ vero tres partes ſunt veluti differentiæ, per quas diffinitio continet tres Philoſophiæ partes, in quas ſtatim diuidetur. *Vera et accurata Philoſoph. diffinitio.*

DE DIVISIONE PHILOSOPHIÆ.

VARIIS omiſſis Philoſophiæ diuiſionibus, quas in principio cap. 2. affert Toletus, quintam ab ipſo adductam, quæ illi placet, rectam eſſe exiſtimamus. Diuiditur ergo Philoſophia in Philoſophiam actionis, contemplationis, & effectionis. *Diuiſio Philoſo.* Quæ diuiſio colligitur ex fine Philoſophiæ, ſuperiori cap. adducto. Philoſophia actionis diuiditur in eā, quæ diſputat de actionibus intellectus; & in eā quæ agit de actionibus voluntatis. Rurſus hæc, quæ eſt Philoſophia morum, diuiditur in Ethicam, quæ hominis actiones dirigit; Oeconomicā, quæ familiam regit; & Politicam, quæ Rempublicam gubernat. Philoſophia contemplationis diuiditur in Metaphyſicam, quæ eſt de rebus ſecundum ſupremam entis rationem; in puræ Mathematicas quæ, diſputant de quātitate ſeparata a materia ſecundum rationē tantum; & in Mathematicas medias, quæ agunt de quantitate, vt eſt coniuncta cum aliqua materia ſenſili; iſtæ vero ſunt Muſica, cuius obiectum eſt numerus ſonorus: & Perſpectiua, quæ lineas viſuales contēplatur: & in Phyſicam ſiue Philoſophiam naturæ, quæ in entis naturalis contemplatione tota verſatur, vt q. 1. de obiecto Philoſophiæ dicemus. Subdiuiſionem Philoſophiæ factiuæ non eſt cur modo adducamus, cū ſuſitere partem Toletū loco citato, nam ibi illam ſatis abunde proponit.

Dubitatio Quæres an Logica contineatur ſub Philoſophia. Toletus exiſtimat minime contineri, ſed Logicam, Grammaticam, Rhetoricam, & alias huiuſmodi artes, in miniſterium Philoſophiæ fuiſſe inuentas. Exi-
Solutio. ſtimo tamen, habitum Logicæ, qui ſcientia eſt, ſub Philoſophia contemplationis contineri; & habitum Logicæ, qui eſt ars, Philoſophiæ eſſe inſtrumentum (ſemper enim iudicaui Logicam duplicẽ habitum cõſtituere) & ſimul ſub Philoſophia actionis contineri. Actionis namque Philoſophia diuiditur in eam, quæ agit de actionibus intellectus, ſub qua Logica continetur; & in eam, quæ de actionibus voluntatis diſputat, & hæc eſt Philoſophia morum.

Quæ pertinent ad inſcriptionem librorum, quos interpretãdos aggredimur, diximus deinceps; quæ vero ad obiectũ Philoſophiæ, ad naturam ipſius, & ad vtilitatem, quam Philoſophia naturæ hominibus adfert, ſpectant, quia aliquantulũ difficilia ſunt, quæſtionibus quæ ſequuntur examinabimus.

QVAESTIO I.

Quodnam ſit obiectum Philoſophiæ Naturæ.

HANC quæſtionem de obiecto Philoſophiæ naturæ merito priori loco excogitamus, cũ ſolutio duarũ quæſtionum quæ ſequuntur, non parum pendeat ex huius quæſtionis ſolutione. Cognito enim Philoſophiæ naturæ obiecto, facilius multo aperiemus, an ſit vna ſcientia, & an ſit hominibus neceſſaria.

Obſeruatio. Sit obſeruatio. Obiectum in ſcientiis aliud eſt materiale, & aliud formale: deinde obiectum formale aliud eſt quod, & appellatur ratio quæ; & aliud quo, dicitur q; ratio ſub qua. Quid ſint hæc omnia, ſatis manifeſte colligitur ex his quæ ab omnibus docentur in quæſtione de obiecto Logicæ. Præſens ergo quæſtio præcipue excogitatur de obiecto materiali; nam de obiecto formali fere nulla eſt controuerſia.

De hac re quia variæ ſunt ſententiæ, prius duas proponemus, quas falſas eſſe exiſtimamus; deinde alias, quas veras eſſe & coincidere iudicamus.

Antonius Andreas, & alij diſcipuli *1. Sententia.* Scoti, hoc loco exiſtimant ſubiectum materiale Philoſophiæ naturæ, eſſe aliquid ſuperius corpore, ſcilicet ſubſtantiam mobilem. Id probant primo ex Ariſt. 6. Me- *Probatur primo.* taphyſico cap. 1. vbi ait, ſubſtantiam, quæ in ſe habet principium motus & quietis, eſſe obiectum Philoſophiæ naturæ. Reſpõ- *Solutio.* demus tamen Ariſt. ibi non loqui de ſubſtãtia, quæ ſuperior eſt corpore; nam ſubſtantia, quæ in ſe principium habet motus & quietis, neceſſario debet eſſe corporea, vt ſtatim dicemus. Secundo ſuam ſenten- *Probatur ſecundo.* tiam probant ratione ita. Multa mouentur motu phyſico, quæ non ſunt corpora, ergo ſubiectũ Philoſophiæ naturæ nõ eſt ſubſtantia corporea, ſed aliquid ſuperius. Probatur antecedens. Quia Angeli, qui ſunt ſubſtantiæ incorporeæ mouentur motu phyſico, & dæmones etiam alterantur ab igne corporeo, phyſica alteratione, vt cõſtat ex Scriptura ſacra, ergo multa mouentur motu phyſico quæ non ſunt corporea. Reſpondemus negando antecedens. *Solutio.* Probationi reſpondemus, motum localẽ Angelorum non eſſe phyſicum, quia tantũ poſſunt moueri phyſico motu quæ ſunt in loco circũſcriptiue; Angeli vero ſolũ ſunt in loco diffinitiue, & per operationẽ. Iuxta probabiliorem D. Thomæ opinionem 1. p. q. 52. art. 2. & 3. & multis aliis in locis & Thomiſtarum. Ad illud vero de Angelis malis reſpõdemus. Cum dicitur in Scriptura ſacra pati ab igne, hoc non eſſe ita intelligendum, vt per phyſicam alterationem qualitatem aliquam corpoream recipiant; hoc enim impoſſibile eſt, cum Angeli ſint ſubſtantiæ incorporeæ; ſed dicũtur dæmones torqueri ab igne, quia in illo tanquam in tetterrimo carcere detinentur ita,

vt

vt pro libito ab illo egredi non poſſint: illis enim acerbum tormenti genus eſt, cùm ſint naturæ maxime excellentis, eſſe inſimæ naturæ alligatos: vel afficiantur, recipientes qualitates aliquas ſpiritales, quæ ſint ſpecies intelligibiles ignis, eleuatæ a Deo vt inſtrumenta diuinæ iuſtitiæ, ad illud præſtandum.

2. Sententia. Alij Philoſophi volunt obiectum Philoſophiæ naturæ ſolum eſſe ſubſtantiam generabilem, & corruptibilem. Hanc ſententiã probant, quia Ariſt. c. 7. proponens *Probatur* generalia principia eorũ, de quibus in Philoſophia naturæ diſputatur, adduxit materiam, formam, & priuationem; priuatio vero ſolum eſt principium ſubſtantiæ *Solutio.* generabilis & corruptibilis. Reſpõdemus Ariſt. propoſuiſſe omnia principia communia generationis naturalis, inter quæ locum habet priuatio, cũ ſit primũ principium, & terminus a quo generationis naturalis; inde tamen non licet inferre ſolum ea quæ generantur & corrumpuntur pertinere ad obiectum Philoſophiæ naturæ: cõſtat enim in Philoſophia naturæ diſputaſſe Ariſt. de corporibus cœleſtibus, quæ incorruptibilia ſunt, & fuerunt producta per creationẽ, iuxta illud Geneſeos 1. *In principio creauit Deus cælũ et terrã.* Et probatur etiam ratione. Philoſophia naturæ ideo dicitur Philoſophia naturæ, quia diſputat de his quæ ex natura conſtant, & naturalia ſunt. ſed corpora cæleſtia ſunt entia naturalia, ergo Philoſophia naturæ diſputat de corporib. cæleſtibus. Minor probatur. Quæ componuntur ex naturis ſunt entia naturalia, ſed corpora cæleſtia componuntur ex naturis, ſcilicet ex materia & forma, ergo ſunt entia naturalia.

3. Sententia. Tertia ſententia eſt D. Tho. qui hic ca. 1. & fere omnes eius diſcipuli exiſtimant, ens mobile eſſe obiectum Philoſophiæ naturæ. Quæ ſententia probatur primo. Illud *Probatur primo.* eſt obiectum in aliqua ſcientia, per quod diffiniuntur affectiones, quæ in illa cõcluduntur, ſed per ens mobile diffiniũtur affectiones, quæ in Philoſophia naturæ cõcluduntur, ergo ens mobile eſt obiectum Philoſophiæ naturæ. Minor probatur ex diffinitione motus, qui eſt affectio obiecti materialis Philoſophiæ naturæ; diffinitur enim motus ab Ariſt. 3. Phyſ. cap. 2. actus entis in potentia quatenus in potentia. Et confirmatur ex Ariſt. 10. Metaph. vbi ait Phyſicum verſari circa entia, quæ in ſe habent motus principiũ. Probatur ſecundo. *Probat. 2.* Nulla ſcientia probat ſuũ obiectũ eſſe, ſed Ariſtot. 6. Phyſ. probat omne corpus eſſe mobile, ergo corpus mobile non eſt obiectum Philoſophiæ naturæ, ſed potius ens mobile.

4. Sententia. Quarta ſententia eſt Alberti Magni, tractatu 1. in Phyſ. c. 3. patris Pererij lib. 2. c. 5. & aliorum, docetq. corpus mobile eſſe obiectũ materiale Philoſophiæ naturæ. Et probatur primo ex Ariſt. qui 1. de *Probatur primo.* Cælo cap. 1. docet Philoſophiam naturæ corpora & magnitudines contẽplari. Probatur ſecũdo ratione, qua vtitur Pererius, *Probat. 2.* quæ ita habet. Illud circa quod verſatur ſcientia, eſt obiectũ illius, ſed Philoſophia naturæ verſatur circa corpus mobile, ergo corpus mobile eſt obiectum Philoſophiæ naturæ. Probatur 3. Quia ſi ens mobile eſſet obiectum Philoſophiæ naturæ, *Probat. 3.* ergo vel mobile eſſet differẽtia eſſentialis, vel accidẽtaria; ſi eſſentialis, ergo Philoſophia naturæ eſt pars Metaphyſicæ; ſi accidentaria, ergo Philoſophia naturæ eſt ſubalternata Metaphyſicæ, quæ duo ſunt abſurda.

5. Sententia. Quinta ſententia, quam multi tribuunt Auerroi, docet ſubſtantiam naturalem eſſe obiectum Philoſophiæ naturæ, quæ probatur primo teſtimonio Ariſt. 6. Metaph. *Probatur primo.* c. 1. vbi docet naturæ Philoſophiã verſari circa ſubſtantiam naturalem. Probatur *Probat. 2.* ſecundo ratione. Obiectum Philoſophiæ non ſolum eſt mobile, ſed etiã quieſcibile, quia natura (vt Ariſt. docet 2. Phy. c. 1.) eſt principium motus & quietis; ergo obiectũ Philoſ. naturæ non eſt ens, aut corpus mobile, ſed potius ſubſtantia naturalis.

1. Obſeruatio. Obſerua primo, vt quæſtionem diluas, hoc conſtituere diſcrimen Ariſt. 2. Phyſ. cap. 1. inter ens naturale, naturam, & ens ſecundum naturam; quod ens naturale eſt compoſitum ex naturis, ſcilicet ex materia & forma; verbi gratia hic leo, compoſitus ex materia prima, & ex ſua propria forma, quæ ſunt partes ſubſtantiales illius: natura vero eſt materia vel forma; & ens ſecundum naturam, eſt quæuis affectio entis naturalis, vt motus, tempus, locus, &c. Ex quo diſcrimine infero idem eſſe ſubſtantiam naturalem, corpus naturale, & ens naturale. Nam ſubſtantia naturalis, eſt cõpoſitum ex materia & forma, corpus naturale eſt compoſitum ex materia & forma, & eodem modo ens naturale eſt compoſitum ex materia & forma. Quare hæc tria idem ſunt re, licet nomine differant.

2. Obſeruatio. Obſerua ſecundo mobile & naturale idem eſſe. Eadem enim res dicitur naturalis, & mobilis; naturalis quidem, quia cõſtat ex naturis; mobilis vero, quia habet in ſe principium motus, & quietis, ſcilicet naturam. Hæc ergo ſex nomina ens naturale, corpus naturale, ſubſtãtia naturalis, ens mobile, corpus mobile, & ſubſtantia mobilis, eandem omnino rem ſignificant. Ita cenſent Valleſius 1. q. Phyſica ad tyrones, pater Toletus, & Villalpandus hic q. 2. & alij, idq. rationibus probant.

3. Obſeruatio. Obſerua tertio, motum duobus modis ſumi. Primo pro quauis mutatione, promanante ab ipſa natura tanquã a principio quo. Secundo ſtricte pro motu ſucceſsiuo, qui vel fit ad quantitatem, vel ad qualitatem, vel ad vbi. Ens ergo mobile ſiue naturale eſt id, quod in ſe habet principium motus, tam ſtricte, quam late. Quare idem eſt ens mobile, ſiue naturale, quod ens tranſmutabile tranſmutatione naturali, ſiue illa ſucceſsiua ſit, ſiue inſtantanea. Sed mobile ita ſumptum adhuc poteſt dupliciter ſumi. Primo vt dicit potentiam proximã ad motum, quæ potentia eſt quædam proprietas, & qualitas ſecundæ ſpeciei: ſecũdo prout dicit potentiam remotam, quæ radix eſt, & principium huius proprietatis. Vt enim prædicabile pro potentia proxima eſt generis proprietas; & pro radice, & potentia remota eſt eſſentia; & diuiſibilitas pro potentia proxima eſt proprietas quantitatis; & pro potentia remota, & radice diuiſibilitatis, eſt eſſentia quãtitatis: ita mobile pro potẽtia proxima dicit proprietatem entis naturalis: pro potentia vero remota dicit eſſentiã entis mobilis, ſcilicet naturã. Mobile ergo ſumitur hic pro radice, (quidquid dicat Caietanus) vt colligitur ex varijs Ari. locis, in quibus ſemper ait ſubſtantiam, vel ens, vel corpus, quod in ſe habet principium motus, ſcilicet naturam, eſſe ſubiectum Philoſophiæ naturæ. Et licet ens mobile ſiue ens naturale ſit aliquid complexum voce, quemadmodum animal rationale; tamen re eſt aliquid ſimplex: ſignificat enim ens cum eo gradu entitatis, qui eſt principium motus & quietis.

Obſerua quarto, mobile ita ſumptum poſſe ſumi pro ſubiecto; & hoc modo ſolũ comprehendit ſubſtãtiam naturalem, quia illa tantum eſt ſubiectum naturalis mutationis. Secundo poteſt ſumi pro termino; & hac ratione comprehendit ſubſtantiam, & accidens: quia per mutationem naturalem, & accidens, & ſubſtantia producitur. *4. Obſeruatio.*

Obſerua vltimo, ens mobile poſſe ſumi dupliciter. Primo complete, ſecũdo vt eſt quid commune ad totũ mobile, & ad partes illius. Si primo modo ſumatur, materia & forma non ſunt entia mobilia; ſi vero ſecundo modo, vere dicuntur entia mobilia: & hac ratione dicere ſolemus equum verbi gratia, componi ex entibus naturalib. ſcilicet ex materia & forma & Ariſt. 2. de Anima cap. 1. docet animam eſſe actũ corporis, modo ergo ſumitur corpus primo modo, vt recte Caietanus, Toletus, & Valle. hic; & aperte colligitur ex eo, quod materia & forma non ſunt partes ſubiectiuæ, ſed potius integrantes ens naturale; illud enim phyſice componunt. *5. Obſeruatio.*

Sed dices. Ens mobile ſumitur hic prout *Obiectio.*

dicit

dicit ſubiectum cuiuſuis mutationis naturalis, ſed materia prima eſt ſubiectum mutationis naturalis, ergo ens mobile ſumitur etiã hic, pro materia prima. Probatur mi. Generatio naturalis eſt mutatio naturalis, ſed generationis naturalis eſt ſubiectum materia prima, ergo materia prima eſt ſubiectum mutationis naturalis. Reſp.

Solutio. negando minorem, probationi ſimiliter, nam, vt dicemus in libris de Ortu & interitu, cũ materia prima nec generabilis ſit, nec corruptibilis, non poteſt eſſe ſubiectũ generationis naturalis; dicitur tamen materia prima concurrere vt ſubiectum in generatione naturali, quia eſt ſubiectum tam formæ ſubſtantialis, quæ corrũpitur; quã illius, quæ denuo generatur, nõ vero quia ſit ſubiectum generationis. Nam cum hæc accidens ſit, non poteſt inhærere niſi toti compoſito; ratio eſt, quia materia prima ante formam ſubſtantialem nullum habet actum, vt dicemus in quæſtionibus de materia prima.

1. Aſſertio. His poſitis ſit prima aſſertio. Obiectũ materiale Philoſophiæ naturæ eſt ens mobile ſiue naturale, ſubſtantia mobilis ſiue naturalis, corpus mobile ſiue naturale. Probatur primo, quia, vt conſtat ex ſecunda obſeruatione, iſta ſex nomina eandem omnino rem ſignificant. Probatur ſecũdo ex Ariſt. qui loquens de obiecto Philoſophiæ naturæ, his fere omnibus vtitur vocibus. 10. enim Metaph. cap. 1. ita ſcribit. *Phyſicorum uero ſcientia in his uerſatur quæ in ſe principium motus habent;* & 1. de Cælo cap. 1. *naturæ quidem ratio, & ſcientia in corporibus, ac magnitudinibus, eorumque & affectionibus & motibus, ac præterea in principiis quæ huius talis naturæ eſſentiæque ſunt, tota fere cernitur.* Et ſexto Metaph. c. 1. loquens etiam de Philoſophia naturæ inquit. *In eiuſmodi enim eſſentia uerſatur, in qua motus & ſtatus principium eſt.* Vbi nomine eſſentiæ, ſubſtantiã intelligit, vt aperte ex contextu conſtat.

2. Aſſertio. Secunda aſſertio. Clarius explicatur obiectum materiale Philoſophiæ naturæ per vocem naturale, quam per vocem mobile. Probatur primo, quia naturale clarius explicat naturam, quæ eſt principium motus & quietis, quam mobile. Probatur ſecundo, quia mobile tantum explicat clare principium motus, naturale vero principium motus & quietis.

3. Aſſertio. Tertia aſſertio. Obiectũ formale quod, ſiue ratio quæ, eſt natura. Probatur aſſertio. Illud, quod conſtituit obiectum materiale alicuius ſcientiæ in eſſe rei, eſt ratio quæ, illius obiecti, ſed natura cõſtituit ens naturale, quod eſt obiectum materiale Philoſophiæ naturę in eſſe rei, ergo natura eſt ratio quæ, obiecti Philoſophiæ naturæ. Probatur minor. Obiectũ materiale Philoſophiæ naturæ, quod eſt ens naturale, conſtituitur in eſſe rei per entitatem naturalem, ſed entitas naturalis conſtituens eſt materia & forma, ergo cõſtituitur per materiam & formã; ſed materia & forma ſunt natura, ergo conſtituitur per naturam, ergo natura erit ratio quæ, obiecti materiales Philoſophiæ naturæ.

Aliqui exiſtimant rationem quæ, obiecti materialis Philoſophiæ naturæ non eſſe naturam, ſed potius entitatem naturalem. Sed vel iſti Philoſophi idem ſentiunt ac nos, vel illorum ſententia non eſt recta: hoc ita probo. Entitas naturalis, per quã conſtituitur ens naturale in eſſe rei, nõ eſt accidens naturale, ergo eſt ſubſtantia naturalis; ſed hæc (vt Ariſtot. docet 2. de Animã ca. 1.) vel eſt materia vel forma, vel totum compoſitum, ergo entitas naturalis vel eſt materia, vel forma, vel totum compoſitũ. Si affirmẽt eſſe materiam vel formã, coincidet illorum ſententia cum noſtra, quia materia & forma ſunt natura. Quod vero non poſſint intelligere totum compoſitũ ita probo. Idem non poteſt eſſe ratio quæ, obiecti materialis, & obiectum materiale; quia ratio quæ, eſt conſtituens, & obiectũ materiale eſt res conſtituta, & in Phyſicis non ſunt idem conſtituens, & conſtituetũ; ſed totum compoſitum, quod eſt ens naturale, eſt obiectum materiale, ergo non poteſt

teſt eſſe ratio quæ, obiecti Philoſophiæ naturæ.

4. Aſſertio. Quarta aſſertio. Ratio ſub qua, eſt abſtractio ab omni ratione formali, excepta entitate phyſica, id eſt Philoſophia naturæ ex omnibus rationibus, quæ in ente naturali continentur, ſolum conſiderat entitatem phyſicam; ſolum enim naturalis Philoſophus diſputat de ente naturali, demonſtrando de illo proprietates vt ens naturale eſt. Hæc aſſertio cōſtabit ſatis ex his quæ dicemus quæſtione ſequēti de vnitate Philoſophiæ naturæ.

1. Ratio contra aſſertiones. Sed dices. Obiectum adæquatum debet prædicari de omnibus his, de quibus illa ſcientia diſputat; ſed corpus naturale, aut ens mobile, &c. non prædicatur de omnibus, de quibus diſputat Philoſophia naturæ; ergo corpus mobile non eſt obiectum adæquatum Philoſophiæ naturæ. Probatur minor. Philoſophia naturæ diſputat de loco, tempore, & aliis huiuſmodi; ſed de his non prædicatur corpus naturale, quia iſtæ propoſitiones non ſunt veræ, tempus eſt corpus naturale, locus eſt corpus naturale; ergo corpus naturale nō prædicatur de omnibus, de quibus diſputat Philoſophia naturæ.

Solutio. Reſpondemus diſtinguendo maiorem ſic. In recto nego, in recto vel in obliquo concedo maiorem. Quare quamuis hæ propoſitiones non ſint veræ in recto, tempus eſt corpus naturale, motus eſt corpus naturale; ſunt tamen veræ in obliquo, tempus eſt menſura corporis naturalis, & locus continens corpus naturale: ſufficit enim, vt obiectum adæquatum dicatur de omnibus, de quibus diſputat ſcientia, vel in recto, vel in obliquo.

2. Ratio. Dices ſecundo. Materia, & forma, de quibus diſputamus in Philoſophia naturæ, ſunt entia naturalia, & tamen non ſunt corpora naturalia; ergo obiectū Philoſophiæ naturæ eſt ens naturale, & non corpus naturale. Reſpondemus negando antecedēs. Quia materia & forma nō ſunt entia naturalia. Sed dices. Materia & forma, cum de illis ſiat ſermo in Philoſophia naturæ, pertinēt aliquo modo ad naturā, ſed nō ſunt entia naturalia, ergo ſunt nil.

Solutio. Reſpondemus negando conſequentiam. Quia, vt conſtat ex prima obſeruatione, in his quæ pertinent ad naturam abſolute ſumptam, ſcilicet in recto & in obliquo, datur medium inter ens naturale, & nihil; ſcilicet natura, & ens ſecundum naturam; materia ergo & forma, non ſunt entia naturalia, ſunt tamen natura. Sed dices. materia & forma non ſunt entia naturalia, ergo de illis diſputare non ſpectat ad Philoſophiam naturæ. Reſpondemus negando cōſequentiam; quia materia & forma ſunt entia naturalia in obliquo, ſcilicet partes entis naturalis; & hoc ſufficit vt dictum eſt.

3. Ratio. Dices tertio. In Philoſophia naturæ diſputamus de mutatione inſtantanea, ſed de hac nec in recto nec in obliquo prædicatur ens mobile, ergo ens mobile non eſt obiectum Philoſophiæ naturæ. Probatur minor. Mutatio inſtantanea non eſt propriè motus, ergo ab ea non poterit denominari ens mobile, ergo ens mobile non poterit de illa in obliquo prædicari.

Solutio. Reſpōdemus negando minorem, probationi cōcedendo enthimema, & negando ſecūdam conſequentiam. Quia vt conſtat ex tertia obſeruatione, mobile non ſolum ſumitur pro re, quæ habet principium motus proprie, ſed pro ente naturali, quod principiū eſt tam motus proprie, quam mutationis.

Rationibus tertiæ ſententiæ reſpondemus, primæ, cōſtare ſolutionem ex dictis, quia illa ſex nomina (vt diximus obſeruatione ſecunda) eandem rem ſignificant. Secundæ rationi reſpondemus, Ariſt. non illud probare a priori, ſed a poſteriori; vel diximus ſecundo, Ariſt. demōſtraſſe de corpore mobili mobilitatem, non pro natura & potentia remota, ſed pro proprietate & potentia proxima.

Soluuntur rationes 4 ſententiæ. Primæ rationis 4. ſententiæ, quæ deſumitur a teſtimonio, tum etiam & ſecundæ rationis, conſtat ex dictis ſolutio. Tertiæ rationi reſ. & ſi demus, mobile ſumi pro differentia eſſentiali, negamus tamen Philoſo-

phiam

philoſophiam naturæ eſſe partem Metaphyſicæ, quia de ente mobili diſputat Philoſophus naturalis ſub diuerſa ratione formali, vt conſtabit quæſtione ſequenti. Sed dices. Ens mobile continetur eſſentialiter ſub ente in communi, ergo Philoſophia naturæ eſſentialiter continetur ſub Metaphyſica, quæ diſputat de ente in cõmuni: Reſpondemus negando conſequentiam: quia, & ſi obiectum quod philoſophiæ naturæ contineatur ſub obiecto metaphyſicæ, tamen obiectum formale, a quo ſumitur vnitas & diſtinctio in ſcientiis, non continetur: ſi enim ex eo, quod obiectum materiale Philoſophiæ naturæ continetur ſub obiecto metaphyſicæ, ſequeretur philoſophiam naturæ contineri eſſentialiter ſub Metaphyſica, fieret inde, vt authores huius 4. ſententiæ tenerentur etiam affirmare philoſophiam naturæ eſſentialiter contineri ſub Metaphyſica. Ratio eſt, quia etiam corpus mobile continetur eſſentialiter ſub ente in cõmuni, imo cuiuſuis ſcientiæ obiectum eodem modo ſe habet.

Solut. rationum 5. ſententiæ. Rationibus quintæ ſententiæ reſpondemus; primæ quæ deſumitur ex teſtimonio Ariſt. conſtare ſolutionem ſatis ex dictis. Secundæ vero reſpondemus, mobile ſumi pro potentia remota, qua ratione ſignificat ens habens principium nõ ſolum motus, verumetiam quietis naturalis.

De obiecto horum librorum. Sententia Græcorũ, & Vicomercati. Explicato obiecto totius Philoſophiæ naturæ, ſupereſt horum librorum obiectũ inquiramus Græci interpretes, quos Vicomercatus ſequitur, & eius diſcipulus Villalpãdeus hic q. 2. exiſtimant obiectũ horum librorum non eſſe ens mobile, ſed potius principia communia, & communes affectiones corporis mobilis, ſiue naturalis, Suam ſententiam confirmant duplici

Probatur primo. argumento. Primum eſt. idem non poteſt eſſe obiectum totius ſcientiæ & partis, ſed ens mobile eſt obiectum totius Philoſophiæ naturæ, ergo ens mobile nõ erit obiectum horum librorũ, qui pars ſunt Philoſophiæ naturæ. *Probat. 2.* Secundum argumentũ. In his libris demonſtrantur cõmunia principia, & generales affectiones entis naturalis, ergo communia principia, & communes eius affectiones entis naturalis ſũt obiectum horum librorum. Tenet conſequentia. Quia illud eſt obiectũ, quod demonſtratur in ſcientia.

Vera ſententia, quæ eſt D. Tho. Sanctus Thomas, & ex latinis interpretibus aliqui exiſtimant horum librorum obiectum eſſe ens mobile. Hanc ſententiã veram eſſe exiſtimamus, probaturq. primo argumento ſecundo, quo Græci interpretes ſuam confirmabant ſententiam. Ex eo enim affirmabãt communia principia, & cõmunes affectiones eſſe obiectum horũ librorum, quia omnia illa demonſtrantur in his libris; ex quo principio recte intellecto hanc conficimus rationem, illud eſt obiectũ materiale alicuius diſputationis, de quo in illa demonſtrantur principia, & affectiones; ſed vt ipſi docent, & re ſe habet, in his libris demonſtrãtur communia principia, & affectiones de ente mobili, ſiue naturali; ergo ens mobile, ſiue naturale erit obiectum horum librorum. Ex his manet ſolutum ſecundum argumentum Græcorum. De communibus enim principiis & affectionibus non demonſtrãtur aliqua in Philoſophia naturæ, ſed potius communia principia, & communes affectiones in Philoſophia naturæ, de ente naturali.

Soluuntur rationes ſentẽ. Græcorum. Vt reſpondeamus primo argumento, obſeruãdum eſt, ens naturale ſumi tribus modis; primo vt de illo demonſtrantur cõmunia principia, & communes affectiones rerum omnium naturalium, & hoc modo eſt obiectum horum librorum: ſecundo vt de illo demonſtrantur affectiones communes cuiuſuis ſpeciei corporis naturalis, & hoc ſecundo modo eſt obiectum aliorũ librorum totius Philoſophiæ naturæ: tertio vt de illo demonſtrantur principia cõmunia, & affectiones omnium corporum naturalium in communi, & affectiones cõmunes cuiuſuis ſpeciei corporis naturalis & hoc modo eſt obiectum totius Philoſophiæ. His poſitis reſpondemus argumẽto. Ens mobile diuerſo modo ſumptum eſſe

obiectum totius Philoſophiæ, & partis; quod nullum eſt inconueniens.

Obiectio. Sed dices. illa ſcientia quæ tradit generalia principia rerum omnium, eſt generalis; ſed vt modo dicebamus, Philoſophia naturæ tradit generalia principia rerum omnium ergo eſt ſcientia generalis. Reſpō-

Solutio. demus concedendo maiorem, & negando minorem. Quia Philoſophia naturæ non tradit generalia principia rerum omnium in communi, ſed potius generalia principia cuiuſdam rei determinatæ, nempe rei naturalis.

QVAESTIO II.

Vtrū Philoſophia naturæ ſit vna ſcientia.

HVIVS quæſtionis titulus ſupponit Philoſophiam naturæ eſſe ſcientiam, & inquirit eius vnitatē. Quod

Philoſ. naturæ eſſe ſcientiam. ſupponit quæſtio, manifeſtum eſt perſpectis his, quæ Ariſt. docet (1. de Demonſtr. cap. 2) ad rationem veræ ſcientiæ pertinere. Eſt namque Philoſophia naturæ habitus acquiſitus per demonſtrationem cōſtantem ex veris, propriis, & neceſſariis rei cauſis, vt omnes cōcedunt, & ex diſputationis curſu conſtabit; docuitq; Ariſt. 3.

Cōtraria ſentē. Heracliti. Metaph. contra Heraclitum, qui de rebus naturalib. non eſſe ſciētiam primo probabat ex eo, quia res naturales ſunt infinitæ, & de rebus infinitis non datur ſcientia. Secundo quia res naturales ſunt generabiles, & corruptibiles: & ex conſequenti ſingulares, & non eodem modo ſemper ſe habentes: quæ omnia ſcientiæ repugnant.

Soluūtur rationes Heracliti Reſpondemus vero, res naturales permultas eſſe, tamen non eſſe infinitas: tum etiam de illis in particulari non habere ſcientiā philoſophum naturalem, conſiderantur enim ab illo ſumptæ in communi. Secundæ rationi reſpondemus, rēs naturales fere omnes eſſe generabiles, & corruptibiles, & omnes eſſe ſingulares: negamus tamen non ſemper ſe habere eodē modo; nam etſi iuxta aliqua accidentia viciſsitudinem habeant, & ſecundum exiſtentiā ſint res corruptibiles, tamen ſecundum ſuas rationes eſſentiales, & iuxta connexionem quam habēt illarum proprietates cum eſſentiis, a quibus tanquam a cauſis, naturali quadā ſequela neceſſario fluunt, etiam res naturales in particulari ſumptæ neceſſariæ ſunt, æternæ, & perpetuæ, & ſemper eodē modo ſe habentes: omnes enim ſubſtantiæ ſingulares, qua tales ſunt, habent eſſentiā ratione diſtinctam ab eſſentia ſpecifica, & proprietates ab illa promanantes, vt diximus ca. de Subſtantia, q. 5. Et ex conſequēti de rebus ſingularibus, qua tales ſunt, poteſt dari ſcientia vt docuimus 1. lib. de Demonſtratione cap. 3. q. vlt. Quare ſecunda ratio Heracliti nullius eſt momēti. Imo etſi de rebus ſingularibus non poſſit dari ſcientia, nihil concluderet, quia Philoſophus naturalis diſputat de rebus naturalibus, non in particulari, ſed ſumptis in cō muni. Qua ratione, vt omnes concedunt, æternæ ſunt, & ſemper eodem modo ſe habentes.

Dubitatio. Quæres tamen an Philoſophia naturæ

Obſerua. ſit ſcientia practica vel ſpeculatiua. Obſerua, ſcientiæ finem ſolum eſſe veritatis cō- templationem, ſi enim ſcientia eſt a priori, in hoc conſiſtit, vt ſit cognitio proprietatū de propriis ſubiectis per cauſas neceſſarias; ſi vero ſcientia eſt quia, docet etiam a poſteriori, vel per aliquod attributum ſuperius, aliquod ex attributis eſſentialibus rei conuenire, vt diximus cum Ariſt. 1. de Demonſtratione cap. 10. & c. 23. q. vnica. Cum ergo iſta omnia in ſola contemplationis conſiſtant. ſi proprie loquamur, minime aſſerendum eſt dari ſcientiam practicam; omnis enim ſcientia eſt ſpeculatiua. Quare nomine ſcientiæ practicæ illam intelligimus, quæ etſi in ſola rei cognitione ſiſtat, eſt tamen de re a nobis operabili, &

Solutio dubita. improprie practica appellatur. Reſpondemus ergo huic dubitationi, Philoſophiam natu-

naturæ non eſſe ſcientiam practicam, ſed ſpeculatiuam. Probatur primo teſtimonio Ariſt. 5. Metaph. ca. 1 vbi ita ſcribit. *Profecto ſcientia, quæ eſt de naturæ abſcuritate, quædam pars eſt earum, quæ in contemplatione verſantur* Probatur ſecūdo ratione, quia Philoſophia naturæ agit de rebus, quæ cognoſcuntur a nobis, & non fiunt a nobis, ergo non eſt practica, ſed potius ſpeculatiua.

Obiectio 1.

Sed dices. Homo eſt res naturalis, ſed homo fit a nobis, nam vt Ariſt. docet, ſol & homo generāt hominem; ergo reperitur res naturalis, quæ fit a nobis, ſcilicet homo; quare in Philoſophia naturæ ſaltim ſcientia de homine erit practica. Reſpōdet Sotus q. 1. nos non poſſe efficere res naturales, quia animal inquit generat animal, applicando tantum actiua paſsiuis, ſcilicet ponendo materiam ex qua, in loco a natura ordinato ad generationem, virtute cuius materiæ animal denuo generatur. Sed ſolutio hæc nullius eſt momenti. Probatur, quia cauſæ naturales habent veram & propriam efficientiam phyſicam; & vere, & proprie, & non ſolum applicando actiua paſsiuis, producunt effectū, vt dicemus 2. Phyſi. cap. 3. Ridiculum certe eſt ignem alium eiuſdem ſpeciei ignem proprie generare, & animal non proprie aliud animal eiuſdem ſpeciei generare, ſed tantum applicando actiua paſsiuis: effectus enim productus non eſt ſimilis cauſæ, quæ applicat actiua paſsiuis, ſed potius illi, a qua per veram & propriam efficientiam promanat. Cū ergo homo genitus aſsimiletur in ſpecie homini generanti, aſſerendum non eſt, ſolū fieri ab illo, quia applicat actiua paſsiuis. Reſpondemus ergo argumento admittentes hominem fieri a nobis, negantes tamen ſcientiā de illo eſſe practicam; quia homo non fit a nobis per actionem liberā, & procedentem a voluntate: licet enim voluntas moueat hominē, vt alium generet, tamen actus generandi, tam ex parte principii actiui, ſcilicet formæ, quam ex parte rei genitæ, naturalis eſt; non enim eſt actus liber, quo ad ſpeciem, hominem alium hominem generare: & hinc eſt, quod ſcientia de homine non ſit practica; eſſet tamen practica, ſi doceret modum quo homo conficiē deberet; quemadmodum ars, quæ habitus practicus eſt, ita cognoſcit, vt ſimul doceat, qua ratione res artificiatæ confici debeāt. Hinc intelligitur illud Ariſt. ſcilicet principium ſcientiæ non eſſe in nobis, eſſe tamen principium artis; dicitur enim principium artis eſſe in nobis, quia ars ea quæ cognoſcit, docet efficere; pendet enim modus conficiendi res artificiales ex hominū arbitrio, & non a natura. Scientia vero illa eres contemplatur, quæ ſi fiant a nobis, fiunt, vt in nobis eſt natura, quæ illorum principium eſt, ac proinde non ſunt poſitæ in noſtra poteſtate, nec illarum principiū eſt in nobis. Fiunt enim a nobis aliquādo non tamen vt libere operamur, ſed potius vt ſumus agētia naturalia. Si vero aliquādo res, de quibus eſt ſcientia, ita fiant a nobis, vt illarum rerum principiū ſit cognitio, & in nobis, vt patet in Logica, tunc talis ſcientia practica eſt, modo explicato.

Solut. adducta a Soto.

1. obiect. recta ſolutio.

Principiū ſcientiæ nō eſſe in nobis, eſſe tamen principium artis.

Obiect. 2.

Dices ſecundo, Philoſophia naturæ dirigit volūtatem ad bene operandum, quemadmodum & Philoſophia morum; docet namque Philoſophia naturæ ex creaturis Deum cognoſcere, & ex conſequenti volūtatem dirigit, vt bene operetur, & Deum ſummo amore proſequatur; ergo eſt habitus practicus. Reſpondemus negando antecedens. Nam præcipuus finis Philoſophiæ morum eſt voluntatem dirigere ad operandū iuxta rationis regulas, ac proinde eſt habitus practicus; at vero præcipuus & primarius finis Philo. naturæ eſt contēplatio entis naturalis, ex qua per accidēs ſequitur recta operatio, & erga naturæ authorē ſummus amor. Quare eſt habitus ſpeculatiuus. ratio enim habitus practici, vel ſpeculatiui deſumitur a fine præcipuo, & primario.

Solutio 2. obiect.

3 Obiect.

Dices tertio. Medicina eſt pars Philoſophiæ naturæ, ſed Medicina eſt ſcientia practica, ergo aliqua pars Philoſophiæ natu-

Solutio. naturæ eſt ſcientia practica. Reſpondemus, Medicinam duplicem conſtituere habitũ, alterum, quo multa cognoſcimus per demonſtrationem de corpore humano, vt ſanabile eſt; & hic habitus eſt ſpeculatiuus, & pars Philoſophiæ naturæ; alterum vero, qui eſt habitualis cognitio præceptorum, per quæ docentur, quæ ſalubria remedia ſint ad reſtituendã ſanitatem ægrotis, & alia huiuſmodi; & hic habitus practicus eſt, tamen non eſt propriè pars Philoſoph. naturæ, ſed potius veluti habitus illi aliquo modo ſubalternatus.

11. Obiect. Dices vltimo. Philoſophus naturalis in lib. de Anima multa diſputat de ſenſationibus, de actionib. intellectus, de aliis huiuſmodi, quæ fiunt a nobis; ergo ſaltem ſcientia naturalis de anima erit practica.

Solutio. Reſpondemus negando conſequentiam; quia etſi illa fiant a nobis, de illis tamen diſputat Philoſophus naturalis, vt a natura fiunt, & vt affectiones ſunt rei naturalis, a Philoſopho naturali in libris de Anima demonſtrantur.

Explicantur quæ ſunt certa in quæſt. His ita explicatis ad rem quã inquirit quæſt. accedentes, oportet vt prius certa ab incertis ſeparemus. Primo ergo certũ eſt cognitionẽ de obiecto Philoſoph. naturæ non eſſe vnam ſpecie infimã, ſed potius interiectã. Probatur primo. Scientia & opinio differunt ſpecie (vt Ariſt. docuit 1. de Demonſt. cap. 26. & nos ibidem ſatis diximus) ſed cognitio de obiecto Philoſophiæ naturæ complectitur ſcientiam, & opinionem; quia multa in Philoſophia naturæ (vt omnes docti) ſcimus, & multa opinamur; ergo cognitio de obiecto Philoſophiæ naturæ non eſt vna, ſed potius multiplex ſpecie. Probatur ſecundo, quia habitus priorum principiorum, qui etiam reperitur in Philoſophia naturę, ſpecie diſtinguitur a ſcientia, & ab opinione.

Secundo certum eſt illam Philoſophiã eſſe vnam numero, quæ eſt in vno intellectu numero; ſcientia enim, vt reliqua accidentia, ſumunt numericam vnitatem e ſubiecto. Tertio. Certum eſt Philoſophiam naturæ, quæ eſt ſcientia, contineri ſub genere ſupremo categoriæ qualitatis. Quare manet dubitatio, an Philoſophia naturæ, quæ ſcientia eſt, habeat vnitatem ſpeciei infimæ, vel potius ſit multiplex ſpecie, & vna vnitate generis interiecti.

Pro deciſione quæſtionis ſit prima obſeruatio. Ex Ariſt. 1. de Demonſt. cap. 10. demonſtratio, quæ eſt inſtrumentum comparandi ſcientiam, alia eſt a priori, quæ demonſtrat propter quid res ſit; alia vero a poſteriori, ſiue quia, quæ demonſtrat rem eſſe, non tamen cauſam propter quam ſit. Inter has demonſtrationes aliqua ibi conſtituit diſcrimina, inter quæ præcipuum eſt, demonſtrationẽ propter quid gignere ſcientiam per cauſam; demonſtrationẽ vero quia, gignere ſcientiam, qua media cognoſcimus neceſſario per diſcurſum rem eſſe, minime vero cauſam propter quã res ſit. Verum iſtæ duæ ſcientiæ non ſolũ ſpecie, ſed etiam genere interiecto differũt, vt diximus cum Ariſt. 1. de Demonſtratione cap. 23. quæſt. de vnitate ſcientiarum. *1. Obſeruatio.*

Secunda obſeruatio. Abſtractio alia eſt realis, & alia rationis. Omiſſa abſtractione reali, abſtractio rationis eſt, quæ fit a potentia cognoſcente, qua ſcilicet potentia cognoſcens ex multis rationibus, quæ in ſuo materiali obiecto reperiuntur, vnã percipit aliis minime cognitis; ſiue talis abſtractio ſe habeat ex parte obiecti, vt quando viſus, verbi gratia, percipit in pomo colorem, non percepto ſapore, neque perceptis aliis quæ in pomo reperiuntur; ſiue ſe habeat ex parte medii, quando ſcilicet intellectus rẽ, quæ poteſt demonſtrari, cognoſcit per mediũ probabile: ſiue ſe habeat ex parte intellectus, quando ſcilicet res, quæ ex ſe certa eſt, & cognoſcitur per medium certum, ex parte intellectus cum formidine & hæſitatione cognoſcitur; ad rationem enim ſcientiæ, (vt diximus 1. de Demonſtr. cap. 2. q. 3.) requiritur triplex certitudo, ſcilicet ex parte obiecti, medii, & intellectus. Omnes ergo (vt exiſtimo) cognitiones differunt per abſtractionem. *2. Obſeruatio.*

Inprimis cognitio ſenſus differt a cognitione intellectus, quia illa fit per ſpecies repreſentantes ſolum res materiales, & corporeas, vt inuolutæ ſunt conditionibus, & accidentibus indiuiduantibus; hæ vero per ſpecies, quæ abſtrahunt a conditionibus, & accidentibus indiuiduantibus, quæ ſpecies primo & per ſe repræſentant naturas vniuerſas metaphyſice. (qua ratione differant cognitiones ſenſuum tam internorum, quam externorum, non eſt huius loci, dicemus tamen 3. lib. de Anima) Deinde cognitiones, quę ſunt quinque habitus intellectus, & aliæ cognitiones, quæ ſunt affectiones, vt fides humana, opinio, &c. differunt etiam per diuerſas abſtractiones. Sed aliis omiſſis ſcientia differt ab opinione, quia ſcientia abſtrahit ab omni probabili, tam ex parte obiecti, quam ex parte medij, & intellectus; & ſolum de obiecto materiali, cuius eſt ſcientia, cognoſcit ea, quæ neceſſaria ſunt, per medium, & argumentationem neceſſariam: opinio vero ſemper abſtrahit a cognitione, quæ illo triplici modo eſt neceſſaria. Rurſus ſcientia, vel eſt per mediũ neceſſarium, quod ſit demonſtratio quia, & eſt ſcientia quia, ſiue qua cognoſcimus rem eſſe: vel ſcientia eſt per medium, quod eſt demonſtratio propter quid, & talis cognitio eſt ſcientia propter quid & a priori. Præterea medium ſcientiæ propter quid, vel conſtat ex aliqua propoſitione reuelata, & tunc per illud conſtituitur ſcientia, quæ eſt Theologia; vel conſtat ſolum propoſitionibus lumine naturali cognitis, ita vt omnino abſtrahant a quacunque ratione reuelata, & per hoc medium ita abſtractum conſtituitur ſcientia naturalis propter quid. Tandem ſcientia naturalis propter quid, conſtituit multas ſpecies per diuerſas abſtractiones, quæ deſumuntur a ratione ſub qua obiecti materialis, & a principiis per quæ demonſtrantur affectiones. Quare ſcientia quia, & ſcientia propter quid differunt genere inter ſe.

3. *Obſeru.* Tertia obſeruatio. Tam ſcientia quia, quam propter quid, ſumit vnitatem ſpecificam (loquor de ſpecie infima) ab abſtractione, ſiue a ratione ſub qua obiectum cõſideratur. (vt fere omnes conueniunt, & diximus 1. de Demonſtratione capite. 25. quæſtione de vnitate ſcientiarum) Obiectum enim formale (vt ſuperiori quæſtione diximus) aliud eſt formale quod, & aliud formale quo, ſiue ratio ſub qua: inter quæ obiecta hoc eſt diſcrimen inter alia, vt obiectum formale quod conſtituat eſſentialiter obiectũ materiale in eſſe rei; at vero ratio ſub qua, etſi accidat obiecto materiali ſumpto in eſſe rei, eſt tamen illi eſſentialis, ſi ſumatur in genere ſcibilis; quemadmodum forma gladii accidit ferro, eſſentialiter tamen conuenit gladio. Abſtractio ergo in Philoſophia naturæ ex parte obiecti materialis nihil aliud eſt, quam conſideratio entis naturalis, vt naturale eſt, non conſideratis aliis rationibus, quæ in ente naturali reperiuntur; ex parte vero medij, ſiue ex parte inſtrumenti, vel eſt demonſtratio quia, vel propter quid. Abſtractio denique, per quam conſtituitur Philoſophia naturæ in eſſe ſpecifico, eſt quæ ſimul ſumitur ab obiecto, & a medio; ita, vt ſi de ente mobili, qua mobile eſt, & ſub hac abſtractione, quæ eſt ex parte obiecti, aliquid concludamus per medium continens cauſam propter quam attributum conuenit ſubiecto, nempe enti mobili, ſiue naturali, talis ſcientia erit propter quid, & vna ſecundum ſpeciem infimam; ſi vero ſit per medium, in quo non cõtinetur cauſa rei, conſtituitur ſciẽtia quia, de obiecto Philoſophiæ naturæ, quæ etiam eſt vna ſpecie.

His ita poſitis fundamentis, facilis eſt huius quæſtionis ſolutio. Sit ergo prima aſſertio. Philoſophia naturæ eſt ſcientia multiplex genere. Propoſita aſſertio probatur hac ratione. Illa ſcientia quæ complectitur Scientiam quia, & ſcientiam propter quid, eſt multiplex genere; ſed Philoſophia naturæ complectitur ſcientiam quia, & ſcientiam propter quid. 1. *Aſſertio.*

ergo Philoſophia naturæ eſt ſcientia multiplex genere. Maior eſt certa, & ſatis cõſtat ex quæſtione citata capitis 23. 1. lib. de Demonſtr. Minor vero ab omnibus cõceditur, paſsim enim in Philoſophia naturæ concludimus affectiones per demõſtrationem quia, & per demonſtrationẽ propter quid.

2. Aſſertio. Secunda aſſertio. Sciẽtia propter quid in Philoſophia naturæ eſt vna ſpecie infima. *Probatur primo.* Probatur primo ex Ariſt. 1. de Demõſtratione ca. 23. vbi docuit ſcientias diſtingui per obiecta, & principia: vbi per obiecta intellexit rationes formales, ſub quibus obiecta conſiderantur; & per principia intellexit tam principia rei, quam cognitionis, quæ ordinantur ad demonſtrandas affectiones de obiecto materiali ſub tali abſtractione conſiderato, quę principia, ſi cõtineant cauſam, conſtituunt vnã ſcientiam ſpecie, ſin minus aliã; ſed Philoſophia naturæ conſiderat ſuum obiectum ſub hac abſtractione, vt eſt ens naturale, per principia tam rei, quã cognitionis, (quid ſint principia rei & cognitionis dicemus cap. 2.) quæ ordinentur ad hoc ſolum, ſcilicet ad demonſtrandas affectiones de ente naturali, vt naturale eſt; ergo Philoſophia naturæ, quæ demonſtrat affectiones de ente naturali, qua naturale eſt, per demonſtrationem propter quid conſtantem ex cauſis, erit vna ſcientia ſpecie.

Probat. 2. Probatur ſecundo. Scientia ſumit ſpeciem ab obiecto, vt obiectum eſt vnum ſpecie in genere ſcibilis; ſed obiectum Philoſophiæ naturæ, vt cognoſcitur demonſtratione propter quid, eſt vnum ſpecie in genere ſcibilis; ergo Philoſophia naturæ, vt eſt ſciẽtia propterquid, eſt vna ſpecie. Probatur minor obiectũ, quod vno modo attingitur a ſcientia, eſt vnum ſpecie in genere ſcibilis; ſed ſic ſe habet obiectum Philoſophiæ naturæ, quæ eſt ſcientia propter quid, attingitur enim ab illa, vt eſt ens naturale per principia rei & cognitionis Philoſophiæ naturæ, quæ omnia principia cõtinent cauſam attributi concluſionis, & probantur per definitionem obiecti materialis; ergo obiectũ Philoſophiæ naturæ, vt cognoſcitur demonſtratione propterquid, eſt vnum ſpecie in genere ſcibilis; ergo Philoſophia naturæ, quæ eſt ſcientia propterquid, erit vna ſpecie.

3. Aſſertio. Tertia aſſertio. Habitus Philoſophiæ naturæ qui eſt ſciẽtia quia, eſt etiam vnus ſpecie infima. Hæc aſſertio manifeſta eſt ex ſuperiori. Vt enim in ſcientia propter quid vnitas ſpecifica ſumitur ab abſtractione formali obiecti, & principiorũ, quæ ſunt cauſæ attributi, quod demõſtramus in concluſione, ita in ſciẽtia quia ſumitur etiam ab eadem abſtractione ex parte obiecti, vt inuoluit ſimul diuerſam abſtractionem medij, vt ſcilicet mediũ illud tantum demonſtrat rem eſſe, ſiue attributũ ſubiecto conuenire, tamen non demonſtrat per cauſam propter quã ita eſt. *Solutio cuiuſdam rationis.* Quare argumentum illud quod fieri ſolet ad probandum, contra primam aſſertionem, ſcientiam naturalem ſecundum totam ſuã latitudinem eſſe vnam ſpecie, quia ſcilicet omnes concluſiones, quæ concluduntur in Philoſophia naturæ per demonſtrationem, demonſtrant affectiones de ente naturali ſub eadẽ abſtractione, facile ex dictis ſoluitur; cùm dictum ſit abſtractionem nõ ſolum deſumi ex parte obiecti, ſed etiam ex parte medij. Licet ergo ſcientia quia, & propter quid, in Philoſophia naturæ ſint ſub eadem abſtractione ex parte obiecti, ſunt tamen ſub diuerſa ex parte medij: quare non conſtituunt vnum habitum ſecundum ſpeciem infimam. Vt enim ſciẽtia & opinio ſunt habitus diſtincti ſpecie, etſi ſint de eodem obiecto materiali ſub eadẽ abſtractione ex parte obiecti ex eo ſolum quia comparantur per diuerſa media: eodẽ prorſus modo Philoſophia naturæ, quæ eſt ſcientia propter quid, differt ſpecie interiecta ab habitu Philoſophiæ naturæ, qui eſt ſcientia quia: habẽt enim diuerſam abſtractionem ſecundum ſpeciem ex parte medij.

Non deſunt ex Philoſophis noſtri tẽ-

poris

Philoſophiam naturæ non eſſe unam ſcientiam ſpecie.

potis, qui contrariam tuentes ſententiam aſſerant Philoſophiam naturæ, vt eſt habitus per demonſtrationem a priori acquiſitus, eſſe multiplicem ſpecie; & aliam eſſe ſcientiam librorum Phyſicorum, & aliam librorum de Cælo, aliam librorũ de Anima, &c. Quare illorum rationes, quæ noſtris aſſertionibus videntur inferre vim, proponendæ ſunt, & diſſoluendæ.

1. Ratio. Prima ratio. Obiecta horum librorum habent diuerſas abſtractiones ſpecie, ergo ſcientiæ de illis diſtinguũtur ſpecie. Probatur anteced?e, quia magis abſtrahit ens mobile ad vbi tantum, quam ens mobile ad vbi, quantitatẽ, & qualitatem; ſed corpora cæleſtia ſunt mobilia ad vbi tantum, & alia corpora, de quibus diſputamus in libris Philoſophiæ naturæ, ſunt mobilia ad vbi, quantitatẽ, & qualitatẽ; ergo corpora cæleſtia, de quibus diſputamus in libris de cælo, magis abſtrahunt; ergo ſcientia de illis erit diſtincta ſpecie ab alia quacunque.

Solutio. Reſpõdemus negando antecedẽs; probationi cõcedendo totum ſyllogiſmũ, & negando ſecundam cõſequentiam. Quia illæ diuerſæ abſtractiones ſe habẽt, vt magis & minus intra eandem ſpeciem; abſtractio enim ſpecifica non ſolum ſumitur in ſcientiis ex parte obiecti, ſed etiam ex parte principiorum, vt dictum eſt. imo ſi ſufficeret maior, vel minor abſtractio ex parte obiecti, nec ſcientia propter quid librorũ de Cælo eſſet vna ſpecie, cum aliqua corpora cæleſtia pluribus motibus moueantur aliis; nec etiam ſcientia de anima eſſet vna ſpecie, quia anima rationalis, etſi conternat corpus & materiam, ſicut anima vegetans, & anima ſentiens, tamen ſecundũ aliquas actiones magis eleuatur quã aliæ animæ, quãdoquidem per intellectum intelligit, & per voluntatem vult; quæ duæ actiones non pendent a corpore. Nec tandem Metaphyſica eſſet vna ſcientia ſpecie, cum in obiecto illius multæ contineantur res, quæ magis abſtrahunt aliis, imo nec pars Metaphyſicæ, quæ eſt de ſubſtantiis ſeparatis, eſſet vna ſpecie; cum inter ſubſtantias ſeparatas Deus magis abſtrahat a quacunque compoſitione, cum Deus ſit ſimpliciſsimus actus, adhuc carẽs compoſitione ex eſſentia & exiſtentia, quia de eius eſſentia eſt eſſe, & ſuum eſſe eſt exiſtere; Angelus vero admittit compoſitionem tum ex eſſentia & exiſtentia, tũ ex genere & differentia. Quare cum hæc ſint abſurda, abſurdum etiam erit abſurdum eſſe, ſcientiam propter quid de ente naturali eſſe multiplicem ſecundum ſpeciem, cũ abſtractio, quæ reperitur inter partes ſubiectiuas entis naturalis, non ſufficiat ad differentiam ſpecificam conſtituendam inter cognitiones.

Secunda ratio. Accidentia quæ in eodẽ ſubiecto numero differunt realiter & numero, differunt etiam ſpecie, ſed ſciẽtia de cælo, verbi gratia, & de anima, differunt in eodem numero ſubiecto, realiter & numero. ergo differunt ſpecie. Probatur maior. Quia duo accidentia ſolo numero diſtincta nõ poſſunt eſſe in eodem ſubiecto: cum vnitas numerica accidentium deſumatur a ſubiecto. Minor etiã probatur. Quæ ita ſe habent, vt vnum poſsit eſſe ſine alio, differunt realiter & numero, ſed ſcientia librorũ de cælo poteſt eſſe in aliquo abſq; ſcientia de anima, ergo diſtinguuntur realiter. *2. Ratio.*

Reſpondemus concedendo maiorem cum ſua confirmatione, ſi intelligatur de accidentibus, quæ ſimul inhærent eidem ſubiecto quo; & negando minorem. Probationi minoris reſpondemus negãdo maiorem. Illa enim tantum eſt vera, in entibus quæ ita ſe habẽt, vt etſi coniungãtur, ex illis non poſsit fieri vnum indiuiduum eiuſdẽ rationis; verbi gratia, hoc animal, & hæc albedo, differunt realiter & numero; quia hoc animal poteſt eſſe abſque albedine, & albedo, abſque hoc animali; & ſi coniungantur hoc animal & albedo, ex illis neque fit vna albedo numero, neque vnum animal numero: in entibus vero ſiue accidentibus quæ ita ſe habent, vt ſi ſimul ſint, efficiant vnum indiuiduum, maior illa eſt falſa. Sit verbi gratia, calor in dimidia parte alicuius ligni, & poſtea exten- *Solutio.*

tenda-

tendatur ad aliam partem: calor qui de nouo producitur, non diſtinguitur realiter, & numero ab illo, qui præexiſtebat in ligno; imo potius totus ille calor eſt vnus realiter, & numero. Quando ergo aliquis habet ſcientiam librorum de cælo, & acquirit ſcientiam de anima, non acquirit accidẽs diſtinctum numero, & realiter; ſed potius illud prius accidens, ſcilicet ſciẽtia extenditur ad plures partes obiecti. Quare iſtæ ſcientiæ nec realiter differunt, nec numero in eodem ſubiecto; & ex conſequẽti nec ſpecie.

3. Ratio. Tertia ratio. Actus ſcientifici in ſciẽtia propter quid de cælo, & de anima, verbi gratia, differunt ſpecie; ergo & habitus.

Solutio. Reſpondemus primo negando antecedens. Secundo reſpondemus, & forſan melius, concedendo antecedens, & negando conſequentiam: quia a potentia viſiua, quæ eſt vna ſpecie, eliciuntur actus videndi, coloratum, & luminoſum, qui actus ſpecie diſtinguuntur, vt multi doctiſsimi recentiores tenent.

Obiectio contra ſolutionem. Sed dices. Habitus differũt per obiecta, ſicut & actus; ergo qua ratione diſtinguuntur actus, eadem diſtinguuntur & habitus, & e contra.

Solutio. Reſpondemus negando conſequentiam: quia non eodem modo obiectum ſpecificat actum, & habitũ: quia actus immediatius tendit in obiectum, quã habitus. Quare aliqua differentia eſt in obiecto, quæ poteſt variare ſpeciẽ actus, & non habitus. Sed dices. Habitus ſumunt ſpeciem ab actibus; ergo ſi illi actus differũt ſpecie, etiam & habitus. Reſpondemus diſtinguendo antecedens eius: ab actibus adæquatis concedo; ab inadæquatis nego antecedens: quare actus ſciẽtifici promanantes ab habitu ſciẽtiæ propter quid librorum de anima, & de cælo, differunt ſpecie; ſunt tamen ſicut habitus conſtituunt inadæquati; vt enim partes diſsimilares, verbi gratia, os, caro, &c. in homine differunt ſpecie inadæquate, & tamen cum illis ſtat vnitas ſpecifica in toto compoſito; ita cum multitudine ſpecifica inadæquata actuum ſtare poteſt vnitas ſpecifica habitus. Actus enim ſe habẽt reſpectu habitus, quaſi partes, ex quibus cõponitur habitus; ſed potius circa quos verſatur: cum mediis actibus habitus ſciẽtiæ verſetur circa ſuum obiectum.

An Philoſophia naturæ ſit ſimplex qualitas. Sed quæret aliquis an habitus Philoſophiæ naturæ, qui eſt per demonſtrationem a priori, & vnus ſpecie infima, ſit vna ſimplex qualitas, (certum eſt Philoſophiam naturæ ſecundum totam ſuam latitudinẽ eſſe multiplicem qualitatem; cum complectatur opinionem, intelligentiam, ſcientiã quia & propter quid, quæ qualitates cum ſpecie differant, non poſſunt vnam ſimplicem efficere) vel potius multiplex.

Obſeruatione. Pro explicatione huius dubitationis obſerua: intellectum habitu ſciẽtiæ præditum habere multitudinem ſpecierum intelligibilium, quæ ſe habent in actuali cognitione ex parte obiecti cogniti, & facilitatẽ ex parte potentiæ qua inclinatur intellectus ad facile & prompte operandum.

Opinio aliquorum. Qui credunt habitum ſcientiæ cõſiſtere in multitudine ſpecierum intelligibilium, conſequenter affirmant, nullum habitũ ſcientiæ eſſe vnam ſimplicem qualitatem. Sed horũ ſententia nec S. Thom. (vt late refert Caietanus 1.2.q.54.art.4.) nec aliis grauiſsimis viris, nec rationi conſona eſt (vt diximus 1. de Demõſtratione cap. 23. q. vnica) ibi enim id aliquibus rationibus probatũ fuit a nobis, & probatur modo aliis.

Refellitur primo. Prima ratio. In his quæ pertinent ad voluntatem & appetitum, habitus eſt facilitas ad operandũ, ergo & in his quæ pertinent ad intellectum.

Refellitur 2. Secunda ratio. Habitus ſcientiæ cauſatur per actiones intellectus patibilis, ſed ſpecies intelligibiles non cauſantur per actiones intellectus patibilis; ergo habitus ſcientiæ non conſiſtit in ſpeciebus intelligibilibus. Probatur maior. Habitus ſcientiæ fit per demonſtrationẽ, ſed hæc tantum fit per intellectum patibilem; ergo habitus ſcientiæ fit per intellectum patibilem. Probatur etiam minor. Proinde dicitur intellectus patibilis, quia recipit in

le ſpecies intelligibiles, quas illi imprimit intellectus agens, ergo ſpecies intelligibiles non cauſantur ab intellectu paſſibili. Rationes autorum huius quam reiecimus ſententiæ, ſolutæ ſunt a nobis.

Aſſertio reſpondẽs dubio. Sit ergo aſſertio. Habitus Philoſophiæ naturæ, qui eſt vna ſcientia ſpecie, eſt vna ſimplex qualitas. Probatur aſſertio. Qualitas, quæ eſt vna ſpecie, ſolum poteſt admittere compoſitionem ſecundum intenſionem in gradibus, vel ſecundum extenſionem ex parte ſubiecti, vt calor in ligno, vel ex parte obiecti ſi ſit cognitio (omitto compoſitionem ex genere & differentia, quia hæc non deſtruit ſimplicitatẽ in qualitate, vt patet in albedine) ergo habitus Philoſophiæ, qui eſt vna ſcientia ſpecie tã tum, poteſt admittere compoſitionem, vel ſecundum intẽſionem in gradibus, vel ſecundum extenſionem ex parte ſubiecti vel obiecti, cum ſit cognitio; ſed habitus qui tantum admittit compoſitionem ſecundũ intenſionẽ, vel ſecundum extenſionem, eſt vna ſimplex qualitas; ergo habitus ille Philoſophiæ naturæ eſt vna ſimplex qualitas. Minor, quæ certa eſt probatur inductione: quia albedo nec fit multiplex qualitas, eo quod intendatur aut extendatur; nec calor, nec ſapor, & ſic de cæteris.

Argumẽtum cõtra aſſertionẽ. Sed dices. Qui habet ſcientiam librorũ Phyſicorum, habet vnam ſimplicem qualitatem, ergo cum poſtea, acquirendo ſcientiam librorum de cælo, acquirat qualitatem, ex his duabus non fiet vna ſimplex qualitas. *Solutio.* Reſpondemus negãdo conſequẽtiam: quia ſcientia præexiſtẽs, & illa quæ de nouo acquiritur, nõ diſtinguuntur; ſed ex illis fit vna ſciẽtia ſecundum ſpeciẽ & in eode intellectu fit vna ſcientia numero, quemadmodũ calor qui extenditur ad plures partes ligni, vnus & idẽ numero eſt cũ præexiſtenti, & etiam eſt vna ſimplex qualitas: ſcientia enim poteſt ſumere incremẽtum ſecundum extenſionem, quando ſcilicet eadem concluſio magis radicatur in intellectu, illique firmius intellectus adhæret. Poteſt etiam ſumere incrementum ſecundum extenſionem, quando ſcilicet ſcientia habitus extẽditur ad plures partes ſui obiecti; & vtroq; ex his modis poteſt ſciẽtia augeri ſine productione nouæ qualitatis; ſed tantum per prioris intenſionẽ, vel extenſionem. Sed obſerua, qualitates corporeas ſumere etiam extenſionem per accidens ratione ſubiecti, verbi gratia calor, qui extenditur per accidens ad extenſionem per ſe quantitatis ligni: ſcientias vero minime. Ratio eſt, quia qualitates corporeæ ſunt in ſubiecto corporeo; ac proinde ad extenſionem illius extenduntur ex parte ſubiecti; ſcientia vero eſt in ſubiecto inextenſo, ſcilicet in anima rationali medio intellectu. Anima vero rationalis inextenſa eſt, & indiuiſibilis, tota in toto, & tota in qualibet parte (vt dicemus in libris de Anima) & proinde ſcientia, quæ illi inhæret, non poteſt extendi ex parte ſubiecti, ſed tantum ex parte obiecti. *Cur ſciẽtiæ non ſumant extẽſionẽ a ſubiecto ſui inhærẽtiæ.*

QVAESTIO III.

Vtrum Philoſophia ſit neceſſaria.

HÆC quæſtio procedit de Philoſophia naturæ, de qua eſt maior dubitatio: alias enim Philoſophiæ partes hominibus eſſe neceſſarias nulli dubiũ eſſe debet. Poteſt tamen aliquis merito dubitare, an Philoſophia naturæ ſit neceſſaria, quia aliqua in illa docentur, quæ fidei catholicæ videntur repugnare.

Sententia Dominici Soto. D. Soto q. 1. in 1 librum Phyſicum exiſtimat Philoſophiam naturæ non ſolum ratione finis, ſed etiam ratione formæ eſſe homini neceſſariam, eo ſcilicet modo, quo riſibilitas eſt homini neceſſaria: hoc enim ipſe affert exemplum. Hanc ſententiam ita probat. *Probatur hæc ſententia.* Omne illud, ad quod hominis natura integra, & incorrupta proprie inclinat, eſt illi intrinſece neceſſarium; ſed rerũ naturaliũ cognitio eſt ex huiuſmodi inclinatione naturali, ergo eſt illi neceſſaria. Minorẽ probat ex illo Ariſt. 1. Metaph.

cap. 1. Omnes homines natura ſcire deſi-
derant. Sed quia hæc ſententia nobis non
Soluitur placet, reſpondemus argumento negando
ratio. maiorem: probationi reſpondemus Ariſt.
tantum docere appetitum ad ſcientiam, &
cognitionem omnibus hominibus conue-
nire: ſed hinc quæſo qua ratione licet in-
ferre Philoſophiam naturæ eſſe homini
neceſſariam intrinſece, & ratione formæ
eo modo quo riſibilitas? nulla certe. Alias
etiam inuoluit rationes, quas non ſoluo,
quia inſtitutum illius nõ probant; ſed po
tius beatitudinem, quæ eſt vltimus finis
hominis, conſiſtere in clara Dei viſione, &
non in amore; quod modo libenter con-
cedo.

Probat. 2. Sed dices. Logica naturalis eſt homini
Soluitur neceſſaria ratione formæ, ergo & Philoſo
hac 2. ra- phia naturalis. Reſpondemus negando cõ
tio. ſequentiam: quia Logica naturalis nõ eſt
cognitio, ſed potius vis quædam a natura
indita, neceſſario conſequens animam ra-
tionalem: Philoſophia vero naturæ eſt ha
bitus acquiſitus, quẽ non eſſe ratione for
mæ neceſſarium, manifeſtum eſt: cum mul
ti huiuſmodi habitu deſtituantur, quod
non poſſet fieri, ſi eſſet neceſſarius ratione
formæ: vt patet de riſibilitate, & de aliis,
quæ conſequuntur hominis formam. Sed
dices intelligere Soto per Philoſophiam
naturæ appetitum hominis ad ſcientias.
Hæc tamen reſpõſio nulla eſt. Primo, quia
immerito ille appetitus, cum ſit ad omnes
ſcientias, Philoſophia naturæ appellatur.
Secundo, quia expreſſe loquitur de cogni
tione rerũ naturalium, ad quã huiuſmodi
appetitus inclinat. Hic enim appetitus di-
ſtinctus eſt a cognitionibus, ad quas incli
nat, imo & a Logica naturali, quæ nihil
aliud eſt, quam naturalis quædam vis ad
diſcurrendum, & verum a falſo ſecernen-
dum: quæ vis merito appellatur Logica,
cum ſit potentia ad præſtandũ naturaliter
id, quod artificioſe per Logicam artem
præſtamus.

Reſtat ergo inquiramus, an Philoſo-
phia naturæ ſit hominibus neceſſaria ra-
tione finis. Eſt ratio dubitandi. Multa do- *Ratio du*
centur in Philoſophia naturæ, quæ repu- *bitandi.*
gnant rebus fidei, vt virginem non poſſe
parere, accidentia corporis naturalis non
poſſe eſſe ſine ſubiecto, duo corpora non
poſſe eſſe in eodem loco: ergo Philoſophia
naturæ non eſt hominibus neceſſaria ra-
tione finis, ſed potius pernicioſa.

Pro deciſione quæſt. ſit obſeruatio. Fi *Obſerua-*
nis hominis duplex eſt, alter naturalis, & *tio.*
alter ſupernaturalis. Naturalis eſt, natura
lis Dei cõtemplatio: vt enim recte obſeruat
Soto q. citata, mũdus ad duos vſus eſt crea
tus, primo vt vita hominis aliarum crea-
turarum adminiculo ſuſtentetur, ſecundo
vt per rerum creatarum cognitionẽ, homo
in Dei cognitionem veniat, & amorem ra
piatur. Finis ſupernaturalis eſt clara vi-
ſio, qua beati medio lumine gloriæ Deum
clare, & facie ad faciem intuentur. *Hæc eſt
vita æterna* (inquit beatus Ioannes in ſuo
Euangelio c. 17.) *Vt cognoſcant te Deum
verũ*, &c. Deinde præter huiuſmodi duos
fines vltimos hominis, ſunt alij multi,
quos ſibi in hac vita homines proponunt.
Obſerua etiam nomine Philoſophiæ natu
ræ intelligere nos non ſolum habitũ ſcien
tiæ propter quid de rebus naturalibus: ſed
etiam omnem cognitionem rerum natura-
lium; ſiue illa pertineat ad opinionem, ſiue
ad intelligentiam, ſiue ad ſcientiam quia,
ſiue ad ſcientiam propter quid.

Primo ergo certum eſt, moraliter lo- *Quid ſit*
quendo, Philoſophiam naturæ eſſe ſimpli *in hac q.*
citer neceſſariã ad multos particulares fi- *certum.*
nes, quos ſibi homines proponũt. Permul
ta enim in Philoſophia naturæ docentur,
quorum cognitio omnino neceſſaria eſt vi
tæ humanæ. Docet namque Philoſophia
naturæ rerum naturalium principia com-
muniſſima; ſed hæc herbarum, plantarum,
& animantiũ naturas & proprietates; præ
terea rationem foſſilia, quæ in viſceribus
terræ gignũtur, inueſtigandi; inſuper mor
bos, qui hominibus accidunt; & ſalubria
remedia, quæ illis, vt ægrotis optata ſani
tas reſtituatur, debẽt applicari, & alia in-

nume-

auſtera, quæ omnia cotidianis hominum vſibus ita deſeruiunt, vt ſi rerum naturalium cognitione hominū Reſpublica deſti tueretur, vix in integro & felici ſtatu poſſet permanere. Remanet ergo dubitatio, an Philoſophia naturæ ſit neceſſaria ad vltimum finem naturalem, vel ſupernaturalem hominis.

1. Aſſertio. Prima aſſertio. Reſpectu totius Reipublicæ chriſtianæ Philoſophia naturæ eſt ſimpliciter neceſſaria ad finem naturalem hominis. *Probatur Aſſertio* Probatur aſſertio. Abſque Philoſophia naturæ non poteſt comparari finis naturalis hominis, ergo ad illum comparandum eſt ſimpliciter neceſſaria. Probatur antecedens, quia per Philoſophiam naturæ, quæ rerum naturalium naturas, & proprietates contemplatur, ducimur in cognitionem Dei, vt eſt author naturæ, & finis naturalis hominis. Iuxta illud diui Pauli ad Romanos. 1. *Inuiſibilia enim ipſius à creatura mūdi, per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius uirtus, et diuinitas*. Ideſt perfectiones quæ ſūt in Deo, cognoſcit creatura mūdi, ideſt homo per effectus, qui ſunt ipſæmet creaturæ, per hanc vero cognitionem, quā id homines cognoſcunt, etiam intelligendam eſſe naturæ Philoſophiam, colligitur ex eodem D. Paulo: qui loquens de antiquis Philoſophis ſubdit ſtatim. *Ita ut ſint inexcuſabiles, quia cum cognouiſſent Deū, non ſicut Deū glorificauerunt, aut gratias egerunt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, et obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.*

2. Aſſertio. Secunda aſſertio. Reſpectu totius Reipublicæ chriſtianæ ita vtilis eſt Philoſophia naturæ ad finem ſupranaturalem hominis, vt fere ſit ſimpliciter neceſſaria. *Probatur 2. Aſſertio.* Probatur. Quia Theologia valde neceſſaria eſt, vt homo finem ſupranaturalem cōſequatur. (vt docet D. Tho. 1. p. q. 1. art. 1. in corpore. ibi enim ita ſcribit. *Neceſſarium fuit ad humanam ſalutem eſſe doctrinam quandam ſecundum reuelationem diuinam, præter Phyſicas diſciplinas, quæ ratione humana inueſtigantur.* Ad Theologiā vero nimis neceſſaria eſt Philoſophia naturæ. Idq. ex eo cōſtat, quia omnes ſancti patres fuerunt in hac ſcientia periti: eſt etiam, quia Theologi non ſolum in prioribus diſputationibus; ſed etiam, cum in conciliis de rebus fidei agitur, multis vtuntur rationibus deſumptis à rebus naturalibus; in exponendis inſuper ſacris libris, rerum naturalium cognitio multū iuuat: quibus denique accedit multas eſſe in Theologia cōcluſiones deductas ex vna de fide, & altera cognita lumine naturæ. Vt hæc concluſio Chriſtus eſt riſibilis. Ex hac enim propoſitione cognita lumine naturali, omnis homo eſt riſibilis; & ex hac alia de fide, ſed Chriſtus eſt homo, deducitur hæc cōcluſio theologica, ergo Chriſtus eſt riſibilis. Hinc Philoſophia apud Philoſophos multis laudibus in cælum vſque effertur. Cicero enim lib. 1. Tuſculanarum quæſtionum ait, Philoſophiam eſſe donū, aut inuentum Deorum. Et libro 5. inquit, *O uitæ Philoſophia, uirtutis indagatrix, expultrixq. uitiorum, nō modo nos, ſed nec omnino uita hominum ſine te eſſe potuiſſet.* Et Seneca ad Lucilium libro 14. epiſtola 91. inquit. *Deorum immortalium munus eſt, quod uiuimus: Philoſophiæ autem quod bene uiuimus: unde tanto plus Philoſophiæ quam diis deberemus, quanto maius beneficium eſt bene uiuere, quā uiuere, niſi et Philoſophia ipſa munus eſſet Deorum.*

3. Aſſertio. Tertia aſſertio. Reſpectu cuiuſuis hominis in particulari, nec ad finem naturalem, nec ad ſupranaturalem eſt ſimpliciter neceſſaria Philoſophia naturæ, eſt tamen reſpectu vtriuſque finis maxime vtilis. *Probatur* Probatur prima pars aſſertionis. Quia multi abſque Philoſophia naturæ naturalem quandam habuerunt Dei cognitionem, & tandem vitam æternam ſæcu- ..nt cō ſequuti. Secunda pars aſſertionis probatur. quia media Philoſophia naturæ quiuis homo poteſt per res naturales deuenire in cognitionem naturalem perfectiorem

Dei, per quam Dei amore inflammatus facilius ferventiorique ſpiritu illius obtemperando mandatis ſempiternam aſſequitur fœlicitatem.

Propoſitas Aſſertiones ita aliqui explicant. quemadmodum in Republica neceſſe eſt ſimpliciter, vt fœliciter conſeruetur, & tranquillo ſtatu perſeuerет, alios eſſe clericos, alios in matrimonium vxores ducere, alios cœlibem virginitatis vitam Deo deuouere, alios agriculturæ artē exercere, alios aliis negotiis incumbere; non tamen eſt ſimpliciter neceſſarium hūc vel illum eſſe clericum, vel ducere vxorem &c. Ita ſimpliciter neceſſarium eſt in republica chriſtiana eſſe Philoſophos, hoc tamen reſpectu cuiuſuis hominis in particulari non eſt ſimpliciter neceſſarium.

Solut. rationis dubitandi.

Rationē dubitandi reſpondemus, Philoſophiā naturæ non docere res cōtrarias fidei, ſed potius nō attingere res fidei, quę ſunt ſuperioris ordinis, quare Philoſophus naturalis ſolum docet, quæ viribus naturæ fiunt, non tamē quæ abſoluta Dei potentia & miraculoſe eueniunt, vt ſunt myſteria fidei. quare circa hæc decipi poteſt Philoſophus naturalis, tamen non docet res contrarias fidei. quia ratiſ, quæ in ratione dubitandi proponuntur, ſi abſolute ſumantur, repugnent rebus fidei, vt docentur a Philoſopho naturali, non repugnāt, quia Philoſophus naturalis ſolū docet illa non poſſe naturaliter euenire, quod veriſsimum eſt, imo Angeli etiā mali (vt docet D. Tho. 1. p. q. 58. art. 5) poſſunt errare circa res ſupranaturales, ſi velint de illis ſolo lumine naturæ iudicare: ita enim ſcribit. *Et in his, quæ naturaliter ad rem pertinent, non decipiuntur, ſed decipi poſſunt quantum ad ea, quæ ſupernaturalia ſunt. Sicut ſi conſiderans hominē mortuum iudicet eum non reſurrecturū: et ſi videns hominem Chriſtum, iudicet cū non eſſe Deum*

Angelos malos poſſe errare circa res ſupranaturales.

Obiect. cōtra aſſertiones.

Sed dicit D. Pau. ad Coloſ. c. 2. inquit. *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiā et inanem fallaciam*, ergo Philoſophia cū decipiat, non erit Reipublicæ chriſtianæ neceſſaria. Confirmatur, quia in principio naſcentis Eccleſiæ Philoſophi naturales maxime reſiſtebant rebus fidei. Reſpondemus tamen, Paulum admonere Colloſſēſes fugiendam eſſe Philoſophiam inanem erroribus admixtam, non vero illam, quæ naturalia docet. Et licet multi Philoſophi naturales contrarii extiterint in principio Eccleſiæ rebus fidei, non tamē omnes, vt conſtat de Dionyſio, & de aliis; & imo in illis qui cōtrarij erant, non erat cauſa Philoſophia, ſed potius praua illorum voluntatis affectio. Vt enim dæmones (vt docet D. Tho. loco citato) per voluntatem peruerſam ſubducentes intellectum a diuina ſapientia, abſolute interdum de rebus iudicant ſecundum naturalem conditionem, ac proinde in his, quæ ad fidem & ſupranaturalem cognitionem pertinent decipiuntur; ita illi antiqui Philoſophi ex praua voluntatis affectione, nolentes captiuare intellectum in obſequiū fidei, rationibus naturalibus reſiſtebant rebus fidei. Pia namque voluntatis affectio neceſſaria eſt nō ſolum ad fidem humanam, ſed etiam ad diuinam: vt obiter diximus 1. de Demonſtratione cap. 26. q. 5.

Solutio.

DE INSCRIPTIONE horum librorum, quos aggredimur interpretandos.

QVINQVE modis poſſunt inſcribi aliqui libri. Primo inſcribūtur a materia ſubiecta, vt libri de Cælo, quia illorum materia ſubiecta ſunt cæleſtia corpora. Secundo inſcribūtur ab ordine quem ſeruant cum aliis libris, vt libri de prima Philoſophia inſcribuntur Metaphyſici, quia ſubſequuntur libros Phyſicos, poſt quos debent tradi (per libros Phyſicos intelligimus modo omnes qui pertinent ad Philoſophiam natura) Liber etiam de Demonſtratione inſcribātur

Libros poſſe quinque modis inſcribi.

tur, Poſteriores, quia traduntur poſt libros de Syllogiſmo, ſiue de priori reſolutione. Tertio inſcribuntur libri a Loco, in quo fiunt res, de quibus diſputatur in illis libris: ſic inſcribuntur libri Metheorologicorum, quia in illis diſputat Ariſt. de his, quæ in ſuprema aeris regione & terræ abſconditis viſceribus procreantur. Quarto inſcribuntur libri a genere, ſeu modo docendi, vt problemata Ariſtotelis ſic inſcribuntur, quia omnia quæ in illis libris docentur, pertractantur poblematice, idest in vtramque partem rationibus probabilibus. Quinto inſcribuntur a proprietate obiecti, vt libri de generatione & corruptione: generatio namque, & corruptio proprietates ſunt de obiecto librorū de generatione, & corruptione.

Quomodo inſcribantur ab Ariſt. iſti libri. Hi ergo libri quos aggredimur inſcribūtur ab Ariſt. de Phyſica acroaſi, ideſt de naturali auſcultatione. Quæ inſcriptio ſumitur a materia ſubiecta, & a genere docendi; a materia ſubiecta, quia in iſtis octo libris diſputamus de natura, ſeu de rebus naturalibus; a genere docendi, quia iſti libri docentur ab Ariſtotele methodo auſcultatoria, & perdifficili. Sed vt hoc intelligas obſerua, libros Ariſtotelis eſſe in duplici differentia, nam alij ſunt exoterici, illi ſcilicet qui proponebantur ab Ariſtotele plebi, facili & inaccurato docendi genere: alij vero ſunt acromatici, illi ſcilicet, qui proponebantur ab Ariſtotele priuatis diſcipulis docendi genere perpolito, breui, & obſcuro. Et iſti libri vocabantur auſcultatorij: vt enim percipi poſſint, totum prærequirunt hominem. Inſcribūtur ergo iſti octo libri, De naturali auſcultatione, quia in illis diſputatur de natura, vel de rebus naturalibus, quæ natura conſtant, genere docendi perpolito, breui, & obſcuro. De qua inſcriptione conſulendus eſt Vicomercatus ſtatim initio Phyſicorum, ibi enim quæ de hac re poſſunt deſiderari, docte, & copioſe proponit. Refert etiam ibi, Auerroem teſtatum reliquiſſe nullū verbum a primo magiſtro (ſic enim Ariſtotelem vocat) temere ſcriptum fuiſſe in libris auſcultatoriis, additq. præterea adeo concinnam habere breuitatem, vt ſi ab illis verbum vnum detrahas, nō minus ſententia eneruatur, atque ingens ædificiū vno ſublato lapide ſæpenumero corruit. Neque proinde reprehēſione dignum eſſe Ariſtotelem conatur oſtendere; etſi concedam, inquit, Ariſtotelem de induſtria obſcuritatem aliquā affectaſſe, non propterea reprehendendus erit, qui ea ratione ſutoribus, aut fabris lignariis cōmunis eſſe noluit.

Quomodo inſcrib. ab aliis. Ab aliis inſcribuntur hi libri de Motu, & rerum naturalium initiis, a Grucchio & Perionio inſcribuntur de natura, & rerum initiis, ſumpta inſcriptione a materia ſubiecta, ſiue ab eo per quod materia ſubiecta conſtituitur. Inſcribuntur ab aliis iſti libri, Phyſici, ideſt Naturales, quæ inſcriptio conuenit omnibus libris Philoſophiæ naturæ, cum omnes ſint naturales, ſiue de rebus naturalibus. Vſu tamen factum eſt, vt per libros Phyſicos intelligamus hos octo, quorum aggredimur interpretationem. Hi namque ſolum octo libri communiter Phyſici appellantur, ratio eſt, quia in illis rerum omnium naturalium communia principia, & affectiones communes traduntur. Diſputat enim Ariſtoteles in his octo libris de materia, forma, priuatione, motu, loco, tempore, & aliis, quæ ſunt communia principia, & communes affectiones rerum naturalium. Hæc inſcriptio inter alias nobis non diſplicet, ac proinde libri iſti a nobis Phyſici inſcribuntur.

DE DIVISIONE librorum Phyſicorum.

DIXIMVS in ſuperioribus, his octo libris proponere Ariſt. rerum omnium naturalium communiſſima principia, earundemque communes affectiones. Videndum ergo eſt quibus in

libris diſputet Ariſt. de rerum communiſſimis principiis, & in quibus de illarum communiſſimis affectionibus ſermonem inſtituat.

Diuiſio Simplicij & aliorũ. Simplicius, & ex Thomiſtis multi exiſtimant agere Ariſtotelem de principiis rerum naturalium in quinque primis libris, in aliis vero tribus de motu. Porphyrius & Philoponus cenſent in quatuor primis libris diſputare Ariſtotelem de principiis rerum naturaliũ, & in quatuor poſtremis de motu. Hanc ſententiam laudat Vicomercatus. *Sententia quæ nobis placet.* Ex recentioribus aliqui probabilius multo docti, duobus primis libris Ariſt. de principiis rerum naturalium verba feciſſe, & in ſex vltimis, de communiſſimis affectionibus earundem. In hanc ſententiam inclinat etiam Toletus, quamuis ſententia Simplicii nõ omnino illi diſpliceat. Soto etiam hanc admittit horum librorũ diuiſionem, & illam ſatis accurate proponit: nos quoque hanc inter alias probabiliorem iudicamus. Primo enim, & ſecũdo libro agit Ariſt. de principiis, & cauſis rerum naturalium: tertio incipit diſputationem de motu, & infinito: quarto de loco, tempore, & vacuo: iſtorum enim cognitio requiritur ad cognoſcendam motus rationem: quinto de ſpeciebus motus multa tractauit: ſexto propoſuit ea, quę pertinẽt ad quantitatem motus: ſeptimo vero, & octauo de primo motore cumulatiſſime diſſeruit, tum etiam de his quæ pertinent ad mundi æternitatem. Ac de prolegomenis dicta ſufficiant.

CAPVT PRIMVM IN QVO PROPONIT ARIST. METHODVM ſeruandam in tradenda Philoſophia Naturæ.

IN HOC primo capite quod proœmiũ eſt totius Philoſophię, & maxime difficillimum, conueniunt interpretes proponere Ariſt. methodum ſeruandam in Philoſophia naturę: quę methodus cum ſit compoſitionis, præcipit a magis vniuerſis eſſe inchoandum. Methodum ſeruãdam probat Ariſt. hoc argumento.

Omnis cognitio, & ſcientia in omnibus diſciplinis, quarum ſunt principia cauſæ aut elementa ab eorum cognitione proficiſcitur, (quia tunc exiſtimamus nos aliquid ſcire, cum cognoſcimus primas cauſas, primaq. principia vſque ad elementa) ergo in Philoſophia naturæ primum ſunt explicanda principia. Videndum mopo eſt quid intelligat Ariſtoteles per voces quibus vtitur in hoc argumento.

Quid intelligat Ariſtot. per cognitionẽ & ſciẽtiam. Alexander, & Auerroes exiſtimant per cognitionem & ſcientiam diuerſas res intelligere Ariſt. Dicunt enim per cognitionem intelligere cognitionem in cõmuni, & per

ſcien-

Opinio Alex. & Auerr. ſciētiam intelligere ſcientiā demonſtratione acquiſitam. Illorum ratio eſt. Quia in docendis ſcientiis non vtitur Ariſt. vocibus ſynonymis, ad eandem rem ſignificandam. Hæc tamen ſentētia falſa eſt, & ratio cui innititur nullius momenti. Nam Ariſt. paſsim vtitur in ſcientiis vocibus ſynonymis, imo hoc præſtitit hoc capite illis verbis. *Via autem & ratio, &c.* Per viam enim & rationem eandem rem intellexit.

Opinio D. Tho. S. Tho. per *intelligere*, ideſt per cognitionem (vbi nos legimus *Quoniam omnis cognitio & ſciētia*, legit ipſe cum antiqua verſione *Quoniam quidem intelligere & ſcire*) docet intelligendam eſſe illā quę habetur per diffinitionē; & per ſciētiam, illam quæ per demonſtrationem. Quæ ſententia (quod pace tanti viri dixerim) cōſtare non poteſt, quia hic loquitur Ariſt. de cognitione compoſita, quæ fit per cauſam: at cognitio quæ fit per definitionem, nō eſt compoſita, & per cauſam, ſed ſimplex. Et licet verū ſit, quòd ipſe docet, ſcilicet definitionem ſitu ſolū & poſitione differre à demonſtratione, tamen definitio nū quam eſt cognitio compoſita, & per cauſam, cum pertineat ſemper ad primam operationē intellectus, in qua ex eo nō poteſt reperiri veritas aut falſitas, quia nec eſt cognitio per cōpoſitionem, nec per diuiſionem. Quare nō poterit definitio eſſe cognitio compoſita, aut per cauſam.

Opinio aliorū quæ nobis placet. Simplicius, Philoponus, Vicomercatus, Villalpandeus, & alij tenent per has duas voces candē rē eſſe intelligendā nēpe cognitionē demonſtratione ſiue diſcurſu acquiſitā. quæ ſententia nobis placet.

Quid intelligat per vocem diſciplinis. Per illam vocem, *diſciplinis*, exiſtimamus intelligendā eſſe ſciētiam, vel artem, vel doctrinam, vel diſciplinam methodo conſtantem; credimus quæ hanc eſſe Gruchij & perionij ſententiam, quia in textu Græco vbi nos legimus cū Gruchio & perionio, *diſciplinis*, legitur *methodis*, exponunt ergo illam particulam *methodis*, per hanc *diſciplinis*, vt demōſtrent per methodum nō intelligere Ariſt. methodum ipſam, ſed potius doctrinam, ſcilicet artem vel ſcientiā methodo traditam.

Per principia, cauſas, & elementa, idē intelligere Ariſt. Quid intelligat Ariſtoteles per illas tres voces ſcilicet perprincipia, cauſas, & elemē ta variæ explicant interpretes: Exiſtimamus tamen cum Vicomercato, & Villalpādeo per illas tres voces eādem rē Ariſtote. intelligere, per illas enim

enim principia intelligit.Sed cum principia alia ſint rerũ, alia ſcientiarum;dubium eſt, de quibus principiis intelligẽdus ſit Ariſt. Principia ſciẽtiarũ ſunt propoſitiones primæ,& immediatæ, ex quibus demonſtrationes conficiuntur: principia rerum ſunt id, a quo res incipit,vel fit;vt priuatio eſt principium generationis,quia generatio incipit a priuatione;materia,forma, & aliæ cauſæ ſunt principia, quoniam ex illis res fit.Principia ſcientiarũ deſumuntur ex principiis rerũ, vt ex hoc principio rei, ſcilicet interpoſitione terræ inter ſolem, & lunam (interpoſitio enim terrę principium eſt a quo luna patitur eclipſim)ſumimus hoc principium ſciẽtiæ,quotieſcunque terra eſt interpoſita inter ſolem & lunam, luna patitur eclipſim. Ex quo principio concludimus lunæ eclipſim. Ergo cum principia ſcientiarũ deſumãtur ex principiis rerũ, per principia intelligit Ariſt. principia rerũ, & ſcientiarum.

In probatione propoſitionis vtitur Ariſt. eiſdem tribus vocibus, per quas eandem rẽ intelligit,ac in propoſitione. Probatur:quia ſi non intelligeret idem,committeret fallaciã:fallacia enim eſt dictionis, in alia ſignificatione ſumere voces in propoſitione, & in alia in probatione propoſitionis; ex his colligit Ariſtoteles concluſionem. Eſt ergo ſenſus rationis Ariſt. iſte: Omnis ſcientia in omnibus diſciplinis methodo tractatis,quæ principia habent,vel ſunt de rebus, quæ principia habẽt, fit ex cognitione principiorum:quia tunc exiſtimamus rẽ ſcire,quando rei principia cognoſcimus; ergo in Philoſophia naturæ incipiendum eſt à cognitione principiorum. Propoſitionẽ huius argumenti non demonſtrat Ariſ.ſed probat à poſteriori, & per ſignum: ſcilicet, quoniam omnes ita exiſtimãt.Ratio eſt, quia hæc propoſitio eſt certa & manifeſta, & hoc indicat (vt bene monet ſimplicius)particula *quoniam*;quę reddit hunc ſenſum.Cum certum ſit omnem doctrinã,&c. Sed,vt id melius intelligamꝰ, obſeruandum eſt propoſitiones, quibus paſsim vtuntur Philoſophi in ſcientiis,eſſe in triplici differentia.Alię enim ſunt adeo certe & manifeſtę, vt nulla indigeant probatione, aut explicatione; & iſtæ propoſitiones vocantur axiomata vt hæc propoſitio, *De qualibet re vera eſt affirmatio vel negatio*. Alię ſunt propoſitiones

nes

nes certæ,ſed obſcuræ, & ita vt intelligantur, indigent aliqua probatione & demõſtratione,vt hæc propſitio omne quod mouetur ab alio mouetur.Aliæ tandem ſunt propoſitiones certæ & manifeſtæ, ſed non adeo ac axiomata, atque ita indigẽt aliqua probatione a poſteriori & per ſignum; iſtæ propoſitiones vocãtur hypoteſes vel ſuppoſitiones,quia in vnaquaq; ſciẽtia ſupponũtur,cum propria principia ſint illius, & probãtur per ſciẽtiam generalem. Propoſitio ergo hæc,a qua exorſus eſt Ariſt. Philoſophiã naturæ, continetur ſub hoc tertio genere propoſitionũ, ac proinde illã probauit Ariſt. per ſignum.Huius argumenti aſſumptionem omiſit, vel quia facilis eſt,&a quouis poteſt intelligi,vel vt alii volunt,breuitatis cauſa.

Diximus per principia,cauſas,& elementa,eandem rem intellexiſſe Ariſt. in propoſitione, & in probatione propoſitionis; idq. verũ eſſe demonſtrauimus,docuimuſque ꝑ illas voces intelligere principia. Id verũ eſſe probamus, quia Ariſt.in concluſione huius argumenti tantum cõcludit a cognitione principiorũ eſſe incipiendum; nam ſi per illas tres voces diuerſas res intellexiſſet, fuiſſet diminutus in concluſione.

Permulti ex Ariſt. interpretibus exiſtimãt per illas tres voces intellexiſſe Ariſt.diuerſas res.Suas ſententias confirmãt rationibus deſumptis ex propria cuiuſuis illarum vocũ ſignificatione, tum etiam ex variis Ariſt.teſtimoniis,in quibus has voces in eadem & diuerſis accipit ſignificationibus. Vt ergo omnes illorũ rationes diſſoluamus, obſeruandum eſt, has voces dupliçem habere ſignificationem. Primò ſumuntur proprie, & hoc modo principium ſignificat id omne, a quo res incipit,vel fit. Cauſa ſignificat id omne,a quo res fit cum influxu. Elementum ſignificat idẽ quod cauſa, & inſuper vt inſit in re cuius eſt elementum. Si ergo iſtæ tres voces proprie ſumantur, ſe habent tanquam quid ſuperius & inferius. Nam omne elementum eſt cauſa,& omnis cauſa principium,non tamẽ contra.Secundo ſumũtur iſtæ voces improprie, & hac ratione æque patent,& inter ſe reciprocãtur quando eandẽ rem ſignificant.Omnes ergo cõtrarias rationes ſoluemus hoc obſeruato, ſcilicet Ariſt.ſumpſiſſe has voces ſtricte,&in ſua propria ſignificatione aliquãdo;

D quan-

& quãdoque iſtis vocibus vſũ fuiſſe, prout vnam & eandem rem ſignificant. Hoc conſonum eſſe Ariſt. conſtat (vt recte admonet Pererius in fine capitis 1.3. lib. Phyſici) ex hoc lib. in quo diſputãs de principiis, nempe de materia, forma, & priuatione, paſsim has res confundit, & aliquando eas vocat principia, aliquãdo cauſas, & aliquando elementa. Docet etiã Pererius vſum fuiſſe Ariſtotelem illis tribus nominibus ad eãdem rẽ ſignificandam, quoniam illa, quæ aliqui ex veteribus vocabant principia, alii vocabant cauſas, & alii elementa. Vt ergo Ariſt. ratio firma eſſet contra omnes veteres Philoſophos, illis tribus vocibus vſus fuit.

Sed dices. Ariſtot. in probatione propoſitionis recẽſens illas tres voces dixit, vſque ad elemẽta; ergo cum addita ſit ab Ariſt. illa particula, vſque, per illas tres voces non intellexit vnam & eandẽ rem. Reſpondemus cum Vicomercato, particulam vſque non ſignificare ordinem inter principia, cauſas, & elementa, ſed ſignificare ordinẽ inter principia, ita vt ſit ſenſus; tũc exiſtimare nos rẽ ſcire, cum cognoſcimus principia prima & proxima, generalia ac remotiſsima, de quibꝰ generalibus principiis diſputat Ariſt. in hoc libro.

Via autem & ratio quem, &c. Docet deinde Ariſt. methodũ ſeruandam in demonſtrandis principiis, quæ eſt methodus demõſtrationis a poſteriori: prima enim principia non habent alia priora, per quæ demonſtrẽtur. Ratio autem eſt huiuſmodi. Inſita eſt nobis via a natura, vt progrediamur a rebus nobis notis, ad res ſecũdum naturam notas, quia nõ ſunt eadem nobis & natura nota; ſed res confuſæ ſunt nobis magis notæ; ergo ab earum cognitione progrediendum eſt ad cognoſcenda principia. Per res cõfuſas intelligit Ariſt. compoſita naturalia, & illorum accidentia: compoſitũ naturale dicitur confuſum, quia cognoſcitur non cognitis illius partibus; accidentia etiã dicuntur confuſa, quia cognoſcuntur a nobis non cognitis principiis, a quibus tanquam a cauſis promanant. Per res confuſas intelligenda eſſe compoſita naturalia, & illorum accidentia conſonũ eſt methodo demõſtrãdi a poſteriori, qua Ariſt. demonſtrat principia: quia in his demonſtrationibus neceſſaria eſt præcognitio ſubiecti & medii; atqui ſubiectũ ſũt corpora naturalia, in quibus

bus demõſtramus ineſſe principia,& medium ſunt accidẽtia per quæ demonſtramus principia ineſſe ſubiecto,nẽpe cõpoſitis naturalibus; ergo cõſonum eſt methodo demonſtrandi a poſteriori per confuſa intelligenda eſſe cõpoſita naturalia,& illorũ accidentia,ex quorũ cognitione tanquam ex cognitione rerum, quæ nobis magis notæ ſunt,deueniendum nobis eſt in cognitionem rerũ, quæ ſecundum naturam notæ ſunt, ſcilicet in cognitionem principiorum. Diſputandum nobis erat, an eadem ſint nobis & natura nota,& aliæ dubitationes circa ea quæ docuit Ariſt.erant pertractandæ. Quæ omnia cõſulto prætermittimus,ne textus explicatio prolixior ſit,quam oportet: in fine capitis hæc omnia explicabimus.

Ex quo fit vt ab iis quæ, &c. Ex his quæ dixit Ariſtot. colligit hoc conſectariũ. Progrediendum nobis eſt ab iis,quæ in vniuerſo genere verſãtur, (Ideſt à magis vniuerſis) ad res ſingulares, (Ideſt ad res minꝰ vniuerſas)dixerat in ſuperioribꝰ progrediẽdum nobis eſſe ab iis, quæ nobis magis nota ſunt; ex quibus hoc infert conſectariũ,quaſi ſupponens res magis vniuerſas eſſe nobis magis cognitas. huius conſectarii variæ ſunt expoſitiones, ſed aliis omiſsis Alexander ſatis probabiliter exiſtimat proponere in ipſo Ariſt.ordinem ſeruandum in diſputandis quæſtionibus de principiis: Ariſto.enim ita ſe geſsit, prius enim tractauit quæſtiones magis cõmunes, an ſcilicet principia ſint vnũ vel plura; deinde,an ſint finita,vel infinita; tertio, an ſint contraria.

Alii exiſtimant proponere Ariſt.ordinem ſeruãdum inter corpus naturale & illius ſpecies. Dixit enim in principio capitis in tradendis principiis prius eſſe explicanda principia communiſsima, & ex illis progrediendum eſſe ad principia communia cuiuſuis ſpeciei corporis naturalis; modo in fine capitis in hoc conſectario colligit ordinem ſeruandum in explicandis rebus,de quibus in Philoſophia naturæ diſputamus, nam eo ipſoquod Ariſt.prius diſputat de communiſsimis principiis,& deinde de principiis cuiuſuis ſpeciei; prius etiam debet diſputare de corpore naturali in communi,& deinde de illius ſpeciebus. quia in eadem tractatione diſputat de principiis, & de corpore naturali, cuius ſunt principia.

pia. Imo diſputare de principiis in communi, & deinde de principiis cuiuſuis ſpeciei corporis naturalis, nil aliud eſt, quam prius diſputare de corpore naturali in communi, demonſtrãdo de illo communia principia, & deinde diſputare de ſpeciebus corporis naturalis, demonſtrando de illis illarũ principia. Hæc ſecunda expoſitio probabilior apparet.

Nam cum totũ ſenſui, &c. Propoſitum conſectarium probat Ariſtoteles tribus rationibus. Prima eſt. Totũ, quod ſenſibus percipitur, eſt notius, ergo quod magis vniuerſum eſt, cum ſit totum, quod ſub ſe multas ſpecies continet, erit notius. Secũda ratio. Nomen notius eſt quam diffinitio rei ſignificata per nomen, quia nomẽ totum eſt, & cõfuſe ſignificat partes, quas diffinitio explicat; ergo magis vniuerſum, cum ſit quoddam totũ, nobis erit notius.

Tertia ratio ducitur ex naturali modo cognoſcẽdi, pueri enim inquit Ariſt. primum omnes viros appellãt patres; & omnes mulieres matres, deinde ſucceſſu temporis patrem ac matrem agnoſcunt; ergo pari ratione progrediẽdum nobis eſt a magis vniuerſis ad minus vniuerſa.

QVAESTIO I.

An in intellectu ſit primum cognitum.

OCCASIONE deſumpta ex his quæ ſuperiori capite Ariſt. docuit, aliquæ ſunt pertractandæ quæſtiones, ex quarum ſolutione facilius multa ea, quæ ad textus cognitionem exactam pertinent, intelligemus. Inter has quæſtiones, prima erit hæc de primo cognito intellectus, ſcio tamen alias prius ortum habere ex contextu Ariſt. illarum tamen cognitio non ita conducit ad huius intelligẽtiam, huius tamen cognitio ad illarum cognitionem eſt ſatis vtilis. Scio etiam hanc quæſtionem propriè ad libros de Anima pertinere, tamen hic fere ab omnibus pertractatur; proinde ergo ex multis, quæ in hac quæſtione ſeſe mihi offerunt pertractãda, aliqua ſolum attingam, forſan enim in libris de Anima circa illam multa dicemus.

Obſerua primo, certũ eſſe in hac quæ- *1. Obſeruatio.*
ſtione, obiectum intellectus eſſe ens ſumptum in tota ſua latitudine, (loquor de obiecto intellectus, tam primario quam ſecundario) ſed quia ſub ente multi gradus continentur, hinc variæ ſententiæ ortum habent. Obſerua deinde non procedere *2. Obſeruatio.*
quæſtionem de cognitione compoſita, nam certũ eſt hanc præcedere cognitionem ſimplicem, quæ fit per primam operationẽ intellectus. Obſerua tertio, non procedere *3. Obſeruatio.*
quæſtionẽ de cognitione clara, ſed potius de confuſa; cognitio clara eſt illa, qua cognoſcimus aliquod totum cognitis ſimul eius partibus verbi gratia, cognitio qua cognoſcimus domum, cognoſcendo ſimul partes, ex quibus domus componitũr; vel qua cognoſcimus animal cognoſcendo ſimul partes ſubiectiuas, quæ ſub animali continentur. Cognitio confuſa eſt, qua cognoſcimus aliquod totum non cognitis

eius

eius partibus, vt patet in exemplis adductis. *4. Obſeruatio.* Obſerua quarto, non vocari modo in dubium quid ſit primo notum huic, vel illi homini, hoc enim contingens eſt, & per accidens ſe habet: ſed cum multa ſint intelligibilia, quæ poſſunt ab intellectu hominis apprehendi, quæritur hoc loco inter illa quodnam ſit ex ſua natura aptum, vt primo moueat intellectũ ad hoc, vt ab intellectu primo cognoſcatur. Intellectus enim hominis, cum non ſit æternus, ſed potius in tempore factus, cœpit eſſe, cœpit etiam & intelligere per ſpecies intelligibiles acceptas a ſẽſibus beneficio intellectus agentis. Intellectus enim noſter (vt docet Ariſt. 3. de Anima cap. 4.) eſt veluti tabula raſa, in qua nihil eſt depictum, poſſunt tamen multa depingi: eſt ergo ſenſus quæſtionis. Cum in ente, quod eſt obiectum intellectus, ſint multa, ex his quodnam ex ſe aptum ſit primo cognoſci ab homine cognitionẽ intellectuali, ſimplici, & confuſa, ſumẽdo intellectum via originis, & vt eſt cognitione deſtitutus.

Quæſtio hæc tres habebit partes. Quarum prima reiiciemus ſententiam illorum qui exiſtimant ſingulare primo cognoſci ab intellectu: ſecunda vero parte quæſtionis dicemus, quænam ſententia probabilior ſit inter illas, quæ affirmant vniuerſũ primo cognoſci ab intellectu: ac tandem in tertia quæſtionis parte, alias ſentẽtias proponemus, diſſoluemusq. illarum rationes.

Opinio Durandi. Durandus 2. ſent. d. 3. q. 7. exiſtimat ſingulare primo cognoſci a noſtro intellectu. Hanc ſequuntur ſentẽtiam pater Pererius lib. 3. cap. 16. (& vt ipſe refert in principio cap. 15. eiuſdem libri) Ocam, Gregorius Ariminenſis, Burlæus & alij, quos etiam refert pater Toletus primo Phyſico q. 5. Amplectitur etiam eandem ſententiam Petrus de Oña q. 1. in primum Phyſicõ art. 3. Aſſertione 4.

Hæc durandi ſententia ſupponit ſingularia directe, & primario cognoſci a noſtro intellectu, & nulla ratione conſtituendum eſſe intellectum agentem: quæ duo falſa ſunt, & non attinent ad præſens inſtitutum: ſed illorum diſputatio ſpectat ad 3. lib. de anima. Quare ſolũ proponemus argumenta, quæ ſententiam durandi directe videntur confirmare.

Eſt ergo prima ratio. *1. Ratio.* Primum obiectũ potentiæ, & omnis conditio illius præcedit potentiam cognoſcentem, & omnem actum illius; ſed vniuerſum, vel conditio vniuerſalitatis non præcedit omnem actũ intelligendi; ſed potius fit per actum intelligendi; ergo vniuerſum non eſt primũ cognitum intellectus. *2. Ratio.* Secũda ratio. Vniuerſum eſt vnum per abſtractionem a multis ſingularibus; ergo terminus a quo abſtractionis ſunt ſingularia; ergo ſingularia prius cognoſcuntur ab intellectu. *3. Ratio.* Tertia ratio. Illud primo & per ſe cognoſcitur, quod primo & per ſe mouet intellectũ ad intelligendum, ſed ſingulare primo & per ſe mouet intellectum ad intelligendum; ergo ſingulare primo, & per ſe cognoſcitur ab intellectu. Probatur minor. mouere intellectum eſt actio, ſed omnis actio eſt ſingularium; ergo mouere intellectum eſt ſingularium. *4. Ratio.* Quarta ratio in potentiis per ſe ſubordinatis vbi deſinit vna incipit alia; ſed ſenſus, & intellectus ſunt potentiæ per ſe ordinatæ, & cognitio ſenſuum deſinit in ſingularibus; ergo cognitio intellectus incipit a ſingularibus: ergo ſingulare eſt quod primo cognoſcitur ab intellectu. *5. Ratio.* Quinta ratio, quæ eſt patris Pererij lib. 3. Phyſ. cap. 16. Intellectus noſter diſtincte cognoſcit hominem eſſe quoddam vniuerſum, & ſpeciem vltimam; ergo cum totum vniuerſum, & ſpecies vltima habeãt relationem ad indiuidua, non poterunt vniuerſum, & ſpecies cognoſci, niſi cognoſcãtur etiam ſingularia.

Aſſertio contra durandi. Aduerſus hanc ſententiam durandi ſit Aſſertio, ſingulare nõ primo cognoſcitur a noſtro intellectu. Probatur primo ex Ariſto. qui 2. de demonſtratione cap. vltimo ita ſcribit. *Ac primum cum ſe aliquod indiuiduum ſenſibus offert, tum primo animo comprehenditur vniuerſum genus.* Proba-

tur ſecundo ratione. Quod indirecte cognoſcitur a potentia, & ſecundario, non eſt primum cognitum illius; ſed ſingularia ita cognoſcuntur ab intellectu; ergo non ſunt primum cognitum intellectus. Maior eſt certa, minor conſtat ex Ariſt. in Metaphyſica, & 2. & 3. lib. de anima multis in locis. Probatur etiam ratione. Singularia, quæ poſſunt a nobis cognoſci, ſunt pure materialia; ſed pure materialia non poſſunt cognoſci primo, & directe ab intellectu; ergo &c. Probatur minor: quia inter agens, & patiens eſt neceſſaria proportio: cum ergo intellectus noſter ſit potentia ſpiritalis nullo modo poteſt primo & directe percipere ſingularia materialia, quia illorum ſpecies materiales ſunt, ac proinde ſolum poſſunt percipi primo, & per ſe a ſenſibus: qui etiã ſunt potentiæ corporeæ.

Solutio 1. Ratio. Primæ rationi pro ſententia Durandi reſpondemus negando minorem; nam licet vniuerſum formale fiat per operationem intellectus patibilis, obiectum tamen primarium intellectus non eſt vniuerſum formale, ſed potius vniuerſum Metaphyſicum, quod præcedit omnem operationem intellectus patibilis: cum fiat per abſtractionem intellectus agentis. Sed dices. Id omne, quod percipitur ab intellectu per propriam ſpeciem, eſt primarium obiectũ illius; ſed ſic ſe habet vniuerſum formale; ergo vniuerſum formale eſt primariũ obiectum intellectus. Reſpondemus negando minorem; nam vniuerſum formale conſtituitur formaliter per ens rationis; hoc vero caret propria ſpecie, qua cognoſcatur: nullũ enim concretũ rationis poteſt primo percipi ab intellectu per propriã ſpeciem.

Solutio 2. Ratio. Secundæ rationi reſpondemus concedendo enthymema, & negando ſecundam conſequentiam; ratio eſt, quia abſtractio, per quam fit vniuerſum, non eſt cognitio. Quare, etſi termini a quo huius abſtractionis ſint indiuidua, non ſequitur indiuidua primo cognoſci ab intellectu. Sed dices: omnis abſtractio vel eſt realis, vel rationis; ſed illa abſtractio non eſt realis; ergo eſt rationis; ſed omnis abſtractio rationis eſt cognitio; ergo illa abſtractio eſt cognitio. Reſpondemus negando minorem, quia illa abſtractio realis eſt. Sed dices. Illa abſtractio eſt realis: ergo per illam natura ſecundum ſe quæ eſt vniuerſa Metaphyſice, realiter eſt ſeparata a ſuis inferioribus, quod eſt abſurdum. Reſpondemus negando conſequentiã; quia vniuerſum Metaphyſice non fit per abſtractionem naturæ, ſed potius per abſtractionem aliarum omnium rationum, quæ repræſentabantur in phantaſmate: quemadmodum abſtractio ſenſus fit per abſtractionem rationum quæ ſũt in obiecto, quod percipitur a ſenſibus; verbi gratia, oculus abſtrahit colorem ab aliis rationibus, quæ in corpore colorato reperiuntur, non quia oculus, videndo coloratũ, realiter ſeparet colorem ab aliis rationibus, quæ in colorato reperiũtur; ſed quia ſpecies, quæ deducitur ab obiecto, tantum repræſentat oculo, primo, & per ſe coloratum, vt coloratum eſt, abſtrahendo a quacumq. alia ratione: dicitur ergo abſtractio intellectus agentis realis, quia intellectus agens ſua actione realiter efficit, vt ſpecies intelligibilis, quæ deducitur ex phantaſmate, primo, & directe, ſolum repræſentet naturam non repræſentatis conditionibus indiuiduantibus: dicũtur vero abſtractiones ſenſuum, & intellectus agentis reſpectu naturarum, quæ cognoſcuntur, abſtractiones rationis fundamentaliter: iſtæ vero nõ ſunt cognitiones: imo nec cognitæ, quouſque accedat operatio intellectus patibilis. Sed dices. Ergo intellectus patibilis nulla ratione poteſt cognoſcere ſingularia. Probatur cõſequẽtia. Intellectus, cognoſcendo naturam vniuerſam, percipit ſpeciem denudatam a conditionibus indiuiduantibus; ergo per illã non poteſt cognoſcere conditiones indiuiduantes; & ex conſequenti nec ſingularia. Reſpondemus negando conſequentiã; probationi negando ſimiliter conſequentiam; nã licet intellectus per illas ſpecies primo repræſentantes naturam ſecũdum ſe denu-

datam

datam a conditionibus indiuiduantibus, non poſſit cognoſcere primo, & per ſe ſingularia, poteſt tamen illa ſecundario cognoſcere; cum illa ſpecies intelligibilis ſit modificata per conditiones indiuiduantes, ratione cuius modificationis reflexe & ſecundario poteſt cognoſcere intellectus ſingularia, qua talia ſunt; nō ſecus ac oculus, qui per ſpeciem deductam a colorato tantum cognoſcit primo, & per ſe coloratū; nihilominus quia ſpecies colorati modificata eſt per magnitudinem, quam habet coloratum, intellectus per ſpeciem acceptam ab oculo, medio phātaſmate, & illuſtratione intellectus agentis, non ſolū iudicat de colore; ſed etiam de magnitudine colorati.

Solutio 3. Ratio. Tertiæ rationi reſpondemus negando minorem; probationi reſpondemus recte concludere; nam quod mouet intellectum, eſt intellectus agens, qui ſingularis eſt; & ſpecies intelligibilis, quæ etiam eſt ſingularis in eſſendo, quamuis repræſentet implicite naturam vniuerſam, quæ per illam cognoſcitur. Quare quod primo cognoſcitur ab intellectu, eſt vniuerſum. Sed dices. Species intelligibilis eſt ſingularis ſed hæc eſt quæ primo cognoſcitur ab intellectu; ergo quod primo cognoſcitur ab intellectu eſt ſingulare. Reſpondemus negādo minorem; nam ſpecies intelligibilis non cognoſcitur vt id quod terminat cognitionē intellectus; ſed cognoſcitur potius vt quo & vt ratio, ſiue mediū cognoſcendi naturā per illam repræſentatā; quæſtio vero procedit de natura, quæ primo cognoſcitur, & non de ſpecie, per quā primo cognoſcitur.

Solutio 4. Ratio. Quartæ rationi reſpondemus negando antecedens; nō enim eſt neceſſe, vt potētia ſuperior primo cognoſcat rem, quā vltimo cognoſcit potētia inferior, & illi ſub ordinata; ſed ſufficit, vt eius cognitio incipiat ab illo, quod ſequitur immediate poſt.

Solutio 5. Ratio. Quintæ rationi reſpondemus ſolū concludere ſingulare cognoſci ab intellectu, quando cognoſcitur vniuerſum formale; non tamen cognoſci primo: quia cognitionem vniuerſi formalis præcedit cognitio vniuerſi Metaphyſici. Sed dices. Per inductionē cognoſcit multoties intellectus naturam aliquam vniuerſam; ergo cum inductio fiat per ſingularia, prius cognoſcētur ſingularia ab intellectu, quam natura vniuerſa. Reſpondemus, ſenſus noſtros per cōiunctionem, quam habent cum anima rationali, poſſe diſcurrere circa ſingularia; quare per inductionem, in qua ſingularia per ſenſus cognoſcuntur, cognoſcit primo intellectus noſter naturam ſecundum ſe; ſecundario vero cognoſcit illā in vnoquoq. ex illis ſingularibus; ſemper enim quando inductio fit, antequā intellectus noſter aliquod ex ſingularibus percipiat, percipit naturam ſecundum ſe denudatam a conditionibus, quibus in ſingularibus eſt inuoluta. Aliud enim eſt intellectū per inductionem cognoſcere naturam eodē modo ſe habere in omnibus inferioribus, & aliud cognoſcere naturam ſecūdum ſe: hoc ſtante inductionē, illud vero media inductione.

Petrus de Oſſa loco citato, & alij, alijs multis rationibus Durandi ſententiam conantur confirmare; ſed illas omitto, quia vel tantum nituntur probare ſingularia cognoſci ab intellectu; vel ſi intendunt probare primo cognoſci ab intellectu, eodem fere modo diſſoluuntur ac ſuperiores.

Hac reiecta ſententia, manet quæſtio inter authores aſſerentes primum cognitum eſſe vniuerſum, & inter illos, qui aſſerunt nullum dari determinate primū cognitū. Præterea qui aſſerunt primū cognitū eſſe vniuerſum, in duas ſunt diuiſi ſententias; nā D. Th. & eius diſcipuli docēt magis vniuerſū eſſe primū cognitū; Scotus vero, & qui illū ſequūtur eſſe ſpeciem infimam.

Pro Solutione quæſtionis. 1. Obſeruatio. In ſecūda parte quæſtionis vt noſtram aperiamus ſententiam ſit prima obſeruatio. Intellectus noſter (vt Ariſt. docet 3. de anima ca. 4.) eſt veluti tabula raſa, in qua nihil eſt depictum: & hoc nō ſolum intelligēdum eſt reſpectu illius cognitionis, quæ cæteras omnes antecedit; ſed potius reſpectu cuiuſuis cognitionis, quæ ſit de nouo; cū enim multarum rerum ſit cognitione

præ-

prædictus, merito dicitur veluti tabula raſa reſpectu eius rei, quã de nouo cognoſcit recipiendo ab illa ſpecies: ſimilitudo enim in hoc cõſiſtit. Quemadmodum in tabula raſa quæuis figura prius depingitur rudibus quibuſdam delineamentis, & poſtea a pictore ita viuis adumbratur coloribus, vt rem cuius eſt imago, clara repræſentet, illiuſq. expreſſam ſimilitudinẽ præſe ferat: ita intellectus noſter, quotieſcũq. illi ſe offert aliqua res, per ſpeciem intelligibilem de nouo productam primo rem illam cõfuſa quadam cognitione intelligit; poſtea vero iteratis cognitionibus cognitione adeo clara, vt per verbum, quod tali cognitione efformatur res cognita perfecta, & ſecundum ſuas ſuperiores rationes, & vltimã differentiã repræſentetur. Quare non eſt cur fere omnes aſſerant quæſtionẽ hanc procedere de intellectu noſtro via originis, ſi per viam originis intelligãt intellectum cognoſcentem, deſtitutum tamẽ antea quacumq. cognitione: ſemper enim intellectus noſter eſt via originis reſpectu illius rei, quam de nouo cognoſcit, ab illa ſpecies recipiendo. Hanc, quam propoſui, teſtimonij Ariſto. doctrinam videtur inſinuare Petrus Martinez Complutenſis 3. de anima cap. 3. quæſtiuncula vltima.

2 *Obſeruatio.* Secunda obſeruatio. Quæſtio non procedit de vniuerſo formali, quia certum eſt illud nõ eſſe primum cognitũ intellectus; cum conſurgat ex cognitione naturæ, ſaltem ſecundum probabiliorem opinionem illorum, qui exiſtimant vniuerſum formale fieri beneficio intellectus patibilis; ſed procedit quæſtio de vniuerſo Metaphyſico, ſiue pro natura. Hæc doctrina adducitur a D. Tho. 1. p. q. 85. art. 3. in ſolutione ad primum.

3. *Obſeruatio.* Tertia obſeruatio. Totum vniuerſum duplex eſt, aliud actuale, & aliud potentiale: totum actuale, quod appellatur etiã eſſentiale ſiue diffinibile, eſt, quod conſtat ex partibus eſſentialibus; vt homo, quatenus componitur ex genere, & differentia, ſcilicet ex animali, & rationalitate: totum potentiale eſt illud quod componitur ex partibus ſubiectiuis, quas virtute & in potentia continet. Vt animal reſpectu hominis, Leonis, &c. Totum actuale prius eſt, quã totũ potentiale; quia prius eſt animal, verbi gratia, eſſe ſubſtantiam corpoream, animatam, ſentientem; quam continere ſub ſe hominem, Leonem, & alias ſpecies; vnde quæſtio eſt de toto actuali.

Quarta obſeruatio. Duplex eſt cognitio, alia actualis, qua cognoſcitur totum actuale, ſiue eſſentiale; & alia potentialis, qua cognoſcitur totum potentiale. Præterea vtraq. ex iſtis cognitionibus duplex eſt, alia ſcilicet diſtincta, qua cognoſcimus totum ſiue actuale, ſiue potentiale, cognitis eius partibus; alia confuſa, illa ſcilicet, qua cognoſcimus totum ſiue actuale, ſiue potentiale non cognitis eius partibus: vt diximus in principio quæſtionis. Cognitio confuſa prior eſt cognitione diſtincta; & cognitio actualis diſtincta prior eſt cognitione potentiali diſtincta; & cognitio actualis confuſa prior eſt cognitione potentiali confuſa: procedit ergo quæſtio de cognitione actuali cõfuſa. Quare ſenſus quæſtionis eſt, quodnam totum vniuerſum actuale cognoſcatur prius cognitione actuali confuſa a noſtro intellectu, quando fit cognitio per ſpecies acceptas a rebus; an quod magis vniuerſum eſt, an vero, quod minus vniuerſum; vel potius indeterminate vnum, & alterum. *4. Obſeruatio.*

His poſitis obſeruationibus ſit hoc fundamentum. Duobus modis poteſt aliquid eſſe primo cognitum ab intellectu. Primo vt obiectum mouẽs primam cognitionem intellectus, imprimendo illi ſpeciem, media qua poſsit intellectus præſtare primã actionem intelligendi circa illud. Secundo vt obiectum terminãs, ſcilicet terminando illam actionem vt terminus extrinſecus repræſentatus per verbum, media illa intellectione productum. Has duas rationes obiecti intellectus diſtingui inter ſe manifeſtum eſt; cum conſtet aliquando realiter diſtingui obiectum terminans ab obiecto *Fundamẽ quæſtionis*

mouen-

mouente intellectum; Deus enim, Angeli, & entia rationis terminant aliquando actiones noſtri intellectus, & tamē nunquā mouent illum; quod terminēt, certum eſt: quia ſi minus, nunquam intelligerentur; quod vero non moueant, probatur ex eo, quia carent propriis ſpeciebus, per quas poſsint repræſentari intellectui noſtro, dū eſt in corpore: phantaſma vero e contra eſt obiectum motiuum intellectus: quia illum mouet imprimendo illi ſpeciem; non tamē terminat actionem intelligendi: quia phantaſma nunquam eſt terminus repræſentatus per verbum productū, per intellectionem factam per ſpeciem intelligibilem, a tali phantaſmate deductam.

Sententia D. Tho. Sanctus Thomas primo Phyſico. ca. 1. prima parte q. 85. art. 3. & de ente & eſſentia tractatu ſeptimo in principio exiſtimat ens eſſe primum cognitum intellectus: addit que Caietanus q. 1. illius tractatus ſeptimi, hoc ens debere eſſe concretum quidditati ſenſili. Hæc D. Tho. ſententia nobis placet, & explicatur aſſertionibus, quæ ſequuntur.

1. Aſſertio. Prima Aſſertio. Primū cognitum mouens noſtrum intellectum eſt ens concretū quidditati ſenſili, id eſt ens materiale affectū qualitatibus, quæ poſsint mouere ſenſum. Probatur Aſſertio. intellectus noſter dum ſumus in hac vita, intelligit cum dependentia a ſenſibus; ergo illud vniuerſale mouet intellectū primo, cuius ſingularia primo cognoſcūtur a ſenſibus; ſed a ſenſibus primo cognoſcuntur ſingularia materialia ſenſibilia; ergo ens materiale, & ſenſibile primo mouet noſtrum intellectum. Probatur minor. illa ſingularia primo cognoſcuntur a ſenſibus, quæ ſunt cum illis magis proportionata; ſed ſolum ſunt cum illis proportionata ſingularia materialia, quæ proinde appellantur ſenſibilia, quia mouent ſenſus, & poſſunt ab illis percipi; ergo materialia ſenſibilia primo mouent ſenſus. Probatur ſecundo Aſſertio: quia quando aliquid a longe mouet viſum, verbi gratia, primo mouet per ſpeciem repræſentantem rem ſenſibilem, & deinde paulatim cognoſcimus eſſe animal, hominē, &c. ergo quod primo mouet eſt ens materiale in communi.

2. Aſſertio. Secūda Aſſertio. Obiectum primo terminans actionem intellectus eſt ens in tota ſua latitudine, vt eſt totum eſſentiale, ſiue actuale. Probatur primo. Vt conſtat ex quarta obſeruatione omne totū prius cognoſcitur cognitione cōfuſa ſuis partibus; ſed ens in tota ſua latitudine eſt quoddam totū reſpectu entis materialis; ergo prius cognoſcitur cognitione confuſa ente materiali, & ſenſibili: præterea totū eſſentiale prius cognoſcitur quā totum potentiale; ergo ens in tota ſua latitudine prius cognoſcitur, vt eſt totum eſſentiale, quam vt eſt totum potentiale. Quare quod terminat primo noſtrum intellectum cognitione cōfuſa eſt ens in tota ſua latitudine, vt eſt totum actuale.

Probatur ſecundo. Primum cognitum cognitione compoſita eſt ens in communi, & non eſt ens materiale, & ſenſibile; ergo primum cognitum cognitione ſimplici nō erit ens ſenſibile, ſed potius ens in tota ſua latitudine. Antecedens certum eſt; nam inter principia quæ cognoſcuntur cognitione compoſita, ſiue complexa illud eſt primum omnium, quodlibet eſt vel non eſt: quod certe principium citra controuerſiā intelligendum eſt de ente in tota ſua latitudine, abſque aliqua reſtrictione ad ens materiale, ſiue ſenſibile. Antecēdens vero probatur ſyllogiſmo ducēte ad incommodum ita. Primū cognitum cognitione ſimplici eſt ens materiale, & ſenſibile, & non eſt ens in tota ſua latitudine: ergo datur aliud principium prius illo cōmuniſsimo, quodlibet eſt vel non eſt, ſiue de quolibet eſt vera eſt affirmatio vel negatio: quod certe eſt abſurdum. Hoc eſſe abſurdum manifeſtum eſt, illud enim eſt primum principium omnium, cognitum ab omnibus lumine naturæ ante omnem ſcientiam: quod vero hoc abſurdū ſequatur, probetur ita. Quod prius cognoſcitur aliq per ſimplicē

apprehenſionem, prius poteſt cognoſci illo per compoſitionem, vel diuiſionem; ergo ſi ens concretum prius cognoſcitur cognitione ſimplici, quam ens in tota ſua latitudine, prius etiam poterit cognoſci per compoſitionem, aut diuiſionem, quam ens in tota ſua latitudine: quare poterit eſſe aliud principium prius cognitũ illo principio, quodlibet eſt, vel non eſt.

Probatur tertio. Quæuis potentia primo terminatur ad obiectum adæquatum, quam ad inadæquatum; ſed ens in tota ſua latitudine eſt obiectum adæquatum intellectus, & ens materiale, & ſenſibile eſt inadæquatum; ergo intellectus primo terminatur ad ens in tota ſua latitudine.

Obiectio. Sed dices. Ens in tota ſua latitudine eſt primo cognitum ab intellectu, ergo ens habet conceptum præciſum a ſuis inferioribus: quod manifeſte videtur repugnare his quæ docuimus in antecategoriis quæſtio. 3. & 4. Ibi enim diximus analogatis ſub eodem nomine non dari conceptum, qui ſit ſimpliciter vnus, neq. ab illis poſſe præſcindi conceptum communem.

Solutio. Reſpondemus negando conſequentiam: quia conceptus hic entis, quando ens eſt primo cognitum, neque eſt præciſus a ſuis inferioribus, neque eſt ſimpliciter vnus illis communis, ſed eſt vnus cognitione cõfuſa; quando enim concipimus ens, cõcipimus ſimul confuſa ratione ſubſtantiam & accidens; ignoramus tamen an illud ſit determinate ſubſtantia, vel accidens, vt diximus in antecategoriis diſputatione de ente q. 2. in ſolutione ad primum Scoti. Sed dices. Ens poteſt cognoſci non cognitis inferioribus, ergo ens eſt ſynonymum, aut reddenda eſt diſparitas rationis. Reſpondemus negando conſequentiam. Ratio vero eſt, quia quando intellectus concipit naturam ſynonymam, cõcipit aliquid commune diſtincte, non cognitis inferioribus ſub illo contentis; quando vero percipit analogũ, non poteſt percipere aliquid commune clare & diſtincte, quin clare, & diſtincte cognoſcat inferiora ſub analogante contenta; verbi gratia, poteſt homo percipere clare animal eſſe animatum ſentiens, abſque eo quod percipiat hominem, aut Leonem; nõ tamen poteſt percipere ens clare, & diſtincte, quin ſimul cognoſcat, quæ ſub ente cõtinentur. In ſynonymo enim ſolum continentur in potẽtia, inferiora; in analogo vero actu, ſecũdum omnes rationes iuxta nomẽ analogiæ. Quare, ſi proprie loquamur, ens (idem iudicium eſt de aliis analogis) nõ poteſt appellari totũ potentiale, quia non continet in potentia, ſed potius actu, rationes ſuorum analogatorum, ac proinde analogum merito excluditur a ratione vniuerſi; dicitur vero aliquando totum potentiale, quia confuſa quadam ratione continet omnia inferiora. Et hæc ſolutio videtur aliqua obſeruatione digna.

2. Obiectio. Dices ſecundo. Id terminat actionẽ intelligendi, quod primo repræſentatur per ſpeciem impreſſam, quæ principium eſt intelligendi; ſed per ſpeciem impreſſam primo repræſentatur obiectum mouens; ergo primo cognoſcitur obiectum mouens; ſed obiectum mouens eſt ens materiale, & ſenſibile; (vt conſtat ex prima aſſertione) ergo obiectum terminans erit ens materiale, & ſenſibile; & nullo modo ens in tota ſua latitudine.

Solutio. Reſpondemus negando minorem. Quia in cognitione confuſa non primo repræſentatur obiectũ mouens ſub illa ratione, per quam mouet, ſed potius per rationem ſuperiorem: quare ens ſenſibile mouet primo, vt ſenſibile eſt; terminat tamen ſub ratione entis, quæ prior eſt cognitione cõfuſa. Sed dices. Proinde Angeli, & entia rationis non poſſunt terminare primo actionem intellectus, quia cognoſcũtur per alienam ſpeciem: ergo cum ens cognoſcatur per ſpeciem rei materialis, non poterit primo terminare actionem intellectus. Reſpondemus negando conſequentiam; quia diſpar eſt ratio: nam ratio nes Angeli, & entium rationis non repræſentantur in ſpeciebus, per quas cognoſcũtur, ſed tantum per ſimilitudinem, vel analogiam, quia Angeli & entia rationis non

cognoſ-

cognoſcuntur, prout ſunt in ſe; at vero ratio entis in communi repræſentatur tanquam per propriam ſpeciem per ſpeciem entis ſenſibilis. Sed dices. Obiectũ ideo mouet, vt cognoſcatur; ergo cum ens ſenſibile primo moueat, primo cognoſcetur: quare erit primũ obiectũ terminans. Reſpondemus negando conſequentiam: vt enim nõ ſequitur; ſingulare primo mouet, cum eius phantaſma cauſet prius ſpeciem intelligibilem in intellectu patibili; ergo ſingulare primo cognoſcitur; ratio eſt, quia ſingulare non habet debitam proportionem cum intellectu: ita nõ ſequitur; ens concretum primo mouet, ergo primo terminat: quia ens in tota ſua latitudine, cum ſit obiectum adæquatum intellectus, maiorem proportionem habet cum intellectu quam ens ſenſibile.

3. Obiectio. Dices vltimo. Non ſequitur: obiectum adæquatum viſus eſt coloratum, & luminoſum in cõmuni; ergo viſus primo percipit coloratum, & luminoſum in communi: ergo non ſequitur obiectum adæquatũ intellectus eſt ens in communi; ergo ens in cõmuni primo percipitur: quare tertia ratio a nobis adducta in confirmationem ſecũdæ aſſertionis nullius eſt momẽti. *Solutio.* Reſpondemus negãdo conſequẽtiam; eſt enim diſpar ratio. Nam viſus non poteſt percipere ſuum obiectum in communi; intellectus vero, cũ ſit potentia immaterialis, poteſt, imo debet neceſſario cognoſcere primo ſuum obiectum adæquatum, imo & viſus ſemper percipit prius hoc coloratum, quam hoc album.

Scotus et eius diſcipuli. In tertia parte quæſtionis proponendæ ſunt duæ ſententiæ, quæ ſuperſunt, illarumque rationes diſſoluendæ. Scotus in primo diſt. 3. q. 2. & aliqui eius diſcipuli exiſtimant primum cognitum noſtri intellectus eſſe ſpeciem ſpecialiſsimam: quæ ſententia probatur multis rationibus. *1. Ratio. Scot.* Prima ratio. Id quod non habet partes nõ poteſt cõfuſe cognoſci; ſed ens non habet partes, quia eſt ſimpliciter ſimplex; ergo non poteſt confuſe cognoſci; ergo non eſt primum cognitum intellectus cognitione cõfuſa. *Solutio.* Reſpondemus negando minorẽ, quia etſi ens non ſit totum actuale ad modum quo ſpecies, quæ componitur ex genere & differentia, nihilominus ſuo modo eſt totum actuale, cum includat in ſuo conceptu ſubſtantiam, & accidens, quæ ſunt analogata, prout in ipſo ente proportionantur, & hoc modo cognoſcitur ens a nobis vt primum cognitum cognitione actuali confuſa.

2. Ratio. Secunda ratio. Illud primo cognoſcitur ab intellectu nr̃o, cuius ſpecies primo obiicitur intellectui; ſed ſic ſe habet ſpecies ſpeciei infimæ, ergo &c. Probatur minor. Agentia naturalia non impedita ſtatim producunt perfectiſsimum effectum, quem poſſunt producere; ſed intellectus, & illius obiectum ſunt agentia naturalia non impedita; ergo ſtatim producunt perfectiſsimum effectum, quem poſſunt producere, ſed iſte perfectiſsimus effectus eſt cognitio ſpeciei infimæ, quæ eſt perfectiſsimũ ens, ergo ſtatim producũt cognitionẽ ſpeciei infimæ, & ex conſequenti ſpecies infima eſt primum cognitũ noſtri intellectus. *Solutio.* Reſpondemus negando minorem: probationi negando maiorem. Nam agentia naturalia non producunt in principio ſuæ actionis perfectiſsimum effectũ, quem poſſunt: verbi gratia ignis, qui eſt agens naturalis, in principio ſuæ actionis non producit perfectiſsimum calorem, ſed imperfectum.

3. Ratio. Tertia ratio. Quãdo multa agentia naturalia ſunt æque proportionata, quod fortius eſt, citius producit ſuum effectum: ſed omnia vniuerſa ſunt agentia naturalia reſpectu noſtri intellectus, & ſunt illi æque proportionata: ergo quod fortius eſt, citius producet ſuum effectum: ſed ſpecies infimæ eſt fortior, & potentior: ergo ſpecies infima prius producet in intellectu ſuum effectũ, nempe ſpeciẽ, & cognitionẽ ſui ipſius. Minor probatur. Illud eſt fortius, & potẽtius, quod eſt magis in actu, ſed ſpecies infima eſt magis in actu; ergo ſpe-

cies infima eſt fortior, & potentior: quare citius produceret ſui cognitionem, & conſequenter erit primum cognitum.
Solutio. Reſpondemus concedendo primum ſyllogiſmum, & negando ſecundũ minorem. Probationi minoris reſpondemus diſtinguendo maiorem hac ratione: illud eſt fortius, quod eſt magis in actu; ſi loquamur ſimpliciter & abſolute tranſeat maior propoſitio; ſi vero loquamur reſpectu noſtri intellectus negamus maiorem, huius rei hæc eſt ratio: quia ſi id quod eſt magis in actu, fortius eſſet & potentius ad mouendum noſtrum intellectum, purus actus, vt Deus Optimus Maximus, prius & facilius moueret noſtrũ intellectũ; quod certe eſt falſum; nihil enim poteſt difficilius a noſtro intellectu cognoſci quam Deus: vnde quamuis ſpecies infima ſit magis in actu non ſequitur eſſe fortiorem, & potentiorem reſpectu noſtri intellectus; quia deeſt illi conditio requiſita, vt prius cognoſcatur a noſtro intellectu, ſcilicet maior affinitas, & proportiõ cum ſenſibus, a quorum cognitione pẽdet cognitio intellectus. Hæc namq. proportio maior eſt inter ens, & ſenſus, quã inter ſpeciem infimam & ſenſus; quia indiuidua entis multo plura ſunt indiuiduis ſpeciei infimæ: tum etiam habent accidentia magis ſenſibilia: quæ duo deſiderãtur, vt aliquid maiorem habeat proportionem cum ſenſibus.

4. Ratio Quarta ratio. Ens eſt primum cognitũ intellectus ſecundum D. Th. ſed inter ens, & ſpeciem infimam ſunt multa vniuerſa, quæ requirunt maximum temporis ſpatiũ vt cognoſcantur; ergo ſi ens eſt primũ cognitũ, inter cognitionem entis & ſpeciei infimæ multum intercedet temporis: probatur minor; quia illa media ſunt attributa eſſentialia, & termini Metaphyſici, qui difficillime cognoſcuntur.
Solutio. Reſpondemus concedendo ſyllogiſmum, & negando abſurdum eſſe, quod per illum concluditur: non enim eſt neceſſe, vt cognito ente cognoſcamus omnia, quæ mediant inter illud & ſpeciem infimam, antequã cognoſcamus ſpeciem infimam, quia inter illa attributa media non datur neceſſario ordo cognitionis via originis; ſed poteſt intellectus cognito ente cognoſcere ſtatim ſpeciem infimam, etſi non cognoſcat attributa intermedia, vt paſſim experimur: ruſticus enim, ſi aliquem videat a longe, prius cognoſcit eſſe ens, deinde cum ille propius accedit, cognoſcit ruſticus illum eſſe hominẽ, abſq. eo quod cognoſcat attributa intermedia: ratio eſt, quia cognito ente iam eſt intellectus in ſecũdo ſtatu, & poteſt moueri a voluntate, vt prius cognoſcat hominem, quam attributa intermedia; cum inter illa, vt diximus, nõ ſit neceſſario ordo cognitionis.

Quinta ratio. Illud prius cognoſcitur ab intellectu, quod abſtrahitur facilius a ſuis indiuiduis; ſed ſpecies infima abſtrahitur facilius a ſuis indiuiduis, quam ens: ergo ſpecies infima cognoſcitur prius ab intellectu. Probatur minor. illa facilius abſtrahuntur, quæ minus differunt a ſuis indiuiduis; ſed ſpecies infima minus differt a ſuis indiuiduis; ergo facilius abſtrahitur. *5. Ratio*
Solutio. Reſpondemus negando minorem, probationi ſimiliter. Sed dices. illa minus differunt; inter quæ ſunt pauciores differentiæ; ſed inter ſpeciem infimã, & ſua indiuidua pauciores ſunt differentiæ, quam inter magis vniuerſum, & ſua indiuidua; ergo ſpecies infima, & ſua indiuidua minus differunt. Reſpondeo negando minorẽ. Pro quo obſerua, duobus modis poſſe ſumi magis vniuerſum, verbi gratia, animal: primo, vt eſt genus, & hoc modo difficilius abſtrahitur a ſuis indiuiduis, quia inter illud & ſua indiuidua ſunt differentiæ ſpecificæ; ſecundo ſumi poteſt, vt eſt ſpecies, & hoc modo nõ magis diſtat a ſuis indiuiduis, quam ſpecies infima, quia omnes ſpecies immediate prædicantur de ſuis indiuiduis; (vt enim diximus cap. de ſpecie, nõ ſolum ſpecies infima, ſed etiam omnes intermediæ, tum etiã & genera ſuprema, vt ſpecies ſunt, immediate prædicantur de ſuis indiuiduis) magis ergo vniuerſum nõ

ſumi-

ſumitur modo vt genus, ſed potius vt ſpecies; quare nec diſtat magis nec minus a ſuis indiuiduis, quam ſpecies infima.

Vltima Sententia. Vltima ſententia eſt quorundam, quos refert Toletus in hac quæſtione, qui aſſerunt nullum eſſe primum cognitum in noſtro intellectu: ſed modo ſpeciem infimam modo ens in communi, modo indiuiduum poſſe primo percipere: quæ ſententia probatur, primo.

1. Ratio. Senſus non percipit primo, & determinate aliquam rem illarum, quas cognoſcit; ergo intellectus nõ percipit primo aliquam rem, ſed poteſt quamcumque primo cognoſcere. Probatur conſequentia, quia eodẽ modo ſe habet intellectus ad ſuum obiectum, quo ſe habet ſenſus ad ſuũ obiectum.

Solutio. Reſpondemus negando conſequentiam, probationi negando ſimilitudinem: quia diſpar eſt ratio, nam ſenſus ſolũ percipiunt ſingularia, quæ ita ſe habẽt, vt vnum ſub alio non contineatur; ac proinde nullum ex illis eſt determinate primum cognitũ; intellectus vero percipit vniuerſa, quæ ita ſe habent, vt ſuperiora contineant inferiora, ac proinde via originis reperitur aliquid primum, a quo incipiat cognitio intellectus.

2. Ratio. Probatur ſecundo. Experientia patet vnumquemq. hominem primo cognoſcere rem, quã primo vult cognoſcere, at qui perfecte cognoſcit petrum, poteſt in illo primo cõiemplari aut rationem entis, aut ſpecificam, aut indiuidualem; ergo non datur primum cognitũ in noſtro intellectu.

Solutio. Reſpondemus recte concludere argumentum, ſed non cõtra nos: quia concludit de intellectu in ſecundo ſtatu, & quæſtio hæc procedit de intellectu in primo ſtatu, & via originis. Quæ dicta ſunt, etſi multa ſuper ſint difficillima, ſufficiant, ne quæſtio hæc tædium pariat candido lectori.

QVAESTIO II.

Quæ ſint nobis, et natura notiora; et an aliquando eadem ſint nobis et natura nota.

ORTVM habet præſens quæſtio ex aliis Ariſt. verbis, *cum enim non eadem nobis nota ſint et omnino.*

Multi exiſtimãt, (vt refert valleſius cõtrouerſia tertia ad tyrones) illa eſſe natura notiora, quæ ſi natura cognoſceret, prius cognoſceret: quæ ſententia nulla ratione eſt admittenda, quia falſum & impoſſibile ſupponit: & quamuis id, quod ſupponit, poſſibile eſſet, nulla ratione eſſet admittenda: quia non explicat, quæ ſint illa, quæ prius natura cognoſceret.

Alij exiſtimant nomine naturæ intelligendum eſſe Deum: & illa eſſe notiora natura, quæ prius a Deo cognoſcuntur. Quæ opinio irrationabilis eſt, cum Deus omnia cognoſcat in ſua æternitate ſimul & vnico intuitu. His ergo omiſſis antequam noſtram proponamus ſententiam, duo ſunt breuiter obſeruanda.

Primo obſeruandum eſt cum ſoto & aliis, nomine naturæ intelligendam eſſe cuiuſuis rei eſſentiam: vnde idem eſt aliquid eſſe notius natura, & eſſe notius ſecũdum eſſentiam; eſſe notius ſecundum eſſentiam eſt aptum eſſe aliquid ex ſe ad determinandam actionem noſtri intellectus, ſcilicet intellectionem. *1. Obſeruatio.*

Secundo obſeruandum eſt Ariſt. procedere de cognitione diſtincta, quia de cõfuſa aliqua dicta ſunt in ſuperioribus. In hac ergo quæſtione difficilius eſt aſſignare rationem, ob quã aliquid ſit notius natura; quam aſſignare id, quod eſt notius natura. *2. Obſeruatio.*

Sit prima cõcluſio. Quod eſt prius ens, notius eſt natura. Concluſio probatur primo ex Ariſt. 1. de demonſtratione ca. 2. & 3. & aliis in locis, in quibus omnibus quã do diſtinguit notiora, diſtinguit etiã priora eodem modo: ſentit ergo Ariſt. quod ſicut aliquid eſt prius, ita eſt notius. Probatur etiam ratione. Ens eſt obiectum intellectus, ergo quo aliquid natura ſua prius eſt ens, natura ſua erit notius, & magis cognoſcibile. Conſequentia probatur, quia id, quod eſt poſterius natura, non poteſt *1. Aſſertio.*

cognoſci, niſi cognoſcatur id, quod eſt prius natura, a quo poſterius pendet; ergo quod natura ſua prius eſt ens, notius eſt natura.

1. Cõſectarium.

Ex his hoc infero conſectariũ. Notiora ſunt natura res ſpirituales, rebus corporeis; cauſæ, effectibus; partes, toto; quia priores. Vnde cum cauſæ ſibi inuicem ſint cauſæ in diuerſo genere (vt docet Ariſt. 2. Phyſi ca. 3.) eadẽ cauſa poteſt eſſe notior, & ignotior, quia prior & poſterior natura; vt finis, quia prior eſt ordine intẽtionis, notior eſt natura aliis cauſis, & quia poſterior eſt ordine executionis, ignotior eſt natura aliis cauſis; vt aperte colligitur ex S. Tho. 1 p. q. 85, ar. 3. in reſponſione ad 1, ibi enim docet duplicẽ eſſe ordinẽ naturæ; alterum via generationis & temporis, ſecundum quã viam, quæ ſunt imperfectiora, & in potẽtia, ſunt priora; vt animal eſt prius natura homine ſecundum hunc ordinẽ; alterum vero via perfectionis, & intentionis naturæ; qua via actus prior eſt potentia, & quod perfectius eſt, prius eſt natura imperfectiori; vt homo prior eſt animali ſecundum hanc ſecundam viã prioritatis. Naturæ inquit intentio non ſiſtit in generatione animalis, ſed intendit generare hominem.

2. Cõſectarium.

Infero ſecundo, omnia prædicata ſuperiora notiora eſſe natura rebus inferioribus. Ratio eſt, quia ſunt illarum partes: & vt diximus, omnis pars notior eſt natura toto: vnde cum ens ſit prædicatum communiſſimum omnium (quamuis ſit nobis notius & primum cognitum, & eſt quoddam totũ actuale) notius erit natura rebus omnibus; nam licet non efficiat veram compoſitionẽ cũ rebus inferioribus nihilominus in communi ſumptum continet rerum omnium eſſentias, quia includitur in omnibus, & in vltimis differentiis: & hoc modo ens eſt obiectum Metaphyſicæ, quia cũ ſit omnium ſcientiarum præſtantiſſima, eſt de obiecto notiori natura rebus omnibus.

Obiectio.

Dicet aliquis aduerſus concluſionem. Materia prima eſt prior, quia eſt pars cõpoſiti naturalis; ſed materia prima non eſt notior natura, quia difficillime cognoſcitur, vt omnes cõcedunt ob exiguam eius entitatem; ergo quod perfectius eſt ens, nõ eſt notius natura.

Solutio.

Reſpondemus negando minorem: nam licet materia prima, ſi conſideretur iuxta ſuam entitatem, ex ſe difficillime cognoſcatur; nihilhominus per analogiam ad formam, & ad materiam artis, prius, & facilius cognoſcitur toto compoſito: imo impoſſibile eſt cognoſcamus cõpoſitum cognitione diſtincta, quin prius ſaltim natura cognoſcamus materiã, quæ eſt pars compoſiti naturalis.

Soto et alij Thomiſtæ.

Dominicus Soto & alij Thomiſtæ ſectati D. Tho. hic, exiſtimant ens magis perfectum & magis in actu, quod ſcilicet magis habet de entitate, eſſe notius natura. Hæc ſententia confirmatur hoc argumẽto. Ens eſt obiectum noſtri intellectus, ergo quo aliquid natura ſua erit magis, vel perfectius ens, erit magis, vel perfectius cognoſcibile; ergo notius natura. Hæc ſentẽtia falſa eſt. Illius argumento reſpondeo, verum eſſe perfectius ens eſſe perfectius, & magis cognoſcibile, non tamẽ inde ſequitur eſſe notius natura. Nam apud Ariſt. non dicitur aliquid notius natura, ex eo quod perfectius cognoſcibile: ſed quia prius cognoſcibile, ex cuius cognitione aliorum cognitio pendet.

Valleſius.

Valleſius, controuerſia tertia ad tyrones exiſtimat ens ſimplicius, eſſe notius natura. Hæc ſentẽtia ita confirmatur. Illud eſt notius natura, quod facilius poteſt cognoſci: ſed ens ſimplicius facilius poteſt cognoſci, quia facilius eius partes penetrantur; ergo quod ſimplicius eſt, eſt notius natura. Reſpondemus concedendo totũ ſyllogiſmũ: nos enim non negamus ſimpliciora eſſe notiora natura, ſed negamus eſſe notiora quia ſimpliciora ſũt: & dicimus eſſe notiora natura, quia prius entia. Secundo poſſumus etiam reſpondere falſum eſſe omnia ſimpliciora eſſe notiora, vt talia ſunt, quia Deus eſt res omnium ſimpliciſſima, & difficillime cognoſcitur, quia in ſua ſimplicitate perfectiori, & eminentiori modo conti-

conti-

continet rerũ omniũ eſſentias & perfectiones; quamuis Deus notior ſit natura rebus omnibus, quia eſt prior illis. Omitto quædam Vall. argum. quæ non concludunt cõtra nos, ſed cõtra Soto. Si enim, quæ Val. docet, perpendãtur manifeſte pugnant, nã docet ſimpliciora eſſe notiora natura, & negat Deũ eſſe notiorem natura aliis rebus: quæ duo pugnant inter ſe, cũ Deus ſit ſimpliciſsimus actus. Ad illud ex Ari. 1. Phy. c. 4. infinitum ſcilicet non poſſe cognoſci, reſpon. intelligi de infinito quantitate, & non de infinito perfectione; quã ratione Deus eſt infinitus.

Secunda aſſertio. Illa ſunt notiora nobis quæ prius vel facilius a ſenſibus cognoſcuntur; vnde totũ notius eſt nobis ſuis partibus, effectus notiores ſunt nobis cauſis, & res corporeæ rebus ſpiritualib. Hæc aſſertio colligitur ex variis Ariſt. locis, vt ex 1. Poſt. c. 2. & 3. ex 2. Phy. c. 2. ex 6. Topi. c. 3. & 1. Metaphy. c. 2. Probatur etiam ratione. Omnis noſtra cognitio eſt a ſenſibus, quia nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu; ergo quæ a ſenſibus percipiuntur, ſunt notiora nobis.

Non ſemper eadem ſunt nobis et natura nota.

Supereſt explicemus an aliquando ſint eadem nobis, & natura nota. Sit ergo tertia concluſio. Propoſitio Ariſt. nempe, nõ ſunt eadem nobis & natura nota, indefinita eſt. Nam nobis nota, & natura nota aliquando diſtinguuntur ſola ratione, aliquando reipſa. Prima pars, ſcilicet quod aliquando diſtinguantur ſola ratione, probatur hac ratione. Totum ordine intentionis eſt notius natura ſuis partibus, quia eſt cauſa finalis illarum partium, & omnis cauſa prior eſt, & notior natura ſuo effectu; ſed idem totum ordine executionis eſt poſterius ſuis partibus, quia eſt effectus illarũ; ergo idem diuerſa ratione eſt notius natura, & nobis. Probatur conſeq. ita: cauſa eſt notior natura, & effectus notior nobis; ſed, vt conſtat ex argum. idem totum, diuerſa ratione eſt cauſa, & effectus: ergo idẽ, diuerſa ratione eſt notius nobis, & natura. minor probatur; quia idem totũ vniuerſũ, v.g. animal, eſt pars actualis reſpectu hominis, & leonis, & eſt etiam totũ potentiale; ergo, &c. Ex dictis colligo ordinẽ a notioribus natura eſſe naturæ, & ordinẽ a notioribus nobis eſſe diſciplinæ: cum ergo aliquãdo eadẽ ſint nobis, & natura nota, hinc fit vt aliquando ſimul ſeruetur ordo naturæ, & diſciplinæ.

Dubitatio Quæres. Quando iſti ordines non coincidunt in Philoſ. naturæ, quinam debeat ſeruari.

Solutio. Reſpondemus in ſcientia propter quid ſeruandum eſſe ordinem naturæ, quia ſcientia propterquid eſt cognitio per cauſam, & cauſa notior eſt natura ſuo effectu; in ſcientia vero quia, ſeruandum eſſe ordinem doctrinæ, cũ ſcientia quia non ſit cognitio per cauſam, ſed potius vel per effectum vel per attributũ magis vniuerſum quaſi in demonſtrandis principiis communiſsimis ſeruauit ordinem doctrinæ, demõſtrando prius de principiis illa attributa, quæ ſunt magis vniuerſa, & confuſa; vt dicemus in textus explicatione.

Non eſt procedendum a cauſis omnino ignotis.

Obſerua. Non eſſe procedendum a cauſis omnino ignotis quoad nos, quando ſeruatur ordo naturæ; ſed ducendum eſſe initium a cauſis, quæ nobis ſunt minus ignotæ, vt ab vniuerſalioribus; & illas præterea per ſimilitudines, & exempla eſſe declarandas. Ratio eſt, quia ſcientia traditur ad hoc, vt nos aliquid cognoſcamus; ergo neceſſario in ſcientia procedendum nobis eſt ab iis, quæ ſunt nobis aliquo modo nota, ſin minus nulla poſſet in nobis fieri ſcientia, quia ſciẽtia nõ fit ex principiis incognitis nobis. Quare ſequitur ex dictis, qua ratione intelligẽda ſint, quæ Ariſt. docuit in contextu, quæ videntur pugnare. Nã in principio cap. dixit ex cauſis & elementis progrediendũ eſſe in ſcientia iſta, cauſæ vero ſũt notiores natura: poſtea tamẽ docuit progrediẽdum eſſe a notioribus nobis. Si enim quæ dicta ſũt, perpẽdantur, nulla eſt inter hæc repugnãtia; ſed ita ſũt intelligẽda. Progrediẽdũ eſt a cauſis, principiis, & elementis, quæ ſunt notiora natura; ex his vero ab illis, quæ nobis magis nota ſunt.

Dubiũ

Dubitabit aliquis. Cum ſcientia propterquid ſit cognitio per cauſam, quænam cauſæ ſint cognoſcendæ, vt perfectam ſcientiam alicuius rei habeamus. Vt huic dubitationi ſatisfaciamus, & vt facilius intelligantur verba illa Ariſt. *tunc enim vnamquamque rem ſcire exiſtimamus, etc.* Tractanda eſt ſequens quæſtio.

QVAESTIO III.

Vtrũ ad perfectam rei cognitionem neceſſe ſit omnes illius cauſas cognoſcere.

PRÆSENS quæſtio ortum habet ex primo textu Ariſt. ex illis ſcilicet verbis, *tunc enim denique nos aliquid ſcire exiſtimamus, etc.* Quia tamen nõ poteſt perfecte intelligi abſq. cognitione cauſarum, quæ traduntur a nobis cum Ariſt. 2. Phyſ. c. 3. proinde hanc quæſtionem breuiter pertractabimus.

1. *Obſeruatio.* Obſerua primo, nomine cognitionis perfectæ intelligendam eſſe cognitionem clarã, qua clare, & diſtincte, cognoſcimus aliquam rem: hæc enim diſtinguitur contra imperfectam, quã confuſa ratione rem aliquam cognoſcimus. Cognitio perfecta alia eſt ſimplex, quæ pertinet ad primam operationem intellectus, qua ſcilicet cognoſcimus rem per definitionem eſſentialẽ: & de hac non procedit quæſtio, quia expreſſe loquitur Ariſt. in textu de cognitione, quæ fit per reſolutionem ad prima principia, & talis non eſt ſimplex: & alia eſt cõpoſita, quæ pertinet ad tertiam operationẽ intellectus, illa ſcilicet, quæ fit per medium neceſſarium, & demonſtrationem. Rurſus hæc duplex eſt alia comprehenſiua, qua cognoſcimus per demonſtrationẽ omnia, quæ per demonſtrationem de tali re cognoſci poſſunt: nõ comprehenſiua eſt qua cognoſcimus rem per demonſtrationem conſtantem vna ſola cauſa, vel omnibus, quibus in aliqua ſcientia demonſtramus. Verbi gratia: cognitio de homine per demonſtrationem ſecundum omnia, quæ de illo poſſunt demõſtrari in Phyſica, Metaphyſica, & aliis ſcientiis, eſt compoſita, perfecta, cõprehenſiua: cognitio vero, quæ de eodem habetur in Phyſica per vnã, vel multas demonſtrationes conſtantem, vel conſtantes ex vna vel omnibus cauſis, per quas in Phyſica demonſtratur ſub abſtractione formali obiecti illius, eſt perfecta, compoſita, non comprehenſiua.

Obſerua ſecundo, cauſam eſſe id, ad cuius eſſe aliquid ſequitur cum influxu; hæc quadruplex eſt ſcilicet materialis, formalis, efficiens, & finalis. Verbi gratia, freni eſt cauſa materialis ferrũ, formalis forma freni, efficiens frænifactor, & finalis moderatio equi. Deinde cauſa alia eſt per ſe, quæ per ſe producit effectũ; vt freni factor eſt cauſa per ſe freni, quia, vt talis eſt, cauſa eſt efficiens freni; & alia per accidens, quæ coniuncta eſt cum cauſa per ſe, illiq. accidit; vt album eſt cauſa per accidens freni, accidit enim frænifactori vt ſit albus. Præterea cauſæ aliæ ſunt internæ, vt materia, & forma; & aliæ externæ, vt efficiẽs & finis. Rurſus cauſæ aliæ ſunt proximæ illæ ſcilicet, a quibus immediate procedit effectus, vt frænifactor eſt cauſa proxima fræni; & aliæ remotæ, vt corpora cœleſtia quæ ſunt cauſæ mediatæ, & remotæ harũ rerum inferiorum. 2. *Obſeruatio.*

Obſerua tertio, per rem intelligere nos in titulo quæſtionis tam ſubſtantiam quã accidens. Inquirimus ergo an, vt perfecte cognoſcamus rem cognitione compoſita, opus ſit illam cognoſcere per omnes eius cauſas tam intrinſecas quã extrinſecas, tã per ſe quam per accidens, tam proximas quã remotas. Rem vero cognoſci per cauſam nihil aliud eſt, quam cauſam eſſe medium demonſtrationis, per quam cognoſcitur res. 3. *Obſeruatio.*

Prima Aſſertio. Ad huiuſmodi cognitionem compoſitam comprehenſiuam alicuius rei neceſſario talis res eſt cognoſcẽda per omnes cauſas intrinſecas, extrinſecas, 1. *Aſſertio.*

cas, per ſe, per accidẽs, proximas, & remotas, per quas poteſt demonſtrari. Aſſertio eſt manifeſta; proinde enim dicitur cognitio cõprehenſiua, quia cõprehendit omnia media, per quæ talis res poteſt cognoſci.

2. Aſſertio. Secunda aſſertio. Cognitio, per quam cognoſcimus rem per vnam cauſam, aut per omnes, per quas aliqua ſcientia demõſtrat ſub abſtractione ſui obiecti, eſt perfecte. Probatur aſſertio. Qui habet ſciẽtiam de re aliqua, perfecte illam cognoſcit; ſed qui cognoſcit per cauſam, habet ſcientiam de re; ergo illam perfecte cognoſcit. Probatur minor; quia ſcientia eſt cognitio rei per cauſam.

3. Aſſertio. Tertia aſſertio. Ad perfectẽ cognitionem, & ſcientiam nõ ſufficit aliquam rem cognoſcere per cauſam proximam, ſed debet neceſſario cognoſci per remotam: id eſt quando demonſtramus aliquid per principia mediata, quæ ſunt cauſæ proximæ concluſionis, non habemus ſcientiam, niſi illa principia reſoluamus vſque ad prima, & immediata, quæ cõtinent primam cauſam illius affectus in illo genere. Verbi gratia: ſi aliquis demonſtrat omnem hominẽ eſſe riſibilem, quia omnis homo eſt admiratiuus, hic non acquirit ſcientiam, & cognitionem compoſitam, niſi reſoluat ita, omnem hominem eſſe riſibilẽ, quia admiratiuus; & admiratiuum, quia diſcurſiuus; & diſcurſiuum, quia rationalis: primũ enim principium, in quod fit reſolutio, eſt animal rationale. Ariſt. ergo ita eſt intelligendus. Tunc enim ſcientiam habemus, cum cognoſcimus rem per cauſam reſoluendo illam vſq. ad primam, & primum principium. Et ſic diximus in explicatione contextus, per illam particulam *vſque*, quando dixit *vſque ad elementa*, intelligere ordinẽ inter principia, ita vt debeat fieri reſolutio vſque ad principium cõtinens primam cauſam attributi concluſionis, quod demonſtratur: ſcientia enim (vt docuit Ariſt. 1. de demonſt. c. 2.) fit per demonſtrationem, demonſtratio vero conſtat ex primis, & per ſe notis.

4. Aſſertio. Vltima aſſertio. Vt habeamus cognitionem alicuius rei abſolute comprehenſiuã, quæ complectatur ſimplicem & compoſitam, opus eſt illam cognoſcamus per omnia, quæ cognoſci poſſunt perfecta cognitione ſimplici quam compoſita, tam clara quam confuſa. Hæc manifeſta eſt, quia cognitio comprehenſiua abſolute loquendo eſt illa, media qua nihil latet cognoſcentẽ de re cognita. Sed dices: ergo nulla ratione poſſumus aſſequi talẽ cognitionẽ. Probatur conſequentia. Quia inter cauſas remotas multæ ſũt, quæ vix a nobis poſſũt cognoſci; & cauſæ per accidens tot ſũt, vt fere ſint infinitæ. Reſpondemus concedendo conſequentiam, talem enim cognitionem viribus naturæ nulla ratione aſſequi poſſumus.

An Philoſophia naturæ demonſtret per omnes cauſas. Quæret aliquis. An Philoſophia naturæ demonſtret per omnes cauſas. Quæ dubitatio ortum habet ex illis Ariſt. verbis, *profecto eius etiam ſcientiæ, quæ de natura eſt, primum principia explicanda ſunt.* Obſerua pro ſolutione, demonſtrare per omnes cauſas nihil aliud eſſe, quam in vna vel in multis demonſtrationibus aſſumere omnes quatuor cauſas pro medio. Reſpondemus ergo, Philoſophum naturalem, poſſe demonſtrare per omnes quatuor cauſas. Probatur aſſertio. Ens naturale, de quo Philoſophus naturalis diſputat, habet omne genus cauſæ: ergo poteſt per omnes genus cauſæ demonſtrare. Probatur antecedens. Imprimis habet materiam & formã, ex quibus componitur. Præterea habet etiam efficiens, quia omnis forma eſt ab efficiente: tandem habet finem, quia finis eſt, cuius gratia agens operatur, omne enim agens naturale operatur propter finẽ. Quare Philoſophus naturalis poteſt per omne genus cauſæ demonſtrare.

Ex dictis in hac quæſtione infero, hunc eſſe ſenſum verborũ primi textus. Cũ omnis ſcientia, ſiue cognitio perfecta compoſita fiat ex cognitione principiorum, quia tunc habemus ſcientiam, cum habemus cognitionem reſoluendo vſq. ad prima principia,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cipia, per quæ poſsimus ſcientiam habere de rebus naturalibus: hæc vero principia ſunt principia in cōmuni rei naturalis, ſcilicet materia, forma, & privatio, de quib. hoc 1. lib. & ſequenti diſputat. In Philoſophia enim naturæ neceſſaria eſt reſolutio vſq. ad hæc prima principia, ad hoc vt de rebus naturalibus ſcientiā habeamus.

Ex dictis etiam quæſtione 1. & 2. colligitur ſatis qua ratione intelligenda ſint, quæ in reliqua parte huius primi capitis docuit Ariſt.

CAP. II. IN QVO PROPONIT ARIST. QVAESTIONES de principiis rei naturalis.

DISPVTATVRVS de principiis rerum naturalium initium ſumit à quęſtionib⁹ magis vniuerſis iuxta methodum, quam in 1. capitis explicatione diximus Ariſt. ſeruare in demonſtrandis principiis. In hoc capite, & duobus ſequentibus proponit, & impugnat veterum Philoſophorum ſententias, ex quā diſputatione exigua redundat vtilitas; ac proinde, vt ad difficiliora & vtiliora gradū faciamus, ab illis breuiter nos expediemus.

Proponũtur quæſt. de principiis. *Neceſſe eſt autem vel vnum, &c.* Neceſſe eſt, inquit, aut eſſe vnum principiū rei naturalis; aut eſſe multa: ſi eſt vnum, aut eſſe immobile, vt volunt Parmenides, & Melius; aut mobile, vt Phyſicis placet. (Cū natura ſit principiū motus, &c. Vocat Phyſicos, & naturales illos Philoſophos, qui aſſerebāt principium eſſe mobile.) Ex quibus aliqui aſſerunt primum principium eſſe aerem, & alij aquam. Pręterea ſi ſunt multa principia, aut ſunt finita, aut infinita: ſi finita, aut ſūt duo, aut tria, aut quatuor aut cōtinétur aliquo alio numero certo, & determinato; ſi ſūt infinita, aut ſunt vnū genere, vt Democrito placuit, & ſpecie, & figura differētia, aut ſunt contraria. Nomina Philoſophorum quorum ſūt propoſitæ ſententiæ non refero, illa proponunt D. Tho. & Vicomercatus.

Eodemq́ modo quærunt, &c. Ne aliquis exiſtimet Ariſto. pertractare nouas quęſtiones, ait propoſitas pertractare illos, qui quærūt, quot ſint ea, quæ ſunt in rerum natura: quęrūt enim iſti, quæ ſint ea, ex quibus res naturales conſtant; & an ſint vnum vel plura; & ſi plura an finita, vel infinita.

Qua-

Quare etiam inquirūt an primum elementum, ſiue principium ſit vnum vel plura.

Ac illa quidem quæſtio, &c. Docet quæſtionem illam, qua inquirunt aliqui ex veteribus Philoſophis, an omnia ſint vnū ens immobile, non debere impugnari a Philoſopho naturali, quia funditus euertit principia Philoſophiæ naturę. hoc primo probat ita. Geometræ non eſt diſputandum cum illis, qui funditus euertunt Geometriæ principia, quia hoc pertinet ad aliā ſciētiam, vel ad ſuperiorem, ſcilicet ad Metaphyſicā; ergo nec Philoſopho naturali diſputādum eſt cum illis, qui aſſerūt omnia eſſe vnum ens immobile, cū etiā funditus principia Philoſophiæ naturæ euertāt, ſi enim, inquit, omnia ſūt vnū ens immobile, vt illi aſſerūt, nō remanet locus principio, quia omne principiū eſt alicuius, vel aliquorū principium.

Simile enim eſt, &c. Inſuper obſeruat, qui quęrunt, an omnia ſint vnum ens immobile, ſimiles eſſe illis, qui res pertractant, non quia ita exiſtiment, aut de illis dubitēt, ſed diſputationis tantum gratia, quāuis res abſurda ſit, & paradoxa; in his enim rebus dato vno abſurdo multa ſequūtur, quod certum eſt & citra omne dubium.

Nobis aut poßibile, &c. Vt impugnet ſententiā Meliſi, duo ſupponit. Primum, omnia entia naturalia, aut ſaltim, aliqua poſſe moueri; idq. docet manifeſtum eſſe inductione. Dixit autem, ſaltim aliqua, non quia exiſtimat ſolum aliqua entia naturalia eſſe mobilia, ſed quia hoc illi ſatis erat, vt Meliſi ſententiam impugnaret. Secundo ſupponit non eſſe in ſcientiis diſſoluenda omnia argumenta, ſed ſolum illa, quæ deducuntur ex principiis ſcientiæ, & non recte concludunt. Quare argumēta, quibus conabātur probare aliqui quadraturā circuli per ſectiones & partes circuli, explicāda ſunt à Geometra; argumenta verò, quibus idem probabat Antifon, nō ſunt à Geometra diſſoluēda, quia non erant deſumpta ex principiis Geometriæ.

Sed tamen quoniam iis contingit, &c. Docuit Ariſt. non eſſe diſputandum Philoſopho naturali cōtra Parmenidem & Meliſū, modo vero docet ſe velle cōtra iſtos diſputare; quia licet nihil naturæ attingant, cum conſtituēdo omnia principiū immobile, Philoſophiā funditus euertant, tamen in ſuis opinionib⁹ naturales implicāt quæſtiones: præſertim

cũ diſputatio contra eos ſuſcipienda maximã habeat affinitatem cum Philoſophia, id eſt cũ Metaphyſica, vt interpretatur D. Tho. Dixit Ariſt. Parmenidem, & Meliſum implicare quæſtiones naturales, quia vt ait Themiſtius, in impugnatione opinionis horũ, fit mentio motus & infiniti; vel, vt vult ſimplicius, & refert etiã ex Alexandro & Porphyrio, et ſi nõ admittant naturam, de illa certe verba faciunt. Quare parumper contra illos eſt diſputandum.

Principium autem accommodatum, &c. Duabus rationibus impugnat Ariſto. ſententiam Parmenidis & Meliſi. Prima deſumitur ex ſignificationibus entis, & ita habet. Quoniam ens, inquit Ariſt. multis modis dicitur, accommodatum erit principiũ ad diſputandũ, ſi a Parmenide & Meliſo inquiramus, quomodo intelligãt omnia eſſe vnum; an intelligant omnia eſſe ſubſtãtiã, aut quãta, aut qualia: deinde ſi intelligãt omnia eſſe ſubſtantiam, an exiſtiment omnia eſſe vnam ſubſtantiam ſingularem, vt vnum hominem, aut vnum equum: & ſi intelligant omnia eſſe qualia, an ſimiliter etiam intelligant eſſe vnum quale, numero ſcilicet, vt hoc album, aut hoc calidũ: ſi omnia ſunt ſimul ſubſtantia, quantitas, & qualitas, ſiue hæc inter ſe diſtinguãtur, vel non, id quod eſt, inquit Ariſt. non erit vnũ, vt iſti affirmãt, ſed multa: ſi vero omnia ſint qualitas, aut quãtitas; ſiue cõſtituamus ſubſtantiã, ſiue nõ in rerum natura, hoc affirmare etiam eſt abſurdum, ſi licet abſurdum appellare id, quod impoſsibile eſt, & fieri non poteſt. Probat Ariſt. abſurdum eſſe omnia eſſe quantitatem aut qualitatem per ſe exiſtentem abſq. ſubſtantia; quia nullum accidens poteſt exiſtere ſeparatum a ſubſtantia, quia omnia accidentia dicũtur de ſubſtantia vt de ſubiecto. Meliſus vero, cũ exiſtimet omnia eſſe vnum ens infinitum, neceſſario cõſtituere debet quantitatem in hoc vno ente; quia rei cõuenit eſſe infinitã ratione quantitatis; ſubſtantia autem, aut qualitas, aut alia affectio infinita eſſe non poteſt, niſi per accidens, quia.ſ. ſecũ habet cõiunctam quantitatem; diffinitio enim infinitatis quãtitati cõuenit, nõ ſubſtantiæ, aut qualitati. Concludit Ariſto. ſi ergo hoc vnũ ens ſimul eſt ſubſtantia & quantitas, non eſt vnum ſed multiplex: ſi ſolum eſt ſubſtantia, non erit infinitum, nec erit alicuius magnitudi-

tudinis, quia ſi infinitũ eſſet, & alicuius magnitudinis, potius eſſet quãtitas, quam ſubſtantia.

Iam quoniam vnum etiam, &c. Secunda ratio ſumitur ex ſignificationibus vnius. Inquit ergo Ariſto. quia vnũ dicitur multis modis quemadmodũ ens, videndum eſt quonã modo affirment omnia eſſe vnũ. Tribus modis dicitur vnum, primo id quod eſt continuũ, vt linea: ſecundo quod eſt indiuiſibile, vt punctum; tertio dicuntur vnum illa, quorum eadem eſt ratio, & definitio eſſentialis. Probatur primo, omnia non eſſe vnum primo modo, quia continuum diuidi poteſt in infinitũ, vnde cũ multas habeat partes, continuum non erit vnum.

Sed de parte ac toto quæſtio eſt, &c. Quia dixit ideo continuũ eſſe multa, quia in infinitũ diuidi poteſt in ſuas partes, proinde docet quæſtionem eſſe (etſi hui⁹ loci nõ ſit) an pars & totum ſint vnum & idem, vel ſint plura; & quomodo ſint vnum vel plura. Eandem docet Ariſt. eſſe rationem in partibus totius diſcontinui. Vnde ſi quæuis pars ita eſt vnum cum toto, vt ex illa & toto efficiatur vnũ indiuiduũ, partes etiam inter ſe erunt idem, quod eſt abſurdũ: tum etiam ſi totum & partes efficiunt vnũ indiuiduum, neque in rerum natura erit quantitas, neque qualitas; ergo hoc vnum ens nõ erit infinitum, vt placet Meliſo, nec finitum, vt Parmenidi, quia finis, id eſt vnum indiuiſibile, diuidi non poteſt, cuiuſuis enim continui finis ſiue terminus eſt vnũ indiuiſibile; vt pũctum, quod eſt finis lineę, nulla ratione diuidi poteſt. Tandem probat Ariſt. omnia non poſſe eſſe vnũ ratione & definitione eſſentiali, quia ſequeretur abſurdũ Heraclyti, nempe, res contrarias, vt bonum & malum; & res diſparatas, vt homo & equus, diffiniri eadem definitione eſsẽtiali: vnde horum quæſtio, inquit Ariſt. potius inquireret, an omnia ſint nihil, quã an omnia ſint vnũ.

Itaque nonnulli eſt verbum, &c. In fine capitis docet Ariſt. recẽtiores Philoſophos aliquos loquendi modos excogitaſſe, ne affirmarent cum Parmenide & Meliſo, ſimul idem eſſe vnum & multa; atq. ita aliqui ex illis, verbum *eſt* detrahentes ab enunciationibus, affirmabant nulla ratione dicendum eſſe, Socratem eſſe albũ, ſed Socratem albũ; & hoc modo exiſtimabãt omnia eſſe vnum. Alij genus dicendi mutabant, mutando nomen & ver

bum ſubſtantiuũ in aliud verbum, & dicebant non eſſe dicẽdum hominem eſſe album, aut hominẽ eſſe ambulãtem, ſed potius dicendum eſſe, hominem albeſcere, & hominẽ ambulare: iſti Philoſophi decepti ſũt, quia ignorabãt ea, quæ ſunt multa ſecundum rationem, ſiue potentia, eſſe vnum actu, vt continuum vnũ eſt actu, multiplex tamen potentia, quia multas partes potentia cõtinet: tumetiã quia ignorabãt ea quæ ſunt vnum ſubiecto, vt Socrates albus Philoſophus, eſſe multa ratione & diffinitione eſſentiali, quia alia eſt ratio eſſentialis Socratis, & alia albi, &c.

QVAESTIO I.

An Philoſophus naturalis poßit probare ſua principia.

EXAGITATVR hæc quæſtio, quia Ariſt. docuit ſuperiori capite nõ eſſe diſputandum Philoſopho naturali contra Parmenidem & Meliſum, quia iſti Philoſophi funditus euertunt principia Philoſophiæ naturæ.

Dubitandi ratio. Eſt ratio dubitandi, quia Ariſt. hoc eodem libro media tranſmutatione naturali probauit principia rei naturalis eſſe tria, nempe materiam, formã, & priuationem: tum etiam quia Ariſt. hoc eodem capite cõtra Parmenidem & Meliſum diſputauit: præterea quia Philoſophus naturalis poteſt probare motum eſſe, motum vero eſſe principiũ eſt Philoſophiæ naturæ. Quod poſsit probare motum eſſe, certum eſt, cũ motus ſit paſsio obiecti Philoſophiæ naturæ, & omnes paſsiones de obiecto poſſunt demõſtrari. Quare videtur aſſerendũ eſſe Philoſophũ naturalem poſſe probare ſua principia contra negantes illa, vt probauit Ariſt.

Principia alia rei, et alia cognitionis. Pro intelligentia quæſtionis obſerua primo, principia eſſe in duplici differẽtia; alia enim ſunt cognitionis tantũ, alia rei. Principia cognitionis in Philoſophia ſũt illa, quibus quaſi manu ducimur ad cognoſcendas res naturales, vt motus, qualitates ſenſiles, &c. Principia rei in Philoſophia ſunt illa, ex quibus res naturalis fit, vt materia, forma, & priuatio: ex materia namq. & forma, tanquam ex principiis intrinſecis, & ex priuatione tanquam ex termino a quo, & principio extrinſeco fit res naturalis. Hæc principia rei aliquãdo difficillime cognoſcuntur; vt materia tantum cognoſcitur per analogiã, & proportionem ad formam, vel ad materiam artis; vt priuatio, cum ſit carentia, tantum cognoſcitur per habitudinem ad habitum poſitiuum.

Principia dupliciter probãtur. Obſerua ſecũdo, principia poſſe probari quoad eſſe eſſentiæ, vel quoad eſſe exiſtentiæ & vtroq. modo, vel a priori, & demonſtratione propter quid, vel a poſteriori, aut rationibus probabilibus, & inductione. Eſt ergo ſenſus quæſtionis, an Philoſophus naturalis poſsit probare ſua principia rei, vel cognitionis, quoad eſſentiam, vel exiſtentiam a priori, vel a poſteriori.

Principia in duplici differẽtia. Sit primum fundamentum. Principia cognitionis tantũ, quæ ſunt principia cõpoſita, vel complexa, in duplici ſunt differẽtia, alia per ſe nota, & immediata, vt hoc principiũ Geometriæ, linea eſt longitudo ſine latitudine: alia ſũt principia certa, ſed non immediata, neq. per ſe nota, vt in eadem Geometria hoc principiũ, linea eſt in corpore, eſt certum, quamuis non ſit immediatum, & per ſe notum & huiuſmodi principia

cipia dicuntur ſuppoſitiones, quia cũ certa ſint, etiam ſi non ſint per ſe nota, nihilominus in vnaquaque ſcientia, vel doctrina ſupponuntur.

Principia per ſe nota in dupli ci differentia.

Secundum fundamentũ. Principia per ſe nota & immediata in duplici ſunt differentia: alia ſunt per ſe nota, & immediata ſecundum nos, & ſecundum naturam, illa ſcilicet quæ ſecundum nos non habent aliquid prius & notius, per quod cognoſcantur, & ſecundum naturam non habent aliquam cauſam priorem, a qua depẽdeant, vt in Geometria illud principiũ, linea eſt longitudo ſine latitudine: alia ſunt per ſe nota, & immediata quoad nos tantum, illa ſcilicet quæ non habent aliquid prius, & notius, per quod a nobis cognoſcantur, licet habeant cauſam, a qua pendent ſecundum naturam, quamuis ab ipſa non pendeant ſecundum cognitionem, vt hoc principium in Philoſophia naturæ, ſcilicet motum eſſe: & hoc aliud ſcilicet, omne totum eſt maius ſua parte: quia huiuſmodi principia, licet non habeant aliquid notius ſecundum nos, per quod probentur, tamen cauſſam habent, a qua ſecundum naturam pendent; quamuis per illam cognoſci non poſsint, quia illa difficillime cognoſcitur.

Tertium fundamentũ. Diximus principia probari poſſe, vel a priori, vel a poſteriori; hoc intelligendum eſt vel eodem habitu ſcientiæ, cuius ſunt principia, vel habitu alterius ſcientiæ, ſcilicet ſcientiæ ſubalternantis; vel ſcientiæ generalis, vt Metaphyſica & Dialectica. Hoc fundamentum aperte colligitur ex Ariſtotele hoc 2. cap.

1. Aſſertio.

Hic poſitis ſit prima Aſſertio. Principia cognitionis tantum in Philoſophia naturæ non poſſunt demonſtrari contra negantes illa a priori vel a poſteriori eodem habitu Philoſophiæ naturæ quãtũ ad eſſe exiſtentiæ: poſſunt tamen probari quantũ ad eſſe eſſentiæ. Prima pars huius concluſionis, ſcilicet nõ poſſe probari quantum ad exiſtentiã modo dicto probatur. Principia cognitionis tantũ primo ſe offerunt, quantum ad eſſe exiſtentiæ inquirenti res Philoſophiæ naturæ; ergo huiuſmodi res ſiue principia non poſſunt probari quantũ ad eſſe exiſtentiæ in Philoſophia naturæ per habitum ipſius Philoſophiæ naturæ. Conſequentia probatur. Omne quod demonſtratur in aliqua ſcientia per habitum ipſius, demonſtratur per aliquid notius in tali ſcientia; ſed nihil eſt notius in Philoſophia naturæ, quantum ad eſſe exiſtentiæ, primis principiis cognitionis tantum, quia hæc principia primo ſe offerunt cognoſcenda quantum ad eſſe exiſtentiæ inquirenti res Philoſophiæ naturæ; ergo principia cognitionis tantum non poſſunt probari in Philoſophia naturæ eodem habitu Philoſophiæ naturæ quantum ad eſſe exiſtentiæ. Dixi eodem habitu ſciẽtiæ, quia habitu alicuius, nẽpe Dialecticæ poſſunt demonſtrari; ratio eſt, quia Dialectica non procedit ex propriis cuiuſuis ſcientiæ principiis, ſed ſuis cõmuniſsimis principiis de omnibus rebus diſputat. Probatur ſecundo eadem prima pars concluſionis ex Ariſtotele hoc 2. cap. vbi, diſputaturus contra Parmenidem & Meliſſum negantes principia, ſupponit omnes vel aliquas res naturales moueri, & id non probat.

Secunda pars concluſionis, ſcilicet principia cognitionis probari poſſe modo dicto quantum ad eſſe eſſentiæ, probatur; id quod habet aliquid notius, vel aliquam cauſam in Philoſophia naturæ, poteſt per illam demonſtrari: ſed principia cognitionis tantum, verbi gratia motum eſſe, habent cauſam in Philoſophia naturæ quantum ad eſſe eſſentiæ, nempe naturam ipſam; ergo per illam poſſunt demonſtrari eodẽ habitu Philoſophiæ naturæ in Philoſophia naturæ quantum ad eſſe eſſentiæ.

2. Aſſertio.

Secunda aſſertio. Principia rei aliquo modo demõſtrari poſſunt in Philoſophia naturæ eodem habitu ſcientiæ. Probatur primo ex Ariſtotele qui hoc libro per

habi-

habitum ipſiuſmet Philoſophiæ naturæ principia rei nempe materiam formam & priuationem demonſtrauit. Secundo probatur. Ariſt. 8. Phyſi. demonſtrabit habitu eiuſdem Philoſophiæ naturæ, nēpe per motum, primū motorem; ſed primus motor eſt principium rei, licet extrinſecum, in Philoſophia naturæ; ergo Philoſophia naturæ eodem habitu ſcientiæ demonſtrat principia rei. Tertio probatur. Id, quod habet aliquid notius in aliqua ſcientia, poteſt aliquo modo probari per illud; ſed principia rei, nempe materia, forma, & priuatio, habent aliquid notius in Philoſophia naturæ; ergo, &c. Probatur minor. Quia tranſmutationes, & motus naturales notiores ſūt in Philoſophia ipſis principiis rei, imo ex ipſis tranſmutationibus probauit Ariſt. principia rei a poſteriori. Dixi aliquo modo, quia a priori nō poſſunt demonſtrari eodem habitu ſcientiæ, quia principia rei in Philoſophia naturæ nō habent alia prima, per quæ probentur.

Obiectio. Dices primo aduerſus concluſionem. Eo modo, quo ſe habet res ad eſſe, habet ſe ad cognitionem, ergo principia rei ſunt principia cognitionis; ſed principia rei poſſūt probari a Philoſopho naturali habitu Philoſophiæ naturæ, quantum ad eſſe exiſtentiæ, ſaltim a poſteriori, vt diximus in ſecunda concluſione; ergo principia cognitionis tantum poſſunt probari ſaltim a poſteriori a Philoſopho naturali habitu Philoſophiæ naturæ; quod eſt contra primam concluſionem.

Solutio. Reſpondemus, concedendo principia rei eſſe principia cognitionis; negamus tamen prima principia rei eſſe prima principia cognitionis in rebus naturalibus: nam prima rerum naturalium cognitio non deſumitur ex cauſis, & principiis rei naturalis, ſed deſumitur ab effectibus, ſcilicet a tranſmutationibus, & motibus naturalibus, quæ tranſmutationes notiores ſunt ipſis rebus naturalibus, & illarū principiis. Vnde, licet principia rei poſſint probari in Philoſophia naturæ eodē habitu Philoſophiæ, ſaltim a poſteriori, quia habent aliquid notius in ipſa Philoſophia, per quod probentur, nempe principia cognitionis; tamen principia cognitionis non poſſunt probari modo dicto, quia in Philoſophia nihil eſt notius illis principiis. Eo modo Philoſophandum eſt de primo motore, qui, vt diximus, eſt principium rei naturalis, licet extrinſecum: ac Philoſophati ſumus de aliis principiis rei nempe de materia, forma, & priuatione.

2. Obiect. Dices ſecundo. Probare principia Philoſophiæ naturæ contra negantes illa, eſt munus Metaphyſici, ergo male Ariſt. diſputauit contra Parmenidem, & Meliſum negantes principia cognitionis Philoſophiæ naturæ: debebat enim differre hāc diſputationem vſque ad Metaphyſicam.

Solutio. Reſpondemus munus eſſe Metaphyſici probare principia Philoſophiæ naturæ contra negantes illa, atque ita Ariſt. rationibus deſumptis ab vno, & ente, quæ ſunt propriæ habitus Metaphyſicæ, diſputauit contra hos Philoſophos: & noluit hanc diſputationem differre vſque ad Metaphyſicam, quia iſti Philoſophi, licet naturales non ſint, fecerunt mentionem motus, infiniti, & aliarum rerū, de quibus in Philoſophia naturæ diſputatur. Ne igitur nos ſuſpenſos teneret, &, vt contrariæ de principiis ſententiæ manerent ſatis impugnatæ, hanc modo, licet mutuato munere a Metaphyſico, ſuſcepit diſputationem.

Metaphyſica debet et probat principia. Dubitabit quis. Cur Metaphyſicus debeat, & poſsit probare principia Philoſophiæ naturæ contra negantes illa, (idem præſtat Metaphyſicus in aliis ſcientiis) & illa non poſsit probare Philoſophus naturalis. Reſpondemus. Quia Metaphyſicus cōſiderat ens in tota ſua latitudine, & generaliter modo, quo ens contēplatur, & cognoſcit; conſiderat enim in ente rationem veri, vnius, actus, potentiæ, eſſentiæ, exiſtentiæ, & alias rationes cōmunes, ex quibus deſumere poteſt rationes ad probāda principia in Philoſophia naturæ, quod præſtare non poteſt Philoſophus naturalis, quia hic conſiderat ens in genere determina-

minato, ſcilicet vt Mobile eſt; vnde ex illo nõ poteſt generales deſumere rationes, ac Metaphyſicus.

Soluitur dubitandi ratio. Rationi dubitandi reſpõdemus, Ariſt. probaſſe principia rei, quod nos libenter concedimus: tametſi probaſſẽ principia cognitionis per habitum alterius ſciẽtiæ; ſcilicet Metaphyſicæ: tandem probaſſe motum, & alia huiuſmodi quãtum ad eſſe eſſentiæ, minime vero quantum ad eſſe exiſtentiæ: quia nihil eſt notius in Philoſophia naturæ, per quod poſſimus probare motum eſſe, &c.

QVAESTIO II.

Vtrum ſubſtantia ſecundum ſe ſit diuiſibilis.

VT intelligere poſſimus, ex quibus Ariſt. verbis ortum habeat præſens quæſtio, obſeruandum eſt: finitũ vel infinitum conuenire rebus ratione extenſionis, ſiue diuiſibilitatis: finitũ enim eſt, quod habet extenſionem, ſiue diuiſibilitatem cum termino, & fine; infinitum vero ſignificat id, quod habet extenſionem, ſiue diuiſibilitatem ſine, & termino carentem. Ariſt. ergo in textu ita ſcripſit, *eſſentia autem* id eſt ſubſtantia, *nec qualitas, nec affectio infinita eſſe ullo modo poteſt, niſi alienaui; ut ſi quædam ſit cũ iis coniuncta quãtitas*. Ex quibus verbis præſens quæſtio ortum habet, videtur enim ſubſtantia ſecundum ſe diuiſibilis, vt probant rationes dubitandi, quæ ſequuntur: & ex conſequẽti videtur abſq. quantitate, finita vel infinita.

1. Ratio dubitãdi. Prima ratio dubitandi. Quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati; ſed ſubſtãtia eſt cauſa quantitatis, & quantitas eſt cauſa diuiſibilitatis: ergo ſubſtãtia eſt cauſa diuiſibilitatis, ergo ſubſtãtia eſt diuiſibilis. Probatur vltima conſequentia, quia id, quod eſt cauſa diuiſionis, eſt diuiſibile.

2. Ratio dubitãdi. Secunda ratio. Quod eſt finitũ vel infinitum, eſt diuiſibile, quia finitum, & infinitum proprietas eſt conſequens diuiſibilitatem; ſed ſecluſa quantitate ſubſtantia ſecundum ſe eſt finita, vel infinita; ergo ſecluſa quantitate ſubſtantia ſecundum ſe eſt diuiſibilis. Minor probatur. Deus, & Angeli ſunt ſubſtantiæ ſine quantitate; ſed Deus eſt infinitus, & Angeli ſunt finiti: ergo ſecluſa quantitate datur ſubſtantia finita, vel infinita, & ex cõſequenti diuiſibilis.

Tot modis diuidi tur res, quot cõponitur. In prima parte quæſtionis, pro explicatione tituli, obſeruandum eſt, tot modis rem diuidi poſſe, quot modis componi poteſt. Compoſitio multiplex eſt, alia per accidens, vt cõpoſitio ex ſubſtantia & accidenti, ſiue ex duobus entibus in actu: alia per ſe, & hæc duplex eſt, alia rationis, alia rei: compoſitio rationis eſt, quæ reperitur in rebus beneficio intellectus; quæ etiã duplex eſt, alia actualis, qua componitur res ex partibus actualibus, vt ſpecies ex genere & differentia; alia potentialis, qua componitur res ex partibus ſubiectiuis, quas in potentia continet, vt compoſitio hominis ex Petro Ioanne, &c. vel compoſitio generis ex ſuis ſpeciebus. Compoſitio vero rei eſt, quæ in rebus inuenitur citra intellectus operationẽ; quæ duplex eſt, alia Metaphyſica, qua componitur res ex eſſentia & exiſtentia; & alia Phyſica, & hæc eſt duplex, alia ex materia & forma, ex quibus totum naturale, vt Petrus, componitur: alia ex partibus quantitatiuis, illa ſcilicet qua componitur totum ex partibus integrantibus, verbi gratia, homo ex capite brachiis & pedibus, &c. Totidem modis aliqua res diuidi poteſt, quia omne cõpoſitum eſt diuiſibile in partes, ex quibus componitur. Quæſtio ergo procedit tantum de diuiſibilitate in partes quantitatiuas, ſiue totius integri: quia certũ eſt ſubſtantiam abſq. quantitate diuidi poſſe in partes eſſentiales, ſcilicet in materiã & formam, in genus & differentiam, & inſuper in eſſentiam & exiſtentiam.

Subſtãtia duplex. Obſerua ſecundo, ſubſtantiã aliam eſſe ſpiritalem, & incorpoream, aliam vero materialem & corpoream. Quæſtio procedit de ſubſtantia materiali, ſiue naturali, a cuius ratione excluditur in hac quæſtione materia prima, quæ non componitur ex materia & forma, non tamen excluditur ſubſtantia partialis, verbi gratia, caput, aut brachium.

Secũdum ſe ſignificat abſq. quantitate. Obſerua tertio, particulam *ſecũdum ſe* non ſignificare hic ſecũdum eſſentiam, ſed ſignificare idem quod abſq. quantitate vnde ſenſus quæſtionis eſt An ſubſtantia naturalis completa ſecluſa quantitate ſit diuiſibilis in partes integrãtes, ſiue totius integri.

1. Funda. In 2 parte quæſtionis ſit 1. fundamentũ. Quantitas duplex eſt alia molis & alia perfectionis: quantitas molis eſt, ratione cuius ſubſtantia eſt extenſa: quantitas perfectionis eſt cuiuſuis rei eſſentia, ſiue perfectio ſubſtantialis. Quantitas molis, & perfectionis multis modis differunt; primo, quia quantitas molis eſt prædicamentalis, & conſtituit ſecundam categoriam, quantitas vero perfectionis, cum ſit cuiuſuis rei eſſentia, tranſcendens eſt, & per omnes categorias vagatur ſecundo differunt, quia a quantitate molis habet res, quod poſſit diuidi in partes materiales, a quãtitate vero perfectionis, quod diuidi poſſit in partes formales ſiue eſſentiales: tertio differunt, quia ex quantitate molis naſcuntur finitum, & infinitum materiale, quod infinitum materiale ob ſuam imperfectionem docet Ariſt. cognoſci non poſſe, & ex quãtitate perfectionis naſcuntur finitum & infinitum, formale, ſiue ſecundum eſſentiam, vt Deus eſt infinitus quantitate perfectionis, & ita cũ ſit purus actus, & infinite perfectus, maxime cognoſcibilis eſt ſecũdum ſuam naturam. Quæſtio ergo non procedit de quantitate perfectionis, quæ etiam Deum & Angelos includit, ſicut neq. procedit de ſubſtantia ſpiritali; ſed de ſubſtantia tantum materiali, & quantitate molis.

2. Funda. Secundũ fundamentũ. Quantitas molis duplex eſt, alia continua, & alia diſcreta. continua etiam eſt duplex, alia ſucceſſiua & alia permanens. (Quid & quotuplex ſit quantitas continua, diſcreta, permanens & ſucceſſiua, diximus in Logica in quæſtionibus in caput de quantitate.) Quæſtio procedit de quantitate tantum continua permanẽte, ſcilicet de corporea: ratio eſt, quia beneficio huius ſubſtantia corporea eſt diuiſibilis in partes extenſas, & integrantes. Cæteræ enim quantitates ſubſtantiæ corporeæ ineſſe nequeunt, niſi illi prius inſit quantitas cõtinua permanens, trina ſcilicet dimenſio.

3. Funda. Tertium fundamentum, Subſtantia corporea diſtinguitur realiter, a quantitate, quæ eſt trina dimenſio. Probatur authoritate D. Auguſt. 5. lib. de Trinitate ca. 10. vbi ita ſcribit. In his quæ participatione magnitudinis magna ſunt, aliud eſt magnitudo, & aliud, quod ab illa magnitudine magnum eſt. Eandem ſequitur ſententiam D. Tho. 3 p. q. 77. art. 2. & in 4. diſtin. 12. q. 1. art. 1. q. 3. 1. Phyſ. lectione 3. 5. Metaphyſ. lectione 13. & Scotus in 2. diſt. 12. & in 4. diſt. etiam 12. q. 1. Soto in Logica cap. de quantitate q. 2. & alij permulti, quos omnes refert Oña in Logica cap. de quantitate q. 1. art. 3. Imo Ariſt. id expreſſe docuit hoc cap 2. & probatur ratione. Quia, quæ ad inuicem poſſunt ſeparari, ita vt vnum maneat ſine altero, diſtinguuntur realiter; ſed ſubſtantia corporea & quantitas poſſunt ad inuicem ſeparari, ita vt quantitas maneat ſine ſubſtantia; ergo realiter diſtinguũtur. Maior eſt certa. Minor conſtat, nam in ſacramento Eucharistiæ facta tranſubſtantiatione ſubſtãtiæ panis, & vini in corpus, & ſanguinẽ Chriſti, manet quantitas illa, quæ erat panis, & vini; cum tamen hæreticum ſit affirmare manere ſubſtantiam panis, aut vini ſub ſpeciebus conſecratis.

Ochan et nominales Ochan, & alij nominales, vt refert Soto loco citato, exiſtimant ſubſtantiam corpoream non diſtingui realiter a quantitate, ſed quia modo nobis non eſt diſputatio

cum

cum nominalibus, ſed cum illis, qui exiſtimant quantitatẽ realiter diſtingui a ſubſtantia corporea, proinde aduerſus nominales ſufficiat auctorum, quos retulimus, auctoritas, & ratio deducta contra illos, & fundamentum hoc tertium certam ſit: rationes, quibus præcipue probant nominales ſuum inſtitutum, adducẽtur a nobis cõtra aſſertionem, qua ſtatim dicemus ſubſtantiam ſecũdum ſe non eſſe diuiſibilem. Manet ergo certũ ex hoc fundamẽto, ſubſtantiam corpoream diſtingui realiter ab extenſione, & diuiſibilitate, quæ eſt potentia remota, & eſſentia quãtitatis, cum ab ipſa realiter diſtinguatur. Et manet dubitatio, an ſubſtantia ſecundum ſe, & abſq. quantitate, habeat diuiſibilitatem, quæ accidens eſt, & potentia proxima ad diuiſionem, in partes integrantes, & quantitatiuas.

Subſtãtia abſq. quãtitate indiuiſibilis.

In tertia parte quæſtionis ſit cõcluſio. Subſtantia corporea, ſiue materialis omnino eſt indiuiſibilis in partes integrantes, ſi careat quantitate molis. Hæc concluſio probatur primo ex Ariſt. hoc capite, qui impugnans veterum ſententias dixit ſubſtantiam neque eſſe infinitam, neque finitam, neq. diuiſibilem. Secundo probatur. Id omne, quod caret aliqua forma, caret etiam proprietatibus, quæ talem formam conſequuntur: ergo ſubſtãtia corporea ſine quãtitate eſt omnino indiuiſibilis. Conſequentia probatur. Diuiſibilitas eſt proprietas quantitatis, ergo ſubſtãtia carens quantitate molis eſt indiuiſibilis.

1. Ratio.

In quarta parte quæſtionis dicet aliquis primo. Si virtute diuina ſeparetur a Petro, qui eſt ſubſtantia materialis, quantitas molis, ſubſtãtia Petri eſt diuiſibilis; ergo falſa eſt concluſio. Reſpondemus negando antecedens. Probatur antecedens, Subſtantia Petri, quamuis careat quantitate molis, remanet perfecta, & integra ſecundum ſuam naturam: atqui ſecundum ſuam naturam eſt diuiſibilis, ergo ſubſtantia carens quantitate molis eſt diuiſibilis: Maior eſt certa, minor probatur. Secundum ſuam naturam eſt corporea (Petrus enim cum ſub homine contineatur eſt ſubſtantia corporea, quia homo eſſentialiter diffinitur ſubſtãtia corporea, &c.) Sed omne corporeum eſt diuiſibile in partes integrantes; ergo ſecundum ſuam naturam eſt diuiſibilis. Huic argumento reſpondemus negando primam & ſecundam aſſumptionem, falſum enim eſt omne corporeum eſſe diuiſibile. Corpus enim duplex eſt, aliud de prædicamento quantitatis, & aliud de prædicamento ſubſtantiæ: corpus de prædicamento quantitatis, quod eſt trina dimenſio, diuiſibile eſt in partes integrãtes, quia habet formaliter extenſionem, ratione cuius cõuenit rebus diuiſibilitas in partes integrantes; corpus vero de prædicamento ſubſtantiæ, cum careat huiuſmodi extenſione; nõ eſt diuiſibile: vnde licet ſubſtantia Petri ſecluſa adhuc quantitate molis ſit corporea de prædicamento ſubſtantiæ, non ſequitur eſſe diuiſibilem, quia caret extenſione, quæ eſt principium, & radix diuiſibilitatis.

Solutio.

Sed dices. Huiuſmodi ſubſtantia Petri etiam ſine quantitate diſtinguitur a ſubſtãtia incorporea: ſed non poteſt diſtingui a ſubſtantia incorporea niſi per extenſionẽ; ergo adhuc ſeparata a quantitate eſt extẽſa, & ex conſequenti diuiſibilis. Reſpondemus diſtinguendo minorem ſi per extenſionem intelligant, qui hanc tenẽt ſententiã, actualem, & formalem extenſionem, falſa eſt aſſumptio: quia huiuſmodi extenſio eſt actio formalis quantitatis, & ſubſtantia corporea non poteſt diſtingui a ſubſtantia incorporea per aliquod accidens, ſed per differentiam ſubſtantialem: ſi vero per extenſionem intelligant potentiam, & aptitudinem ad recipiendam formalem extenſionem, ſcilicet quãtitatem, ratione cuius ſubſtantia corporea actu diuidi poteſt, vera eſt aſſumptio, inde tamen non ſequitur ſubſtantiam ſecundũ ſe adhuc ſecluſa quãtitate eſſe diuiſibilem, quemadmodum accidens diſtinguitur a ſubſtantia; quia accidens non exiſtit per ſe, ſed in ſubſtantia, &

Subſtãtia non habet ex ſe extẽſionẽ formalem.

cõſequitur accidens, vt in ſacroſancto Sacramento Euchariſtiæ non exiſtit in ſubſtantia, ſed per ſe, ergo nõ diſtinguitur cõtra ſubſtantiã; quia licet actu non exiſtat, exiſtit tamen aptitudine, per quam aptitudinem diſtinguitur a ſubſtantia: pari ratione nõ eſt actu diuiſibilis, quia ſecluſa quãtitate molis non habet actu extenſionem, ergo non diſtinguitur a ſubſtantia corporea; quia licet careat huiuſmodi actuali extenſione habet aptitudinem, & potentiam naturalem (quæ aptitudo idem eſt ſecundum rem cum differentia, quæ diuidit ſubſtantiam quæ eſt genus ſupremum, & conſtituit ſubſtantiam corpoream,) ad recipiendam formalem extenſionem, id eſt quãtitatem, ratione cuius fit actu diuiſibilis, & per hanc naturalem potẽtiam diſtinguitur ſubſtantia corporea ab incorporea.

Sed dices. Huiuſmodi ſubſtantia corporea eſt in loco circumſcriptiuo, & diuiſibilis in partes integrãtes; ergo ſubſtãtia corporea ſecluſa quantitate molis eſt diuiſibilis in partes integrantes. Reſpondemus negãdo antecedens. Quia falſum eſt huiuſmodi ſubſtãtiam eſſe in loco circũſcriptiuo, quia deeſt illi conditio eſſendi in loco circumſcriptiuo, nempe formalis extẽſio, per hãc enim res eſt in loco circumſcriptiuo, quemadmodum ſubſtantia incorporea eſt in loco diffinitiue per actionẽ tranſeuntẽ, id eſt vbi operatur. Vnde ſicuti Angelus, ſi ceſſaret ab actione tranſeunte non eſſet in loco diffinitiue, ſed eſſet in ſuo ſuppoſito, & ſuum ſuppoſitum in ſeipſo; pari ratione ſubſtantia corporea ſine extenſione formali, quæ extenſio eſt ratio eſſendi in loco circumſcriptiue, nõ eſt in loco circũſcriptiue, ſed in ſuo ſuppoſito, & ſuum ſuppoſitum in ſeipſo.

2. Ratio. Dices aliquis ſecundo contra concluſionem. Deus poteſt ſeparare a ſubſtantia Petri, & Ioannis quãtitatem molis; atqui in iſto caſu huiuſmodi ſubſtãtiæ eſſent diuiſæ ad inuicem; ergo ſubſtantia diuidi poteſt ſine quantitate. Conſequentia probatur, quia in iſto caſu huiuſmodi ſubſtãtiæ ſunt actu diuiſæ; & recte ſequitur, ſũt actu diuiſæ, ergo diuiſibiles. Reſpõdemus iſtas ſubſtantias eſſe diuiſibiles, non quia ſubſtantiæ ſunt, ſed per ordinem intrinſecum, quem dicunt ad quantitatẽ, a qua fuerunt ſeparatæ; quemadmodum, licet accidentia diſtinguantur numero per diſtinctionẽ numericam ſubiectorum, in quibus reperiuntur, poſſũt nihilominus accidẽtia differre numero per ordinem ad diſtincta ſubiecta numero, licet illis actu non inhæreant, vt accidentia vnius hoſtiæ conſecratæ diſtinguuntur numero, ab accidẽtibus alterius hoſtiæ conſecratæ, licet iſta omnia accidẽtia ſubiecto careant, ratio eſt quia dicunt ordinem intrinſecum ad diſtincta ſubiecta numero. *Solutio.*

Dices. Poteſt *Deus* de nouo producere ſubſtantiam Petri, & Ioannis ſine quantitate molis; ſed iſtæ ſubſtantiæ in iſto caſu ſunt diuiſæ, & tamen non dicunt ordinem ad quantitatem præteritam, quia fuerunt creatæ ſine quãtitate; ergo ſubſtantiæ iſtæ ſunt diuiſæ ſine ordine ad quantitatem, & ex conſequenti ſubſtantia ex ſe eſt diuiſibilis. Reſpondemus concedẽdo maiorem, quia Deus poteſt creare huiuſmodi ſubſtãtias ſine quãtitate, quemadmodum poteſt creare duas quantitates ſolo numero diſtinctas ſine ſubſtantia, (accidentia namq. magis dependent a ſubſtantia, quam depẽdeat ſubſtantia ab accidentibus.) Negamus tamen minorem, quia licet huiuſmodi ſubſtantiæ non dicant ordinem ad quantitatem præteritam, dicũt tamen ordinem ad diſtinctam quantitatem, quam habere poſſunt; quemadmodũ ſi Deus crearet duo accidentia numero diſtincta ſine ſubiectis, illa accidentia diſtinguerẽtur numero per ordinem ad diſtincta ſubiecta numero, quibus ineſſe poſſunt. Secundo reſpondemus vtrique argumento, & forſan melius, ſubſtantiam Petri, & Ioannis eſſe diuiſas, & diſtinctas in caſibus propoſitis, non diuiſione quantitatiua materiali, quæ ſumitur a quãtitate molis, ſed potius diuiſione ſubſtantiali numerica; eſſent enim huiuſmodi *Poteſt creari ſubſtãtia corporea abſq. quãtitate.*

ſubſtan-

ſubſtantiæ diſtinctæ ſecundum rationem ſubſtantialem numericam, nullo tamē modo diſtinguerentur diſtinctione totius integri, de quo eſt quæſtio.

Solutio. 1. Ratio. dubitãdi. Primæ rationi dubitandi reſpõdemus, concedendo ſyllogiſmum; ſimiliter ſecundam conſequentiam, & probationē illius, quia tantum probant ſubſtantiam eſſe diuiſibilē, vel cauſam diuiſionis mediæ quantitate molis, quod nos libenter concedimus; ad hoc enim, vt prima cauſa per ſe, & immediate ſit cauſa effectus producti a cauſa immediata, cauſa ſecunda debet producere ſe ſola talem effectum; ad hoc vero, vt producat talem effectum, debet habere in ſe rationem formalē, qua media talis effectus produci poſsit. Verbi gratia ignis medio calore, quem producit in aqua, producit etiā calorē in corpore proximo aquæ, & poteſt ignis producere calorem in corpore proximo aquæ abſque calore ipſius aquæ, quia ignis in ſe habet principium ſufficiens, quo medio poſsit producere immediate, & ſe ſolo calorem in corpore proximo aquæ, quemadmodum & illum producere poteſt in aqua: ſubſtantia vero quāuis ſit cauſa quantitatis, & media quantitate ſit cauſa diuiſionis, ſe ſola non poteſt eſſe cauſa immediata diuiſionis, ratio eſt, quia deeſt illi principium ſufficiens ad cauſandam diuiſionem, quod principium eſt extenſio, quam extenſionē habere non poteſt ſubſtantia quantitate deſtituta.

Sed dices. Quidquid poteſt aliquid medijs cauſis ſecũdis, poteſt ſe ſolo facere: ſed ſubſtantia poteſt eſſe cauſa diuiſionis media quantitate; ergo ſubſtantia ſe ſola poteſt eſſe cauſa diuiſionis. Reſpondemus diſtinguendo maiorem ita. Quidquid poteſt aliquid medijs cauſis ſecũdis efficiētibus, poteſt ſe ſolo, tranſeat; medijs vero cauſis formalibus, vel materialibus, nego maiorem. Vnde cum ſubſtantia ſit cauſa diuiſionis media quantitate, quæ eſt cauſa formalis, non poteſt ſubſtantia ſe ſola eſſe cauſa diuiſionis; quemadmodum Deus medio calore ignis tanquam cauſa efficienti, poteſt producere calorem in aqua, poteſt etiam ſe ſolo id præſtare, Deus etiā efficit aquā calidam medio calore in genere cauſæ formalis, id vero non poteſt præſtare: vel, vt caſte loquuntur Theologi, non poteſt fieri, cum ex parte rei ſit manifeſta contradictio, vt late dicemus in quæſtionibus cap. 3. lib. 2 Phyſic.

Secundæ rationi reſpondemus, negando minorē: probationi reſpondemus, Deū eſſe ſubſtantiam infinitam ſecundum perfectionem, & Angelos eſſe ſubſtantias finitas ſecundum perfectionem; at ſecundū extenſionem molis, de qua eſt quæſtio, neq. Deus eſt ſubſtãtia finita aut infinita, neq. Angeli ſunt ſubſtãtiæ finitæ aut infinitæ quia finitum & infinitum ſecundū molem, ſupponunt extenſionem molis, quæ nec in Deo, nec in Angelis reperitur, ſed ſolum in ſubſtantijs corporeis. *Solutio 2 Ratio. dubitãdi.*

QVAESTIO III.

An totum diſtinguatur a ſuis partibus.

SVperſedendum erat ab hac quæſtione, cum quia Ariſtoteles iſta præcipit, tum quia aliquantulū eſt *Metaphyſica*, ſed quia illius cognitio non parum conducit ad intelligentiam eorum, quæ hoc capite docuit Ariſto. proinde illam pertractabimus: accedit etiā, modo ab omnibus Philoſophis hoc in loco pertractari. Propoſitā quæſtionem in quatuor partes diuidimus quarū prima proponemus obſeruationes pro explicatione tituli; ſecunda quæ certa ſunt, & varios dicendi modos Philoſophorum; tertia noſtrā proponemus ſententiā: ac denique quarta, ſatisfaciemus contrarijs argumentis.

In prima parte quæſtionis, pro explicatione tituli obſerua primo, totum duo ſignificare, primo enim idē ſignificat ac perfectum, in qua ſignificatione dicimus totū *1 Obſeruatio.*

Deum videri à beatis, & totum Deum eſſe vbique, non quia Deus ſit compoſitus, cũ ſit actus ſimpliciſsimus, ſed quia eſt perfectiſsimus. Secũdo ſignificat totũ id, quod eſt cõpoſitum ex partibus, quare tot modis contingit aliquid eſſe totum, quot modis contingit compoſitio; & quia ſuperiori quæſtione diximus multiplicem eſſe compoſitionem, modo faciliimum erit colligere quot modis aliquid dicatur totum. Sex ergo modis dicitur totum, vt colligitur ex dictis & ex D. Th. 1.p. q.3. per omnes fere articulos illius. Primo dicitur aliquid totum per accidens, vt homo albus; & de iſto toto nõ procedit noſtra quæſtio, cum certum ſit huiuſmodi totum nihil habere præter partes. Secũdo dicitur aliquid totum potentiale rationis, vt vniuerſum, quod componitur ex minus vniuerſis, ſiue indiuiduis, ſiue ſubiectis. Tertio dicitur aliquid totum rationis actuale, illud ſcilicet, quod componitur ex genere & differẽtia, vt homo, & quæuis ſpecies: de toto ſecundo & tertio modo non procedit quæſtio, quia, cum iſta fiant beneficio intellectus, nulla ratione poſſunt addere aliquid reale ſupra ſuas partes. Quarto dicitur aliquid totum Metaphyſicum reale, illud ſcilicet, quod componitur ex eſſentia & exiſtentia, quæ compoſitio, ſi ſit in ſubſtãtia, dicitur compoſitio ex natura & ex ſuppoſitalitate, etſi ſit in natura intellectuali, dicitur compoſitio ex natura & perſonalitate. Quinto dicitur aliquid totum Phyſicũ eſſentiale: illud ſcilicet, quod componitur ex materia & forma. Sexto & vltimo dicitur aliquid totum Phyſicum integrale, ſiue quantitatiuum, illud ſcilicet, cuius partes ſunt quantæ, & extenſæ, quæ, ſi ſint eiuſdem rationis, vt partes aquæ, efficiunt totum homogeneũ, & ſimilare; ſi vero ſint diuerſæ rationis, vt partes hominis ſcilicet manus, brachia, &c. efficiunt totũ heterogeneum, ſiue diſsimilare. Propoſita ergo quæſtio tantum procedit de toto, quinto, & ſexto modo ſumpto. Nam cũ exiſtentia ſolum ſit modus rei, non efficitur propriè totum ex illa & eſſentia.

Obſerua ſecundo, diſtinctionẽ aliam eſſe rationis, & aliam realẽ. Diſtinctio rationis eſt duplex, alia rationis ratiocinatæ, illa ſcilicet, quę eſt inter ea, quæ diſtinguuntur ab intellectu, dummodo talis diſtinctio habeat fundamentum in re, vt diſtinctio inter actionem & paſsionem, quia motus, cum quo ſunt idem reipſa actio & paſsio, habet fundamentum, in quo fundatur diſtinctio rationis, inter actionẽ & paſſionem; motus enim eſt ab agente, & ſic eſt actio; & recipitur in paſſo, & ſic eſt paſsio. Alia eſt diſtinctio rationis ratiocinãtis, illa ſcilicet, quæ eſt inter extrema diſtincta beneficio intellectus abſq. fundamento in re; vt diſtinctio, qua Petrus diſtinguitur a ſeipſo beneficio intellectus. Diſtinctio realis triplex eſt, alia rei a re, ſiue ſuppoſiti a ſuppoſito, vt diſtinctio inter Petrũ & Ioãnẽ; alia rei a modo rei, vt diſtinctio inter rem quæ mouetur & motũ; vel inter totũ & partem, vt inter Petrum & caput; vel inter includens & incluſum, vt diſtinctio inter lineam & punctum: alia eſt diſtinctio inter duas formas eſſentialiter & realiter diſtinctas, vt inter quantitatem & qualitatem. Hanc tertiam diſtinctionẽ realem cõſtituo cum Ferrarienſe hic, nam fere omnes hanc negant diſtinctionem: imo multi contra Ferrarienſem ita diſputant. Actio & paſsio ſunt formæ eſſentialiter diſtinctæ ſed actio & paſsio (vt nos concedimus in hac obſeruatione,) non diſtinguũtur realiter ſed tantum ratione ratiocinata: ergo formę eſſentialiter diſtinctæ nõ diſtinguũtur realiter. Reſpondemus verum eſſe non omnem diſtinctionem inter formas eſſentialiter diſtinctas eſſe realem, ſed illam tantum, quæ eſt inter formas, quæ ita ſe habent, vt vna habeat aliquam entitatem realem, quam altera nõ habeat; verbi gratia, diſtinctio inter quantitatem & qualitatẽ, quantitas enim non habet realitatem qualitatis, nec qualitas habet realitatem quantitatis. Defectu ergo huius conditionis inter actionem & paſsionem, quæ ſunt for- 2. Obſeruatio.

mæ

tiæ eſſentialiter diſtinctæ, nõ reperitur diſtinctio realis. Qui cõtrariam tuentur ſententiam, neceſſario tenẽtur admittere hãc ſolutionem; ſin minus poteſt contra illos retorqueri argumentum propoſitum, admittunt enim inter includens & incluſum diſtinctionem realẽ, & tamen datur includens nõ diſtinctum realiter ab incluſo, vt patet in homine, qui includit animal, & nõ diſtinguitur realiter ab animali, quia incluſum nõ addit realitatem diſtinctam ab includente: vt ergo inter includens & incluſum non datur diſtinctio realis, niſi vnum habeat aliquam entitatem realẽ, qua careat alterum, ita inter formas eſſentialiter diſtinctas nõ datur diſtinctio realis, niſi vna habeat aliquam realitatem, qua careat altera. Ex his patet ſenſus quæſtionis. Eſt ergo iſte. An totum ſuppoſitũ duobus vltimis modis diſtinguatur reipſa a ſuis partibus, aliquo ex his tribus modis diſtinctionis realis.

Totũ diſtinguitur realiter à quauis parte.

In ſecunda parte quæſtionis primo certum eſt totum diſtingui a qualibet parte realiter, quia totum addit cuicumque parti realitatem alterius, vel aliarum partiũ & in hoc conueniunt omnes. Procedit ergo quæſtio de omnibus partibus, ſiue de partibus ſimul ſumptis. Sed adhuc ſimul ſumptæ poſſunt dupliciter ſumi, ſcilicet vnitæ, & non vnitæ. Non vnitæ ſumuntur, ſi accipiantur omnes abſq. vnione tamen: vnitæ vero, quando ſumuntur cum vnione, a qua inſeparabilis eſt ratio totius: & ſecundum hos duos modos procedit quæſtio. Hos inter ſe diſtingui non ſolum in toto integro, in quo res eſt certa, ſed etiã in toto Phyſico ex materia & forma conſtat ex eo, quia poſſunt eſſe omnes partes abſq. vnione, etſi hoc miraculoſe eueniat; vt patet in triduo mortis Chriſti, in quo triduo erant in verbo corpus & anima rationalis, & tamen iſtę partes non erant vnitæ, quia tũc Chriſtus erat mortuus, anima enim eius non erat corpori vnita, ſed per veram mortem a corpore ſeparata, tũc enim anima Chriſti non tribuebat illius corpori eſſe vitale. Quia res hæc alterius eſt negotij; illam omitto; qui vero deſiderat exactam huius rei cognitionem, conſulat Doctiſsimum Magiſtrum noſtrum patrem Suarez ſocietatis IESV tertia parte, quæſtione ſexta, articulo ſexto, diſputatione decima ſeptima, ſectione quinta, & eadem tertia parte, quæſtione quinquageſima, diſputatione trigeſsima octaua, ſectione tertia. Ibi enim eruditione, qua ſolet cætera omnia, hanc rem pertractat.

Totũ nõ diſtinguitur realiter a partibus per exiſtentiã.

Secundo certum eſt totum nõ poſſe realiter diſtingui ab omnibus ſuis partibus, per exiſtentiam. Primo quia in toto Metaphyſico ex eſſentia & exiſtentia non ſolum non diſtinguitur totum ab omnibus ſuis partibus, verumetiam nec a quauis parte; quia, vt dictum eſt, cum eſſentia & exiſtentia non diſtinguantur realiter, nullam entitatẽ includit totum, quam nõ includat quæuis pars: ergo totum Phyſicum non poterit diſtingui realiter a ſuis partibus per exiſtentiam. Probatur ſecundo, quia in toto Phyſico tam integrali quam eſſentiali ex materia & forma, exiſtentia tam extrinſeca eſt toti compoſito, quam partibus; ergo non poteſt totum compoſitum diſtingui realiter per exiſtentiam a partibus ſimul ſumptis. Antecedens probatur, quia totum eſſentiale Phyſicum ſolum dicit eſſentiam completam ex materia & forma, & ſimiliter totum integrum dicit naturam integram in ſua quantitate totali; quæ non includunt exiſtentiam, ac proinde totum Phyſicum non diſtinguitur realiter ab omnibus ſuis partibus per exiſtentiam.

Permulti exiſtimãt, certum etiam eſſe totum diſtingui realiter ab omnibus partibus ſimul ſumptis, & non vnitis: alij etiam volunt, certum etiam eſſe totum diſtingui ratione ratiocinata ab omnibus partibus vnitis: ſed iſtę duæ ſententiæ nõ ſunt adeo certę, vt iſti volunt. Manet ergo dubitatio, an totum quinto & ſexto modo diſtinguatur ab omnibus ſuis partibus vnitis vel non vnitis.

In

Totũ diſtingui a partibus per quoſdã modos volunt aliqui.

In hac re, primus modus dicẽdi eſt quorundã (hos refert Pater Pererius 7. Phyſ. cap. 18. ex Herueo quodlibeto ſecundo quæſt. 14.) exiſtimantium totum realiter diſtingui a ſuis partibus per quoſdam modos, quos totum ſuper addit partibus, & in ſe complectitur; qui modi ſunt eſſe in alio, qui modus proprius eſt formæ; & eſſe id, in quo eſt aliud, qui eſt proprius materiæ. Dicunt enim iſti Philoſophi, eſſe in alio, re diſtingui a forma; & eſſe id in quo eſt aliud, re diſtingui a materia, & tamen non efficere compoſitionem cũ forma, aut materia. Sed hæc ſententia falſa eſt, & impugnatur ſatis a Patre Pererio acutiſsimis rationibus, quibus nos hãc addimus. Illi modi nec ſunt ſubſtantiæ, nec accidens: ergo non ſunt conſtituẽdi realiter diſtincti. Probatur antecedens; imprimis non ſunt accidens, quia totum ſupponitur conſtitutum ſaltim prioritate naturæ ante quoduis accidens. Quod non ſint ſubſtãtiæ probatur, quia ſequeretur inde totũ ſolũ conſtare ex illis modis, cum omnis ſubſtantia naturalis (vt docet Ariſt. 2. de anima c. 1.) ſit materia, vel forma, vel totum compoſitum: cum ergo illi aſſerant, modos illos diſtingui realiter a materia & forma, neceſſario tenentur concedere ex illis ſolum conſtare totum. Quare totum non eſſet compoſitum ex materia & forma.

Totũ homogeneũ non diſtinguitur a ſuis partibus.

Alij Philoſophi (vt refert Vallesius cõtrouerſia 4. Phy.) docent totum homogeneum nõ diſtingui re ipſa a ſuis partibus, totum vero heterogeneum diſtingui: quæ ſententia a parte eſt falſa; aliud enim eſt totũ habere diuerſam denominationẽ a ſuis partibus, & aliud diſtingui realiter ab illis; quia fieri poteſt, vt aliquid habeat eandem denominationem cum alio, & diſtinguatur realiter ab illo, vt patet in partibus aquæ ſeparatis; & poſſunt etiam habere aliquã diſtinctã denominationem, & nõ diſtingui realiter, vt quantitas & figura, ſic actio & paſsio. Præterea quia quemadmodum in tota aqua, verbi gratia, quæ eſt totum homogeneum, non reperitur aliqua realitas diſtincta a partibus aquæ, ita neque in homine, verbi gratia, qui eſt totũ heterogeneum: ergo aut vtrumque totum realiter diſtinguitur a ſuis partibus, aut nullum.

P. Tolet.

Pater Toletus 1. Phyſ. q. 8. cenſet totum nõ diſtingui realiter a ſuis partibus: idque probat duabus rationibus, quas admittimus quemadmodũ & ſententiam. Obſeruat tamen, concluſionem a ſe propoſitã intelligendam eſſe de partibus vnitis, non vero de partibus ſimul ſumptis abſque vnione; ac proinde ſoluit aliqua ex argumentis Scoti, quæ probant totum realiter diſtingui a ſuis partibus, admittendo illa intelligẽda eſſe de partibus ſimul ſumptis non vnitis. Sed hic dicendi modus Toleti nobis non placet, quare illũ impugnamus rationibus quæ ſequuntur.

1. Ratio cõtra Toletum.

Prima ratio. Totũ eſt idem realiter cũ partibus vnitis, ſed totũ diſtinguitur realiter a partibus non vnitis, ergo partes nõ vnitæ diſtinguuntur a partibus vnitis realiter. Sumptiones ſunt id quod docet Toletus, conſequẽtia probatur. in rebus creatis quotieſcunq. aliqua duo ſunt idem realiter, a quocunque diſtinguitur realiter vnum illorum, debet diſtingui & alterũ; ergo cum totũ & partes vnitæ ſint idẽ realiter, & totum diſtinguatur realiter a partibus nõ vnitis, etiã partes vnitæ diſtinguẽtur realiter a partibus non vnitis. (Dixi in rebus creatis, quia in increatis non ita res ſe habet; in ſanctiſsimo enim Trinitatis myſterio diuina eſſentia identificatur realiter cum paternitate, & tamen non diſtinguitur realiter a filiatione, a qua realiter diſtinguitur paternitas) modo ſic: partes vnitæ ſumptæ non poſſunt differre realiter a partibus non vnitis, niſi habeant aliquam entitatem realiter diſtinctam; ſed illam non habent; ergo non diſtinguuntur realiter ab illis. Probatur minor. Partes vnitæ ſolum poſſunt addere partibus non vnitis, vel actionem vnionis, vel terminum per illam productum, vel relationem vnionis ex tali vnione conſurgẽtem;

ſed

ſed nullum horũ differt realiter a partibus nõ vnitis; ergo partes vnitę nõ habent realitatẽ diſtinctã a partibus non vnitis. Maior eſt certa a ſufficienti diuiſione; minor probatur primo, quia illa actio eſt ipſamet generatio, quæ, vt multi volunt, eſt ſubſtãtia, & idem realiter cum altera parte, ſcilicet cum forma; vel ſi eſt accidẽs, vt alij volunt, vel non eſt realiter diſtinctum a ſubſtãtia, ſcilicet a forma, quæ generatur (nullum eſt abſurdum eandem entitatẽ eſſe ſubſtantiam & accidens, vt diximus cap. de relatione q. 10. & dicemus in libris de generatione, dum erit ſermo de ſubiecto generationis, & forſan hoc libro in quæſtionibus de materia prima) vel ſi eſt realiter diſtinctum, iam non pertinet ad compoſitionem eſſentialem totius: quare per illud nõ poſſunt diſtingui partes vnitæ a partibus nõ vnitis. Deinde omnis relatio vel eſt idẽ cum fundamento, vt nos docuimus cap. de Relatione, q. 10. vel ſi diſtinguitur realiter, cum ſit etiam accidens ſuperadditum, non poterit pertinere ad compoſitionem eſſentialem totius Phyſici: quare nõ poterit addere realitatem diſtinctam, per quam diſtinguantur realiter partes vnitæ a partibus non vnitis. Tandem, tertium, quod addere poſſunt, ſcilicet terminus, non differt realiter a partibus, quia terminus vnionis aut generationis, vel eſt forma, quę non diſtinguitur realiter ab omnibus partibus, vel, vt alij volunt, eſt totum compoſitum, quod eſt terminus totalis; per hunc vero non diſtingui partes vnitas a ſeipſis non vnitis conſtat ex eo, quia ſicut ſupponit totum partes non vnitas, ſupponit etiam partes vnitas tanquam cauſas ſui ipſius, totum enim compoſitum non cauſatur a materia & forma, niſi illæ ſupponantur vnitæ prioritate naturæ; partes enim ante vnionẽ non cauſant totum, vel ſi cauſant, datur ergo totũ antequã partes ſint vnitæ. Quare non eſt cur Toletus aſſerat totum diſtingui realiter a partibus nõ vnitis, & non diſtingui realiter a partibus vnitis.

P. Tole.

1. Ratio cõtra Toletum.

Secunda ratio. Totum diſtinguitur realiter a partibus non vnitis, ergo habet aliquam entitatem realiter diſtinctam; ſed cõſequens eſt abſurdum, ergo & antecedens. Probatur minor. Imprimis, vt ſæpe dictũ eſt, illa entitas nõ poteſt eſſe accidẽs, quia hoc non ingreditur compoſitionem eſſentialem totius, quia ſi eſt proprium, fluit a toto cõpoſito; & ſi eſt commune, illud ſupponit conſtitutum. Deinde non eſt ſubſtãtia, quia vel illa facit compoſitionem cum aliis, & conſequenter per illam non diſtinguitur totũ ab omnibus partibus, vel non efficit compoſitionem cũ illis; et ſi hoc aſſerat, aſſerendum eſt, totum Phyſicum non eſſe ens per ſe ſed per accidens, imo nõ eſſe vnum totum, ſed duplex, cum præter partes componẽtes habeat aliam partem ſubſtantialem; imo euidenter ſequitur illã entitatem nullo modo pertinere ad rationẽ totius, quia vel componit, vel non: ſi componit, ergo cum non componat cum materia & forma, debet neceſſario componere cum alia entitate; quare non ſolum habebit totum vnam entitatem realem diſtinctam a materia & forma, ſed duas; & rurſus illæ duæ diſtinguentur per alias, & ſic in infinitum: ſi vero non componit, ergo eſt extra rationẽ & entitatem totius. Quare per illam non poterit totum diſtingui realiter a ſuis partibus non vnitis. Manẽt ergo in hac quæſtione duæ præcipuę ſententiæ: altera Scoti, & altera D. Tho.

2. Ratio.

Scotus in 3. diſtinct. 2. q. 2. exiſtimat totum realiter diſtingui a ſuis partibus. Hãc ſententiam amplectuntur Heruæus, Capre. Caie. Ferra. & alij, quos omnes refert Pater Pererius 7. Phyſ. cap. 19. argumenta, quæ hanc ſententiam impugnant, adducentur pro confirmatione noſtrarum aſſertionum; quæ vero illam confirmant proponemus aduerſus noſtras aſſertiones, illaque ſoluemus.

Opinio Scoti.

S. Tho hic, & 1. p. q. 75. art. 4. & q. 77. art. 1. 4. cõtra gen. c. 11. & aliis in locis exiſtimat totum non diſtingui realiter a ſuis partibus. Hæc ſententia eſt Græcorum, ſci-

Opinio D. Tho.

licet Alexandri, Simp. Themiſtij, &c. Quibus ſequitur Valleſ. controuerſia 4. Phyſ. Soto q 3. Villalp. c.2. Illam etiam amplectitur Durandus in 3. d. 2. q. 2. & (vt refert Perrerius lib. 7. ca. 2.) Grego. 1. Sententiarum d. 24. Nos etiam hanc ſententiam rectam, & Ariſt. conſonam iudicamus, illamq. ſequentibus aſſertionibus proponemus.

1. Aſſertio. In 3. parte q. ſit 1. aſſertio. Totum Phyſicum non differt realiter ab omnibus ſuis partibus vnitis ſumptis. Probatur primo varijs Ariſt. teſtimonijs 2. enim lib. de anima ita ſcribit. *Sed quemadmodum hic pupilla, et aſpectus eſt oculus: ita illic animus et corpus animal* & 4. Phy. c. 3. *Neque enim aliud eſt totum quam partes.* Id idẽ videtur multis in locis inſinuare, quæ omitto; quia adducũtur hic a Soto, & ab alijs. Probatur præterea authoritate D. Augu. qui (vt refert D. Tho. 1. p. q. 75. art. 4.) 9. de ciuitate *Dei* cap. 3. commendat Varronem, quod hominem, nec animam ſolam, nec ſolum corpus; ſed animã ſimul, & corpus eſſe arbitrabatur. Probatur etiam teſtimonijs D. Tho locis citatis. Inſuper rationibus primo tribus, quibus P. Toletus cõfirmat ſententiã D. T. ſecundo duabus, quibus ſuam ſententiam confirmat: quas non opus eſt tranſcribamus. Tertio rationibus his, quæ ſequuntur.

Proba. 1. Prima ratio. Omnis entitas abſoluta realis, & actu, quæ realiter differt ab alia, poteſt ab illa realiter ſeparari ſaltim de poteſtia abſoluta; ſed entitas totius eſt abſoluta realis, & actualis: ergo ſi realiter differat ab omnibus partibus, poterit ab illiſ ſeparari ſaltim de potẽtia abſoluta; quod eſt falſum. Maior certa eſt cum illa duplici limitatione non excludantur relata, quæ nõ ſunt entitates abſolutæ; & materia prima, quæ non eſt ens in actu, ſed pura potẽtia; aut ſi alicui non appareat certa illa maior, reddat inſtantiam. Minor etiam certa eſt, quia cum quæſtio ſit de toto actuali, neceſſario entitas, per quam conſtituitur; debet eſſe actu, & abſoluta, ſin minus aut nõ pertinet ad categorias, aut pertinet ad categoriam relationis: quæ ſunt abſurda. Conſequens vero illud falſum eſſe certum eſt: ſi enim ratio totius, & entitas, per quã conſtituitur, eſſet ſeparabilis a partibus; fieret inde, vt eſſet totũ homo abſque corpore, & anima, & conſequenter homo nec eſſet ſenſitiuus, nec rationalis; cum anima ſit in homine principium eſſentiale horum omnium.

Secunda ratio. Totum diſtinguitur a ſuis partibus ſimul ſumptis: ergo hæc hominis definitio, ſcilicet, conſtans corpore, & anima rationis participe, non eſt recta. Conſequens eſt falſum: ergo & antecedẽs. Conſequentia probatur. non explicat totam entitatem hominis: ergo non eſt recta. Probatur antecedens, quia, vt vult cõtraria opinio, præter partes habet totum tertiam entitatem diſtinctam: quare cum definitio adducta nõ explicet totam hominis entitatem iuxta illorum ſententiam, non eſſet recta. *Proba. 2.*

2. Aſſertio. Secunda aſſertio. Totum non diſtinguitur realiter ab omnibus ſuis partibus nõ vnitis. Hæc aſſertio poteſt confirmari eiſdem teſtimonijs Ariſtot. quibus ſuperior aſſertio fuit cõfirmata. Præterea duobus argumentis, quibus in 2. parte quæſtionis impugnauimus ſententiam P. Toleti. Præterea, ſi intelligatur aſſertio hæc de toto Phyſico ex materia & forma, probatur ita. Verbum diuinum nihil amiſit eorum, quæ ſemel aſſumpſit: ergo ſi totũ eſſentiale Phyſicum addit ſupra partes aliquã entitatem ab illis realiter diſtinctam; ſequitur inde in triduo mortis, Chriſtum illam tertiam entitatem aſſumptã amiſiſſe: quod eſt abſurdum. Sequella probatur: quia in illo triduo erãt illius partes vnitæ verbo, non tamen erat totum: quia anima Chriſti non erat vnita corpori: erat enim Chriſtus in illo triduo mortuus: mors vero ſeparatio eſt animi a corpore. *Proba. 2. aſſertio in toto Phyſ.*

Deinde. Si aſſertio intelligatur de totõ Phyſico integro, probatur ita. Totũ hoc integrum diſtinguitur a ſuis partibus nõ vnitis: ergo per diſtinctã entitatem ab en- *Probatur in toto integro.*

ſitatibus partium:ſed talis entitas non poteſt aſsignari: ergo totum integrum non diſtinguitur realiter a ſuis partibus. Probatur minor. Imprimis illa entitas non eſt tranſcendens, quia ratione illius poneretur totum in prædicamento quantitatis: deinde non eſt entitas quantitatiua, quia eſſet extenſa: & ſi eſſet realiter diſtincta a partibus, haberet extenſionem realem diſtinctam, quare totum integrum haberet maiorem extenſionem realem, & occuparet maiorem locum, quam omnes partes ſimul ſumptæ, & non unitæ: quæ duo ſunt abſurda.

Probatur in toto diſcontinuo. Tandem. Si aſſertio intelligatur de toto diſcontinuo, ſcilicet de numero, probatur ita. Addit entitatem realem omnibus ſuis partibus: ergo & vnitatem realiter diſtinctam: quia omnem entitatem realem realiter diſtinctam ſequitur vnitas realis realiter diſtincta: ergo quaternarius eſſet quinarius. Nec eſt alicuius momenti ſolutio illorum, qui aſſerunt illam vnitatem eſſe tranſcendentem: tum quia, cum ſit vnitas quantitatis, pertinet ad categoriam quantitatis: tum etiã quia, eſto, ſit tranſcẽdens, ſemper hoc ſequitur abſurdum, ſcilicet binarium tranſcendentem ratione illius vnitatis eſſe ternariũ; & rurſus ternariũ eſſe quaternarium, & ſic in infinitum.

3. Aſſertio. Tertia aſſertio. Totum diſtinguitur ratione ratiocinata a partibus non vnitis. Hæc manifeſta eſt, quia multa prædicantur de toto, quæ non poſſunt prædicari de partibus nõ vnitis; ad hoc vero neceſſaria eſt diſtinctio ſaltem rationis ratiocinatæ. Antecedẽs probatur. Quia de toto formaliter ſumpto verum eſt dicere, quod generatur, & corrũpitur; & tamen non eſt verum de partibus ſumptis abſque vnione: homo enim generatur, & tamen nec eius materia, nec eius forma generatur.

4. Aſſertio. Vltima aſſertio. Totum nec re, nec ratione ratiocinata differt ab omnibus ſuis partibus, vt ſũt vnitæ. Probatur aſſertio. Totũ formaliter ſumptum nihil aliud eſt, quam ſuæ partes, vt habent inter ſe vnionem: ergo nec re, nec ratione ratiocinata differt a partibus vt ſũt vnitæ: a partibus enim ſimul ſumptis, & vnitis, vt diximus in prima parte quæſtionis, inſeparabilis eſt ratio totius. Probatur antecedens. Illa quæ habent eandem entitatem, & eandem rationem formalem, nec re, nec ratione ratiocinata differunt: ſed totũ, & omnes partes vt vnitæ habent eandem realitatem, & eandam rationem formalẽ: ergo nec diſtinguuntur realiter, nec ratione ratiocinata. Habere eandem realitatem conſtat ex prima aſſertione: habere vero eandem rationem formalem probatur. Totum formaliter conſtituitur per vnionem omniũ partium: ergo ratio formalis conſtituens totum eſt vnio partium: ſed hæc reperitur in partibus vnitis: ergo, &c. Probatur minor. Quia partes vt vnitæ per nihil aliud, quam per vnionem conſtituuntur formaliter. Hæc aſſertio communi ſententiæ videtur repugnare: ſed certe non repugnat: quia communis ſententia tantum docet totum diſtingui formaliter a partibus, quæ vnitæ ſunt; non vero vt ſunt vnitæ. Hæc enim duo, ſcilicet partes vnitæ, & partes vt vnitæ formaliter diſtinguuntur. Quare argumenta, quæ deſumuntur ex teſtimoniis Ariſt. in Metaphyſica, quibus docet ſenarium non eſſe bis tria; & ſyllabam, Ba, nõ eſſe B. & A. facile ſoluuntur: ſolum enim probant 3. & 4. aſſertionẽ, ſcilicet totũ diſtingui ratione ab omnibus partibus ſumptis abſque vnione: ſic enim alia huiuſmodi argumenta ſoluuntur: hoc vero obſeruo, ne immoremur in B, A, Ba. huius quæſtionis.

In quarta parte quæſtionis dices primo. Totũ generatur, & corrũpitur abſq. eo quod generentur, & corrumpantur partes, vt patet in homine: ergo diſtinguitur ab illis realiter. *1. argum.*

Reſpõdemus negando cõſequentiam, quia ad hoc ſufficit diſtinctio rationis ratiocinatæ quæ reperitur inter totum, & partes. Sed dices in corruptione aliquid realiter corrumpitur: ſed non corrumpantur partes, quia hæ poſſunt manere, vt diximus; ergo corrũpitur tertia entitas *Solutio.*

Obſerua quæ ſequuntur. tias: ergo cum corrumpatur totum, habebit hoc aliquid realiter diſtinctum a partibus non vnitis. Reſpondemus negando vltimam conſequentiam, quia quod corrumpitur eſt tertia entitas realis, nõ tamen diſtincta realiter a ſuis partibus: quare corrumpuntur partes ſecundũ illum modum vnionis, quem habebãt, qui realis erat, nõ vero realiter diſtinctus. Quemadmodũ enim quando deſtruitur figura, quæ eſt idẽ realiter cũ quantitate, deſtruitur aliquid reale, diſtinctũ tamen ſola ratione a quantitate, quæ manet; & quando deſtruitur relatio realis, quæ eſt idem realiter cum fundamẽto aliquid reale deſtruitur, diſtinctũ tamen ſola ratione a fundamẽto. Quod manifeſta, quando generatur, vel corrumpitur totum, generatur, vel corrumpitur aliquid reale, tamen ſola ratione diſtinctum a partibus non vnitis. Generari enim totum nihil aliud eſt, quam omnes partes vniri: & corrumpi nihil aliud eſt, quam partes ſeparari; ad hoc vero ſufficit diſtinctio rationis ratiocinatæ, abſq; eo quod denuo generetur, aut corrumpatur tertia entitas realiter diſtincta. Imo ſi res perpendatur (& hoc obſerua) in omnibus rebus artificialis forma, etſi ſit aliquid reale nunquam tamen eſt realiter diſtinctum a materia, vt inductione patet, & dicemus 2. Phyſic. cap 1. in quæſtionibus. Sed dices quando corrumpitur totum accidentarium, nõ ſolũ fit ſeparatio vnius partis ab alia; ſed etiam corrumpitur tertia entitas diſtincta realiter ab illa, quæ manet: ergo etiam in corruptione totius Phyſici eſſentialis: ſed manere poſſũt omnes partes: ergo corrũpitur tertia entitas realiter diſtincta ab omnibus partibus. Reſpõdemus negãdo conſequentiam, quia diſpar eſt ratio: nam forma accidentaria iuxta naturæ ordinẽ pendet in fieri & conſeruari a ſubſtantia: quare ſi ſeparetur ab illa, neceſſario corrumpitur; at vero in formis ſubſtãtialibus reperitur aliqua, ſcilicet anima rationalis, quæ nec in fieri, nec in conſeruari pendet a materia: quare in toto ſubſtantiali facta ſeparatione poſſit omnes realitates totius manere; in aliis vero formis ſubſtantialibus eadem eſt ratio, ac in accidentariis. Quare vt in corruptione totius accidentarij corrumpitur aliqua entitas realis, realiter diſtincta ab illa, quæ manet: ita in corruptione totius ſubſtantialis, inde tamen non ſequitur totum diſtingui ab omnibus partibus, quia tunc non manent omnes, cũ ſupponamus alteram eſſe corruptam.

Dices ſecundo. In diuiſione reali membra diuidentia debent eſſe realia, & realiter diſtincta: ſed ſubſtãtia diuiditur ab Ariſt. 2. de Anima ca. 1. diuiſione reali in materiam, formam, & totum compoſitum: ergo iſta membra ſunt realia, & realiter diſtincta: ergo totũ diſtinguitur realiter ab omnibus partibus, ſiue vnitis, ſiue non vnitis. *2. Ratio* Reſpondemus primo negando maiorem, quia ens reale diuiſione reali diuiditur in decem prædicamenta, & tamen non omnia prædicamenta ſunt realiter diſtincta, quia actio non diſtinguitur realiter a paſſione; nec aliqua relatio a ſubſtãtia, aut a qualitate; nec aliqua qualitas a quantitate, &c. *Solutio* Reſpondemus ſecundo negando ſecundam conſequentiam, quia tantum eſt e dicto argumento totum diſtingui realiter a materia & forma; non tamen ab vtraque ſimul, quod nos libenter admittimus.

Dices tertio. Quæ ſũt idem cum aliquo tertio ſunt idẽ inter ſe; ſed partes ſunt idẽ cum toto: ergo ſunt idem inter ſe: ergo materia eſt idem realiter cũ forma. Quod eſt abſurdum. *3. Ratio* Reſpondemus fieri fallaciam a cõiunctis ad diuiſa: nam partes ſolum ſũt idem cum toto, ſi omnes ſumantur, qua ratione ſũt etiam idem inter ſe, cum eandem efficiant entitatem. *Solutio* Sed dices omnis cauſa realis, & propria cauſa diſtinguitur realiter ab effectu: ſed omnes partes ſunt cauſa realis, & propria totius: ergo diſtinguuntur ab illo realiter. Reſpondemus negãdo minorem, nã omnes partes ſimul non ſunt cauſa propria totius; ſed quæuis per ſe, & diſtributiue ſumpta: omnes vero ſimul ſolum ſunt cauſa impropria: quemadmodum

funda-

fundamentum eſt cauſa impropria relationis, a qua ſola ratione diſtinguitur, quia ſcilicet præintelligitur: ita etiam partes ſimul ſumptæ ſunt cauſa impropria totius, quia præintelliguntur omnes ante vnionẽ, per quã conſtituitur totum. Sed dices omnes ſimul cauſant; ergo omnes ſimul realiter diſtinguuntur. Reſpõdemus diſtinguẽdo antecedens ita ſimul tempore, & diſtributiue concedo: ſimul, id eſt collectiue, & vnitæ ſumptæ nego antecedens. Ac proinde a quauis diſtributiue differt totum realiter; nõ tamẽ ab omnibus collectiue ſumptis. Sed dices nec materia ſolum, nec forma ſolum cauſant totũ; ergo ambæ ſimul. Reſpõdemus negando conſequentiam; fit enim fallacia ab omnibus diſtributiue ad omnes collectiue: vt ſi ita argumentetur aliquis. Hæc pars cœli deſerit locum, & illa, & ſic de cæteris: ergo omnes ſimul deſerunt locum: conſequentia enim non eſt recta; ſed fallax.

3. Ratio. Dices vltimo. Totũ ſola ratione diſtinguitur a partibus non vnitis, vt docet tertia aſſertio: ergo quãdo generatur, aut corrumpitur totum, nihil reale generatur, aut corrũpitur. Quare generatio nõ erit mutatio realis. Reſpõdemus negando conſequẽtiam, quia totum addit partibus non vnitis realitatem ſola ratione diſtinctam, omnino tamẽ neceſſariam ad conſtitutionem totius: quemadmodum quãtitas diſcreta, cum ſit aliquid reale, addit quantitati cõtinuæ entitatem realem, non tamen realiter diſtinctam, vt diximus cap. de Quantitate q. 9. idem etiam iudicium eſt de relatione & fundamento. Sed dices totum, & partes ſolum diſtinguuntur ratione: ergo non poſſunt ſeparari: quare deſtructo toto non poterũt manere materia, & forma. Solutio. Reſpõdemus negando conſequẽtiam, quia ad mutuam ſeparationem, vt ſcilicet poſſit vtrumque ſine alio manere, requiritur diſtinctio realis, vt patet in materia, & forma hominis: at vero ad ſeparationem non mutuam ſufficit diſtinctio rationis ratiocinatæ, vt patet in fundamento, quod poteſt eſſe abſq. relatione: relatio tamen nõ poteſt eſſe abſque fundamento.

CAP. III. IN QVO SOLVIT ARIST. ARGVMENTA PARmenidis & Meliſsi.

INSTITVIT Ariſt. hoc capite diluere rationes, quibus Parmenides & Meliſſus cõfirmabant ſuas ſentẽtias. Qui enim ſuſcipit euertendã ſententiam alicuius, non ſolũ debet illã firmiſsimis impugnare rationibus, verumetiã argumentis illius ſentẽtiæ accurate debet ſatisfacere.

Iis igitur qui hoc modo, &c. Docet ergo in principio cap. nõ eſſe difficile occurrere argumẽtis Parmenidis & Meliſsi; quia vterq. ex his Philoſophis & falſum aſſumit, & nõ recte concludit. Ratio tamen Meliſsi ineptior eſt, & nullã habẽs obſcuritatem; quia dato (inquit) vno abſurdo millia ſequũtur. Examinãdũ modo eſt qua ratione ineptior ſit

Meliſsi ratio; illam enim ita conciſſe proponit Ariſtoteles, illis verbis. *Meliſum autem fallaciter & captioſe, &c.* Vt niſi illam aliunde cognitã haberemus, multum nobis eſſet laborandũ; & ex his quæ ab Ariſt. modo dicuntur, vix ad illam intelligendam poſſemus habere veſtigium. Ratio ergo adducitur a Simplicio hic, & ex illo deſumunt illam S. Th. Vicomercatus & alij, habetq. ita. Omne genitũ habet principium, ergo id, quod nõ eſt genitũ, non habet principiũ; ſed ẽs nõ eſt genitũ; ergo ens non habet principiũ. Minor probatur. Si ens eſſet genitũ, aut ex nihilo eſſet genitũ aut ex ente; ſed neutro modo poteſt gigni; ergo, &c. Imprimis non ex nihilo, quia ex nihilo nihil fit. Deinde neq. ex ente, quia ſi genitum eſſet ex ente, iam eſſet antequam fieret: quare ens non eſt genitũ, & ex conſequenti ens principio caret. Deinde probat Meliſus ens carere fine, nã quidquid interit habet finem, ergo quod non interit non habet finem; ſed ens nõ interit; ergo ens non habet finẽ. Probat minorẽ ita. Si ens interiret vel interiret in ens, vel in nihil; ſed neutro modo, quia ens non poteſt interire abſolute in nihil, neq. interire in ens, quia poſtquã interiiſſet eſſet: quare vera eſt hæc propoſitio, ens nec habet principiũ, nec finem. Modo ſic. Sed quod caret principio & fine eſt infinitum, ergo ens eſt infinitũ; quod ſi ens eſt infinitũ, ergo eſt vnum: nam ſi eſſent duo, non eſſent infinita, ſed finita; eſſent enim diuiſa & ſuis finibus & terminis clauderẽtur. Ex quibus concludit ens eſſe immobile, quia, cũ ſit vnum & infinitum, non poteſt moueri: quidquid enim mouetur, ex vno ad alterum mouetur. Quare iam ens non eſſet vnũ, ſed potius multa: tũ etiam quia infinitum omnem locum occupat, quare moueri non poteſt. Ratio Parmenidis (vt tradit Theophraſtus, magnus diſcipulus Ariſ. lib. 1. de naturali hiſtoria, vt refert Vicomercatus ex Simplicio, & Alexãdro) hæc erat. Quod eſt præter ens, eſt nõ ẽs; quod vero non ens eſt, nihil eſt; igitur ens eſt vnum. Iſtæ ſunt rationes Parmenidis & Meliſsi. Omiſsis expoſitionibus Simplicij, Philoponi, & Auerrois exiſtimamus cum Vicomercato proinde rationẽ Meliſsi magis vanã eſſe, & importunam, quia aſſumit propoſitiones manifeſtius falſas, peiuſque cõcludit, quam ratio Parmenidis.

Meliſſum autem fallaciter, &c. Docet primo Meliſſum nō recte concludere, quia ex oppoſito antecedētis infert oppoſitum cōſequentis: quæ argumentādi ratio recta non eſt, niſi termini ſint reciproci, quales nō ſunt illi, quibus vtitur Meliſſus. Ita enim argumētabatur. Si eſt genitū, habet principium; ergo ſi nō eſt genitum, non habet principiū. Recte enim ex oppoſito conſequentis licet inferre oppoſitū antecedentis; verbi gratia, non eſt animal, ergo non eſt homo; non tamen ē cōtra.

Præterea hoc etiā abſurdum eſt, &c. Proponit iā alia vitia pertinentia ad materiā rationis Meliſsi: deinde, inquit, principium non ſolum eſt temporis ſed etiam rei, ideſt magnitudinis: quare quāuis vera ſit propoſitio Meliſsi in hoc ſenſu, quidquid eſt genitum, habet principium temporis; nō ſequitur inde eſſe verā, ſi intelligatur de principio magnitudinis: quia non ſequitur, eſt ingenitum, ergo nō habet principiū magnitudinis; nam falſum eſt omne, quod eſt genitum tam generatione ſimplici, per quam producitur ſubſtātia, quam generatione ex parte, per quam producitur accidens, habere principium, ideſt habere vnam partem factam prius alia, cū ſint aliquæ mutationes, per quas res producuntur ſimul ſecundum omnes partes.

Præterea cur etiā immobile eſt, &c. Peccat etiā ratio Meliſsi, quia non ſequitur, eſt vnum, ergo immobile: tum etiā non ſequitur, non mouetur ad locum, ergo nō mouetur; quia poteſt moueri circa locū, vt patet in aqua, quæ circumfertur in vaſe; poteſt etiam moueri res ad quantitatem, vel ad qualitatem.

Nec vero vnum ſpecie, &c. Tādē nec omnia, inquit, poſsūt eſſe vnum ſecūdum ſpeciē, niſi per ſpeciē intelligat Meliſſus id, ex quo, ideſt materiā quemadmodum multi Phyſici, qui exiſtimabāt omnia ex vna materia conſtare. Ratio eſt, quia homo & æquus, tum etiam bonum & malum differunt ſpecie. Quod vero per omnia eſſe vnum, non intelligat oīa cōſtare ex eadem materia, probatur. Quia illud vnūm conſtituebat immobile, at materia eſt ſubiectum mutationis. His verbis, vt obſeruat Vicomercatus, potius Ariſtoteles impugnat ſententiam Meliſsi, quam illius rationi reſpondeat.

Atq; etiā ad Parmenidem, &c. Parmenidis ſententiam reici poſſe eiſdē rationibus, ac ratio

tio Meliſsi;tumetiam & aliis, docet Ariſtot. Soluitur ergò eius ratio, partim quia aſſumit falſum,& partem quia nihil concludit:aſſumit falſum, quia docet ens dici vno modo, cũ multis modis dicatur; at vero nihil concludit, quia etſi vnum ſignificet id quod eſt albũ,poſſunt eſſe multa alba, omnia enim alba nec efficiunt vnũ cõtinuatione,quia albedo niuis,verbi gratia,nõ eſt continua cum albedine lactis; neque efficiunt vnum ratione & eſſentia,quia albedo differt a ſubiecto, cui inhæret,nec diſtinguitur,ab ipſo, quia exiſtat ſeparata, ſed potius quia eſt alterius rationis & eſsẽtiæ;quod certè non dũ cognouit Parmenides.

Sumant igitur neceſſe eſt ij, &c. Horum ſentẽtiam impugnat prætcrea multis rationibus. Prima eſt. Qui docent omnia eſſe vnum ens; per vnum ens non tantũ debent intelligere id, quod vno modo dicitur; ſed etiam id,quod proprie & vere ens eſt;quare ens eſt ſubſtantia:ſi enim per vnum ens intelligant accidens, ſit inde ſubſtantiam nõ eſſe ens, quia quidquid eſt præter ens,ideſt diuerſum ab accidente,vt eſt ſubſtantia,nõ eſt ens; & cum accidens inhęreat ſubſtantię, ſequitur ſubſtãtiam eſſe ens, & nõ eſſe ens,quod eſt abſurdum: nam accidẽtis ſubiectũ debet eſſe ens.Si vero ſubſtãtia & accidens ſunt entia, ſequitur omnia non eſſe vnum, ſed multa.Cum ergo cõſtitutum ſit omnia eſſe vnum,vt illi docent, tenẽtur neceſſario affirmare ſubſtantiã eſſe proprie ens, & accidens eſſe non ẽs: ex quo ſequitur hoc aliud abſurdũ, ſcilicet, ſubſtantiã eſſe ens,& non ens; ens, quia eſt id quod proprie eſt;nõ ẽs, quia de illo prædicatur accidens,ſubſtantia enim dicitur alba,& id,quod de alio prædicatur in recto, non poteſt ab illo realiter diſtingui. (Hoc nos late docuimus in Logica in fine prædicabilium Porph. quæſtione de abſtractis & cõcretis.)Cum ergo hæc omnia ſint abſurda,affirmandũ non erit omnia eſſe vnum ens.

Nõ igitur magnitudinem etiam, &c. Secunda ratio. Ens tantũ ſignificat id, quod eſt vere & proprie,ideſt ſubſtantiam;ergo ſubſtantia non habet magnitudinẽ.Probat cõſequẽtiã, quia alia eſt vtriuſque partis ratio, ideſt, quia alia eſt ratio & eſſentia ſubſtantiæ, & alia quantitatis.Hoc incomodũ nimis vrget aduerſus Parmenidem, vt recte obſeruat Vicomercatus,quia Parmenides illud vnum ens conſtitue-

bat finitũ eſſe, & ex conſequẽti magnitudine præditũ.

Perſpicuum eſt autem,&c. Tertia ratio. Etſi non ſit magnitudo, ſed ſola ſubſtantia, non eſt dicẽdum omnia eſſe vnũ. nã quod proprie eſt, ideſt ſubſtãtia, diuiditur in partes definitionis, quæ etiã ſunt ſubſtãtię: vt ſi homo eſt ſubſtãtia, animal & bipes, ex quibus eius definitio tãquam à genere & differẽtia componitur, etiam ſunt ſubſtantię; ſi enim nõ eſſent ſubſtãtiæ, eſſent accidentia: ergo vel eſsẽt propria hominis, aut cõmunia. Quod eſſe nõ poſſe probatur. Imprimis non ſunt communia accidentia, quia accidentia cõmunia poſſunt inhęrere, & non inhærere; at partes definitionis neceſſario conueniunt rei definitę. Præterea nõ poſſunt eſſe accidentia propria, quia hæc definiũtur per ſubiectũ, vt ſimitas, quę eſt proprietas naſi, definitur naſi cauitas; at partes definitionis eſſentialis nõ definiuntur per ſubiectũ, ſed potius per illas definitur res quam componunt. Probatur præterea, quia ſi partes definitionis eſſentialis, verbi gratia, animal bipes, eſſent accidentia, etiam homo eſſet accidens; & cum bipes accideret homini; fieri poſſet, vt homo non eſſet bipes, (vtitur hac differentia pro eſſentiali hominis, aſſumit enim exemplũ falſum, quod parũ attinet ad materiam, vt recte obſeruat Valleſius hic) cum pipes ſit de eſſentia hominis. Tandem probatur, quia ſi animal & bipes eſſent accidentia, etiã homo eſſet accidens; quod non eſt aſſerendum, cum id, quod proprie eſt, ideſt ſubſtantia, nulli accidat. Id ſequi probat Ariſt. quia de quocunque dicũtur ambo ſimul, ſcilicet animal, & bipes, dicitur etiam animal, vel bipes, vel homo, qui ex vtroque componitur. Subdit tandem *vniuerſitas igitur hæc ex rebus indiuiduis conſtat.* Quæ verba male certe torquent interpretes. Exiſtimamus tamen cum Vicomercato, & cũ Villalpandeo (nã ex aliis vix colligi poteſt quid cenſerint) Ariſt. ſuperiori ratione ad hoc pertrahere incõmodũ Parmenidem, vt cogatur fateri mundũ tantũ conſtare ex ſubſtantiis indiuiſibilibus. Si enim per vnum ens intelligit ſubſtãtiam, vel illa eſt diuiſibilis in partes definitionis, & ſic non erit vna; vel ſi eſt vna, eſt omnino indiuiſibilis. Exponunt etiam ſecundo locum dicẽtes, locum eſſe mutilum, & mancum: quæ ſecunda expoſitio nobis nõ diſplicet, aſſerit enim Vicomer-

catus propoſita verba ſolum eſſe cõſequentiam cuiuſdam rationis quam ipſe adducit.

Nonnulli autẽ vtriq; rationi, &c. Inuehitur modo cõtra illos, qui ſuperioribus Parmenidis & Meliſsi rationibus aſſenſũ prebuerunt, exiſtimantes nõ eſſe incõmodum cõcedere, ſi omnia eſſent vnum ens proprie, ideſt ſubſtantia, quod ſequeretur ens eſſe non ens, & quod eſſet totũ indiuiſibile.

Illud vero perſpicuum eſt, &c. Quãuis, inquit, ens ſignificet vnum & duæ contradicentes non poſsint eſſe ſimul veræ, perſpicuum eſt non eſſe verũ aſſerere id, quod non eſt ens, eſſe omnino nihil: nullum enim eſt abſurdum, vt aliquid dicatur non ens, non quia ſit omnino nihil, ſed quia nõ eſt tale ens, ſcilicet ſubſtãtia: abſurdum tamen eſt, ſi nihil eſt præter id, quod eſt ens, aſſerere omnia eſſe vnum; nam nullus per ens intelligit niſi id, quod eſt proprie ens, ſcilicet ſubſtantiam. Concludit, ſi ergo ens accipiatur ita, nihil impedit, quo minus ens multa ſignificet, vt ſatis abunde dictum eſt.

CAP. IIII. IN QVO IMPVGNAT ARISTOTELES Phyſicos.

DISPVTAT hoc cap. Ariſt. aduerſus Philoſophos Phyſicos, qui conſtituebant motum, & motus principium, ſcilicet naturam. Et in primis verbis cap. concludit perſpicuũ eſſe fieri non poſſe vt omnia ſint vnum, vt dicebant Parmenides & Meliſſus. Quare nõ immerito exorſus eſt Villalpandeus cap. 4. à verbis quæ ſequuntur.

Vt autem Phyſici tradunt, &c. Reiectis Parmenidis & Meliſſi ſentẽtiis aggreditur iã ſententias illorũ, quos Phyſicos appellat. Phyſici in explicandis naturæ principiis in duas partes ſunt diuiſi. Quidam enim ex illis docuerũt, principium rerum omniũ eſſe vnũ, mobile, & corpus actu; dicebantque illud eſſe vnũ ex tribus elementis, aut quoddam corpus medium denſius igne & rarius aqua, cæteraque omnia ex illo fieri per raritatem & denſitatẽ: quare conſtituebant vnum principiũ, ex quo

multa fieret. Ita enim iſti Philoſophi ſunt diuiſi, vt alij dicant principiũ illud eſſe corpus medium, alij ignẽ, alij aerem, & alij aquam; qui enim ponebant corpus mediũ, docebãt per raritatẽ fieri ignẽ, & per dẽſitatem aquam; qui ponebant ignẽ, docebant omnia fieri per denſitatẽ: qui vero aquam per raritatem omnia fieri volebant. Quoniam autem per raritatem & denſitatem omnia gigni voluerũt, ex vno principio inquit Hippocrates lib. 1. de natura hominis, eandem ſententiã eos habere, ſed nõ eadem dicere. Galenus etiam primo de elementis (vt refert Vicomercatus) inquit omnes hos materiam ſomniaſſe omnibus elementis ſubiectam, ſed cum illam non viderent, aliquod elementum ſingulos ſtatuiſſe. Nullus prætereа ex his Philoſophis exiſtimauit terrã pro pter nimiam craſsitiem eſſe elementum, vt author eſt Ariſt. 1. Metaphyſico; ac proinde nũc in textu docet, *aut triũ aliquod*, ideſt vnum ex tribus elementis eſſe principiũ, iuxta ſententiam veterum.

Hæc autem ſunt contraria, &c. Raritatem & denſitatem cõtraria eſſe docet, monens nos quodammodo, cũ ſit poſiturus tria principia, nẽpe duo contraria, & materiam primam, id idem veteres Philoſophos præſtitiſſe. Cum vero raritas & denſitas non complectantur contraria, quæ ſtatuuntur ab omnibus veteribus Philoſophis, proinde vno verbo illa complectens, docet cõtraria, eſſe exceſſum & defectum. Dicuntur exceſſus & defectus cõtraria, quia ſemper vnũ ex contrariis eſt perfectius, & alterum minus perfectum; vel quia contrarietas inter formã & priuationem videtur eſſe eadem cum illa, quę eſt inter exceſſum & defectum. Confirmat ſententiam authoritate Platonis, quia magnum & paruum quæ conſtituebat Plato principia; pertinẽt ad exceſſum & defectũ. Eſt tamẽ diſcrimen inter Platonem, & alios: nam Plato exiſtimabat magnum & paruũ pertinere ad materiam, vnũ vero eſſe formam, quæ educitur de materia, & conſtituit corpora; alij vero volunt materiam & ſubiectũ eſſe vnũ, formas vero, & differentias, quæ ab illo deducuntur, eſſe contrarias.

Alij ex vno inſitas repugnãtias, &c. Aliorum ſententias proponit. Quidam ergo, ex vno illo principio, quod cõſtituebant, docebant abſtrahi infinitas contrarietates, quæ om-

nes actu erant in illo principio. Huius ſententię fuit Anaximander, & alij omnes affirmantes, quę ſunt in rerum natura eſſe vnũ & multa, vt Empedocles, & Anaxagoras; illi enim crediderunt omnia fieri per ſegregationem ab illo primo principio, in quo antea erant. Conueniunt ergo omnes iſti, quia ex rudi quadam, & indigeſta mole omnes elementa cecernũt: differunt tamẽ primo, quia Empedocles exiſtimauit, certis tẽporibus elementa adinuicem diſiuncta manere, diſcordia, quam vnam ex cauſis efficientibus poſuit, imperium obtinente, diſiunctionemque illã faciente, atq. iterum per cõcordiam cauſam alteram agẽtem in vnum de nouo coire, & ſimul admixta, & inter ſe confuſa aliquo temporis interuallo perſeuerare; quo peracto rurſus ſecerni; poſt hæc iterum confundi, factumque perpetuo ita, & in poſterum futurum: Anaxagoras vero, qui chaos cõſtituebat, exiſtimauit ab illo ſemel factã fuiſſe ſegregationẽ, atque proinde futuram eſſe in rebus ab illa vaſta, & ingenti mole ſecretionis periodum. Differũt ſecũdo, quia Empedocles principia ſimilaria latentia in illo chao poſuit finita, Anaxagoras vero infinita.

Anaxagoras autẽ hoc modo &c. Anaxagoras infinitas partes ſimilares ſic poſuit, vt aſſereret, primo omnia fuiſſe confuſa, deinde vero mẽtis, ideſt Dei, efficientia, ab illo chao manſiſſe ſegregata. In quam ſentẽtiam ductus fuit, inquit Ariſt. duplici ratione: prima eſt, cum enim exiſtimaret cũ communi opinione ex nihilo nihil fieri, omnia item genita fuiſſe, & principium habuiſſe arbitraretur, ſimulque conſpiceret eſſe perpetuas, & paſſim eueniẽtes rerũ generationes, ex hoc putauit initio ſimul fuiſſe productas illas infinitas partes ſimiles, quarũ ſecretione ab illa maſſa, in qua erãt permixtæ, corpora ſunt procreata, & continuo procreantur, generationemque nihil aliud eſſe, quam alterationem; vel, vt alij volunt, cõfuſionem, & ſecretionem.

Præterea ex eo quod alia ex aliis, &c. Secũda ratio, qua reddit cauſam, cur Anaxagoras rei cuiuſq. infinitas partes ſimilares in quacumque re poſuerit, eſt; quia cõtraria ex ſe inuicem generari expertus fuerat, vnum contrarium alterũ cõtinere eſt arbitratus; cum enim omne, quod oritur, neceſſe ſit ab alio oriri, quia, vt conchors ſententia eorũ qui de na-

de natura diſputāt, docet ex nihilo nihil fit, proinde credidit in quauis re eſſe partes ſimilares infinitas, ex quibus, & nō ex nihilo aliæ fiunt; verbi gratia, in carne eſſe infinitas partes oſsis, & in oſſe ſanguinis, & in ſanguine carnis, & cuiuſuis alterius rei; has vero partes nimis exiguas eſſe, aſpectumque noſtrum fugiētes, & à ſenſibus imperceptibiles, carnēque proinde carnē eſſe, & ita appellari; quod habeat plus carnis, licet aliarum rerum partes etiam ſimilares habeat infinitas. Quemadmodum illud mixtum à nobis calidum nuncupatur, in quo plus caloris reperitur, licet habeat admixtam frigiditatem, ſiccitatem, & humiditatē. Exiſtimauit ergo nihil eſſe ſyncere ac ſolum album, vel nigrū, carnem, vel os, &c.

Quod ſi id quod infinitum eſt, &c. Aggreditur iam Ariſt. refellere ſententiā Anaxagoræ. Prima ratio. Infinitū, quà ex parte infinitū eſt, nequit cognoſci; ergo quod eſt infinitū ſecundum numerum, aut ſecundum extenſionem, aut ſecundum ſpeciem non poterit cognoſci: ergo ſi principia ſunt infinita multitudine & genere, id eſt ſecundum ſpeciem; quæ ex illis fiunt, nō poterūt cognoſci. Conſequentiam vltimam probat, quia, vt cap. 1. docuit, tunc cognoſcimus rē conſtantē ex principiis, quādo principia cognita habemus.

Iam ſi neceſſe eſt, &c. Quia nō ſolū poſuit Anaxagoras partes ſimilares infinitas, ſed etiā nullo magnitudinis, aut paruitatis termino cōtineri cenſuit; hanc illius ſententiā modo refellit, ducta ratione à definita rerum naturaliū, ſcilicet animalium, & plantarum magnitudine, in hunc modum. Si partes componentes poſſent creſcere, & minui in infinitum, etiam ex illis compoſita; ſed res compoſitæ non poſſunt, quia habēt determinatam magnitudinem, & paruitatem; ergo neq. & partes. Maior eſt certa, quia totum componitur ex partibus, quare ſi partes non haberent determinatam magnitudinem, aut paruitatem, ergo neq. & totum illam haberet. Minor vero experientia cōſtat, quia plantarum, animaliū, & aliarum rerū natura cōſtantium certus eſt magnitudinis, & paruitatis terminus. Quare, inquit, cum caro, & os ſint partes animalium, vt fructus ſunt ſtirpium; caro, & os, & alia id genus non poſſunt in infinitū creſcere, aut minui. Etſi Ariſtot. appellet fructus

partes plantarum, non ſunt proprie partes. etiã ſi nomine fructus intelligat, vt vult Alexander, ſemina; dicuntur tamen partes, quia partium ſimilitudinem præſeferũt, vt multi referunt ex Theophraſtro: modo tamen partes appellauit, quia non eſt exacta de hac re diſputatio.

Præterea ſi hæc omnia alia, &c. Refellit his verbis Ariſt. quãcumque rem in quacumq. in eſſe, quod etiam docebat Anaxagoras. Idq. præſtat propoſitis quibuſdã Anaxagorę placitis, hocque vero principio. Corpus omne finitum corporis finiti ablatione conſumitur. Ratio ergo ita habet. Si res omnes in ſe inſunt viciſſim; & non generãtur, ſed excernuntur, nomenque accipiunt illius, cuius plurimum ineſt, & ex quocunq. inſuper omnia fiũt, ſi inſuper corpus omne finitũ per corporis alterius ablationẽ cõſumitur; ergo quęuis res nõ eſt in quauis alia. Cõſequentiã ita probat. Accipiatur aqua, & ex ea caro ſecernatur, illa nũquam erit minima, quia ſemper poteſt minor ſecerni; ergo ſi finem habeat ſecretio, iam nõ erunt omnia confuſa, cum in illa aqua non maneat caro; ſi vero fine careat, iam ergo in magnitudine finita partes inter ſe æquales magnitudine; erunt infinitæ multitudine; quod nequit intelligi. Dicuntur partes æquales magnitudine; quę inſunt in aqua, verbi gratia, non quia ſint æquales, ſed quia ſi maiores diuidãtur, poſsũt fieri ęquales aliis, atq. ita illæ partes nunquã detractione abſumerentur, quare eſſent infinitæ numero, & magnitudine æquales. Etſi Ariſt. ratio nullam videtur habere vim, quia cõtinuum eſt in infinitum diuiſibile, habet tamen maximam, nam partes cõtinui, in quas poteſt in infinitum diuidi, non ſunt actu in continuo, ſicut conſtituebat Anaxagoras, partes cuiuſuis rei actu in quauis re reperiri.

Præterea ſi omne corpus detracta parte aliqua, &c. Secũda ratio. Omne corpus finitum partiũ detractione cõſumitur; cũ ergo caro tam verſus magnitudinem, quam paruitatem finita ſit, partiũ detractione poteſt fieri minima caro, ſumamus ergo minimam carnem; vel igitur ab illa nõ poteſt ſeparari aliquid, quare non eſſent omnia cõfuſa; vel poteſt ſeparari, & ſequitur inde dari minus minimo, quod eſt abſurdum.

Præterea in corporibus multitudine infinitis, &c. Tertia ratio. Si

Si partes ſimilares in quaſuis re latentes eſſent infinitę, ſequeretur inde eſſe ſimul multa infinita ſecũdum numerũ, quod certè eſt perabſurdũ.

Quod autem aſſertur numquam fore, &c. Reſpondebat Anaxagoras ſegregationem, & ſeparationem partium ſimilariũ nunquam fore finẽ habiturã, docet ergo Ariſt. hãc ſolutionem rectam eſſe, inſcitè tamẽ ab ipſa fuiſſe prolatam. Eſt recta; quia accidentia rei ſunt inſeparabilia. Anaxagoras enim non ſolum exiſtimabat partes ſubſtantię eſſe permixtas, & confuſas inter ſe; ſed etiam partes accidentiũ. Quare ſi accidentia poſſunt ſeparari, eſſet accidens, verbi gratia, albedo abſque ſubſtãtia; quod eſt abſurdum. At vero id non ſcienter dixit: quia nõ reſpexit accidẽtia ſolum, ſed etiam ſubſtantias. Hinc colligit Ariſt. mentem, quam Anaxagoras poſuit, omnia ſecernentem abſurdam eſſe, & à ratione alienam; eo quod, quæ fieri nõ poſſunt, facile aggrediatur: quod certe à mẽte alienũ eſt; nam per mẽtem, diuinam intelligebat Anaxagoras. Sed fortaſſe Anaxagoras ſatisfaceret dicẽs, ſe ſtatuiſſe mentem ſecernentem ea ſolum, quæ ſeiungi poſſunt. Sed de hac re legendus eſt Simplicius, quia multa erudite pertractat.

Nec vero ortum ab iis, &c. Probat his verbis non recte exiſtimaſſe Anaxagoram res generari per compoſitionẽ tantum partium ſimilariũ: quia totum non ſolum generatur ex partibus ſimilaribus; ſed etiam ex diſsimaribus: vt lutum ex terra, & aqua in quæ poteſt reſolui; & caro etiam ex terra, & aliis elementis in quæ reſolui poteſt.

Nec quemadmodũ lateres ex domo, &c. Vltima ratio. Non inquit, fiũt aer ex aqua, & aqua ex aere: quemadmodũ fit domus ex lateribus per ſolã cõpoſitionem, & fiũt lateres ex domo per ſolam diuiſionem; ſed potius aer fit ex aqua; & aqua ex aere media alteratione: ergo non omnia generantur per ſegregationem partium ſimilarium. Concludit tandem Empedoclem multo rectius conſtituiſſe principia finita, & pauciora.

DISPV-

DISPVTATIO DE MAXIMO, ET MINIMO; SIVE DE terminis magnitudinis, & paruitatis rerum omnium.

ARIST. 3. & 4. cap. occaſionem nobis præbet huius diſputationis; tum etiam illius, qua inquiritur, quotuplex ſit infinitum; & an cognoſci poſsit; præterea illius etiam qua Philoſophi inquirunt, an ex nihilo poſsit aliquid fieri: tamen modo ſolũ eſt futura diſputatio de maximo, & minimo; nam de infinito multa diximus 1. de Demonſt. cap.3. quæſt.5. & dicemus lib.3. Phyſi. & an ex nihilo poſsit aliquid fieri, dicemus Deo dãte 1. lib. de Generat. Diſputationem hanc de termino magnitudinis, & paruitatis rerum, in tres diuido quæſtiones; quarum prima ſermõ erit de rebus animatis: ſecunda de ſubſtantiis vitæ expertibus: & tertia de accidentibus.

QVAESTIO I.

An res naturales viuentes habeant terminum magnitudinis & paruitatis.

IN hac quæſt. duas præcipue pertractabimus dubitationes. Prima erit, an viuentia habeant terminum magnitudinis, & paruitatis: ſecunda vero, an talis terminus ſit extrinſecus, vel intrinſecus. Prima dubitatio diuiditur in quatuor partes. In prima proponemus obſeruationes: in ſecunda quæ ſunt certa: in tertia aſſertiones: in quarta ſoluemus contrarias rationes.

Ad primam dubitationem accedentes, ſit prima obſeruatio. Paruitas, & magnitudo conueniunt rebus ratione quantitatis: quia tamen quantitas eſt duplex: alia perfectionis, & alia molis, licet quæſtio præcipue agitatur de quantitate molis, obiter tamen aliqua dicemus de quantitate perfectionis. *1. Obſeruatio.*

Secunda obſeruatio. Maximum, & minimum dupliciter dicuntur, ſcilicet poſitiue, & negatiue: maximum poſitiue eſt id, quod ita eſt maius omnibus, vt nõ habeat *2. Obſeruatio.*

aliquid

aliquid æquale: maximum negatiue eſt illud, quod ita eſt maius, vt habeat aliquid æquale. Minimum poſitiue eſt illud, quod ita habet minimam quantitatem, vt nihil habeat quantitatem illi æqualem: minimũ vero negatiue eſt illud, quod ita habet minimam quantitatem, vt nihil habeat minorẽ, licet aliquid habeat æqualem. Ex hac obſeruatione infero vnam ſolũ rem poſſe eſſe maximam poſitiue; & ſimiliter ſolam vnam rem poſſe eſſe minimã poſitiue; poſſe tamen multas res ſimul eſſe maximas negatiue; vel poſſe multas eſſe minimas negatiue.

4. Obſeruatio. Tertia obſeruatio. Rem habere terminum poteſt intelligi actu, vel potentia; & cum potentia ſit duplex: alia naturalis, ſiue ordenata, qua Deus concurrit cum cauſis ſecundis iuxta rerum naturam, & indigentiam; & alia abſoluta, qua ſupra naturæ leges, & conditiones quæcumq. non implicant, operatur. Præſens quæſtio intelligit de facto; & de vtraq. potentia.

IN SECVNDA parte dubitationis, ſi ſermo ſit de quãtitate perfectionis, certum eſt, Deum carere terminis; quia, cũ ſit infinitus ſecundum eſſentiam, & perfectionem, omni termino caret: cũ terminus & finis idem ſint. Deinde, ſi loquamur de creaturis, certũ etiam eſt illas de facto habere terminum verſus magnitudinem, & paruitatem in quantitate perfectionis: ſupremus enim Angelus perfectior eſt perfectione eſſentiali omnibus aliis ſubſtantiis creatis; ratio eſt, quia inter corporeas creaturas homo eſt perfectior cæteris omnibus, cum omnes in hominis miniſterium, & quotidianos vſus ſint productæ, vt manifeſte conſtat ex primo cap. Geneſis. Ibi enim præcipit Deus omnia homini eſſe ſubiecta: Angelus vero perfectior eſt ipſo homine, quia inter homines Chriſtus vt eſt homo perfectior fuit cæteris hominibus, & quiuis Angelus perfectior eſt quã Chriſtus, vt homo eſt: inquit enim Regius Vates Pſalmo octauo, loquens de Chriſto vt homo eſt, *minuiſti eũ paulo minus ab Angelis, etc.* Cum ergo ſupremus Angelus ſit perfectior aliis Angelis, & Angeli ſint perfectiores hominibus; & homines ſint perfectiores aliis ſubſtãtiis creatis, (omitto accidentia, quia de illis dicemus quæſtio. 3.) proinde in ſubſtantiis creatis datur terminus magnitudinis in quantitate perfectionis, habetq. illum ſupremus Angelus. Inſuper datur terminus paruitatis inter ſubſtantias creatas: materia enim prima imperfectior eſt omnibus ſubſtãtiis, & proinde minima ſecundum quantitatem perfectionis. Præterea, ſi ſermo ſit de potentia abſoluta, certum eſt, ſubſtãtias creatas habere terminum magnitudinis, & paruitatis: cum enim rerum eſſentiæ in indiuiſibili conſiſtant, nulla ſubſtantia poteſt fieri perfectior eſſentialiter: implicat enim ex parte rei; nam eo ipſo, quod alicui rei fieret additio ſecũdum eſſentiam, mutaretur talis res eſſentialiter, & non maneret eadẽ: nihilominus tamẽ poteſt Deus facere rem meliorem qualibet re a ſe creata, vt docet S. Tho. 1. p. q. 25. art. 6. in corpore, & in ſolutione ad primum docet, Deũ poſſe facere aliquid melius, quam fecit, dummodo vox *melius* ſe teneat ex parte rei productæ, ita, vt ſenſus ſit. Deus poteſt facere melius aliquid, quam fecit; id eſt poteſt Deus facere rem meliorem quacumq. a ſe producta: ſi vero illa vox *melius* ſit aduerbium, & importet modum ex parte facientis, nõ poteſt Deus, rem aliquam facere meliorẽ; quia non poteſt illam facere ex maiori potentia, ſapientia, aut bonitate, &c. Manet ergo dubitatio de ſubſtantiis creatis ſecũdum quantitatem molis.

In hac re certum etiam eſt, loquẽdo de facto, primum cœlum eſſe maximum poſitiue. Probatur. Quia tantam habet extenſionem molis, vt nullum aliud corpus habeat extenſionem maiorem, aut æqualem. Datur etiam de facto corpus minimum poſitiue, vel negatiue. Probatur; quia in rerum natura vel eſt vnũ corpus minus omnibus, & ſic datur minimum poſitiue: vel ſunt multa ſimul æqualia inter ſe, aliis tamen

ſtea omnibus minora: & ſic quoduis ex il-
lis eſt minimum negatiue. Idem iudiciũ
eſt in plantis, & animalibus, imo inter in-
diuidua cuiuſuis ſpeciei plantarum, & ani-
maliũ. Deinde, ſi ſermo ſit de potentia ab-
ſoluta, certum eſt, quamuis rem carere ma-
gnitudinis, & paruitatis termino: vt enim
poteſt Deus conſeruare quamuis rem natu-
ralem abſq. quantitate: ita poteſt illam cõ-
ſeruare ſub maiori, aut minori abſq. fine.
Manet ergo in hoc tota dubitatio, an res
naturales viuentes habeant terminum ma-
gnitudinis, & paruitatis in quantitate mo-
lis, loquendo de potẽtia naturali, & diſpo-
ſitione neceſſaria pro conſeruatione for-
mæ.

Viuentia magnitudine, et paruitate terminantur. IN TERTIA parte ſit aſſertio. Res
viuentes præfixum habent magnitudinis,
& paruitatis terminum. Hæc eſt expreſſa
Ariſt. cap. 4. illis verbis *fieri autem nõ po-
teſt aut animal, uel ſtirps quamuis augean-
tur, aut minuantur.* Id eſt animalia, & plan-
tæ nequeunt in infinitum creſcere, aut mi-
nui: vt diximus in explicatione textus 86
2. de Anima cap. 4. ſcribit ita. *Nam ignis
quidem accretio in infinitum progreditur,
et eouſque fit, quouſque ſit combuſtibile: at
eorum omnium quæ natura conſtant, eſt fi-
nis, et ratio tam magnitudinis; quam accre-
tionis.* (Sequor in hoc teſtimonio verſio-
nem Argyropili, quæ hãc rem manifeſtius
explicat aliis verſionibus.) Idẽ docet A-
riſt. multis aliis in locis; eſt etiam commu-
nis hæc ſententia, & probatur ratione pri-
mo, quia cauſa augmenti, & decremẽti in
viuentibus, ſcilicet anima, & inſtrumentũ
ſcilicet calor natiuus, ſunt finitæ virtutis:
ergo etiam & potẽtia auctrix. Præterea pro
batur, quia viuentia requirunt certa or-
gana, & inſtrumenta, quæ requirunt deter-
minatam quantitatem, & non poſſunt eſſe
ſub quacunque magnitudine, aut paruita-
te. Inſuper, quia ſignum eſt fieri nõ poſſe,
quod nunquam factum eſt per naturam: at
nunquam fuit homo æqualis monti in ma-
gnitudine, aut formicæ in paruitate: ergo
certum eſt res viuentes habere certum ma-
gnitudinis, & paruitatis terminũ: etſi diffi-
cile ſit illum cognoſcere.

IN QVARTA parte dubitationis. *1. Ratio contra aſſertionẽ.*
Dices primo. Forma non viuẽtis eſt deter-
minatæ, & finitæ virtutis, & tamen poteſt
maiorem, & maiorem informare materiã
abſq. termino vt quæſt. ſequenti dicemus:
ergo etiam forma viuentis; etſi ſit finitæ
virtutis. Reſpondemus negando conſequẽ- *Solutio.*
tiam: quia diſpar eſt ratio: nam quando au-
getur non viuentia, aduenit noua forma,
ita a præexiſtẽti diſtincta, vt poſsit abſq.
illa exiſtere in materia: vnde etſi forma ſit
finita, quia tamen poteſt alia, & alia adue-
nire, cum accretio non viuentis nec fiat a
principio intrinſeco, nec egeat noua diſpo
ſitione, proinde viuentia carent magnitu-
dinis termino. In accretione vero viuen-
tiũ, ſiue in nutritione, vel non aduenit no-
ua forma, ſed prior ea ratione qua poteſt,
extenditur; vt patet in nutritione homi-
nis: vel ſi aduenit, non eſt totalis; ſed par-
tialis, & non poteſt abſq. priori exiſtere:
quare ex prioris formę finitate penſari de-
bet terminus magnitudinis. His etiã acce-
dit, res animatas requirere neceſſario cer-
ta, & determinata inſtrumenta ad ſuas ope-
rationes exercendas, vt Ariſt. docet 2. de
Anima ca. 1. viuentium enim operationes
nequeunt exerceri, niſi inſtrumenta illorũ
ſint in quantitate determinata.

Dices ſecũdo. Res viuentes habent ter- *2. Ratio.*
minum paruitatis: ſit ergo minima planta,
hæc eſt extenſa, & quãta: ergo poteſt diui-
di: ſed per diuiſionẽ non fit corruptio ſub
ſtantialis, quia non præcedit alteratio di-
ſponens: ergo diuiditur in partes, quarum
quæuis eſt planta: ergo non datur minimũ
in viuentibus; vel datur minus minimo.
Reſpondemus concedendo enthymema, & *Solutio.*
negando minorem: nam planta illa mini-
ma, etſi poſsit diuidi, quia quãta eſt, & ex-
tenſa: tamen per diuiſionem corrumpitur;
diuiſio enim minimi eſt ſufficiẽs alteratio
diſponens ad corruptionem, cũ per illam
ſit quæuis pars plantæ in minori quãtita-
te, quã eius forma requirat. Si vero quæ-

taſque forma introducatur in partes pluſ ex minimæ, quæ corrumpitur per diuiſionem. Reſpondemus introduci quandã formam, quæ correſpondet formæ cadaueris, quę fit per corruptionem animalis. Cuius tamen formæ nondum apud Philoſophos nomen proprium inuenimus.

2. Ratio contra aſſertionẽ.

3. Ratio. Dices tertio. Sit aliqua ſubſtantia affecta quãtitate minima ſub qua poſsit eſſe forma viuentis, & accedat agens naturale vt in illam materiam formam viuentis introducat, hoc poſito 3. argum. ita habet. Agens naturale prius agit in partem propinquam, quam in partẽ ab illo magis diſtantem: ergo prius introduceret ab illo forma illa viuentis in partem magis proximam, quam in materiam ſub tota quantitate, ac per conſequens erit iam viuens minus minimo.

Solutio. Reſpondemus negando cõſequentiam nam agẽs naturale introducit ſemper formam in partem magis proximã ſibi, dummodo talis pars capax ſit illius formæ, quæ introducitur: in caſu vero propoſito, quia illa materia non eſt capax ad formam viuentis recipiendam, niſi tota ſit diſpoſita, proinde introducit paulatim agens naturale in materiam diſpoſitiones remotas, quarum talis materia ſecundum partes capax eſt; ſimul vero & in inſtãti producit diſpoſitionem vltimam, & formam ſubſtantialem viuentis, ad quam neceſſaria eſt determinata quantitas, cum ſub minori nequeat conſeruari, licet ergo quãtitas abſolute ſumpta fiat ſucceſsiue, ſi tamẽ accipiatur vt tanta, fit in inſtanti: quid ſit quãtitas vt tanta dicemus q. 2. Sed dices,

2. Ratio. ergo nutritio viuentis nõ eſt mutatio continua: quod certe eſt abſurdum. Probatur conſequentia. Quia prius debet paulatim diſponi minima materia in quam introducatur forma; & deinde per aliam mutationem debet diſponi alia minima, &c. Sic cõſequenter eriĩ alteratio in nutritione non erit motus continuus.

Solutio. Reſpondemus negã do conſequentiã, probationi, negando per nutritionem prius fieri minimum: ſed ſucceſsiue potius introduci in illam ſubſtantiam alimenti formam rei, quæ nutritur. Sed dices, ergo in ſubſtantia viuentis producta per nutritionem nõ datur minimũ, quod eſt contra aſſertionem. Reſpõdemus concedendo conſequentiam, negando tamen eſſe contra aſſertionem, quia ſubſtantia illa partialis, quæ fit per generationẽ partialem, ſcilicet per nutritionem, nõ eſt exiſtens, ſed inexiſtens: exiſtit enim ad exiſtentiam præexiſtẽtis, cum qua fit vna numero. Quando ergo dicimus viuentia habere minimum, intelligẽdi ſumus de minimo exiſtenti; nam minimum inexiſtens nõ datur in rebus viuẽtibus, quia quantumcũ minimum ſit viuens, habet partes extenſas minores toto, quarũ nulla facta diuiſione, poteſt illius totius formam ſubſtãtialem conſeruare. Proinde ergo generatio totius in viuẽtibus fit in inſtanti, quia viuens habet minimũ: generatio vero partialis, id eſt nutritio eorundem, fit ſucceſsiue, & abſque minimo, quia iam ſupponit formam viuentis in eo, quæ nutritur.

2. Dubitatio huius quæſtionis. DIXIMUS viuẽtia habere terminũ magnitudinis, & paruitatis. Iam in ſecũda dubitatione huius quæſtionis inquirimus. An huiuſmodi terminus ſit intrinſecus, vel extrinſecus. Obſerua primo. Termi-

1. Obſeruatio. nus intrinſecus magnitudinis eſt ille, ſub quo res poteſt eſſe, non tamen ſub aliquo maiori: extrinſecus magnitudinis eſt ille, ſub quo res non poteſt eſſe, poteſt tamen eſſe ſub quocunque minori. Terminus intrinſecus paruitatis eſt ille, ſub quo res poteſt eſſe, non tamen ſub minori. Terminus vero extrinſecus paruitatis eſt ille, ſub quo res non poteſt eſſe, poteſt tamen ſub quocunque maiori: verbi gratia, ſi homo poſſet conſeruari ſub quantitate quatuor cubitorum, & non ſub maiori, quantitas quatuor cubitorum eſſet terminus intrinſecus hominis, & maior quãtitas eſſet terminus extrinſecus. Tum etiã ſi homo poſſet conſeruari ſub quantitate vnius palmi & non ſub minori, quãtitas vnius palmi, eſſet terminus intrinſecus paruitatis hominis; & quantitas illa minor ſub qua non

Poſſet conſeruari eſſet terminus extrinſecus paruitatis hominis. Terminus intrinſecus magnitudinis dicitur a multis maximum quod ſic, quia inter quãtitates, quas res poteſt habere, illa eſt maior; & terminus extrinſecus magnitudinis appellatur minimum quod non; quia inter maximas quantitates, quas res non poteſt habere, illa eſt minima. Terminus intrinſecus paruitatis ab illis etiam appellatur minimum quod ſic; quia inter quantitates, quas res poteſt habere, illa eſt minima. Terminus denique extrinſecus paruitatis dicitur maximum quod non; quia inter quantitates exiguas, quas res non poteſt habere, illa eſt maior.

2. Obſeruatio. Obſerua ſecundò. Duobus modis res incipere, vt colligitur ex Ariſt. 6. Phy. ſcilicet per vltimum non eſſe: & per primum ſui eſſe: & duobus deſinere, ſcilicet per vltimum eſſe; & per primum non eſſe. Vltimũ non eſſe eſt inſtans, in quo verum eſt dicere, res non eſt, immediate tamen tẽpore ſequenti erit. Primum eſſe eſt inſtãs, in quo verum eſt dicere, nunc res eſt, tempore autem immediate præterito nondũ erat. Vltimum eſſe eſt inſtans, in quo verum eſt dicere, nunc res eſt, immediate autem tempore ſequenti non erit. Primum non eſſe eſt inſtans, in quo verum eſt dicere, nunc res non eſt, immediate autem tempore antecedente fuit. Propoſitæ definitiones intelligendæ ſunt, ſi fiat comparatio ad tempus quod eſt duratio primi mobilis (vt 6. Phyſico diffuſe dicemus) nã ſi intelligantur de tẽpore intrinſeco cuiuſuis motus, forſan res alio modo ſe habet, proponendęq. ſunt aliæ definitiones.) Adduxi hos incipiẽdi, & deſinendi modos: quia omnes fere quotquot ſunt Philoſophi exiſtimant, rectè ſequi, res incipit per inſtans intrinſecum: ergo habet terminum intrinſecum magnitudinis, aut paruitatis per quem incipit; ſiue res incipit per inſtans extrinſecum: ergo habet terminum extrinſecum magnitudinis, aut paruitatis per quem incipiat: tum etiam rectè ſequitur, res deſinit per inſtãs intrinſecum, ſcilicet per vltimum eſſe: ergo habet terminum intrinſecum magnitudinis, aut paruitatis in quo eſt, quando deſinit. Et rectè ſequitur, res deſinit per inſtãs extrinſecum, ſcilicet per primum non eſſe: ergo habet terminum extrinſecum magnitudinis, aut paruitatis in quo eſt, quando deſinit. Huius rei hæc eſt ratio. Quod incipit per vltimum non eſſe quando incipit, nondum eſt, erit tamen immediate tempore ſequenti: ergo cum fiat tempore ſequenti ſucceſſiue, & per motum, non habebit terminum intrinſecum; ſed potius extrinſecum, quia motus non habet primam partem, & cõſequenter nec quæ fiunt per motum, habẽt primam partem; ac proinde neceſſario ſi habet terminum, ille debet eſſe extrinſecus: eodem modo quæ deſinũt per primũ non eſſe quando deſinunt, nõ ſunt, cum deſinant per motum; quare terminus quem habent, extrinſecus eſt, cum ante illud inſtans, in quo deſinunt, ſit tempus, in quo nõ datur vltima pars, & terminus intrinſecus.

3. Obſeruatio. Obſerua tertio. Vt docet C. Toletus q. decima, poſſumus loqui aut de quantitate, quam requirit viuens natura ſua, ad hoc vt introducatur eius forma in materia, & iuxta naturalem diſpoſitionẽ cõſeruetur, quæ appellatur quãtitas via generationis, & in ſtatu naturali: aut loquimur de quantitate, quam poteſt habere viuens, ſi ſumatur in ſtatu non naturali, & vt iam tendit ad corruptionem per aliquod accidens, verbi gratia, per tumefactionem, cõtractionem, &c.

1. Aſſertio. IN SECVNDA parte dubitationis ſit 1. aſſertio. Via generationis, & in ſtatu naturali, terminus magnitudinis, & paruitatis in viuẽtibus eſt intrinſecus. Probatur aſſertio. Quæ incipiunt per primũ eſſe, terminantur intrinſecè; ſed res viuẽtes incipiunt per primũ eſſe: ergo terminantur intrinſecè. Minor cõceditur ab omnibus. Maior conſtat ex ſecũda obſeruatione, & probatur ita. Sit quantitas minima, quæ ſit terminus extrinſecus hominis, verbi

gratia, ſub illa quantitate non poteſt eſſe homo, cum illa quātitas ſit terminus extrinſecus, poteſt tamen eſſe ſub quacunq; maiori. Fiat ergo maior: modo ſic, ſed nō datur primum eſſe maioris: quia fit maior per motum: & in motu non datur primum eſſe: ergo neque datur primum eſſe hominis ſub aliqua quantitate. Quare non inciperet per primum ſui eſſe: quod eſt abſurdum; nam ſequeretur inde hominem fieri in tempore. Idem argumentum fieri poteſt, ſi ſumatur maxima quantitas, quæ ſit terminus extrinſecus. Et ſi res viuentes requirant maximum, & minimum via generationis; non tamen eſt neceſſe, vt incipiant in illa maxima, vel minima quātitate: nec etiam neceſſe eſt, vt viuentia per nutritionem, & accretionem perueniant ad maximam quantitatem, quā iuxta naturalē diſpoſitionem habere poſſunt. Propoſitam aſſertionem tenēt Toletus q. decima & Soto q. 4. art. 2. & alij: Pererius vero lib. decimo cap. 23. propoſitione 2. & 3. quibus de hac re agit, ſolum docet viuentia habere terminum magnitudinis, & paruitatis: non tamen an ille terminus ſit intrinſecus, vel extrinſecus.

2. *Aſſertio.* Secunda aſſertio. Res viuentes per nutritionem & naturalem accretionem terminum habēt intrinſecum magnitudinis. Probatur aſſertio quia vt docet D. Tho. 1. p. q. 7. art. 3. omnis forma viuentis eſt determinatæ virtutis: ergo ab intrinſeco determinat ſibi certa & definita accidentia, ſub quibus tanquam ſub diſpoſitionibus debet conſeruari: inter huiuſmodi vero accidentia etiam cōnumeratur quātitas, quæ cum hæc ſit diſpoſitio formæ viuentis, ſub qua forma viuentis poteſt cōſeruari, tum etiam cum ſit a forma finita, erit neceſſario terminus intrinſecus viuentis; terminus quidem, quia eſt maxima earū ſub quibus eſſe poteſt, intrinſecus vero; quia ſub illa quātitate viuens iuxta naturalem diſpoſitionem habet eſſe, & non poteſt illud habere ſub aliqua quantitate maiori.

3. *aſſertio* Tertia aſſertio. Etſi res viuentes ſumā-tur via corruptionis, & extra ſtatum naturalem nunquam poſſunt terminari extrinſece. Nullus quem ego viderem hanc profitetur ſententiam. Soto enim qui q. 4. ar. 2. aſſertione 2. aſſerit res viuentes terminari intrinſece quoad magnitudinē & paruitatem, explicans ſeipſum in ſolutione ad tertium principale docet viuentia, ſolum habere maximum intrinſecum, ſi ſumatur terminus augmēti illius, quod fit a forma rei in naturali diſpoſitione. Hanc ergo aſſertionem accurate confirmare difficillimum eſt, niſi inuoluātur, quæ dicēda ſunt lib. 6. de modis incipiendi & deſinendi rerum: quare ſufficiat modo illam, breuiter probare, & liberare a contrariis argumentis. Probatur igitur aſſertio. Vt cōſtat ex ſecunda obſeruatione quæ deſinunt per vltimum ſui eſſe terminantur intrinſece, ſed omnia viuentia, etiam ſi ſumantur in ſtatu nō naturali deſinunt per vltimum ſui eſſe: ergo omnia viuētia adhuc via corruptionis & in ſtatu nō naturali terminantur intrinſece. Maior cōceditur ab omnibus, minor vero non ſolum nō admittitur vt certa a Philoſophis, verumetiam abſurda iudicatur. Illam tamen Deo dante probabimus ſatis 6. lib. in diſputatione de modis incipiendi & deſinendi; nunc ſatis ſit vt dixi argumentis contrariæ ſententiæ reſpōdere.

IN VLTIMA parte dubitationis dices in 1. aſſertionē. Res viuētes fiunt ſimul cū diſpoſitionibus, ſed diſpoſitiones fiunt ſucceſſiue, ergo res viuētes fiunt ſucceſſiue; ſed quę fiunt ſucceſſiue non habēt terminum, aut illum habent extrinſecū: ergo res viuentes via generationis cum habeant terminum, illum habent extrinſecū. *Ratio in 1. Aſſertionem.*

Solutio. Reſpondemus diſtinguendo maiorem ita, ſimul cū diſpoſitionibus vltimis concedo, cum primis & remotis nego maiorem, quare falſa eſt minor; quia diſpoſitiones vltimæ cū quibus fiunt res viuentes, nō fiunt ſucceſſiue, ſed in inſtāti vt diximus in ſolutione tertij argumenti ſuperioris dubitationis.

Ratio in 2. Aſſertionem. Dices in ſecundam aſſertionem. De potentia naturali nutritio viuentiũ eſt finita, & determinata: ergo de potentia naturali non poteſt dari in viuenti, ſumpto in diſpoſitione naturali, quantitas aliqua, maior illa quæ produci poteſt per accretionẽ ſimul cum illa nutritione, ergo illa quãtitas habet terminum extrinſecum magnitudinis. Enthymema certum eſt, vltima, conſequẽtia probatur. Illa nutritio eſt ſucceſſiue, & ſimul cum illa quantitas per accretionem, ergo illa nutritio deſinit per primum nõ eſſe, ergo extrinſece; ergo quantitas ſimul cum illa producta habebit terminum extrinſecum: quare ſecunda aſſertio

Solutio. falſa eſt. Reſpondemus concedendo primũ enthymema & negando ſecundam conſequentiam. Probationi reſpondemus negãdo vltimam conſequentiam: quia tantum probat argumentum, nutritionem viuẽtis quæ deſinit per inſtans extrinſecũ, ſiue accretionem quæ eodem modo deſinit, habere terminũ, & illum eſſe extrinſecũ, quod libenter admittimus: non vero probat terminum productum per nutritionem & accretionem, ſcilicet maiorem ſubſtantiã, habere terminum extrinſecum. Ratio diſparitatis eſt; quia primum non eſſe nutritionis & accretionis, eſt primum eſſe maioris ſubſtantiæ vt tanta eſt, ſcilicet vt eſt maxima; quare licet inſtans illud extrinſecũ ſit reſpectu nutritionis & alterationis, eſt tamen intrinſecum reſpectu maioris ſubſtantiæ productæ. Et probatur, quia verum eſt dicere illo inſtanti, nunc primo non eſt nutritio aut non eſt accretio, & eſt verum dicere nunc primo eſt maior ſubſtantia vt tãta ſcilicet maxima; quare terminus ille intrinſecus eſt reſpectu viuentis, cum in illo viuens habeat eſſe ſub tanta & determinata quantitate.

1. Ratio in 1. Aſſertionem. In tertiam aſſertionem, qui contrariam tuentur ſententiam, aliqua opponunt argumẽta, illorum iudicio efficaciſſima: eſt ergo primum argumentũ illorum. Viuentia terminantur termino intrinſeco, ergo deſinunt per vltimum ſui eſſe. Conſequẽtiam probant ita. Sit maximus homo, ille morſu veſpæ vel alterius rei inflatur, aut poſt inflationem manebit homo, aut per illam corrumpetur; ſi maneat, ergo datur homo maior maximo, quod certe eſt abſurdum; ſi vero deſinat per inflationem, ita vt tempore in quo eſt inflatio, iam non ſit homo, ergo homo deſinet per vltimũ ſui eſſe, quod certe cõſequens abſurdius eſt primo. Conſequentia hæc ita probatur ab illis. Homo debet deſinere per inſtans per quod incipit inflatio illa ſiue tumefactio, ſed tumefactio incipit per ſuum vltimum non eſſe; ergo homo debet deſinere per vltimum non eſſe tumefactionis, ſed vltimum non eſſe tumefactionis eſt vltimum eſſe hominis; ergo homo deſineret per vltimum ſui eſſe; quod abſurdũ illis apparet, & erat probandum.

Pro ſolutione huius argumenti obſeruandum eſt; eſſe viuentes habere terminos intrinſecos magnitudinis & paruitatis in ſtatu naturali, & habere etiam terminos, ab illis intrinſecis diſtinctos, ſi ſumantur extra ſtatum naturalem: licet enim iuxta naturalem diſpoſitionem ſit aliquis homo maximus vel minimus, hic tamẽ poteſt fieri maior maximo ſi ſumatur in ſtatu præter naturam, & minor minimo ſi etiam ſumatur in ſtatu præter naturam: iſti vero termini in ſtatu præter naturam intrinſeci etiam ſunt, reſpectu illius ſtatus. Hoc poſito reſpondemus argumẽto concedendo cõſequens, & negando conſequentiam. Probationi reſpondemus per inflationem, ſiue tumefactionem, tunc temporis poſſe hominem corrumpi vel poſſe manere; ſi maneat, concedimus dari hominem in ſtatu nõ naturali, maiorem homine maximo in ſtatu naturali, quod nullum eſt abſurdum: ſi vero corrumpatur per tumefactionem, negamus inde ſequi, corrumpi per vltimum ſui eſſe; quia in iſto caſu nõ deſineret, quando inciperet tumefactio, ſed quando eo eſſet deuentum in tumefactione, vt non poſſet homo, in ſtatu præter naturali conſeruari ſub maiori quantitate; quare nõ deſineret *Solutio 1. Rationis.*

per vltimum non eſſe tumefactionis, vt argumentum intendebat probare. Sed dices. Homo deſineret per tumefactionem; ergo per primum ſui nõ eſſe; ergo deſineret extrinſece: ergo terminus illius magnitudinis eſſet extrinſecus. Reſpondemus negando conſequentiam: quia quando dicimus hominem deſinere per tumefactionem, nõ eſt ita accipiendum, vt intelligamus, formam illius deſinere per tumefactionem, quæ eſt motus, ſed alterari per illã, & deſinere per corruptionẽ, quæ fit in inſtanti intrinſeco, quod eſt vltimum eſſe hominis. Sed dices. Res viuentes (vt omnes Philoſophi docẽt & colligunt ex Ariſt. 6. Phyſ.) non poſſunt deſinere per vltimum eſſe; ergo ſolutio eſt nulla. Reſpondemus negando antecedens; imo impoſsibile eſt, alio modo deſinere. Qua vero ratione intelligendus ſit Ariſt. cum deuentum erit ad ſextum Phyſicorum, dicemus. Philoſophi aſſerentes abſurdum eſſe affirmare, res viuentes deſinere per vltimum ſui eſſe, forſan omnes decipiuntur; cuius rei cauſam eſſe credo, exiſtimaſſe, rectas eſſe definitiones modorum incipiendi, & deſinendi rerum omnium, quas adduximus obſeruatione 2. huius dubitationis; Sed ne illorum ſententiam minime amplexi vim argumenti cui innituntur, fugere videamur, illud breuiter diſſoluamus. Eſt ergo argumentũ huiuſmodi.

Efficax contrariæ partis argumentũ. Viuentia deſinunt per vltimum ſui eſſe: ergo aut datur materia ſine forma, aut dantur duæ formæ ſimul in eadẽ materia; aut dantur duo inſtantia ſimul; quorum quoduis eſt maximum abſurdum. Conſequentia ita probatur. Forma cadaueris quæ incipit ad deſitionem formæ hominis, incipit per primum ſui eſſe; ergo verum eſt dicere, nunc eſt, & immediate antea nõ fuit; ergo, ſi forma viuentis deſinit per vltimũ eſſe, verum erit dicere, nũc eſt, & immediate poſt non erit. Modo ſic. Vel inſtans in quo deſinit forma viuentis, eſt idem cũ illo, in quo incipit forma cadaueris, vel nõ: ſi eſt idem, ergo in eodem inſtanti ſunt duæ formæ ſubſtantiales in eadem materia; ſi nõ eſt vnum & idem, ſed potius ſunt duo, ergo vel ſunt immediata, vel mediata; ſi immediata, ergo dantur duo inſtantia immediata; ſi ſunt mediata; ergo in illo tempore quod mediat, eſt materia abſque forma, cum iam non habeat præteritam, & nondum habeat generandam. Herculeum certe argumentum, quandoquidẽ multa Philoſophorum eruditionis ſingularis præclara ingenia, ita oppreſsit, vt illa, hac certe leuis rationis vi, vincta teneret. Reſpondemus ergo, concedendo conſequentiam; quia dantur duo inſtantia immediata, hoc vero non eſt abſurdum, ſed ita neceſſarium, vt nihil certius ſit in tota Philoſophia naturæ. *Paſſiu Solutio.* Sed obiiciunt ita. Ergo tempus cõponitur ex inſtantibus, & conſequenter diuiſibile & extenſum, ex indiuiſibilibus & inextenſis. Reſpondemus negando conſequentiam. Quia ſolum illa eſſet vera, ſi illa inſtantia eſſent immediata in eodem tempore: at ſunt in diuerſis temporibus, & in diuerſis ſubiectis: nam vltimum eſſe viuẽtis, medio tempore cuius eſt inſtans, ſubiectatur in viuente; & primum eſſe cadaueris, medio tẽpore, cuius eſt inſtans, ſubiectatur in cadauere tanquam in ſubiecto. Vnum vero & idem accidens præcipue indiuiſibile, vt inſtans, non poteſt eſſe in duobus ſubiectis numero diſtinctis; præſertim cum res corrupta in primo eſſe alterius rei genitæ iam non ſit. Permultæ etiam ſunt rationes, quæ noſtram ſententiam luce clariorem efficiunt; illas tamen loco citato proponemus, faxit Chriſtus vt ad illius interpretationem, nos peruenire patiatur.

Idem argumentum, quod factum eſt ab illis Philoſophis de termino magnitudinis, fieri etiam ſolet de termino paruitatis. Inquiunt enim, ſit minimus homo, huic applicetur aliquod condenſatiuum; vel ergo hic per condenſationem corrumpetur, vel non; ſi corrumpatur per condenſationẽ, ſequitur inde, &c. Eodẽ enim prorſus modo proponitur & diſſoluitur; quare illud omitto.

Dices

2. Ratio. Dices vltimo cū illis. Sit maximus homo in ſtatu naturali; ſi huic apponatur alimentum, nutrietur, & fiet maior; ergo nō ſolum in ſtatu præter naturam, ſed etiam in naturali, datur maius maximo in viuentibus.

Solutio. Reſpōdemus negādo antecedens. In iſto enim caſu solū poſſet viuens reparare per nutritionem ſubſtantiam deperditam, & nullo modo ſubſtantiā ſub maiori quātitate; quia tunc temporis vt etiam ſupponit argumentum, eſſet homo in maiori magnitudine, in qua a principio intrinſeco eſſe poteſt. Cum ergo conſtituamus a principio intrinſeco, quod quidem eſt finitæ virtutis, non poſſe in infinitū creſcere, ſed vſque ad terminum certum, cum ſupponatur iam eſſe in illo, non poteſt creſcere; quia cum principium non ſit maioris virtutis, non poteſt maiorem producere effectum.

Obſeruatio. In fine huius quæſtionis animaduerſum vellem, propoſitas aſſertiones intelligendas eſſe de omnibus viuentibus, etiam de imperfectis, vt ſunt plantæ; quāuis in plātis noua pars formæ adueniat, cum noua parte materiæ, ſicut in non viuētibus. Ratio eſt, quia viuentia, etiam imperfecta, habent partes diuerſæ rationis, ita vt vna habeat quod non habet alia; atque proinde mutuo indigent conſortio, vt conſeruetur ex illis compoſitū. Habent præterea determinatam figuram, & operationes organicas, & nutriuntur etiam ab interno principio; quare ſicut his de cauſis propoſitæ aſſertiones veræ ſūt de animatis perfectis, ſcilicet de animalibus; etiā veræ ſūt de imperfectis, ſcilicet de plātis: alias enim qua ratione poſſent plantæ, ſuo natiuo calore diſpergere alimentum per totum corpus, & illud cōcoquere? quare eodem modo de illis, ac de animalibus propoſitæ aſſertiones debent intelligi. Idque ſatis experientia ipſa teſtatur: nunquam enim experti ſumus, eſſe aliquam plantā æqualem in magnitudine altiſsimis montibus; aut æqualem in paruitate minutiſsimæ formicæ.

QVAESTIO II.

An ſubſtātiæ inanimatæ habeant terminum magnitudinis & paruitatis.

SVPERIORI quæſtione diximus, res naturales viuentes habere terminos intrinſecos magnitudinis & paruitatis, illoſq; eſſe intrinſecos. Modo ſeſe offerunt aliquæ dubitandi rationes nō [illegible], quæ id ipſum videntur probare de rebus naturalibus inanimatis.

1. Ratio dubitādi. Prima ratio dubitandi. Proinde viuentia habent terminum magnitudinis, quia illorum formæ ſunt determinatæ virtutis; ſed formæ non viuentium ſunt etiā determinatæ virtutis, ergo non viuentia etiam habēt terminum magnitudinis, & paruitatis. Confirmatur etiam; quia ſicut viuentia requirunt certas diſpoſitiones, pro conſeruatione formæ; ita non viuentia: ignis enim, verbi gratia, requirit tanquam diſpoſitionem calorē vt octo, qui debet eſſe in aliqua quātitate certa, & determinata; ergo non viuentia requirunt etiam determinatam quantitatem verſus magnitudinem.

2. Ratio dubitādi. Secunda ratio dubitandi. Multa ſunt inanimata, quæ per ſolam diuiſionem corrumpuntur; ergo non viuentia habent ſaltem terminum paruitatis; cum nō poſsint in infinitum minui. Probatur antecedens; quia triticum, verbi gratia, eſt non viuēs, & corrumpitur per diuiſionem; per contuſionē enim corrumpitur triticum, & tranſit in farinam: quare non viuentia ſaltem, via corruptionis habent terminum paruitatis.

Hanc quæſtionem in quatuor diuiſimus partes, quarum prima quaſdam proponemus obſeruationes; ſecunda quæ certa ſunt, & quoddam fundamentum; tertia noſtram ſententiā; in denique quarta rationes contrariæ ſententiæ diſſoluemus.

1. Obſeruatio. IN PRIMA parte quæſtionis ſit prima obſeruatio. Inanimata in duplici ſunt differentia, quædã ſimplicia, & quædam mixta. Simplicia ſunt quæ non componuntur ex aliis corporibus, & cõſequenter neque habent in ſe compoſitionem ex quatuor qualitatibus, quamuis in ſe habeant compoſitionem ex materia & forma, cum omnis ſubſtãtia completa, qualis etiã eſt ſimplex inanimata, neceſſario hãc compoſitionem admittat. Hæc ſimplicia inanimata in duplici ſunt differentia, alia incorruptibilia a principio intrinſeco, qualia ſunt cæleſtia corpora, quæ nec habent priuationem alicuius formæ ſubſtantialis, nec aliquam ex quatuor primis qualitatibus: & alia corruptibilia, qualia ſũt quatuor elementa, quorum quoduis priuationem habet formæ ſubſtantialis, & aliquam vel aliquas, ex quatuor primis qualitatibus cõtrariis. Inanimata mixta ſunt illa, quæ aut ſiũt proxime per mixtionem ex quatuor elemẽtis, aut ſaltim ſi non fiãt immediate per illorum mixtionem, habẽt tamen in ſe contemperationem harum primarum qualitatuum. Mixta præterea alia ſunt ſimilaria, quæ partes habent eiuſdem rationis: & alia diſsimilaria, quæ componuntur ex partibus diuerſæ rationis. Sed dices. Habẽt partes aliqua mixta eiuſdẽ rationis, ergo ſũt ſimplicia. Reſpondemus negando conſequentiam; quia modo, ſimplex ſumitur, vt diſtinguitur contra mixtum, & non vt diſtinguitur contra compoſitum; quia omnẽ ſimplex, de quo loquimur, eſt compoſitum ſaltẽ ex materia & forma. De omnibus ergo inanimatis tam ſimplicibus, quam mixtis, procedit quæſtio.

2. Obſeruatio. Secunda obſeruatio, Terminus non viuentiũ duplex eſt, ſcilicet per ſe, & per accidens. Terminus per ſe ſignificat illum, quem non viuentia habere poſſunt, ſi ſumantur vt illorum natura poſtulat. Terminus per accidens eſt ille, quo terminantur ab extrinſeco, & ratione alicuius accidentis.

3. Obſeruatio. Tertia obſeruatio. Terminus magnitudinis, & paruitatis, vel eſt intrinſecus, vel extrinſecus vt diximus ſuperiori quæſtione. Aliæ obſeruationes, quæ ſunt etiã neceſſariæ ad ſolutionem huius quæſtionis, conſtant ex ſuperiori quæſtione.

IN SECVNDA parte quæſtionis primo certum eſt, ſi ſermo ſit de termino quantitatis perfectionis, philoſophandum eſſe de omnibus inanimatis, ac philoſophati ſumus ſuperiori quæſtione, de rebus animatis. Deinde, ſi loquamur de quãtitate molis, & de potentia abſoluta, certum etiam eſt, nullum inanimatum habere terminũ magnitudinis, aut paruitatis. Ratio eſt, quia omnia animata poteſt Deus conſeruare abſque aliqua quantitate; ergo poterit etiam illa conſeruare ſub quacũque maxima, & ſub quacunque minima. Præterea, ſi loquamur de facto, etiam eſt certum, dari aliquod inanimatum maius omnibus, & aliquod minus omnibus. in corporibus enim cæleſtibus ſupremum cœlũ eſt maximum poſitiue, & infimum cœlum eſt minimum poſitiue. In elementis etiam ignis eſt corpus ſimplex corruptibile maximum poſitiue, & terra minimum poſitiue. In mixtis inſuper inanimatis certum etiam eſt, dari maximum, & minimũ quãuis ſit incertum, quodnam illud ſit, & an ſit poſitiuum, vel negatiuum.

Secundo certum eſt; ſi ſermo ſit de potẽtia naturali, corpora cæleſtia habere maximum, & minimum: imo quoduis ex illis, eſſe maximum & minimum in indiuiduo; quia quoduis corpus cæleſte ita inuariabiliter habet quantitatem determinatam, quam per creationem ſimul cum ſubſtantia a Deo accepit, vt iuxta naturæ ordinẽ nec poſsit habere maiorem, nec minorem. Quare quæſtio procedit, de ſimplicibus corruptibilibus, & de mixtis, ſiue illa ſint eiuſdem rationis, & ſimilaria; ſiue diſsimilaria. Et quia de mixtis eiuſdem rationis, & de elementis, eadẽ eſt ratio: proinde quæ dicemus de elemẽtis, de mixtis ſimilaribus dicta etiam volumus.

Tertio certũ eſt, omnia inanimata corruptibilia habere terminum per accidens magnitudinis, & paruitatis: magnitudinis quidem, quia cum omnia ſub concauo lunæ cõtineantur, ratione loci in quo ſunt, & ſi naturæ ordo inſpiciatur, habent terminum, quem præterire non poſſunt: Paruitatis etiam, quia, vt recte obſeruat Valleſius controuerſia quinta Phyſica ad tyrunes, omne id, vt poſsit ſeipſam conſeruare a contrariis, indiget aliqua qualitate certa & determinata, vt media illa agat, & cõtrariis reſiſtendo repatiatur. Hæc vero qualitas debet habere determinatã extenſionem per accidens, ſaltem ratione paruitatis, ratione alicuius quantitatis, media qua inhæreat, illi ſubiecto, cuius eſt qualitas. Quare, ſaltim per accidens & ratione contrarij, habent non viuentia terminum paruitatis. Ex dictis ſatis conſtat ſenſus quæſtionis, tametſi, in quo maneat dubitatio.

Fundamentum quæſtionis. Sit hoc fundamentum. Vt docte obſeruat Valleſius loco citato, non eſt alicuius momenti, ratio illorum qui ita argumentantur. Non poteſt dari infinitum actu, ergo res non poſſunt creſcere in infinitum. Hęc etiam, inquit, argumentandi ratio nõ eſt legitima; poteſt eſſe maius quocunque corpore finito; ergo poteſt eſſe infinitum: eſſet tamen recta hæc. Eſt maius quocunq. finito, ergo eſt infinitũ actu: quia vt poſsit eſſe maius quocunque finito, ſufficit, vt ſit infinitum additione: quemadmodũ ad hoc vt ſit minus quocunq. finito, ſufficit vt ſit infinitum detractione: ad hoc vero vt ſit maius quocunque finito, debet eſſe infinitum actu, quod nullo modo eſſe poteſt in rerum natura, vt docet Ariſt. 4. lib. Phyſ. & cum eo ibidem dicemus.

1. Aſſertio. IN TERTIA parte quæſtionis ſit prima aſſertio. Non viuentia ſecũdum ſe, ſiue ſumãtur via generationis, ſiue via corruptionis, nullum habent terminũ intrinſecum, aut extrinſecũ magnitudinis. Hæc aſſertio probatur primo teſtimonio Ariſt. 2. enim lib. de Anima cap. 4. ita ſcripſit. (iuxta verſionem Argiropyli.) *Nam ignis quidem accretio in infinitum progreditur, et eo uſque fit: quousque ſit combuſtibile: at eorum omnium quæ natura conſtant, eſt finis et ratio tam magnitudinis quam accretionis*. Ex quo teſtimonio manifeſte infertur, nõ viuentia, vt ignis, carere termino magnitudinis per ſe, & illũ habere per accidens & ab extrinſeco. Colligo etiam obiter quod ſuperiori quæſtione diximus, ſcilicet viuentia habere terminum in ſtatu naturali, & terminũ in ſtatu præter naturam; nam per ea quæ natura conſtant intellexit Ariſt. res viuentes, vt fere omnes interpretantur, & aperte colligitur ex illo, & dixit illas habere terminum magnitudinis, & accretionis: quaſi diceret; non ſolũ accreſcũt a principio intrinſeco, vſque ad certum terminum, ſed etiam, ſi ſumantur in ſtatu non naturali; habent magnitudinis terminum.

Diſcrimẽ inter accretionem viuentium et non uiuentium. Probatur præterea aſſertio rationibus. Primo ita; ſupponendo prius, inter alia, hoc eſſe diſcrimen, inter accretionẽ viuentium, & non viuentium: quod viuentia augentur, non quia producatur noua pars formæ, cum noua parte materiæ, ſed quia prior forma extenditur; vel ſi forte producitur, nõ ſub quacunque noua parte, cum forma illa ſit corporis Phyſici, organici, & diuerſæ rationis: non viuentia vero augentur, quia additur illis noua pars formæ, cum noua parte materiæ, ita, vt ſub quanis parte materiæ, quæ additur, poſsit forma conſeruari; ex parte tamen materiæ, & formæ, quæ additur, & ex re præexiſtente, fit vnum compoſitum per ſe totale. Probatur ergo aſſertio. Ideo viuentia, natura ſua, ſiue iuxta naturalem diſpoſitionem, habent terminum magnitudinis; quia in illorũ accretione, forma præexiſtens extenditur ad nouam materiã informandam; & quia formæ finitæ & determinatæ virtutis, qualis eſt viuentium, nõ poteſt maiorem, & maiorẽ informare materiam abſque termino: at non viuentium accretio fit ſecundum omnes partes, &

tes, & a principio intrinſeco, & per organa ſiue inſtrumenta determinata: ſed nulla harum cauſarum reperitur in non viuentibus; ergo non viuentia carent magnitudinis termino. Dicet tamen aliquis, inde ſequi, viuentia imperfecta, poſſe in infinitum creſcere; quia in illorum accretione, aduenit noua pars formę, cum noua parte materię. Imo hoc etiam forſan contingit, in omnibus animalibus, excepto homine, vt dicemus lib. 2. de Anima in quæſtionibus cap. 4. Reſpondemus tamen negando ſequellam. Diſpar enim eſt ratio, primo, quia etſi adueniat noua pars formæ, cum noua parte materiæ, illa tamen pars, non poteſt eſſe ſub quacunq. quantitate de nouo producta, ſicut in non viuentibus; ſecūdo, quia in viuentibus, adhuc imperfectis, fit ſemper accretio ſecundum omnes partes, & ſumitur alimentum per partem determinatā, in animalibus per os, & in plātis per radices; tertio, quia in viuentibus fit accretio a calore natiuo, qui eſt finitæ, & determinatæ virtutis; in non viuētibus vero, contrario modo res ſe habet. Nam non viuentia poſſunt accreſcere per appoſitionem, vt patet in aqua, quæ talis eſt naturæ, vt ſi illi iuxta ponantur multæ partes aquæ, creſcet ſemper, & fiet maior, manens tamen vna numero. Vltima differentia inter res viuentes, & non viuentes, intelligenda eſt ſecūdum partes maiores, nā ſecundum partes paruas minores etiam viuentia creſcunt per iuxta poſitionem vt dicemus primo libro de Anima, capite quinto in quæſtionibus. Quare ſuperior ratio nullius eſt momenti.

Multiplex diſcrimen inter viuentia imperfecta et nō viuentia.

Probatur ſecundo aſſertio. Elementa habent terminū magnitudinis natura ſua, vt contrarij docent: ſit ergo maximus ignis, applicetur illi ſtupa; ergo ignis maximus non poterit illam comburere, quod eſt abſurdum; aut ſi poterit comburere, ergo erit ignis maior maximo, quod etiam eſt abſurdum. Reſpondet Ferrari. quęſt. 7. in ſolutione ad quintam, in iſto caſu maximum ignem nō comburere ſtupam, aut, ſi illam combureret, & ſibi vniret; ex præexiſtente igne, deberet corrumpi partē æqualem illi, quæ denuo eſſet genita. Sed cōtra iſtam ſolutionem eſt hæc ratio. Ignis minor, nō ſolum combureret ſtupam, ſi illi eſſet debite applicata; verumetiam illam ſibi vniret, abſque corruptione alicuius partis ignis præexiſtentis; ergo etiam quoniam maximus ignis idem præſtaret. Cōſequentia probatur: quia quidquid poteſt ignis minor, poterit etiam, intra eandem Sphæram actiuitatis, ignis maior, cum ſit agens maioris virtutis. Cardinalis Toletus, quamuis exiſtimet ignem non habere terminum magnitudinis ex ſe, ſed tantum ab extrinſeco & per accidens, ratione ſta- licet locitemē ſuppoſito quod ignis occuparet totum locū, quem poteſt occupare. Reſpondet huic argumento quæſt. 10. in ſolutione tertiæ rationis, connumerans prius tres ſolutiones, & deinde, docens ex propria ſententia, in iſto caſu ignem neceſſario comburere ſtupam, & ex illa ignē genitum ſibi vnire, cum parua tamen condenſatione prioris ignis, cum illa ſcilicet, quæ ſufficeret ad vnionē illius nouæ partis ignis geniti. Sed, videns ipſe inſufficientiam ſolutionis, ſibi obijcit. Quid ſi maximus ignis eſſet in tota condenſatione, quā eius natura patitur? Reſpōdet, quod combureret, ſed non vniret ſibi illam partem, ſed illa maneret in aere proximo. Obijcit tamen. Quid ſi aer eſſet in tota condenſatione, ita vt maiorem pati non poſſet? Reſpondet; ignem tunc, propter vehementem actionem, comburere ſtupam, & condenſare aliquam partem aeris, ita vt fiat aqua. Sed obijcit ſibi. Quid ſi omnia elementa eſſent in condenſatione, quam illorum patitur natura? Reſpondet; ignem, in iſto caſu, non poſſe comburere ſtupam, defectu loci naturalis. Iſtæ tamen ſolutiones, pace tanti viri dixerim, admittendæ non ſunt: quia multa proponunt voluntarie dicta. Imo, vt docet Pater Pererius, lib. 10. cap. 23. in fine quintę propoſitionis, adeo ridiculæ ſunt, vt non ſint dignæ refutatione.

Ferrarie. *C. Tolet.* *P. Perer.*

Quare, etſi ſententia Cardinal. Toleti intelligenda ſit de igne, qui maximus eſt per accidens, & ratione loci; rationes tamen ab illo adductas, proponimus nos de igne, qui maximus eſt ſecundum ſe, vt docent authores contrarij noſtræ aſſertioni; & ſic diſputamus. Agens naturale non impeditum neceſſario debet producere effectum, ſed ignis maximus eſſet agens naturale: ergo ſi non impediretur, neceſſario deberet producere effectũ: ergo ſi illi applicaretur ſtupa, neceſſario illam combureret, & ſibi vniret. Niſi enim Deus ſuſpẽdat generalẽ concurſum, quo concurrit cũ cauſis ſecundis, fieri nullo modo poteſt, vt ignis maximæ virtutis, qualis eſſet maximus, non cõburat ea, quæ ſunt totra Sphæram actiuitatis: aſſerere tamen, in iſto caſu Deum debere ſuſpendere generalem cõcurſum, quo concurrit cum rebus naturalibus, eſt voluntarie dictum: non enim cõſtituenda ſũt miracula ad naturales opiniones defendẽdas: ſi enim Deus ſuſpẽdat cõcurſum generalem, eſt miraculũ, ſi vero non ſuſpendat, & ignis non comburat cum generali concurſu, eſt etiam miraculum. Quare contraria ſententia, citra miraculum, nequit defendi. Imo hoc ipſum iudicat ſatis ſententiam eſſe abſurdam. Ignem enim maximæ virtutis, & cum generali concurſu non cõburere, dummodo non impediatur, apertũ eſt, eſſe miraculum: cum ſit contra præter concurſum generalem, quo Deus cõcurrit cum cauſis ſecundis, iuxta illarum naturas, & conditiones. Miraculum etiam eſt, dari condenſationem abſque cauſa condenſante; ignis enim non poteſt in iſto caſu cõdenſare, aut ſi poteſt, ſemper condenſaret, quod eſt abſurdum.

Agẽs naturale non impeditũ neceſſario producit effectum niſi Deus ſuſpendat cõcurſum

Tertio probatur aſſertio hac facili ratione. Elementa creſcunt per iuxta poſitionem; ſed dato quocunq; elemento maximo poteſt illi fieri iuxta poſitio; ergo poterit creſcere: ergo erit maius maximo. Maior eſt certa: minor etiam adeo manifeſta mihi videtur, vt exiſtimem neminem de illa dubitare: quare ita poteſt probari. Sumamus aquam, verbi gratia, quam, illi aſſerunt, eſſe maximam: illa aqua non eſt infinita; ergo poteſt illi fieri additio, aut ſi nõ poteſt illi fieri additio: ergo eſt actu infinita: quia illud cui non poteſt fieri additio, eſt infinitum. Cum ergo non ſit conſtituendum infinitum actu, neceſſario dicendum eſt, illi aquæ poſſe fieri additionem, tum ſi. Poteſt fieri illi aquæ additio; ſed per illam, quæ additur, non corrumpitur præexiſtens aqua; quia illa exigua pars, quæ additur, non eſt ſufficiens corrumpere aquã præexiſtẽtem: ergo cũ maneat tota, & illi ſit facta additio, erit maior quam antea: quare poteſt eſſe aqua maior maxima. Nulla ergo ratione aſſerendum eſt, elementa habere magnitudinis terminum ex ſua natura. Idem iudiciũ eſt de mixtis ſimilaribus, vt diximus in obſeruationibus.

Secunda aſſertio. Elementa carent termino paruitatis natura ſua. Hæc eſt Scoti in 2. diſtinct. 2. quæſt. 9. Vall. controuerſia 5. Villalpan. cap. 4. quæſt. 2. aſſertione 3. Petri Pererij lib. 10. cap. 23. propoſitione 7. quamuis in principio eiuſdẽ propoſitionis probabilem iudicet cõtrariam partem. Iſti omnes hanc tuentur ſententiã, illamq. accurate confirmant. Antequã tamen nos illam probamus, obſeruandum eſt, Inanimata habere terminum paruitatis per accidẽs, ſcilicet ratione contrarij: quẽadmodum habẽt terminum magnitudinis ab extrinſeco, & per accidens, ſcilicet ratione loci. Inquit enim Valle. controuerſia citata ita. *Habent non uiuentia terminũ paruitatis ab extrinſeco, ut etiam diximus in commentariis cap. 4. quia omnes res conantur proximas quaſque trahere in ſuas naturas; ſingula autẽ eo minus ſe poſſunt a cõtrariis proximis tueri, quo ſunt minora.* Hoc poſito, probatur primo aſſertio. Elementa non habent terminum magnitudinis; ergo neq; paruitatis. Probatur conſequentia: quia ſicut in accretione illorum, cũ noua parte materiæ, adducit noua pars formæ; ita in diminutione ſiue diuiſione; cum parte materiæ, aufertur non tota forma,

2. Aſſertio.

Inanimata habent terminum paruitatis per accidens.

Valle ſiue.

ma; ſed pars formæ, diſtincta ab illis, quæ manet. Cum ergo, ſi inſpiciamus naturalē elementi diſpoſitionem, nunquā dabitur maximum per additionem ſitā, neq. minimū per detractionem.

Probatur ſecundo aſſertio. Quiuis ignis poteſt diuidi in plures, quorum quilibet, facta diuiſione, manere poteſt ex ſe; ergo ignis natura ſua non habet minimum. Probatur antecedēs; quia ſi nō poſſet ex ſe manere; aut repugnaret ratione materiæ, aut ratione formæ, aut ratione quantitatis: ſed non ratione materiæ; quia determinatio materiæ primæ eſt a forma, ut patet, ſi fiat inductio per omnes res naturales; neque ex parte quantitatis, quia hæc, ut omnes concedunt, ſecundum ſe diuiſibilis eſt in infinitum; neq. ratione formæ, quia forma eſt extenſa ſicut quantitas: quare ſicut quælibet quantitas poteſt diuidi, ita & forma ignis: ſaltim per accidens: ergo quiuis ignis poteſt diuidi in partes, quarum quæuis, facta diuiſione, ſecūdum ſe poteſt manere.

Probatur tertio aſſertio. Sit minimus ignis, ut contrarij volunt, cum iſte ſit quātus & extēſus, poteſt diuidi: diuidatur ergo: aut iſte diuidetur in ignes per ſe exiſtentes, aut non; ſi diuidatur, ergo datur ignis minus minimo: ſi non diuidatur in partes per ſe exiſtētes, ſed per diuiſionem corrūpatur forma ignis; ergo datur materia ſine forma, quod, certum eſt, & citra omnem controuerſiam, eſſe abſurdum; ſaltim ſi res ſumantur iuxta naturæ ordinē. Prima conſequentia certa eſt. Secunda probatur ita: Nulla forma indiget minori extenſione quā forma ignis, ſed forma ignis nequit conſeruari ſub quauis parte, facta diuiſione, propter exiguam extenſionem; ergo neq. alia forma poterit conſeruari: quare in quauis parte illarū erit materia abſque forma. Minor eſt certa. Maior probatur: primo, quia elementa poſſunt rectius conſeruari ſub minori quantitate, quam mixta: & inter elementa nullum eſt rarius igne: quare inter illa nullum eget minori extenſione in materia, pro conſeruatione formæ, quā ignis. Secūdo probatur. Quia, etſi admittamus eſſe aliam rem, cuius formā poſſit conſeruari ſub minori quantitate, quā forma ignis, adhuc enim manet dubitatio; eam, ſi ſumamus illam in minima quantitate, & diuidatur, vel facta diuiſione manet eius forma, vel non; ſi manet, ergo datur minus minimo omniū, quod certe eſt abſurdum: ſi nō manet, ergo erit tūc materia ab que forma in quauis illarū partium; cum nulla ſit forma, ut eſt conſtitutum, quæ prærequirat minorem extenſionem, quam forma illius rei minimæ, quæ fuit diuiſa. Reſpondet Cardinalis Toletus quæſt. 10. in ſolutione ad quartum; in iſto caſu illas partes minimi uniri cū corpore circunſtanti. Sed non placet ſolutio: tum, quia corpus circunſtans nullas inducit diſpoſitiones in illas partes, ad hoc, ut illas in propriam naturam cōuertat, & ſibi uniat: tum, quia talis diuiſio, ut ipſe Toletus ſibi obiicit, poteſt fieri in vacuo, ubi nullum eſt corpus circunſtans, cui illæ partes poſſint uniri. Reſpondet tamen: quod tunc temporis illud minimum non poterit corrumpi naturaliter, poterit tamē ſupra naturaliter, & tunc Deus, inquit, conſeruabit formam minimi diuiſi, ſub illis particulis minoribus; quia de potentia abſoluta, ut ſuppoſuimus, non datur minimū. Et ſubdit hæc verba: *Iſta nō ſunt parui pē-denda, quia quamuis ex ſuppoſitione procedant ficta, aperiunt tamen naturam rei.* Sed hæc ſolutio ſubtilis eſt, non tamen vera; quod ita probatur. Si illud minimum non eſſet in vacuo poterat diuidi; ergo, ſi ſit in vacuo poterit diuidi ab agente naturali: vacuum enim non eſt cauſa, cur agens naturale non operetur; quam, ſi illud quod debet diuidi non eſſet minimum, certe cōcederet Toletus; quod etiā in vacuo poſſet diuidi ab agente naturali. Ferrari. quæſt. 7. in fine ſolutionis ad primum, propoſitis aliis ſolutionibus, tandem docet; quod illæ partes cōuerterentur in id, quod Deo placeret: quod certe veriſſimum eſt; & nō

Quia ignis eſt nimis rarus eius forma indiget minori extē-ſione in materia.

C. Tolet.

Ferrari.

ſolum libenter fatemur, verumetiam toto corde confitemur, in omnibus rebus fieri iuxta voluntatem beneplaciti ipſius Dei; inquirimus tamen propoſito argumento, quænam res naturalis per illam diuiſionem produceretur: nam etſi omnes cauſæ naturales operentur ſubordinatæ ipſi Deo, inquirimus nihilominus paſſim multa de rebus naturalibus, quibus Philoſophi reſpondent, iuxta rerum naturalem diſpoſitionem, abſque eo quod ad ſolam diuinam voluntatem confugiant. Reſpondet ſecundo, manens aliquantulum oppreſſus vi argumenti, illas partes anihilari media illa diuiſione, nõ quidem, quia ipſa diuiſio eſſet per ſe, & principalis cauſa anihilationis; ſed quia eſſet cauſa, ſine qua Deus nõ

Q. Caiet. anihilaret. Caietanus etiam, 1. p. quæſt. 7. art. 3. §. ad vltimũ dicitur: docet, ſolam diuiſionem, in caſu propoſito, eſſe cauſam anihilationis. Sed hæc Caietani ſolutio peior eſt ſecũda ſolutione Ferrar. quæ ita labefactatur. Sicut Deus rem libere creat, ita libere anihilat; ergo, adhuc in iſto caſu, poteſt Deus non anihilare media tali diuiſione (præſertim, cum grauiſsimi viri doceãt, creaturam, nõ ſolum vt cauſam principaliũ, verumetiam neq. vt inſtrumentariã, poſſe creare, aut anihilare) quare ſi non anihilaret, manet vis noſtræ rationis, quæ probat, fore materiam abſque forma. Nec audiendi ſunt, qui aſſerunt Deũ ex ſuppoſitione tunc temporis non anihilare libere, ſed ex neceſsitate, ne ſcilicet detur minus minimo, quod per naturã eſt impoſsibile: quia hoc aſſerere, eſt petere principiũ. &, aſſumere quaſi certũ dari minimũ in nõ viuẽtibus, imo eo ipſo quod ex illorũ opinione ſequitur propoſitum abſurdũ, ne ad illud nos deducãt aduerſarij, tenemur aſſerere, in non viuentibus non dari minimũ.

Vltimo, aliquid breuiter attingendo. Probatur aſſertio. Primo, quia illi mini-

1. mo poteſt applicari agens naturale, quod ſemper agit in partem magis proximam; quare poteſt in illam ſuam formam introducere. Secundo, quia, cum Sphæra actiui-

2. tatis nõ ſit infinita, poteſt eſſe media pars minimi, intra Sphærã actiuitatis agentis naturalis & alia media pars extra Sphæram illius: quare citius producet ſuũ effectum in parte magis propinqua, & conſequenter erit minus minimo. Tertio, quia 3.
in non viuentibus vltima diſpoſitio, cum qua producitur ſimul forma ſubſtantialis, non producitur in inſtanti, ac in viuentibus, ſed ſucceſsiue: verbi gratia, calor vt octo, qui eſt diſpoſitio formæ ignis, ſucceſſiue producitur quantum ad extenſionem ſubiecti. Probatur. Vt illi concedunt, diſpoſitio nõ vltima, verbi gratia, formæ ignis ſcilicet calor vt duo, ſucceſsiue producitur; ergo & calor vt octo. Probatur conſequentia: quia calor vt duo, qui eſt in prima parte minimi, non intenditur vſque ad octo gradus per extenſionem ad alias partes minimi, ſed per maiorem radicationẽ, vel per additionem graduum: ergo producto ſemel calore vt duo in prima parte minimi, ſi magis ille calor radicetur, perueniet ad calorem vt octo, qui eſt diſpoſitio, cum qua ſimul introducitur forma ignis antequam in toto minimo; & conſequenter erit tũc corporis ignis minor minimo. Quod vero debeat introduci neceſſario, forma ignis in illã partẽ probatur. Nulla alia forma induxit ſuas diſpoſitiones, ergo nulla alia forma poteſt introduci. Deinde, in illa parte ſic diſpoſita calore vt octo, non eſſe formam illius minimi cuius erat pars, cõſtat, quia ſub diſpoſitionibus formæ ignis non poteſt eſſe alia forma, niſi ignis: calor enim vt octo non compatitur ſecum niſi formam ignis. Nec poterit tunc vniri, illa pars minimi, agenti naturali, tũ quia fieri poteſt vt agens ſit diſtans, imo vt ſit ſol mediis radiis; tũ etiam, quia illa materia minimi quæ comburitur, poteſt eſſe adeo dura, vt non poſsit facile vniri ipſi agenti. Quarto probatur, quia formæ

non viuentium poſſunt incipere per vltimum non eſſe, imo neceſſario incipiunt; & 4.
conſequenter cum acquirant ſuum eſſe per ſucceſsiuam mutationem, in qua nulla eſt

pars

pars ita prima, antequã non ſit alia prior, neceſſario non viuentia, via generationis, nunquam poterũt eſſe ſub minima parte, nihil quam nõ ſit alia minor. Aliàs permultas omitto rationes, forſan his imbelliores, ut ſuperent illorũ captum, qui Ariſt. Philoſophiam a limine ſolum ſalutarunt.

Solutio. 1. Ratio. dubitãdi. IN QVARTA parte quæſtionis primo reſpõdemus rationibus dubitandi propoſitis in principio quæſtionis, deinde vero ſoluemus argumenta contrariæ ſententiæ. Primæ rationi dubitandi reſpondemus conſtare ſolutionem illius ex dictis: nam etſi formæ non viuentium ſint etiam finitæ virtutis, quemadmodum formæ viuentium, eſt tamen inter illas diſcrimẽ propoſitum a nobis in prima aſſertione, ratione cuius viuentia habent maximũ, & minimum in quantitate: inanimata vero nullo magnitudinis, aut paruitatis termino continentur. Confirmationi reſpondemus eſſe etiam diſparem rationem: quia viuentia non ſolum prærequirunt certas diſpoſitiones, quæ ſũt qualitates, ſed etiã illas in tanta quantitate: at non viuentia prærequirũt determinatas diſpoſitiones, quæ poſſunt eſſe ſub quacunque quantitate: verbi gratia ignis prærequirit calorẽ vt octo, qui calor poteſt eſſe indeterminate ſub quacunque quantitate.

Solutio. 2. Ratio. dubitãdi. Secundæ rationi reſpondemus negando antecedens. Probationi dicimus, aut triticum non diſtingui eſſentialiter a farina, & conſequenter triticum non corrumpi per diuiſionẽ: aut ſi forte diſtinguitur, non corrũpi ex ſe, & ratione propriæ formæ, ſed per accidens, quia ſcilicet per diuiſionẽ manent partes tritici in exigua quãtitate, in qua non poſſunt defendi a contrarijs: quare ratio ſolum probat triticũ, & alia inanimata habere terminum paruitatis per accidẽs, & ratione cõtrarij, quod nos etiam docuimus ſecunda aſſertione. Alij ſatis probabiliter reſpondent, triticum & alia ſemina eſſe animata actu, vel ſaltem in potentia ita proxima, vt ſit eadẽ ratio de illis, ac de animatis, in termino paruitatis præſertim cum nondum certo conſtet, an triticũ, & alia ſemina ſint ſimilaria vel diſſimilaria: de diſſimilaribus enim eadem eſt ratio ac de viuentibus, vt dicemus in fine quæſtionis.

Ferrarienſis oppoſita ſententia. Ferrarienſis, quæſt. 7. aſſertione 3. aſſerit omnes res naturales carere termino magnitudinis, & paruitatis: ſed nullo modo ſuam probat ſententiam, tantum enim docet determinata accidentia conſequi neceſſario ipſas res naturales, & inter illa accidentia connumerat quantitatem. Reſpõdemus tamen; illam quãtitatem in non viuentibus non eſſe determinatam extenſiue: quia nõ viuentia augentur per iuxtapoſitionem, & aduenit illis noua pars formæ, & quantitatis, cum noua parte materiæ. Sed obijciunt aliqui, D. Tho. 1. p. quæſt. 7. art. 3. docuit quantitatem cuiuſcunque rei non poſſe in infinitum creſcere; ergo res non viuentes habent maximũ. Reſpõdemus negando conſequentiã: quia citra infinitum, vt diximus in fundamento quæſtionis, poſſunt res creſcere abſque fine. *S. Tho.* Imo S. Th. ſolum docuit nec eſſe infinitum actu aliquod corpus naturale, nec eſſe poſſe. *Caietani quædã ignis diuiſiones.* Caietanus in fine commentarij citati docet ignem per ſe, habere maximũ, ignem tamen per accidens, minimũ. Hæc tamen diſtinctio valeat, quemadmodum & illa qua eodem commentario docet ignem carere termino per non repugnantiam; diſtinctione enim hac (ſcilicet per non repugnantiam) plures logicas, & Phyſicas dubitationes ſoluit, quã par eſſet: præterea, nec illa diſtinctio ignis in ignem per ſe, & ignem per accidens eſt admittenda: quia ille ignis quẽ conſtituit per accidens, eſt indiuiduum eiuſdem ſpeciei, cum illo, quem conſtituit ignem per ſe, cum ſit etiam compoſitus ex materia & forma ignis, quemadmodum & ignis, quem ipſe Caietanus conſtituit per ſe: quare non poteſt eſſe ignis per accidens: colligeremus enim inde, nullum hominem eſſe hominem per ſe, ſed potius per accidens; quod ita probo. Appellat Caietanus minimum ignem per ſe,

illum,

ſtillum, qui eſt in tali magnitudine, & ex ſola diuiſione non poſsint fieri duo minimi ignes; & per extenſionem huius ignis intelligit illum, qui eſt a quantitate vnius minimi ignis, ad quantitatem duorum minimorum excluſiue: ergo illi erit homo per ſe, qui erit in extenſione minima, ſub qua poteſt eſſe forma hominis, cum ergo ſint omnes, aut fere omnes homines in quantitate pluſquam duplo maiori, quam hominis forma poſtulet ver ſue paruitatem, omnes homines, aut fere omnes eſſent homines per accidens.

Thomiſtarũ opinio cõtraria ſecundæ aſſertioni. In ſecundam aſſertionẽ ſunt multa difficillima argumenta, nam doctiſsimi Philoſophi tenent contrariam ſententiam, ſcilicet S. Tho. 1. p. q. 7. art. 3. ibidem Caietanus, Ferrari. q. 7. citata. Soto q. 4. aſſertione 3. Cardi. Toletus q. 9. & alij. Proponamus ergo argumenta contra ſecundam aſſertionem.

1. *Ratio.* Eſt igitur prima ratio. Ex Ariſt. hoc cap. 4. a minima carne non eſt ſeparabilis caro: ergo habet terminum paruitatis: ſed caro eſt non viuens, ergo non viuens habet terminum paruitatis.

Solutio. Reſpõdemus negando minorem; quia caro eſt viuens, & pars viuentis.

2. *Ratio.* Secunda ratio. Non viuentia via generationis non habent minimum; ergo incipiunt per vltimum ſui non eſſe, quod certe eſt contra Ariſt. 6. Phyſico. cap. 5. vbi docuit ſubſtantias incipere per primũ ſui eſſe. Vt intelligatur vis rationis obſeruãdum eſt; ea quæ per ſe incipiunt per primum ſui eſſe, per ſe habere minimũ via generationis, quæ vero incipiunt per vltimũ non eſſe, carere minimo (ita fert communis Philoſophorum opinio, quid vero dicendum ſit, dicemus 6. Phyſico: forſan enim ibi dicemus omnes res incipere per vltimum non eſſe.)

Solutio. Hac poſita obſeruatione reſpondemus concedendo cõſequentiam, & negando eſſe contra Ariſt. quia Ariſt. intelligendus eſt de ſubſtantiis animatis.

1. Sed dices. Non viuentia incipiunt per vltimum non eſſe, ergo fiunt ſucceſsiue: ſed quæ fiunt ſucceſsiue, fiunt per motum; ergo non viuentia fiunt per motum: ſed non viuentia (de quibus loquimur) ſunt ſubſtantiæ, ergo ad ſubſtantiam eſt per ſe motus, quod certe repugnat communi Philoſophorum conſenſui, & Ariſto. 5. Phyſico cap. 1. & 2. Reſpondemus negando primã minorem; quia motus non differt, per ſucceſsionẽ a mutatione propria, media qua producitur ſubſtantia (vt docet Ariſto. 5. Phyſico cap. 2.) ſed per alias differentias, quas cap. citato affert Ariſto. inter quas præcipua eſt, quia in motu proprie dicto tam in termino a quo, quã in termino ad quem, ſubiectum eſt ens in actu; in mutatione vero proprie dicta ſemper ſubiectũ eſt ens in potentia in vno ex terminis: neceſſario enim in mutatione propria in vno ex terminis ſubiectum debet eſſe poſitiuum, & in altero debet eſſe quid priuatiuum. Sic enim ſcribit Ariſt. *Id ſolũ genus mutationis, quod ex eo fit, quod ſubiectum eſt in id quod eſt ſubiectũ, motus ſit neceſſe eſt.*

Sed dices ſtatim. Ignis eſt nõ viuens & quid poſitiuũ; & nihilominus fit ex aqua aliquando tanquam ex termino a quo, ſed aqua eſt quid poſitiuum; ergo non viuentia fiunt a poſitiuo in poſitiuum. Quare ſolutio eſt nulla. Reſpondemus negando minorem; quia ignis non fit ex aqua tanquã ex termino a quo per ſe, ſed tanquã ex termino a quo ſecundario & per accidens: accidit enim igni fieri ex aqua: at differentia adducta ex Ariſt. inter motum & mutationem, intelligenda eſt de terminis per ſe: ignis enim per ſe fit ex non igne; & quæuis ſubſtantia ex tali non ſubſtantia, vt dicemus in quæſtione de numero principiorũ. 2.

Sed dices. Ex non igne, fit per ſe ignis; ergo mutatio per quam fit ignis eſt a non ente ad ens: ſed mutatio & tranſitus a nõ ente ad ens fit in inſtãti; ergo generatio ignis fit in inſtanti: ergo non ſucceſsiue, & incipiens per vltimum non eſſe. Reſpondemus concedendo enthymema, & diſtinguẽdo minorem ita. Ratione extremorum inter quæ fit tranſitus cõcedo, ratione extenſionis ſubiecti nego minorem. Quare licet 3.

inter

inter non eſſe ignis, & ignem, non ſit me-
dium ex parte extremorum, tamen ignis
ſit ſucceſsiue ratione extenſionis partium
4. ſubiecti quod mouetur, & ignitur. Sed di
ces. Leo verbi gratia qui eſt viuens ſit in
inſtanti, & tamen materia in quam intro-
ducitur forma eſt extenſa: ergo ſolutio eſt
nulla. Reſpondemus negando conſequen-
tiam: quia viuentia cum requirant partiũ
organizationem, tam ad formam, quam
ad operationem, neceſſario requirunt de-
terminatam quantitatem, in qua produca
tur in inſtanti illorum forma; at non viuen
tia non habent inſtrumenta, ac proinde il
lorum forma poteſt eſſe ſub quacunq. quã
titate, & ſub illa ſuas operationes exerce-
re: hincque fit, illorum formam ſucceſsi-
ne introduci: hacque de cauſa in nutritio-
ne viuentium forma non introducitur in
inſtanti, ſed ſucceſsiue; quia ſcilicet mate-
ria alimenti, quæ conuertitur in naturam
aliti, vnitur præexiſtenti, quæ iam habet
ſufficientem quantitatem pro conſeruatio
ne formæ, & ad operationes exercendas.
5. Sed dices. Lumen producitur in inſtanti,
& per primum ſui eſſe, quantum eſt ex ſe,
& nihilominus recipitur in ſubiecto exten
ſo, ſcilicet in aere; ergo extenſio ſubiecti
non eſt ſufficiens cauſa, ad hoc vt introdu
catur forma in tempore; quare nulla eſt ſo
lutio (dixi, quantum eſt ex ſe, quia per ac
cidens recte poteſt produci lumen ſucceſsi
ue, quando ſcilicet luminoſum applicatur
per motum: aut quando aufertur impedi-
mentum a medio etiam per motum.) Re-
ſpondemus verum eſſe, non ſufficere extẽ-
ſionem ex parte ſubiecti, niſi ſit in illo re-
pugnantia, & reſiſtentia ex parte contra-
riæ qualitatis, quæ eſt in illo ſubiecto, &
debet ab illo expelli, vt forma de nouo in
troducatur. Quia ergo lumen introduci-
tur abſque vlla reſiſtentia contrarij, cum
ſubiectum ſit vltimate diſpoſitum; proin-
de, etſi ſit extenſum, recipitur tamen in il-
lo lumen in inſtanti. Nõ viuens vero, ver
bi gratia ignis, introducitur in aquã, quę
eſt extenſa & affecta contraria qualitate,
quæ qualitas cõtraria debet ſucceſsiue ex
pelli, ad introductionem formæ ignis; ac
proinde, ignis ſit ſucceſsiue. Sed dices. 6.
Scientia producitur in inſtanti, & cum ex
pulſione erroris; ergo ſolutio eſt nulla. Re
ſpondemus negando conſequentiam: quia
ad hoc vt forma introducatur ſucceſsiue,
requiritur vtrumq. ſcilicet expulſio con-
trarij, & extenſio ſubiecti: licet ergo intel
lectus habeat errorem, tamen non eſt ſub-
iectum extenſum, ac proinde ſcientia pro-
ducitur in inſtanti. Hoc etiam habent pe-
culiare, inter alia contraria, cognitio quæ
eſt ſcientia, & cognitio quæ eſt error, quod
alia contraria poſſunt eſſe ſimul in gradi-
bus remiſsis, verbi gratia frigiditas & ca
lor: ſcientia vero, & error nulla ratione
poſſunt eſſe ſimul, ac proinde tranſitus ab
errore ad ſcientiam eſt immediatus, tam
ex parte extremorum, quam ex parte ſub
iecti ſcilicet intellectus.
Tertia ratio. Ignis incipit per vltimum 3. *Ratio.*
nõ eſſe: ergo id ex quo ſit ignis, verbi gra
tia lignum, deſinit per vltimũ ſui eſſe. Cõ-
ſequentia probatur (nam antecedens cer-
tum eſt, cum doceat ſecunda aſſertio, non
viuẽtia carere minimo.) Ignis incipit per
vltimũ non eſſe; ergo verũ eſt dicere, nũc
non eſt forma ignis, & immediate poſt e-
rit: aut ergo in illo nunc eſt forma ligni,
aut non, ſi non eſt, ergo datur inſtans, in
quo materia illa neq. habet formam ligni,
neq. ignis, & conſequenter erit abſq. for-
ma, quod non eſt dicendum; ſi vero in illo
nunc adhuc eſt forma ligni; ergo vel imme
diate poſt erit, vel non: ſi erit, ergo cum im
mediate poſt iam ſit etiam forma ignis, e-
runt ſimul duæ formæ in eadem materia;
ſi non erit, ergo deſinet lignum per vlti-
mum ſui eſſe, quod eſt falſum. Reſponde- *Solutio.*
mus cõcedendo diſcurſum propoſitum re-
cte concludere vltimam conſequentiam; ne
gando tamen, conſequens eſſe falſum: lig-
num enim, quando ex illo ſit ignis, deſi-
nit per vltimũ ſui eſſe. Sed dices. Quæ deſi 1.
nunt per motum, non deſinunt per vltimũ
ſui eſſe, ſed potius per primum nõ eſſe: ſed

lignum (idem iudicium eſt de aliis inanimatis) deſinit per motum, quando ex illo fit ignis; ergo deſinit per primum nō eſſe: quare, falſum eſt, aſſerere lignum deſinere

Obſerua. per vltimum ſui eſſe. Pro ſolutione obſeruandum eſt; rem poſſe incipere, & deſinere, dupliciter; ſcilicet abſolute ſiue totaliter, & vt eſt tāta: verbi gratia, lignum deſinit eſſe abſolute & totaliter, quando in tota materia, quæ antea erat ſub forma ligni, eſt producta alia forma, verbi gratia forma ignis: lignum vero deſinit vt tantum, quando incipit productio formæ ignis, in materia ligni. Ex hic colligo, inceptioni ei vt tanta eſt, correſpondere deſitionem abſolutam alterius rei, quæ corrumpitur; & inceptioni abſolute, correſpondere deſitionem, qua res quæ corrumpitur deſinit vt tanta. Verbi gratia quando fit ignis ex ligno, ignis incipit abſolute per vltimū non eſſe, in quo inſtanti deſinit lignum vt tantum eſt per vltimū ſui eſſe. Probatur, quia in quacunq. parte temporis immediate ſequētis, cum iam ſit introducta aliqua pars formæ ignis in partem materiæ, quæ erat ſub forma ligni, iam non habet forma ligni tantam extenſionem, ac antea: quare lignum vt tantum deſinit per vltimū eſſe, quando ignis, qui ex illo generatur, incipit abſolute per vltimū ſui non eſſe. Præterea quando per generationem ignis deſinit lignum abſolute; ita vt illius nihil maneat, tunc incipit ignis vt tantus: quare, quemadmodum vltimum eſſe ligni vt lignum erat tantum, fuit vltimum non eſſe ignis abſolute; ita primum eſſe ignis vt eſt tantus, eſt primum non eſſe ligni vt deſinit abſolute. Infero 2. ignē fieri abſolute per motum: & vt tantus eſt, fieri in inſtanti claudente motum. Infero 3. lignum vt eſt tantum, deſinere per vltimum ſui eſſe; abſolute vero deſinere paulatim per motum, & tandem extrinſece per primum non eſſe motus, quod eſt primum eſſe ignis vt tantus eſt. Reſpondemus ergo argumento in forma, diſtinguendo minorem ita: lignum deſinit per motum, abſolute concedo, vt tantum nego maiorem; imo potius deſinit per illud inſtans, quod eſt principium motus. Cum ergo lignum deſinat, quando ex illo fit ignis, per abſolutam inceptionem ignis neceſſario debet deſinere in inſtanti, ſcilicet per vltimum ſui eſſe, modo explicato. Sed dices. Id quod deſinit per vltimū 2.

ſui eſſe, immediate poſt nō eſt; ſed lignum immediate poſt adhuc eſt, imo toto tempore, quo durat motus per quem producitur ignis; ergo lignum, non deſinit per vltimū ſui eſſe, quando ex illo fit ignis. Reſpondemus maiorem ſolum eſſe veram, de his quæ deſinunt abſolute per vltimū ſui eſſe; nō vero, de his quæ deſinūt vt tanta ſunt. Quando ergo deſinit lignum per vltimum ſui eſſe, quando ex illo fit ignis, deſinit vt tātum, ac proinde immediate poſt, ſolum verum eſt dicere, non eſſe lignum vt tantum; tamen non eſt verum dicere, non eſſe lignum abſolute; ac proinde nihil obſtat, deſinere lignum per vltimum ſui eſſe.

Quarta ratio. Vltima diſpoſitio fit ſi- *4. Ratio.*
mul cū forma, ſiue forma, ſimul cū vltima diſpoſitione; ſed vltima diſpoſitio formæ ignis, ſcilicet calor vt octo, fit in inſtanti; ergo forma ignis fit in inſtāti: quare requirit minimū. Probatur minor. Vltima diſpoſitio fit, quando deſinit alteratio, quæ eſt calefactio; ſed alteratio quæ eſt calefactio deſinit in inſtanti; ergo vltima diſpoſitio fit in inſtanti. Reſpondemus negando minorem. Probationi reſpondemus diſtinguendo maiorem ita: vltima diſpoſitio vt tanta, ideſt in tanta parte certa & determinata ſubiecti cōcedo, vltima diſpoſitio abſolute, nego maiorem. Ratio eſt: quia ſicut forma ignis poteſt incipere, & fieri abſolute: & poteſt incipere, & fieri vt tanta; ita calor vt octo, qui eſt vltima eius diſpoſitio. Licet enim calor vt octo debeat fieri, vt talem habet intenſionem graduum, in inſtanti; tamen, in ſubiecto extenſo, quale eſt illud in quod introducitur forma ignis neceſſario debet fieri ſucceſsiue, & per motum: cum ergo inceptio abſolute, ſit prior inceptione vt tanta, proinde; ad indicandum

dum de termino paruitatis non viuentiũ; habenda eſt ratio inceptionis abſolute ruendo, quamuis vltima diſpoſitio formæ ignis incipiat in tanta materia in inſtanti, & modo indiuiſibili: quando ſcilicet deſinit abſolute motus qui eſt alteratio; tamen, vltima diſpoſitio abſolute incipit extrinſece, & fit per motum; & ſimul cum illa forma ignis: quare cũ vltima diſpoſitio, quã forma quæ cum illa ſimul introducitur careat minimo, cum ambæ fiant per motum, & in motu nulla ſit pars adeo prima, ante quam nõ ſit alia prior. Sed dices. Cadauer eſt non viuens, ſed cadauer incipit abſolute per primum ſui eſſe: ergo iam reperitur non viuens incipiens abſolute per primũ ſui eſſe: & conſequenter, illud ſaltim viuẽs habebit minimum. Reſpondemus diſtinguendo minorem ita: per accidens concedo, per ſe nego minorem: forma enim cadaueris, cum producatur ad deſitionem formæ viuentis, proinde per accidens incipit abſolute in inſtanti, & requirit minimum: ſemel vero introducta forma cadaueris, diuidi poteſt cadauer in infinitum, quia ex ſe nullam requirit quantitatem. Illa enim organizatio partium, quæ ſenſibus apparet eadem cum organizatione viuentis, re vera non eſt organizatio; quia cadauer eſt totũ ſimilare, licet appareat heterogeneũ.

Quæres in fine quæſt. an non viuẽtia, diſsimilaria habeant minimum. Reſpondemus; idem iudicium eſſe de illis, ac de viuẽtibus: cum enim requirant partes diſsimilares, nulla ratione poſſunt minui in infinitum, ſed in illorum diuiſione tandem deueniendum eſt ad quantitatem minimam: ita vt ſub minori quantitate, iuxta propriam naturam nequeant conſeruari.

QVAESTIO III.

An accidentia habeant terminum magnitudinis, & paruitatis.

QVÆSTIONEM hanc diuidimus in quatuor partes, quarũ prima proponemus obſeruationes; ſecunda, quæ certa ſunt, & quædam fundamenta; tertia aſſertiones; & quarta, reſpondebimus contrariis argumentis.

IN PRIMA parte quæſtionis, ſit prima obſeruatio. *1 Obſeruatio.* Accidẽtia alia ſunt quæ habent realitatem ex ſe, & realiter inhærent, vt ſunt quãtitas, & qualitas; & alia, quæ non inhærent ex ſe; qualia ſunt accidentia, quæ pertinent ad alias ſeptem categorias. Deinde, non omnia accidẽtia pertinentia ad categorias quantitatis, & qualitatis habent diſtinctam realitatem inter ſe; quia locus nõ diſtinguitur realiter a ſuperficie; nec forma, & figura, a quãtitate; nec motus (qui, vt diximus cap. de quantitate, q. 11. excluditur a categoriis) a tempore. Præterea accidentia, quæ non inhærent per ſe, in duplici ſunt differentia: alia ſunt quæ inhærẽt realiter, ratione quantitatis aut qualitatis, cum qua identificantur vt accidentia, quæ pertinent ad quinq; ſex vltimas categorias, ſcilicet ad categorias actionis, paſsionis, vbi, quando, & ſitus: accidentia enim iſtarum categoriarũ inhærent realiter ſubſtantiis ratione quãtitatis, cum qua ſunt idem; & alia, quæ ſolum inhærent ſecundum modum, quia licet ſint entia realia, tamen non ſunt idem realiter cum alio accidente, quod inhæret realiter, ſed potius ſunt idem realiter cum ſubſtantia, cui ſecundum modum inhærẽt. Huiuſmodi accidentia ſunt relationes omnes, quæ fundantur in ſubſtantia prædicamentali, de quibus egimus in logica cap. de relatione, q. 9. rurſus etiam & accidentia, quæ pertinẽt ad categoriam habitus. Nullum certe abſurdum eſt, accidens prædicamentale ſolum inhærere ſubſtantiæ ſecundum modum, vt forſam dicemus diffuſius 5. Phyſ. cap. 1. aut 2. in quæſtionibus. Præſẽs ergo quæſt. pertractatur præcipue de accidentibus, quæ realiter inhærent & per ſe, nã de aliis poſtea in fine tertiæ partis quæſt. facile erit iudicare.

M 2 Secun-

2. Obſeruatio. Secunda obſeruatio. Quantitas per ſe & non per aliud habet extenſionem, quemadmodum qualitas habet per ſe intenſionē ſiue gradus. Deinde qualitas alia eſt quæ habet extenſionem, licet per accidens, ſcilicet ratione quantitatis molis, media qua ſubiecto inhæret, verbi gratia albedo & aliæ qualitates corporeæ, quales ſunt quatuor primæ, & quæ ex illarum contemperatione ortum habent, &c. Et aliæ, quę carent extenſione adhuc per accidēs, vt ſunt qualitates ſpirituales, verbi gratia quæ ſūt in anima, vt intellectus, memoria, & cognitiones, quæ ſunt in intellectu, &c. Præterea qualitates ſpirituales, aliæ ſunt naturales, id eſt inditæ a natura vel adquiſitæ, & aliæ ſupernaturales, vt gratia, habitus fidei, & alij habitus ſupernaturales. Inquirimus ergo an quātitas habeat terminum magnitudinis, aut paruitatis ſecūdum extenſionē per ſe; & an omnes qualitates habeant terminum extenſionis per ſe; tum etiam an qualitates corporeæ habeant terminum in extenſione quam habent per accidens, & ratione quantitatis, cui vt ſubiecto quo inhærēt. Aliæ obſeruationes quæ ſunt neceſſariæ pro explicatione terminorum tituli quæſt. conſtāt ſatis ex ſuperioribus quæſt.

Quæ certa ſunt in quæſt. IN SECVNDA parte quæſtionis. Primo certum eſt ſi loquamur de facto inter accidentia dari in rerum natura aliquod perfectius cæteris omnibus, quod eſt intellectus & voluntas ſupremi Angeli: & dari aliquod cæteris omnibus imperfectius, quodnam vero illud ſit nō eſt adeo manifeſtum. Præterea certum eſt etiam de facto dari aliquam quantitatem maximam, & aliquam minimā cæteris omnibus, vel poſitiue, vel negatiue. Inter qualitates etiam datur aliqua de facto magis intenſa aliis, & aliqua minus intenſa; eſt etiam aliqua ex qualitatibus magis extenſa, extenſione per accidens, & aliqua minus extenſa: imo quod diximus de his accidentibus in communi intelligendum etiā eſt de qualibet ſpecie quātitatis, aut qualitatis. Deinde ſi loquamur de potētia abſoluta eſt etiam certum nulli accidenti habere terminum magnitudinis, & paruitatis; poteſt enim Deus conſeruare quantitatē ſub quacumq. extenſione, & qualitatem ſub quacumq. intenſione: quare manet dubitatio de terminis accidentium ſecundum potentiam naturalem.

1. Fundamentum. Primum fundamentum. Quantitas, & qualitas dupliciter poſſunt ſumi, 1. ſecundum ſe, 2. ratione ſubiecti, ſiue vt ſunt diſpoſitiones rei naturalis, verbi gratia quātitas, quæ eſt in planta, poteſt ſumi ſecundum ſuam naturam, id eſt vt dicit nudā extenſionem, & poteſt etiam ſumi prout eſt diſpoſitio neceſſaria in planta, verbi gratia, pro conſeruatione formæ plantæ.

2. Fundamentum. Secundum fundamētum. Qualitatum aliæ ſunt extremæ, & aliæ mediæ: extremæ vt albedo, & nigredo, calidítas, frigiditas, &c. Mediæ ſunt quæ ex contemperatione extremarum oriuntur, ſiue inueniātur in illis formaliter extremæ ſiue non (nam de his alibi dicemus) vt viridis color, ceruleus, tepiditas, &c.

1. Aſſertio. IN TERTIA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Quantitas ſecundum ſe caret termino magnitudinis, & paruitatis. Probatur primo ex Ariſt. 3. Phyſ. cap. 6. ibi enim expreſſe docet dari infinitum in potentia, tam ſecundum magnitudinem, quā ſecundum paruitatem; quare ex ſententia Ariſt. quantitas ex ſe, nec habet terminū magnitudinis, nec paruitatis. Præterea Ariſt. 1. Phyſ. cap. 2. ita ſcribit de termino paruitatis in quantitate. *Quod enim continuum eſt in infinitum ſecari poteſt.* Et probatur ratione. Res non viuentes, vt diximus quæſt. 2. carent termino magnitudinis, & paruitatis, ſi ſecundum ſe ſumantur; ergo a fortiori quantitas ſi ſecundum ſe ſumatur, caret termino magnitudinis, & paruitatis. Probatur conſequentia; quia res nō viuentes non habent extenſionem ratione ſui; ſed potius ratione quantitatis. De termino paruitatis videtur res aliquantulum difficilis, id quod docet aſſertio; ſed probatur

tur ita. Aut quantitas eſt diuiſibilis in infinitum, aut non; ſi eſt diuiſibilis: ergo non habet terminum paruitatis: ſi non eſt diuiſibilis in infinitum: ergo eandem per diuiſionem deueniendum eſt ad minimum quãtitatis. Modo ſic. Illud minimũ eſt totum extenſum: ergo eſt compoſitum: vel ergo eſt compoſitum ex partibus extenſis; vel ex partibus inextenſis; ſed nõ ex partibus inextenſis: quia cum totum non habeat diſtinctam extenſionẽ ab extenſione partiũ, totum illud minimum nõ eſſet extenſum: ergo eſt compoſitum ex partibus extẽſis: ſed quod eſt compoſitum ex partibus extenſis poteſt in illas diuidi; ergo illud minimum poterit diuidi; & rurſus cum quęuis pars, facta diuiſione, ſit extenſa, & totum poterit etiam diuidi, & ſic fieri poteſt argumentum in infinitũ: quia in huiuſmodi diuiſione numquam poſſumus deuenire ad partes inextenſas: nam ſequeretur inde maximum abſurdum, ſcilicet extenſa, & diuiſibilia componi ex inextenſis, & indiuiſibilibus.

2. *Aſſertio.* Secunda aſſertio. Quantitas, vt eſt diſpoſitio corporis naturalis, terminatur verſus magnitudinem, & paruitatẽ ratione ſubiecti: quare quãtitas viuentium, vt eſt illorum diſpoſitio, habet terminum intrinſecũ magnitudinis, & paruitatis: quãtitas vero non viuentium, vt eſt diſpoſitio illorum, caret termino magnitudinis, & paruitatis. Hæc aſſertio adeo eſt manifeſta, vt non egeat probatione.

3. *Aſſertio.* Tertia Aſſertio. Qualitates corporeæ, quæ habent extenſionem per accidens, ſi ſumãtur ratione ſubiecti, cuius ſunt diſpoſitiones, eodẽ modo ſe habent in extenſione, ac ſubiecta: quare in viuentibus habẽt terminum magnitudinis, & paruitatis; in non viuentibus vero vtroque termino carent. Si vero iſtæ qualitates ſumantur ſecundum ſe, carent termino magnitudinis, & paruitatis in extenſione illa, quam habent per accidens, & ratione quantitatis. In hac aſſertione fere omnes conueniunt. Manet ergo dubitatio. An qualitates habeant terminum in intenſione.

4. *Aſſertio.* Quarta Aſſertio. Extremæ qualitates, ſumptæ ſecundum ſe carent termino intenſionis, tam verſus magnitudinem, quam paruitatem: videlicet poſſunt intendi, & remitti abſque fine. Probatur aſſertio. Vt ſe habet quantitas ad extẽſionem, ita ſe habet qualitas ad intenſionem: ſed quantitas ſecũdum ſe, caret termino magnitudinis, & paruitatis in extenſione; ergo qualitas ſecũdum ſe, caret termino magnitudinis, & paruitatis in intenſione. Deinde, de termino paruitatis ſolũ, ita probatur Aſſertio. Quæ fiunt per motum, non habent minimum; quia ſicut in motu non datur pars minima, quam non antecedat alia minor: ita in re, quæ producitur per motum, non datur pars minima producta, ante quã nõ ſit alia minor: ſed qualitates producuntur per motum, ſi ſecundum ſe ſumantur: ergo qualitates ſecundum ſe carent minimo.

5. *Aſſertio.* Quinta aſſertio. Qualitates, vt ſunt diſpoſitiones pro introductione, & cõſeruatione formæ rei naturalis, habẽt terminũ magnitudinis, & paruitatis in intenſione: tam in non viuentibus, quam in viuentibus. In viuentibus res eſt certa. In non viuentibus probatur. Qualitates, vt ſunt diſpoſitiones pro introductione, & conſeruatione formæ non viuentis, ordinantur ad introductionem, & conſeruationem formæ finitæ, & habentis determinatas operationes: ergo etiam qualitates, quæ ſunt diſpoſitiones illius formæ, debẽt eſſe determinatæ intenſionis; tam in magnitudine, quam in paruitate. Confirmatur etiam. Quia, quantumuis creſcat calor aeris, numquam tamẽ perueniet ad calorem minimi ignis. Si vero quæras, cur in rebus inanimatis quantitas, quæ eſt diſpoſitio, careat termino: non vero qualitas. Reſpõdemus cauſam eſſe: quia accretio fit ſemper in nõ viuentibus, cum additione nouæ formæ cũ noua materia: & decretio fit per deperditionem partis formæ, cum parte materiæ: ac proinde, ſi additur maior quãtitas, additur cum noua parte formæ, & mate-

ria, etſi detrahitur, detrahitur ſimul, cum noua parte formæ, & materiæ: quare in non viuentibus, etſi quantitas ſit diſpoſitio, non tamē quantitas determinata. Intenſio vero, & remiſsio in qualitatibus, cū poſsint fieri in eadem parte ſubiecti, abſq. additione, aut detractione nouę partis formę, aut materiæ; proinde qualitates terminum habent in intenſione, & remiſsione; ſunt enim diſpoſitiones formæ finitæ virtutis, & finitæ operationis.

6. Aſſertio Medias qualitates carere terminis. Vltima aſſertio. Mediæ qualitates, ſecundum ſe ſumptæ, carent termino intenſionis, & extenſionis. Hæc aſſertio difficilis apparet; ſed explicatur ita. Medijs qualitatibus poteſt fieri additio dupliciter. 1. ex parte alterius extremæ. 2. ex parte vtriuſque, verbi gratia tepiditati poteſt fieri additio vel caloris, vel frigiditatis, vel vtriuſque ſimul: ſi illi fiat additio tantum ex parte alterius extremæ, terminum habet, tam verſus magnitudinem, quam verſus paruitatem: nam per additionem alterius extremæ qualitatis deueniemus ad maximum, & minimū, verbi gratia ſit aqua frigida, huic addatur caliditas; quando caliditas, & frigiditas erūt in aqua, in gradibus æqualibus, tunc aqua erit maximè tepida, & ſi illi addatur maior frigiditas, iam non erit ita tepida; ſed accedet magis ad extremā qualitatem, ſcilicet ad frigiditatem: ſi vero illi aquæ tepidæ fiat additio ſecundum vtramque qualitatem extremam, creſcet certe in infinitum: eodem modo, ſi detrahantur ab illa ambæ qualitates extremæ, poterit minui in infinitū. Aſſertio ergo debet intelligi de qualitatibus medijs ſumptis 2. modo, & probatur. Qualitates extremæ poſſunt creſcere, & minui in infinitum; ergo & mediæ quæ ex illis fiūt, poſſunt creſcere, & minui in infinitum. Probatur conſequentia. Caliditas & frigiditas, verbi gratia quæ ſunt extremæ qualitates, ſi ſint in gradibus æqualibus, efficiunt tepiditatē: ſed manendo ſemper in gradibus æqualibus poſſunt creſcere, & minui in infinitū; ergo tepiditas poterit creſcere, & minui in infinitum: quare vera eſt aſſertio. Minor probatur. Quæuis ex illis, medijs qualitatibus, ſe habet in intenſione, & remiſsione, ſicut ſe habet quantitas in extenſione: ſed quantitas poteſt creſcere, & minui in infinitum ſecundum extenſionē: ergo quæuis ex illis qualitatibus medijs poterit intendi, & remitti in infinitum. Doctrina hæc non repugnat D. Tho. 2.2.q.24.art.7. (vt multi volunt) ibi enim docet, medias qualitates ex ſua natura terminum habere; intelligendus tamen eſt, ſi illis qualitatibus fiat additio, vel detractio alterius qualitatis extremæ; & non ſi fiat additio vtriuſq. qualitatis extremæ. Hoc enim ſatis indicat eius ratio; nam docet, ſi creſcerent mediæ qualitates, fieret acceſſus ad alterā ex extremis qualitatibus.

Ex dictis in hac quęſtione infero 1. Accidentia, quæ ſunt in ſubiecto, & non ordinantur ad introductionem, vel conſeruationem formæ ſubſtantialis, neque ex ſe, neque ratione ſubiecti, habere terminum intenſionis, vt patet in lumine, quod eſt in aere; lumen enim, cū non ſit diſpoſitio pro introductione, aut conſeruatione formæ aeris, poteſt intendi, & remitti abſque fine; non ſolum ſecūdum ſe, verumetiam vt eſt in aere. Cum enim lumen, non ſit diſpoſitio aeris, non debet regulari eius intēſio, & remiſsio per ordinē ad aerem. Idem iudicium eſt de alijs huiuſmodi accidentibus. 1. *Corol.*

Infero 2. Accidentia quæ ſunt in ſubiecto extraneo, & illis contrario, terminum habent magnitudinis in ordine ad ſubiectum; non tamen paruitatis. Ratio primi eſt: quia per intenſionem accidētis contrarij ſubiecto, minuitur diſpoſitio neceſſaria pro conſeruatione formæ illius ſubiecti; ac proinde accidens contrarium ſubiecto habet terminum intenſionis ratione ſubiecti. Ratio ſecundi eſt, quia, cum ſubiectum ſit extraneum, ſiue contrarium illi accidenti, poteſt eſſe ſubiectum abſq. illo: & conſequenter cum minori, & minori in infini- 2. *Corol.*

infinitū, verbi gratia calor in aqua eſt accidens cõtrarium aquæ, ac proinde habet terminum intẽſionis ratione ſubiecti, quẽ ſi tranſgrediatur, neceſſario corrũpet formam aquæ; quia deſtruet frigiditatem neceſſariam pro conſeruatione formæ aquę; & idem calor in aqua, ratione ſubiecti, caret termino paruitatis: quia cũ aqua poſſit eſſe, & conſeruari abſque calore, ſi forte calorem habeat, poterit illum habere in minori, & minori intenſione.

3. Corol. Infero 3. Si accidentia, quæ non diſtinguuntur realiter a quantitate, vel qualitate, vel ſubſtantia, ſumantur ſecũdum rem; eodem modo philoſophandum eſt de illis, ac philoſophati ſumus de rebus, a quibus non diſtinguuntur realiter: ſi vero ſumantur ſecundum proprias rationes, non eſt cur modo explicemus, an habeant terminum, & quiſnam ille ſit; nam res hæc moleſta eſſet, & parum vtilis: quare hanc diſputationem propter rationẽ aſsignatam prætermittimus; tum etiam ne diſputatio hæc de terminis ſine, & termino careat.

Ratio in 1. Aſſertio. IN QVARTA parte quæſtionis. Dices in primam aſſertionem Ariſt. ca. 4. huius libri ita ſcribit. *Omne autẽ corpus finitum detractione finiti tandem tollitur, et obſcuratur.* Ergo quantitas ſecundum ſe, cum ſit finita, non poteſt diuidi in infinitum: ſed potius per diuiſionem abſumetur.

Solutio. Reſpõdemus negando conſequentiã: quia Ariſt. teſtimonium intelligẽdum eſt, ſi a finito corpore detrahantur partes magnitudinis determinatæ: ac proinde inquit, *detractione finiti*, aſſertio vero propoſita debet intelligi de partibus proportionalibus, & indeterminatis, id eſt, ſi fiat diuiſio ſemper in partes minores; vt ſi vlna diuidatur in duas quantitates duorum palmorum, & rurſus, ſi quædam ex illis diuidatur in duas partes vnius palmi, & rurſus, ſi pars vnius palmi diuidatur in duas partes, & ſic in infinitũ. id enim explicat Ariſt. ſatis aperte 3. Phy. cap. 6. his verbis. *In certa enim, et finita magnitudine, ſi quis certam partem acceperit, et præterea eadem ratione aliquam totius partem auferat; ſed non ita, ut æqualis ſemper magnitudo ſit, quæ aufertur, nunquã rem finitam perſequetur. Sin ita rationem augeat, ut ſemper æqualem magnitudinem ſumat, exitum reperiet, propterea quod omne quod finitum eſt, cuiuſuis certæ partis detractione tãdem conſumitur.* Quod vero aliqui obiiciunt, ſcilicet poſſe dari infinitum actu, ſi quantitas ſecundum ſe, caret magnitudinis termino, nullius eſt momenti: quia citra infinitum actu poteſt res creſcere abſq. fine, vt diximus q. 2. & docet ſatis expreſſe Ariſt. cap. vltimo citato.

1. Ratio. in 2. aſſertionem. Dices primo in 2. aſſertionem. Effectus qui fiunt a cauſa finitæ virtutis, debẽt eſſe finiti; ſed omnes qualitates ſecũdum ſe ſumptæ (loquimur de naturalibus) fiunt a cauſa finitæ virtutis; ergo debent eſſe finitæ: ergo nõ recte diximus in 4. aſſertione, qualitates ſecundum ſe ſumptas, quantum ad extenſionẽ carere termino magnitudinis, & paruitatis.

Solutio. Reſpondemus concedendo primum ſyllogiſmum, & negando ſecundam conſequentiam; quia, cũ triplex ſit intenſio in accidentibus, ſcilicet ex ſe, ratione ſubiecti, & ratione virtutis cauſæ efficientis, tãtum probat argumentum qualitates habere terminum, vt ſunt a cauſa efficiente; non tamen ſi ſumantur ſecundum ſe, vt docet 4. aſſertio.

2. Ratio. Dices ſecũdo. Qualitates intenduntur ex natura ſua penes maiorem radicationem in ſubiecto, ergo dicunt eſſentialẽ ordinem ad ſubiectum: ergo cum ratione ſubiecti habeant terminum, etiam habebunt terminum ſecundum ſe. Reſpondemus negando ſecundam conſequentiam; nam etſi dicant ordinem ad ſubiectum, ſcilicet habitudinalem inhærentiam, tamen non ſequitur inde, habere terminum ex ſe; ſed tantũ ratione ſubiecti, quod libenter admittimus: imo diximus in aſſertionibus qualitates habere terminum, vt ſunt diſpoſitiones corporis naturalis. Hoc vero ita eſſe colligitur ſatis a poſteriori, quia accidentia, quæ non ſunt diſpoſitiones illius ſub-

iecti

ſecti in quo ſunt, adhuc ratione ſubiecti carent terminis: vt patet in lumine exiſtente in aere, quod, quia nō eſt diſpoſitio illius, poteſt intendi in illo in infinitum, vt dictum eſt. Concludimus ergo: accidentia, quæ ſunt diſpoſitiones corporis naturalis, ex ſe carere termino magnitudinis, & paruitatis, licet illum habeant aliquando ex parte ſubiecti, modo explicato. De accidentibus ſpiritalibus multa ſunt dicenda, forſam contraria his quæ dicta ſunt in aſſertionibus, quæ tamen omnia conſulto prætermittuntur, alibi enim de illis dicemus. In hac quæſtionis animaduerſum volumus, quantitatem diſcretam, numerum ſcilicet, & orationem, carere termino magnitudinis; habere tamen terminum paruitatis: oratio enim eſſe non poteſt, niſi conſtet ex duabus moralit; & ſimiliter numerus ad minus conſtare debet ex duabus vnitatibus.

CAP. V. PRINCIPIA REI NATVRALIS ESSE CONTRARIA.

INCIPIT Ariſtoteles hoc capite diſputare ex propria ſententia de principiis rerum naturalium.

Omnes vero contraria principia faciunt, &c. Quoniam inſtituit ex principiorum cōtrarietate, illorum numerū probare, proinde docet omnes Philoſophos conſtituiſſe rerū principia contraria, ducitque initiū à Parmenide. Parmenides enim, qui cōſtituebat omnia eſſe vnum ens immobile, poſuit principia contraria, ſcilicet frigiditatem, & caliditatem, illaque, ignem & terram appellauit. Pręterea qui in ea fuerūt opinione vt exiſtimarent omnes res fieri per raritatem & denſitatem. At hæc Democritus fecit contraria ſolidum, & vacuum; & per ſolidum intellexit athomos illas, quas ſtatuebat infinitas, in quibus aiebat eſſe multas contrarietates ſecundum ſitum, & figuram: ſecūdum ſitum, vt ſurſum de orſum, ante & retro; ſecundum figurā, vt rectum & rotūdum, quod habet angulos & quod angulis caret: ex quibus cōcludit, perſpicuum eſſe, omnes conſtituiſſe, quodammodo principia eſſe cōtraria, id quæ nō immerito: nō quia illi aliqua optima ratione ſint ducti; ſed quia principia quæ ſunt contraria, contraria poſuerint, quamuis cauſam rei illi ignorauerint. Obſeruandum eſt prætermiſiſſe Ariſt. Anaxagoram, & Empedoclem, quia

certum

certum eſt illos ſtatuiſſe principia contraria, vt dixit ſuperiori cap. impugnãs illorum ſententias.

Principia enim eiuſmodi eſſe debent, &c. Prima principia eſſe cõtraria, hac probabili ratione (vt docet D. Tho.) demonſtrat. Principia ſunt quæ nec fiunt ex ſe ipſis inuicem, neq; ex aliis, omnia tamen ex illis fiunt; ſed prima contraria, eo quod prima ſunt, nõ fiunt ex aliis, & eo quod cõtraria ſũt, non fiunt ex ſe ipſis inuicem (hoc intelligendum eſt tanquam ex ſubiecto, quia cum contraria mutuo ſe deſtruãt, vnum non poteſt fieri ex alio tãquam ex ſubiecto; nam tãquam ex termino à quo fiunt ex ſe ipſis ad inuicem, vt inductione conſtat) ergo prima contraria ſunt principia. Propoſitam conſequentiam omiſit Ariſto. tum etiam non docuit qua ratione omnia fiant ex primis principiis, id tamẽ in ſequentibus explicat.

Quod quemadmodum eueniat ex ratione, &c. Quæ Ariſt. proponit eo tendũt, vt oſtẽdat, omnia fieri ex ipſis cõtrariis, ſed vt id probet, duas conſtituit hypotheſes, prima eſt. Quidquid agit, nõ in quouis agit, ſed in ſuum cõtrarium agit: & quidquid patitur, nõ à quouis patitur, ſed à ſuo contrario patitur. Secũda hypotheſis. Quidquid gignitur, nõ gignitur ex quouis, ſed ex ſuo contrario; hoc tamen intelligẽdum eſt per ſe, nam per accidens, quoduis poteſt agere in quoduis, & fieri ex quouis, vt ipſe docet: inquit enim, album fit ex muſico, quia accidit, vt is qui niger eſt, ſit muſicus: per ſe enim, album fit ex non albo, & nõ ex quouis nõ albo, ſed ex nigro, vel ex eo, quod affectum eſt aliquo medio colore, vt tamẽ induit rationem alterius extremi, ſcilicet nigri: & muſicus, fit per ſe ex non muſico, ſed non ex quouis, ſed ex illo, quod non eſt præditum in muſica, & capax eſt illius; vel ex aliquo intermedio, ſi forte interiectũ eſt. Quæ verba ideo adduxit Ariſto. quia antea dixerat, album fieri ex non albo, vel ex intermediis, modo etiam docuit, muſicũ fieri ex nõ muſico, vel ex aliquo medio, ſi forſan eſt interiectũ nam inter habitũ & priuationem nõ datur mediũ. Preterea inquit nihil primo & per ſe interit in quoduis; vt album nõ interit in muſicum, niſi per accidẽs; interit tamẽ per ſe, in idquod eſt expers candoris, vel in nigrum, vel affectum medio colore: eodẽ modo id quod muſicum eſt, interit per ſe in id quod

quod eſt expers muſicæ. Quia propoſita exẽpla ſupra in formis ſimplicibus, proinde ſubdit: quod etiam ſit in cæteris, id eſt incõpoſitis, quandoquidem eadem eſt ratio de rebus cõpoſitis, ac de ſimplicibus; ſed quia nondum ſunt impoſita nomina extremis contrariis, proinde in illis id difficilius cognoſcitur. Neceſſe eſt, inquit, omne armonicum fieri ex non armonico, & interire in non armonicũ; ſiue per armonicum intelligamus voces inter quas eſt concentus; ſiue ipſum concentum. Idem docet in domo, & ſtatua.

Quod ſi ita eſt quidquid oritur, &c. Concludit Ariſtoteles dicens. Cum ergo hæc ita ſint; quidquid oritur ex contrario oritur: & quidquid interit, in contrarium interit. Docet etiam res oriri ex medio, vel interire in medium; quia medium, comparatum ad vnum ex extremis, induit rationem alterius extremi; verbi gratia, viridis color, ſi cõparetur cum albedine, induit rationem nigredinis: quare inquit, omnia quæ ſunt, vel oriuntur ex contrariis, vel ſunt contraria, quod erat probandum.

Dubitatio Dubitant interpretes, quonam modo omnia gignantur ex contrariis, cum dictum ſit, eam eſſe naturam primorum contrariorum, vt ex ſe inuicẽ non fiãt? Reſpondent tamẽ aliqui; cõtraria non fieri ex ſeipſis inuicem, vt ex ſubiecto (vel vt volunt Simplicius & Philoponus tanquam ex cauſa efficiente) omnia tamen fieri ex primis contrariis, vel tanquam ex termino a quo, vel tanquam ex forma. Sed licet verum ſit, contrarium nõ fieri ex alio tanquam ex cauſa efficiente, quia potius ſimile generat ſibi ſimile; tamen huius rei nec meminit modo Ariſtot. quare aliorum interpretatio, præſtantior eſt interpretatione Philoponi, & Simplicij.

Sed aliud quidem fere, &c. Hanc veritatem, ſcilicet principia eſſe contraria, omnes veteres Philoſophi agnouerunt, etiam ſi ad id aſſerendum, nulla ſint ducti ratione. Tanta enim eſt veritatis vis, & efficacia, vt interdum obuia fiat, & occurrat nolentibus, aut certe aliud agentibus, ipſoſque veluti multos ad ſe raſſenſum trahat: hincque a non ſentientibus, aut his qui animum non aduertunt, veritas interdum proferri ſolet. Differũt tamen illi Philoſophi inter ſe, quia quidam conſtituunt principia priora; & alii poſteriora; quidam notiora ſecun-

cūdum intellectum; & alij notiora ſenſibus. Per poſteriora intelligunt magis vniuerſa, & iſta ſunt quæ ab intellectu cognoſcuntur. Per poſteriora intelligūt minus vniuerſa, quæ quo magis diſtant à magis vniuerſis, eo magis à ſenſibus percipiuntur. Ex veteribus enim Philoſophis, alij frigiditatem, & calorem; alij humiditatem, & ſiccitatē; alij par, & impar; alij concordiam, & diſcordiā conſtituebant principia generationis rerum naturaliū: Differunt tamen, inquit, iſta principia iuxta hūc modo explicato, quia ſcilicet, aliquo modo ſūt eadem; & aliquo modo differunt: differunt quidem, quia ita multis videtur; ſunt tamen eadē, quia proportione quandam conueniunt. Locum iſtum interpretes ita exponunt: In principiis docent quandam ſeriem eſſe conſtituendam, in qua principia alia ſunt ſuperiora, & continent; & alia inferiora, & continentur. Ita interpretantur Simplicius, D. Tho. Vicomercatus, Egidius Romanus, Soto, Toletus, Valleſius, Villalpandus, & Hieronymus Balduinus, & alij; inter hos tamen varii ſunt dicendi modi, quibus explicant, qua ratione iſta ſeries ſit conſtituenda, ad hoc vt omnes veteres Philoſophi aliquo modo conueniant, & aliquo modo differant. Quia tamen iſta omnia parum vtilia ſunt, non eſt in illis immorandum: conſulantur citati Philoſophi, & præcipue Simplicius, & Hieronymus Balduinus, quorum iudicio, & diligētię rem hanc commendamus, vt ad difficiliora, quę ſequuntur, lente feſtinemus. Nō enim eſt paſſim in omnibus leuibus dubiis immorandum.

Hæc igitur ex parte, & eodem modo, & alio, tum deterius, tum melius, & dicunt & ſentiunt, &c. Hæc Ariſtotelis verba difficillima ſunt, & ex Ariſtotelis interpretibus pauci reddunt cauſam, cur aliqui ex veteribus conſtituerint principia melius, & alij deterius. S. Tho. exiſtimat hoc ideo eſſe, quia ex contrariis quæ à quouis adducuntur, vnum ſe habet vt melius, & alterum, vt peius; vt concordia, plenum, & calidum ſe habent vt melius; diſcordia vero vacuum, & frigidū ſe habent vt peius. Huic fouet Simplicius, & Simplicium ſequitur Toletus. Soto exponit ita; id eſt, aliqui loquūtur meliꝰ, & alij peius; nō tamen reddit rationem, propterquam, aliqui loquantur melius; & aliqui loquātur peius in explicandis principiis.

Sed omiſsis variis expoſitionibus auctorum quos paulo antea citauimus, qui modo etiã conſulendi ſunt, exiſtimo cũ Valleſio, proinde aliquos melius, & aliquos deterius cõſtituiſſe principia contraria; quia cum hic quærantur prima rerũ principia, quo quis ea ſtatuit priora, eo rectius loquitur; & quo poſteriora, eo peius. Alias expoſitiones ſatis recte impugnat, illum legite. Præterea inquit Ariſt. cognoſci ab intellectu quę pertinent ad vniuerſum genus, quę vero ad partẽ pertinent, à ſẽſibus; intellect9 enim verſatur circa res vniuerſas, & ſẽſus circa res ſingulares; verbi gratia magnũ, & paruum cognoſcuntur ab intellectu; rarum vero, & denſum à ſenſibus; quare cõcludit, perſpicuũ eſſe, oportere principia eſſe contraria.

CAP. VI. DE NVMERO PRINCIPIORVM.

QVAESTIO quot ſint principia, erat priori loco tractanda, quia tamẽ cognitio illius multum iuuat, ad numerum principiorũ inueſtigandum, proinde Ariſt. poſtquã ſuperiori capite docuit principia eſſe contraria, iam hoc cap. 6. de numero principiorum ſermonem inſtituit.

Sequitur de. incepsi ut dicamus an duo vel tria, &c. Secundo & tertio capite docuit Ariſtot. principia eſſe plura vno, & nõ eſſe infinita, id tamen idẽ, additis quibuſdã rationibus, modo probat. Non eſſe vnum ſolum principiũ ita probat; Contraria nõ ſunt vnum; ſed principia ſunt contraria; ergo principia non ſunt vnum. Principia non eſſe infinita oſtendit quatuor rationibus. *Principia non eſſe infinita oſtẽdit 4 rationibus.* Prima eſt. Infinitum qua infinitũ eſt, nequit cognoſci; ergo ſi principia rerũ naturalium eſſent infinita, non poſſemus nos habere ſcientiam 1. de rebus naturalibus; quia ignoratis principiis, non poſſumus habere ſciẽtiam rerum, quarũ ſunt principia quæ ignoramus. Secunda ratio, quã celebreuiter, & obſcure proponit Ariſt. ita habet. Subſtãtia, cuius principia quærũtur 2. vnũ eſt genus, ſed in vnoquoque genere vna eſt contrarietas; ergo in ſubſtantia vna eſt contrarietas; ſed quæuis contrarietas continetur duobus con-

contrariis; ergo duo ſunt cō-
traria pricipia in genere ſub-
ſtantiæ: quare non ſunt infini-
ta. In hac ratione intelligit
primam cōtrarietatem inter
formam & priuationem; ad
quam omnes reducuntur, vt
progreſſu diſputationis ex-
Dubitatio plicabitur. Inquirunt hoc in
loco Simplicius, Philoponus
& alij quid intelligat Ariſto.
per genus, & quid per ſubſtā-
tiam, quam vnū genus appel-
lat; tum etiam, quæ ſit contra-
rietas generis ſubſtantiæ; &
cur diſputet tantum de prin-
cipiis ſubſtantiæ, cum modo
inueſtigētur rerum omnium
Solutio. principia. Reſpondemus: per
genus intellexiſſe gen⁹ in ſua
propria, & ſtricta ſignificatio-
ne, qua ratione dicere ſole-
mus, ſubſtantia eſt vnum ge-
nus, quātitas eſt vnum genus.
Nomine vero primæ contra-
rietatis, non intellexit illam
quæ verſatur inter cōtrarias
differentias, per quas primo
diuiditur genus ſupremum,
ſcilicet corporeum, & incor-
poreum, vt multi volunt; ſed
intellexit illam, quę verſatur
inter formam naturalem, &
priuationem; quod ex eo con-
ſtat, quia agit de principiis
generationis naturalis, quæ
nō verſatur inter corporeū,
& incorporeum; quia neque
corporeum generatur ex in-
corporeo, neque incorporeū
ex corporeo; ſed potius res
naturalis generatur ex priua-
tione ſuæ formæ. Per ſubſtan-
tiam, ſolum intellexit corpo-
ream; nam hæc ſolum genera-
tur. Tandem, ſolum fecit mē-
tionem principiorum ſubſtā-
tiæ, quia pręcipue inſtituit di-
ſputare de huius generatio-
ne, ex qua facile eſt colligere,
quæ, & quot ſint principia ge-
nerationis accidētis. Ita, bre-
uiter diſſoluimus ſuperiores
dubitationes; à Simplicio e-
nim, & Philopono ſic in illis
explicādis diffuſa admodum
conſumitur oratio, vt, ſi quæ
iſti accurati interpretes tra-
dunt, velimus recenſere, ne-
ceſſarium ſit, vt tædio lecto-
rem afficiamus: quare dicta
ſufficiant; qui enim illarū du-
bitationum diſquiſitiones ab
illis diffuſe factas deſiderant,
eos legant. Tertia ratio, fru- 3.
ſtra fiunt per plura quæ fieri
pōſſūt per pauciora æquè cō-
mode; ſed res naturales fieri
poſſunt commode ex princi-
piis finitis, vt dicebat Empe-
docles; ergo non ſunt conſti-
tuenda infinita principia, vt
voluit Anaxagoras. Quarta 4.
ratio cōciſſe proponitur quē
admodum & ſecunda, hic ta-
men, eſt illius ſenſus. Si prin-
cipia eſſent infinita, cum mō-
ſtratū ſit eſſe contraria, opor-

teret, omnia contraria eſſe principia; at non eſt aſſerendum omnia principia eſſe contraria, cum ex contrariis, alia fiant ex aliis, vt dulcia & amara, alba & nigra fiunt ex primis qualitatibus contrariis; & conſequenter alia ſint priora, & alia poſteriora: ergo principia non ſunt infinita; præſertim, inquit, cũ non omnia principia maneant, quod certe aduerſatur naturę principiorum, nam principia debent ſemper manere; quare concludit ex dictis, principia neque eſſe infinita multitudine, neque eſſe vnum. Dubitãt interpretes, quid ſignificent illa verba, ſcilicet principia ſemper manere. Simplicius, & Philoponus reſpõdent: nihil aliud ſignificare, quã principia in eſſe in omni generatione, quod non conuenit cõtrariis poſterioribus. Hæc reſpõſio ſatis probabilis eſt, & recta. Vicomercatus tamẽ, &, vt quidam referunt, Alexander Affrodiſeus 1. lib. quæſtionum naturalium cap. 16. volunt, principia ſemper manere, nihil aliud eſſe, quam principia dum ſunt, ſemper retinere eandem rationem, quia ſcilicet, neque fiunt ex aliis, neque ex ſe inuicem, omnia tamen ab illis oriuntur: quæ expoſitio certe apparet magis accomodata ipſi cõtextui Ariſtotelis: nam cõipſo quod de ratione principiorum eſt, vt ex aliis non fiant, contraria, quę á primis oriũtur, non ſunt principia; & conſequenter principia non erunt infinita.

Dubitatio

Quoniam autem finita & certa eſſe debent, &c. Cum ex dictis certum iam ſit, principia eſſe certa, & determinata, docet nunc rationem ipſam ſuadere, principia non eſſe duo tantum; quia ſi eſſent tantũ duo, merito poſſet aliquis dubitare, quonam modo, rarum et denſum, aut concordia & diſcordia, aut alia cõtraria poſſint eſſe principia; cum ex raro nequeat fieri dẽſum, neque ex denſo poſſit fieri rarum, neç é concordia poſſit fieri diſcordia, aut é cõtra. Neceſſe eſt ergo conſtituere tertiũ principium, quod mutetur á raro in denſum, ſiue á concordia in diſcordiam, aut á denſo in rarum, ſiue á diſcordia in concordiam. Imo tanta eſt huius tertij principij neceſsitas, vt multi non vnũ tantum, ſed multa poſuerint cõtraria principia materialia.

Præterea de hoc etiã aliquis quæret, &c. His verbis, propoſita alia dubitatione, concludit contraria non eſſe principia; ideo-

ideoque neceſſariam eſſe tertiam naturam, quæ cõtrariis ipſis ſubſternatur. Quæ ratio certe difficillis eſt, ita tamen exponitur. Principia rerum ſunt ſubſtantia, vel eſſentia illarum; ſed contraria nullius rei ſunt eſſentia; ergo contraria non ſunt principia. Maiorem omiſsit Ariſtoteles, illam tamen confirmat ita. Principium non dicitur de re ſubiecta, id eſt principium non eſt in aliquo tamquam in ſubiecto, quia ſi eſſet in ſubiecto, iam principij eſſet principiũ, nam ſubiectum principium eſt illius rei quæ illi inhæret; quod certe eſt abſurdũ. Tum etiam, eſſet aliquid prius ipſo principio. Hæc Ariſtotelis ratio mille eſt expoſita calũniis. Sed omiſsis variis dicendi modis, exiſtimamus rectam eſſe D. Tho. ſententiam circa hanc rem; docet enim, modo Ariſtotelẽ procedere diſputatiõe ex probabilibus propoſitionibus, quæ erant apud antiquos famoſæ. Non enim omnia quæ Magiſter Ariſtoteles docuit procedunt demonſtrando ſed multa docuit probabiliter, præſertim quãdo veterum Philoſophorum ſententias impugnabat.

Nullam vero eſſentiam eſſe contrariam, &c. Tertia ratio ita habet. Non dicimus eſſentiam, id eſt ſubſtantiam, eſſe contrariam eſſentiæ, id eſt ſubſtantiæ; ergo, ſi principia ex quibus conſtat ſubſtantia, ſolum ſunt illa, quæ ſunt contraria, ſubſtantia fiet ex non ſubſtantiis; quia ſubſtantia fit ex principiis; & quod non eſt ſubſtantia, ſcilicet accidens, erit prius ſubſtantia; quæ duo ſunt abſurda. Quare, præter contraria, conſtituendum eſt tertium principium, ſcilicet materia. In ratione propoſita tria aſſumit Ariſtoteles. Primum eſt, ſubſtantiæ non eſſe contrariam ſubſtantiam, quod docuit in Logica capite de ſubſtantia, licet enim inter formam ſubſtantialem, & eius priuationem ſit contrarietas non propria, ſcilicet quę eſt inter formam & priuationem, tamen cum priuatio non ſit ſubſtantia, proinde ſimpliciter dici poteſt, ſubſtantiam ſubſtantiæ non eſſe contrariam. Aſſumit ſecundo è non ſubſtantiis, non poſſe fieri ſubſtantiam; ſed hoc intelligendum eſt tanquam ex principio remanente, nam tamquam ex termino à quo, è non ſubſtantia, ſcilicet ex priuatione, fit ſubſtantia. Aſſumit tertio, accidens non eſſe prius ſubſtantia, quod docuit etiam ſeptimo Metaphyſicorum

ſubſtãtia enim prior eſt aliis generibus, ac proinde, cum ſubſtantia fiat ex principiis, ſi principia eſſent non ſubſtãtiæ, non ſubſtãtia eſſet prior ſubſtantia: quare recte cõcludit principia non eſſe contraria.

Itaq; ſi quis ſuperiorem rationem &c. Propoſuit Ariſt. de principiis duas cõtrarias & inter ſe pugnantes cõcluſiones, nã cap. 5. demõſtrauit principia eſſe contraria, hoc vero cap. rationibus antea poſitis non eſſe cõtraria. Exponit modo qua ratione cõcilientur, & cõſtare poſsint propoſitæ concluſiones, quæ videntur inter ſe pugnare, ſimulque conſtituit numerum principiorũ. Docet itaque rationes factas ſuperiori capi. & quæ nuper propoſuit, non cõcludere cõcluſiones pugnãtes inter ſe, ſi conſtituamus tertiũ quoddam principium, quod ſit vtriuſq. contrarij ſubiectum, vt fecerunt veteres Philoſophi, qui exiſtimarunt omnia eſſe vnũ, ſcilicet aerem, aquã, vel ignẽ, vel aliquod corpus medium, & ex illo vno tamquam ex ſubiecto & materia omnia fieri per raritatem & denſitatẽ, aut alio quouis modo, media ſcilicet aliqua contrarietate. Rectius tamen, inquit, feciſſe eos qui conſtituebant, illud ſubiectum eſſe aliquid mediũ; quia corpus mediũ pauciores habet in ſe cõtrarietates, quam elementa. Quæ certe ratio vim habet, nam cum de ratione ſubiecti ſit, recipere in ſe cõtraria; rectius conſtituunt hoc ſubiectũ qui aſſerunt, illud eſſe corpus medium, carens contrarietate: hæc enim eſt natura materiæ, vt ex ſe nullas habeat qualitates aut formas, poſsit tamen quaſcunque recipere. Deinde meliꝰ ſentiũt qui dicunt aerem eſſe materiam, quam alij; nam aeris qualitates minus à ſenſibus percipiuntur. Præterea, poſt hos Philoſophos, rectius ſentiunt hi, qui cõſtituunt aquã.

Conſtituẽdo ſubiectum conciliat quæ dicta ſunt.

Rationes ergo propoſitæ ſic conciliantur. Principia ſunt contraria, ſi ſumãtur forma & priuatio: nõ ſunt cõtraria, ſi ſumatur ſubiectũ cum quouis ex contrariis, nam materia, quæ ſubiectum eſt, cũ habeat in ſe, tum priuationem, tum deinde formam nec eſt contraria formæ, nec priuationi.

Verum omnes quidem vnum hoc &c. Omnes, inquit præterea Ariſt. qui vnum ſubiectũ ſtatuerunt, illud duobus principiis cõtrariis cõfiguraſſe, ſcilicet raritate, & dẽſitate; ſeu intẽſione, & remiſsione, quæ qui-

quidem contraria, vt dictum eſt,pertinent ad exceſſum, & defectum.Quaſi diceret. Etſi omnes conſtituerint principium,omnes tamen,illud cõtrariis affectum ſtatuerunt. Quare quorundam poſteriorum ſententia,qui conſtituebant principia, vnum, exceſſum,& defectum, vetus videtur; cum veteres, hæc eadem principia eſſe voluerint,quãquã aliis nominibus ex præſſerint.Hoc tamen eſt inter illos diſcriminis, quod poſteri docuerunt, illud principium quod vnũ erat,agere;duo vero contraria pati:veteres vero,vnũ,pati voluerunt,quod eſſet ſubiectum,& materia cęterorum;duo vero contraria agere.Per poſteros,Ariſtotelem,Platonem intellexiſſe,exiſtimatur.Plato enim,vnum poſuit,quod forma eſſet,magnum vero,&paruum poſuit principia patiendi;quæ materiæ munere fungerentur.

At eorum quidem ſententia qui tria elementa, &c. His verbis, quæ difficillima ſunt,probat Ariſt.elementa, ideſt principia,non eſſe plura tribus. Docet itaq. illorum ſententiam, quæ tria tantum cõſtituit rerũ principia , rationi inniti, aliorum vero ſententiam minime.Ratio ergo, qua id probat,ita habet, Sufficiũt ad generationẽ vnum primũ ſubiectum, & duo prima cõtraria; ergo non ſunt conſtituenda principia,plura tribus. Licet Simplicius, & aliqui alij, dicant Ariſt. non probare antecedens,illud tamen probat ita. Principia nõ ſunt tria tantum;ſint ergo quatuor;erunt igitur duæ repugnantiæ, quarum cuiuis erit conſtituenda materia , circa quam ſit talis repugnãtia: quod abſurdum eſſe,probat ſic. Ex eadem materia poſſunt res omnes gigni , nã materia quæ modo eſt ſub hac forma,deinde eſt ſub alia.& poſtea ſub alia, &c. ergo ſuperfluum eſt conſtituere alteram repugnantiã, circa aliam materiã; ſimul enim eſſe nõ poſſunt multæ primæ repugnantiæ : quare concludendum eſt,ſufficere tria tantum principia . Modo obſeruãdum occurrit,nomine elementi intelligere Ariſt. principium , vt omnes quotquot ſunt Ariſt.interpretes interpretantur;hincque conſtare, eſſe maximè cõſona rationi, & Ariſto. quæ in expoſitione 1.cap. diximus,ſcilicicet,per principia, cauſas, & elementa,ibi eandem rem Ariſto.intellexiſſe . Diximus enim , in expoſitione illius propoſitionis, Ariſt. in tradendis ſcientiis paſsim vſum fuiſſe, voci-

Per elemẽta intelligit principia.

bus ſynonymis; imo etiam, diximus hoc eodem libro nomen principium, & nomen elementum, pro eodem vſurpaſſe, quod hoc capi. manifeſtum eſt præſtitiſſe.

Cũ enim eſſentia genus ſit quoddam rerum, &c. Vltima ratio, qua hoc cap. vtitur Ariſto. ad probandum prima contraria tantum eſſe duo, ita habet. In vno genere tãtum reperitur vna prima contrarietas, ad quam omnes aliæ eiuſdem generis reducantur; ſed ſubſtãtia eſt vnũ genus; ergo in genere ſoubſtantiæ ſolũ eſt vna prima contrarietas, ad quam poſteriora principia, quæ inter ſe non differunt genere, ſed tantum differũt à primis vt prius & poſterius reducuntur. His verbis, quibus docet principia ſubſtantiæ non differre genere, videtur occurrere cuidã tacitę obiectioni: Poterat enim aliquis obiicere, principia ſubſtantiarum plura eſſe duobus, aut tribus, cum reperiantur ſubſtantiæ, quæ diſtinctas habẽt formas, & cõſequẽter diſtinctas proprietates; proinde docet Ariſtot. principia cõtraria, ſumpta in communi, tantum eſſe duo, ſcilicet formã, & priuationem in communi: contraria vero poſteriora eſſe plura. Ibi per contraria poſteriora intelligit formas, & priuationes in particulari; quę per multæ ſunt, continentur tamẽ ſub forma, & priuatione in communi.

Quare illud quidem perſpicuum eſt, &c. Concludit cap. dicens ex ſuperioribus aperte, cõſtare, non eſſe vnum ſolũ principium: conſtare etiã certo principia eſſe duo, vel tria: ſed eſſe dubium, an ſint duo, vel an ſint tria. Videntur principia eſſe duo; quia demonſtratum eſt eſſe cõtraria. Videntur nõ eſſe duo; quia hoc cap. quaſdã dubitationes propoſuit, quibus moueri aliquis poteſt ad credẽdum principia nec eſſe duo, nec contraria. Proinde ergo capite 7. oſtendit principia partim eſſe duo, & partim eſſe tria.

CAPVT VII. PRINCIPIA partim eſſe duo, & partim eſſe tria.

NOS *quidem certe ita de eo dicemus, &c.* Iuxta methodũ primo cap. traditam, quæ pręcipit, à magis vniuerſis ducendum eſſe initium; vt dubitationem in fine cap. ſuperio

tis traditam explicet, prius rem explicat in magis vniuerſis, ſcilicet in generatione, ſumpta in tota ſua latitudine, vt complectitur etiam artificialem; deinde in generatione naturali. In principio tamen cōſtituit hypotheſim, quæ ſequitur.

Dicimus enim aliud ex alio oriri &c. Cum aliquid ex alio generatur, aut generatur ſimplex, ex ſimplici; aut compoſitum, ex compoſito: ideſt, quando vnum fit ex alio, vel illa extrema ſunt ſimplicia, vel compoſita. Appellat extrema ſimplicia, illa quæ declarantur nomine vnius principij tātum, ſcilicet, nomine priuationis, vel formę, vel materię. Per extrema compoſita intelligit illa, quæ ſimul declarantur nomine materię, & priuationis; vel nomine materiæ, & formæ. Hoc fit manifeſtum, exēplis ab Ariſt. adductis: inquit enim Fit ſimplex, ex ſimplici vt cum dicimus, nō muſicum fieri muſicum; vel hominem fieri muſicum: fit compoſitū, ex cōpoſito; vt cū dicimus hominem nō muſicum, fieri hominem muſicum: homo enim muſicus, dicitur aliquid cōpoſitū, quia explicatur per duo principia, ſ. per materiam, & per formam; homo enim eſt materia; & muſica eſt forma.

Norum autem alterum, &c. Proponit duo diſcrimina inter priuationem, & materiā. Primum eſt ſecundum modū dicendi; ſecundum vero, ſecundū rem. Vt ergo intelligatur primum diſcrimen, obſeruandum eſt, in exprimenda generatione nos vti duplici locutione; ſolemus enim dicere, ex hoc fit illud; & hoc fit illud. Differunt ergo priuatio, & ſubiectum, primo, ſecundū modum loquendi, quia priuationi conuenit vterq. modus dicendi, tam in ſimplicibus, quam in cōpoſitis: in ſimplicibꝰ, quia ſolemus dicere, ex non muſico fit muſicus, & nō muſicus fit muſicus; in cōpoſitis vero, quia dicere ſolemus homo non muſicus, fit homo muſicus; vel ex homine non muſico, fit homo muſicus. At vero ſubiectis, quibuſdam tātum conuenit vnus modus dicendi, & aliis alter; nulli tamen ſubiecto cōuenit vterq. modus dicendi; vt dicere ſolemus, hominem fieri muſicū, non tamen, ex homine fieri muſicum; dicimus etiam, ex ſemine fieri animal, non tamen dicimus, ſemen fieri animal. Secundo differunt materia, & priuatio; quia materia, manet in re genita, priuatio vero non manet, ſed accedente forma recedit, & euaneſcit.

Materia et priuatio differunt dupliciter.

neſcit, verbi gratia, quando homo fit muſicus, homo manet: quando vero ex non muſico, ſiue ex immuſito fit muſicum, immuſicum non manet. Hæc propoſuit Ariſto. vt ex communibus colligat, in his quæ ſequuntur, principia *Dubitatio* generationis naturalis. Quæres tamen; cur priuationi cõueniat vterque modus dicendi, materiæ vero tantum con*Solutio.* ueniat alter. Reſpondemus cum Simplicio, cauſam eſſe, quia rei quæ non permanet, proprie conuenit hic modus loquẽdi, ex hoc fit illud; cum particula, ex, dicat etiã habitudinẽ termini à quo: illi vero rei quę manet, cõuenit proprie hic modus dicẽdi, hoc fit illud; cũ talis res ſit ſub vtroque termino. Quare priuationi proprie cõuenit hic modꝰ dicendi, ex hoc fit illud: quia tamẽ nomine priuationis intelligitur etiã aliquando ſubiectum; vt per non muſicum ſolemus intelligere hominẽ; proinde, priuationi cõuenit vterque modus dicendi. Cum etiam, ſub nomine materiæ, intelligatur aliquando priuatio, proinde vtimur aliquando in materia hac loquutione, ex hoc fit illud; vt ex ſemino fit animal: ratio eſt, quia priuatio formæ hominis caret proprio nomine, in aliis vero materiis, quando priuatio habet proprium nomen, conuenit materiæ, hic ſolum loquendi modus, ex hoc fit illud, vt, ex nõ muſico fit muſicus. Hæc ergo eſt cauſa, cur priuationi conueniat vterq. modus dicendi; materię vero alter tantum.

His autem explicatis ex omnibus quæ fiunt, &c. Iuxta methodũ explicatã 1. cap. præclare quidem à poſteriori i à rerũ ſcilicet generatione, colligit materiæ neceſſitatem: ratio ergo ita habet. *Eſſe materiã colligit a poſteriori* Vidimus in omni generatione eſſe aliquid, quod fiat, ſiue quod formam ſuſcipiat, hoc vero eſt ſubiectũ ſiue materia; ergo in omni generatione neceſſaria eſt materia. Ne tamen aliquis exiſtimaret materiam, & priuationem efficere vnum principium tantum, proinde ſubdit Ariſtoteles quæ ſequuntur. *Materia et priuatio diſtinguũtur ſpecie.* Materia, & priuatio, licet ſint vnum numero, tamen diſtinguuntur ſpecie; nam diſtinguuntur ratione; & quæ diſtinguũtur ratione, ſpecie etiam diſtinguuntur. Quod vero diſtinguantur ratione; probat ex eo, quia alia eſt ratio ſubiecti; ſiue materiæ; & alia priuationis: cum ſubiectum ad ſubſtantiam pertineat, & in re quæ generatur, maneat; priuatio vero ſit nõ ens,

ens, & ſeparetur à ſubiecto, quãdo accedit ei⁹ forma: vt, quando homo, ex non muſico fit muſicus, manet homo, qui eſt materia & ſubiectum; non tamen manet priuatio. Sed de diuerſa natura materiæ, & priuationis dicemus fatis in ſequentibus. Quæ vero modo ab Ariſt. adducũtur, de varia loquendi forma, inter priuationẽ, & materiam, paulo antea fuerunt ſatis expoſita, & manifeſta ſunt: quare; merito modo prætermittuntur.

Cum autem multis fieri dicatur, &c. Propoſita alia generationis diuiſione, probat Ariſtot. materiam neceſſariam eſſe ad generationem. Eſt ergo diuiſio. Bifariam aliquid generatur, vno modo ſimpliciter, abſolute, ſiue omnino; & ſic generatur ſubſtãtia, vt cum ex ſemine fit leo: alio modo generatur aliquid ex parte, ſiue quodammodo, vt contingit in accidẽtibus. Hanc eandem generationis diuiſionẽ propoſuit etiam 5. Phyſic. ca. 1. & 1. de Ortu, cap. 3. Hac poſita diuiſione, probat ſuum inſtitutum: in primis in mutatione accidẽtium, facta inductione: inquit enim: In tranſmutatione, ſiue generatione per quam acquiritur quãtitas, aut qualitas, aut relatio, &c. ſemper reperitur ſubiectum, cum enim omnia accidentia dicantur de ſubiecto, illiq; inhæreant, in generatione accidẽtis ſemper neceſſarium eſt ſubiectum; Generationem ſubſtantię etiam prærequirere ſubiectum, cõſtat etiã inductione; ſemper enim, inquit, eſt ſubiectum, ex quo fit ſubſtantia quæ generatur: vt plantæ, & animalia, procreãtur & gignuntur ex ſemine.

Eorũ vero quæ omnino fiunt, partim informatione efficiuntur, &c. Probat hoc argumẽto, in omni generatione ſimplici prærequiri ſubiectum. Quæ ſimpliciter generantur (nam in præſentia nõ eſt ſermo de generatione accidẽtium, quidquid dicat Alexander, nam ſuperfluum eſſet, iterũ quæ ad accidentiũ generatiõnẽ pertinent repetere) fiunt quinq. modis; ſed in omnib⁹ iis neceſſarium eſt ſubiectum; ergo in omni generatione ſimplici neceſſariũ eſt ſubiectũ. Probatur minor. Ea quæ fiũt ſimpliciter, aut fiunt transfiguratione, aut appoſitione, aut cõpoſitione, aut ablatione, aut alteratione; ſed quæ fiunt quouis ex iſtis quinque modis, prærequirunt ſubiectum; ergo omnia quæ generantur ſimpliciter, prærequi-

runt ſubiectū. Minor eſt certa, ſi explicentur quinque propoſiti modi. Illud ergo fit tráſfiguratione, quod per mutatur ſecundum quartam ſpeciem qualitatis, ſcilicet ſecundum formam & ſecundū figuram; vt ſtatua quæ fit omnino ex ære, & ſolum mutatur æs ſecundum figuram, quando ſtatua fit. Id fit appoſitione, quod augeſcit ſiue accreſcit: vbi per accretionem non intelligit propriam, quæ ſolum reperitur in viuentibus, ſed omnem; vt cumulus lapidum fit maior per additionem. Illud fit detractione, quod fit per ablationem partium materiæ; vt ex lapide, abſcindendo aliquas partes, fit Mercurius. Compoſitione id fit, quod habet eſſe per partes integrantes componétes, vt domus ex lignis, lateribus, &c. Tandem fit aliquid alteratione, quando præcedit alteratio in materia, & hoc ſcilicet modo fiunt res naturales per generationem.

Quod ſi perſpicuum eſt ea omnia, &c. Ex dictis duo colligit cōſectaria Ariſtoteles: primum eſt. Omne quod generatur, eſt compoſitum; nam quod generatur cōſtat ex materia, & ex aliqua forma. Secūdum conſectarium. Ex partibus rei naturalis, forma eſt quæ fit, materia vero eſt quæ fit talis: materia vero, ſubdit, duplex eſt, aut duobus modis conſideratur: aut enim ſubjectum eſt, aut oppoſitum: id eſt, materia ſumitur pro ſubiecto, vel pro priuatione illi coniuncta, verbi gratia, ſi homo fit muſicus, homo eſt ſubiectum; priuatio vero, ſcilicet non muſicum, eſt contrarium formæ, & quod induit etiam rationem materiæ. Id idem etiā explicat alio exemplo. Vtrum iſti quinque modi pertineant ad generationem ſimpliciter dicemus in quæſtionibus.

Perſpicuum eſt ergo ſi ſint cauſæ, &c. Probat duabus rationibus, materiam, & formam eſſe principia conſtituentia rem naturalem. Prima ratio, Illa ex quibus primo & per ſe conſtituuntur res naturales, principia ſunt, & cauſæ rerum naturalium; ſed ex materia & forma, primo & per ſe, & non per accidens conſtituuntur res naturales; ergo materia, & forma ſunt cauſæ, & principia rerum naturalium. Dixit ex principiis primo & per ſe conſtitui res naturales, vt intelligamus ſermonem eſſe de primis principiis, quæ ſunt materia, & forma; nam ex priuatione non fit per ſe res naturalis,

ſed per accidens, vt docebit ſtatim. Minor etiam ſyllogiſmi manifeſta eſt, ex conſectario, quo docuit id quod generatur, eſſe compoſitum ex materia & forma. Secūda ratio. Res naturales reſoluuntur in rationem materiæ, & formæ, non aliter atque homo muſicus, reſoluitur in rationem hominis, & rationem muſici; ergo res naturales cōponuntur ex materia & forma, tāquam ex principiis internis; nam vnūquodque reſoluitur in ea, ex quibus componitur; vt mixtum reſoluitur in elementa, ex quibus conſtat. Hinc concludit Ariſtot. perſpicuum eſſe, omnia fieri ex his principiis. Quia tamen nulla forma naturalis manet; (ſi excipias animam rationis participem) nec materia manet eodē modo, ſed diuerſo, & ſub alia forma; proinde nō dixit Ariſtoteles res naturales reſolui in materiam & formam; ſed reſolui in rationem materiæ, & in rationem formæ: nam in re naturali alia eſt ratio materiæ, & alia formæ. Obſeruat hic Simplicius in hac ratione loqui Ariſtotelem de principiis conſtitutionis tantum: quare excluditur priuatio.

Subiectum autem numero vnum eſt, ſpecie, &c. Vt quæſtionem propoſitam, an ſcilicet duo, an tria ſint principia; quam maxime dubiam eſſe pronunciauit, abſolueret, ea omnia tradidit, quæ ab illo loco expoſuimus. Propoſitam ergo dubitationem ita diſſoluit. Materia & priuatio ſunt vnum numero, diſtinguuntur tamen ratione, & ſpecie. Eſſe vnū numero, iam docuerat; eſſe vero multa ſpecie, demonſtrat propoſita differentia, inter materiam & priuationem: materia enim poteſt numerari, cum ſit magis aliquid quam priuatio; & ex materia fit per ſe res naturalis: priuatio vero eſt principium per accidens. Cum ergo forma ſit vnicum principium, hinc fit, principia eſſe duo, ſi ſumantur materia & priuatio vt efficiunt vnum: eſſe vero tria, ſi ſumantur materia & priuatio, vt inter ſe diſtinguuntur formaliter. Dixit Ariſtoteles materiam eſſe magis ſingularem, & hoc aliquid, non quia ſit hoc aliquid & ſingularis; cum ſit natura incompleta; & pars ipſius compoſiti naturalis, quod ſolum, proprie eſt hoc aliquid: quia vt ipſe Ariſtoteles docet materia prima nec eſt quid, nec quale, nec quantum, ſed hæc omnia in potentia continet: ſed quia ſi comparetur

cum

cum priuatione, videtur hoc aliquid, & ſingularis; cum ſit ens poſitiuum, & priuatio ſit non ens, vel ens priuatiuum. Dicuntur res naturales fieri per accidens ex priuatione, quia priuatio accidit materię ex qua fit per ſe res naturalis: qua tamen ratione id intelligendum ſit, dicemus in quæſtionibus de principiis.

Itaque & duo principia & tria, & contraria, &c. Vt omnis ab animo dubitatio diuellatur, docet iam principia non ſolū partim eſſe duo, & partim tria, vt demonſtrauit; ſed partim eſſe contraria, & partim non eſſe contraria: eſſe quidē contraria, ſi conferantur inter ſe forma & priuatio; non eſſe contraria, ſi conferantur forma & materia; materia enim recipit in ſe formam; at vnum contrarium, neque poteſt alterum recipere, neque ex vtroq; fieri poteſt totum compoſitum.

At illud quidem docuimus quot ſint, &c. Ex dictis colligit manifeſtū eſſe, quot, & quæ ſint principia; perſpicuum enim eſt, inquit, cōtrariis eſſe quoddam commune ſubiectum, & contraria duo eſſe; alio ergo modo nō ſunt neceſſaria principia; cum alterum ex contrariis, nēpe forma; ſua præſentia, tum abſentia, ad mutationem naturalem faciendam ſatis eſſe videatur. Ex quo Ariſtotelis teſtimonio ſatis aperte colligitur, illū tantū fuiſſe loquutum de principiis illius rei naturalis, quæ poteſt generari, & corrumpi.

Natura autem quæ ſubeſt, &c. Iam demōſtrat materiam rei naturalis cognoſcendam eſſe per analogiam, & proportionem ad materiā rei artificiatæ; vt enim ſe habet æs ad ſtatuam, ita etiam ſe habet materia rei naturalis ad formam, ſiue ad rem naturalem.

Vnius ergo principii, &c. Proponit epilogum eorum quæ docuit, dicens materiam eſſe vnum principium, tamen nō eſſe hoc aliquid. Docet etiam formam eſſe alterum principium, & priuationem tertiū: qua vero ratione principia ſint duo, & qua tria; tum etiā qua ratione ſint contraria, & qua ratione non ſint contraria, monſtratum eſt, inquit, ſatis; quamuis dubium ſit, an eſſentia id eſt ſubſtantia rerū ſit forma, vel materia: eſt tamē certū, principia eſſe tria, & quomodo ſint tria. Concludit cap. dicens, ex his iudicatur quo, & quę ſint principia.

CAP. VIII. IN QVO SOLVIT ARIST. QVANDAM dubitationem.

VNO autem iſto modo explicari, &c. Hactenus egit Ariſtot. ex propria ſententia de principiis generationis rei naturalis: modo hoc capite docet iuxta doctrinam traditam, facillimum eſſe ſoluere dubitationem veterũ Philoſophorum. Cum enim primi Philoſophi quærerẽt veritatem de principiis rerum, a vero aberrarunt; & veluti imperitia quadam, à recta veritatis via declinarunt. Iſti enim Philoſophi nihil oriri, aut interire crediderunt, propterea quod id quod oritur, debet oriri ex aliquo, vel ex nihilo; at nullo ex iſtis duobus modis aliquid fieri poſſe exiſtimarunt. Rem enim naturalẽ non poſſe oriri ex eo quod iam erat, confirmabant ex eo, quia ſequeretur, illam eſſe antequã fuiſſet genita; neq. fieri poſſe ex nihilo, quia oportet, inquiunt, in omni generatione eſſe aliquid, quod ſit ſubiectum: ac proinde, veteres Philoſophi omnia eſſe vnum exiſtimarunt; & rerum generationem à medio ſuſtulerunt. Ducuntur ergo in hanc ſentẽtiã prædictis rationibus. Philoſophi huius ſententiæ ſunt Parmenides & Meliſſus, quorum iam meminerat capite 2. illorumq. ſoluerat rationes.

Nos autẽ vno modo confirmamus, &c. Antequam Ariſt. propoſitam ſoluat dubitationẽ, hoc iacit fundamentum. Duobus modis poteſt aliquid facere alterũ, vel fieri ex altero; ſcilicet per ſe, & per accidens: quod illuſtrat hoc exemplo. Medic9 per ſe medetur, quia medetur qua talis eſt, at vero per accidẽs ædificat, quia ſcilicet accidit ædificatori qua talis eſt, vt ſit medicus; tum etiam ex nõ medico, per ſe fit medicus; per accidẽs vero ędificatur. Ex ente ergo, vel ex eo quod non eſt, poteſt fieri aliquid, aut per ſe, aut per accidens: quæ diſtinctio veteribus fuit incognita; ac proinde à veritate aberrarunt, & eo peruenerũt, vt nihil generari cenſerint, & omnem è medio generationem ſuſtulerint. Nos vero, inquit, negamus aliquid fieri per ſe, ex eo quod nihil eſt; ſtatuimus tamen,

Fundament um.

men, ex eo quod non eſt, aliquid fieri poſſe per accidens: ex priuatione enim, quæ per ſe nõ eſt, ſed accidit materiæ, fit per accidẽs res, quę fit per ſe ex materia: qui certe dicendi modus veteribus Philoſophis admirationi fuit; ex eo enim quod nõ eſt, aliquid fieri poſſe, nunquam fuerunt arbitrati.

Ex priuatione, et ex ente, fit res per accidens. *Eodemque modo neque ex eo quod eſt, &c.* Non ſolum ex priuatione, quę non eſt, verumetiã ex eo quod eſt, docet non fieri rẽ per ſe, ſed per accidens: nulla enim ratione poteſt generari aliquid ex eo quod iã erat, qua ex parte erat, niſi id quod generatur eſſet antequã fieret: fit ergo id quod generatur, ex eo quod iã erat, ſed non ex ea parte qua erat, ſed quatenus non erat: non tamẽ ita vt fiat ex illo quatenus nõ erat abſolute, ſed potius quatenus non erat id, quod fit, & generatur. Quare, non erat id quod generatur, antequã fieret, vt veteres exiſtimabãt: Vt ſi animal fieret ex animali, & tale animal ex tali animali, ſcilicet canis ex equo; canis, non ſolũ e quodam fieret animali; ſed ex animali; tamen non ea ex parte qua animal eſt, quia iã eſſet antequã fieret; ſed fiet per ſe ex non animali. Eodem modo ens nõ fit per ſe ex ente, quatenus eſt; neq. ex nihilo, quia ex nihilo ſimpliciter nihil fit; ſed ex eo quod eſt, ideſt ex ente, vt non eſt tale ens quod generatur. Neque proinde negamus illam propoſitionem, omne quod fit, fit ex ente, aut ex nihilo. Atq. hic eſt, inquit, primus modus ſoluendi dubitationem veterum, nullam conſtituentium rerum generationem.

Alter eſt, quod eadẽ & eſſe poſſe & reipſa, &c. Quoniam poterat aliquis dubitare, ſi quæ generantur fiunt per accidens ex ente, & ex nihilo, à quo fiant per ſe; cum omne quod eſt per accidẽs, reducatur ad aliquam cauſam per ſe; proinde Ariſt. ſubiungit alium modum dicendi, quo antiquorũ dubitatio diſſoluatur, qui eiuſmodi eſt. Ens, vel eſt actu, *Ens actu vel potentia.* vel in potentia; quod ergo generatur, fit ex ente in potentia, & nõ ex ente in actu; nam materia prima eſt ens in potentia. Id ergo quod generatur partim generatur ex ente, & partim ex non ente, ex non ente quidem in actu, ex ente vero, in potentia. Sed de hac re, inquit, alibi dictũ eſt. Egit enim de actu & potẽtia accurate 9. Metaph. & 1. li. de Ortu cap. 3. ita ſcribit. *Paucis autem nunc quoque dicendum eſſe quo-*

quodãmodo ex nihilo plane aliquid fieri, alio autem modo ſemper ex eo quod eſt. Cõcludit in calce cap. dicẽs. Propoſitis diuiſionibus, explicãtur dubitationes, quibus coacti veteres, omnino à veritatis via aberrantes, funditus rerum naturalium generationem euertũt. Si enim hanc naturam cognouiſſent, à craſſa illa ignoratione, quâ detinebãtur fuiſſent liberati. Vbi nomine materiæ, intelligunt Vicomercatus, Villalpãdeus, & alii materiam primã, cum priuatione coniunctam: idq. recte confirmant ex his quæ ſequuntur in principio capitis noni; quæ certe expoſitio recta eſt. Sed nobis non omnino diſciplicet expoſitio Simplicii dicentis, per naturam intellexiſſe Ariſt. naturã entis per ſe, & per accidens; & naturam entis actu, & entis in potentia: his enim duabus diuiſionibus impugnauit ſententiam illorum, qui generationem rerum naturalium minime admittebant.

CAP. IX. IN QVO REFELLITVR SENTENTIA ILLORVM, qui non diſtinguebant priuationem à materia.

POSTQVAM ſuperiori cap. eorum impugnauit ſententiam, qui non admittebãt rerum generationem; modo hoc ca. vltimo impugnat ſententiam illorũ, qui non recte attingẽtes materiæ primę naturã, illam a priuatione minime diſtinctã eſſe voluerũt. Per hos Philoſophos intelligẽdum eſſe Platonem, & eius ſectatores, docet Simplicius, Philoponus, Vicomercatus, Villalpandeus, & alii: ſuadeturq. non leuiter. Primo quia Ariſt. ſtatim docet, hos Philoſophos tria principia conſtituiſſe, ſcilicet, vnum, magnũ, & paruum: Plato vero huius ſententiæ fuit: exiſtimauit enim tria connumerata eſſe rerum naturalium principia, & non meminit priuationis. Secundo quia in Timeo, diſputans etiam de principiis, nullam fecit mentionem priuationis. Textus ergo ita habet.

Tandem etiam nonnulli alii, &c. Verba facit de materia pri-

ma.& docet aliquos alios Philoſophos materiam primam attigiſſe, ſed non ſatis recte. Huius rei prima cauſa fuit, illos exiſtimaſſe, recte Parmenidem docuiſſe ex nihilo aliquid fieri, ac proinde materiam primam, ex qua res fiunt, non diſtinguebant a nihilo, ideſt a priuatione. Secũda cauſa fuit, exiſtimaſſe quæ ſunt vnũ numero, non diſtingui inter ſe ratione: quare materiã quæ vna numero eſt, non diſtinguebãt formaliter a priuatione: cum ſane maxime diſtinguantur, eſſe vnum numero, & eſſe vnum formaliter.

Duplex diſcrimẽ

Nos vero aliud materiam, &c. Materiam diſtingui a priuatione docet, propoſitis inter materiam & priuationẽ duobus diſcriminibus. Primũ diſcrimen. Materia eſt nihil per accidens, ideſt ratione priuationis; at vero priuatio per ſe eſt nihil, & per accidens eſt aliquid, ſcilicet ratione materiæ. Secundum diſcrimen. Materia prope, & quodammodo eſt ſubſtantia; priuatio vero, nullo. Docet Ariſt. materiam prope, & quodammodo eſſe ſubſtantiam; non quia dubitet materiam ſubſtantiam eſſe: quia 2. de Anima cap: 1. diuiſit ſubſtantiam in materiam, formam, & totum compoſitum, ſed potius, quia nondum id determinauit: dixit enim in fine capitis 7. nondum explanatum eſſe, an eſſentia rerum, ideſt ſubſtãtia, ſit materia vel forma.

Illi autẽ nihilum eſſe tradũt, etc. His verbis magis explicat ſententiam illorum, qui materiã primam attigerunt, non tamen recte. Illi ergo tria conſtituebant principia, ſcilicet vnum, magnum, & paruum; & per magnum & paruũ materiam intelligebant; tamen non diſtinguebant priuationem, aut a magno, aut a paruo, aut ab vtroq. ſimul: quare etſi illi conſtituant tria principia, quemadmodum & nos; illorum tamen dicẽdi modus differt a noſtro modo dicendi; cum nos conſtituamus priuationẽ a materia diſtinctã, illi vero minime. Materia enim differt a priuatione, vt cõſtat aperte ex rerũ generatione, in qua materia ſe habet ad modum matris, formam in ſe recipiendo; priuatio vero nihil eſſe videtur iis, qui ad eius maleficium animũ adiiciunt; a materia enim formã tollit.

Forma eſſe quid diuinum.

Nam cum ſit diuinũ quiddã, et c. Aſſeruit Ariſtot. formam eſſe quoddã bonum diuinũ, & appetendum; cui alterum eſt cõtrarium, ſcilicet, priuatio, & alterum ſcilicet materia, eius per-

perpetuo ducitur cupiditate, vt hinc facilius conſtet materiā a priuatione diſtingui; maleficium etiam quod priuatio materiæ infert. Forma enim proinde diuinū quiddā appellatur, quia eſſe, quod adeo appetitur, rebus conuenit forma accedēte. Hoc principio ita aſſumpto oſtendit, illos neceſſario teneri concedere vnum contrarium alterum expetere, & conſequenter propriū interitum; quod ita probat. Forma cū ſit quoddam bonum & diuinum, appetitur: ſed non appetitur a ſeipſa, quia ſui non indiget; neque appetitur a ſuo cōtrario, quia contraria vltro, citroq. ſeipſa interimūt; ergo neceſſario appetitur a forma: quare materia diſtinguitur a priuatione; aut ſin minus, tenentur illi Philoſophi aſſerere, vnum contrarium alterū appetere. Eſt ergo materia, quæ formā deſiderat. Sicut enim fœmina appetit virum; & id, quod deforme eſt, ardentiſsimis votis pulchritudinē exoptat; ita materia, cū per formas pulchra fiat, ipſarum formarum ſemper naturali quodam deſiderio tenetur. Ex ſe autem materia turpis appellatur: nō quia in turpitudine eius eſſentia conſiſtat, ita, vt de eius ratione ſit priuatio: hoc enim Ariſt. negat dicens, materiam ex accidenti turpē eſſe; quemadmodum & fœminā; ſed quia ſecum coniunctā habet priuationem. Si enim de ratione materiæ eſſet priuatio, & in illius eſſentia contineretur, nullo certe modo aliquam ſecum formam admitteret: item nullā expeteret. Tantum enim abeſt, vt cōtraria mutuo ſe expetant, vt mutuum interitum ſibi afferūt. Dicitur ergo materia ex ſe turpis; & formis nudata; quia illas non a ſe, ſed a generante habet; eodemque modo ac fœmina, quæ turpis dicitur ex ſe, quia prolem non a ſe, ſed a viro habet. Scio etiam multos exiſtimaſſe, ſimilitudinem materiæ cum fœmina in hoc conſiſtere: quod fœmina appetit virum, ideſt, appetit eſſe vir; ſic etiam materia appetit formam, ideſt, appetit eſſe forma: hæc tamē expoſitio ſatis aliena eſt ab inſtituto Ariſt.

Eadem autem materia tum interire, et c. Vt ſuſceptā de materia prima diſputationē abſoluat Ariſt. illiq. præclarum finem imponat, materiæ perpetuitatem oſtendit, ex qua non parua materiæ dignitas & excellentia manifeſtatur. Itaque materia ex ſe, & vt eſt pura potentia, nec oriri, nec inte- *Materiā eſſe æternam.*

interire poteſt: eſt enim ingenerabilis, & incorruptibilis; poteſt tamen oriri, vel interire ratione priuationis, vel formæ annexę. Si enim per ſe poſſet oriri, præſupponeret aliquid tanquam ſubiectum, ex quo fieret, & cum hoc ſit de ratione materiæ, materia eſſet, antequam fieret: quod plane abſurdum eſt. Vt vero quod dixit de materia, ſcilicet, ex ſe neque oriri, neque interire poſſe, intelligatur, eius diffinitionem proponit, quæ ita habet. Primum ſubiectum, ex quo inſito res fiunt per ſe. Ex hac diffinitione etiam colligit, materiam per ſe non interire; quia ſequeretur inde, vt antequā interiiſſet, eſſet interempta: ratio enim hanc habet vim; quemadmodum materia eſt primum ſubiectum, ex quo res fiunt, ita eſt vltimum, in quod reſoluuntur; ergo ſi interiret per ſe, eſſet interempta, antequam interiiſſet.

Forma autem vtrum principium vnum ſit, &c. Quæ ad materiā & priuationem pertinent, diſputatione adeo acurata pertractauit Ariſt. vt ad eorum explicationem nihil deeſſe videatur; de forma vero pauca diſſeruit; ne ergo, quæ ad formam pertinent, intacta prætermitteret, obſeruat munus eſſe primæ Philoſophię, inquirere, an forma ſit vnum principium, vel multiplex; de formis vero, quæ naturales ſunt, & ortui, & interitui obnoxię, pollicetur ſe in futuris diſputaturum: de illis enim multa pertractat, tum libro 2. tum in lib. Metheorologicorum, in libris de Ortu, in libris de Anima, & in aliis de plantis, & animalibus. Abſoluit ergo 1. lib. dicens, hactenus a nobis dictum eſt ſatis, principia eſſe, quid, & quę illa ſint: quare aliunde diſputationē exordiamur. Hæc ſunt quæ ad explicationem contextus primi libri videntur pertinere,

DISPV-

DISPVTATIO DE PRINCIPIIS RERVM NATVRALIVM.

HANC diſputationem in quatuor diſtribuimus partes, quarum prima, quæ pertinent ad principia in cōmuni proponemus: ſecūda, ſermo erit de materia: tertia, quæ ad formam & priuationem pertinēt, explicabimus: quarta deniq. & vltima de principio indiuiduationis diſſeremus.

PRIMA PARS DISPVTATIONIS quæ eſt de principiis in communi.

Quæſtio I. An principia ſint contraria.

QVÆSTIO præſens ortum habet ex his, quæ dicta ſunt ab Ariſt. cap. 5. & cap. 6. nam cap. 5. docuit principia eſſe contraria, & hoc idem ca. 6. negauit. *Diuiſio quæſt.* Diuiditur hæc quæſtio in duas partes, quarum prima definitionem principiorum explicabimus; ſecunda vero id, quod titulus quæſtionis inquirit; pendet enim ſatis quæſtio hæc ex explicatione definitionis principiorum.

Definitio principiorum. Definitio principiorum tradita ab Ariſt. 5. cap. ita habet. Quæ neque fiunt ex aliis, neque ex ſe inuicem, omnia tamen ex illis oriuntur. In qua definitione definiuntur forma, & priuatio: nam hæ ſunt prima contraria, vt ſtatim dicemus. Dicuntur prima principia non fieri ex aliis, quia prima ſunt; hoc vero intelligendum eſt; tanquam ex parte componente: neque ex ſeipſis inuicem, tāquam ex parte cōponente etiam; omnia tamen ab illis oriuntur, vel tanquam ex parte componente, vel tanquam ex termino a quo; ex priuatione, tāquam ex termino a quo; ex forma vero, tāquam ex parte componente. Eſt ergo ſenſus diffinitionis. Prima principia ſunt, quæ neq. fiunt ex aliis, neque ex ſeipſis inuicem, tā quam ex partibus componentibus; omnia tamen id eſt, omnes res naturales, quæ generantur, fiunt ex illis, vel tāquam ex termino a quo, vel tanquam ex parte componente: illa enim particula ex, in definitione principiorum, quando ſumitur 1. & 2. negat habitudinem partis componentis, quando vero iterum, & 3. aſſumitur, dicit habitudinem aut termini a quo, aut partis componentis. Ex his patet, rectam eſſe principiorum diffinitionem; forma enim, & priuatio neque fiunt ex aliquo, tanquā ex parte componente, neq; ex ſe inuicem: omnia tamen fiunt ex forma, & priuatione, ex priuatione, tanquam ex termino a quo.

quo; & ex forma, tanquam ex parte componente, & actuante materiam. Præterea eo ipſo, quod prima ſunt principia, duobus modis debent explicari, ſcilicet per negationem procedendi ab alio, & per affirmationem procedendi alia ab ipſis: quare cum ſic definiantur, recta erit diffinitio. His etiam accedit perſpicuum eſſe, ſi fiat inductio, propoſitam principiorum definitionem nulli alteri rei conuenire: cum ergo principiorum naturam explicet, & aliis minime conueniat, neceſſario aſſerendum eſt, numeris omnibus eſſe abſolutā.

Proponū tur ſex rationes. Si, quæ dicta ſunt in explicatione definitionis primorum principiorum, perpendantur, ſolutæ manent permultæ dubitationes, quæ in diffinitionem propoſitam adducuntur. Obiiciunt ergo. Prima contraria, quæ non ſunt prima, non fiunt ex ſe ipſis; ex illis tamen fiunt alia; ergo conuenit illis diffinitio primorum principiorum. Secundo forma fit ex alio, quia educitur de potentia materiæ; ergo prima principia fiunt ex aliis. Tertio, forma, quæ eſt principium, & terminus ad quem generationis, fit ex termino a quo, ſcilicet ex priuatione; ergo prima principia fiunt ex aliis. Quarto, ex nihilo nihil fit; at priuatio eſt nihil; ergo ex priuatione nihil fit; quare non poſſunt fieri omnia ex primis principiis. Quinto, corpora cœleſtia ſūt res naturales, & tamen non ſunt facta ex priuatione; ergo nō fiunt omnia ex primis principiis. Sexto, omnia mixta fiunt ex elemētis, & elementa non fiunt ex ſe ipſis; ergo conuenit illis definitio primorum principiorum.

Soluūtur ſuperiores rationes. His, & aliis leuibus argumentis conantur aliqui propoſitam primorum principiorum definitionem euertere: ſoluuntur tamen omnia facile. Reſpōdemus ergo primo argumento, alia contraria fieri ex primis, ac proinde non conuenire illis definitionem. Secūdo, formam fieri ex materia, tanquam ex ſubiecto; cum educatur de potentia materiæ; non vero tanquam ex parte componente. Tertio, vnum principium poſſe fieri ex alio, tanquam ex termino a quo, vt diximus in explicatione definitionis. Quarto, ex nihilo, quod ſecundum accidens eſt aliquid, poſſe fieri aliquid per ſe; non tanquam ex parte componente; ſed tanquam ex termino a quo. Quinto, corpora cœleſtia nec fieri per generationem, nec eſſe corruptibilia; licet ſint entia naturalia. Sexto, elemēta fieri ex aliis, ſcilicet, ex priuatione, tāquam ex termino a quo; & ex forma, tanquam ex parte componente. Neque audiendi ſunt qui aſſerunt, definitionem propoſitam rectam non eſſe; ex eo quod illa particula, *ex*, diuerſimode in illa ſumatur: ratio eſt, quia aliter non poterat recte explicari definitio primorum principiorum: tum etiam, quia ex his, quæ ab Ariſt. adiunguntur, aufertur omnis homonymia illius definitionis.

IN SECVNDA parte quæſtionis ſit prima obſeruatio. Modo eſt ſermo de principiis generationis, ſiue compoſitionis Phyſicæ: quæ, vt docuit Ariſt. cap. 6. & 7. & dicemus quæſtione ſequēti, ſunt materia forma & priuatio: quibus non repugnat compoſitio Metaphyſica ex genere, & differentia: anima enim rationalis, quæ forma eſt & principium Phyſicū, admittit compoſitionem Metaphyſicā ex genere, & differentia. *1. Obſeruatio.*

Secunda obſeruatio. Quando Ariſtot. docet principia eſſe contraria, non eſt intelligendus de omnibus principiis: nā materia, cum recipiat in ſe formam, & abſente forma, etiam habeat priuationem, neq. contrariatur formæ, neq. priuationi; tum etiam, materia & forma, cum ſint ſubſtantiæ, & ſubſtantiis nihil ſit contrarium, vt demonſtrauit Ariſtoteles in Logica cap. de ſubſtantia, nullam dicunt cōtrarietatem: quare intelligendus eſt Ariſto. & præſens quæſtio, de principiis quæ ſunt forma, & priuatio. Hinc inferre licet non eſſe quæſtionem de cōtrarietate propria, nam hæc ſolum reperitur inter entia, quorū quodvis eſt aliquid poſitiuum; ſed de contrarietate impropria qualis eſt priuatiua. *2. Obſeruatio.*

Ter-

Tertia obſeruatio. Principium, & cauſa diſtinguuntur inter ſe; principium enim ſolum dicit ordinem prioris ad principiatum; cauſa vero inſuper addit influxum: vnde in diuinis vna perſona dicitur principium alterius, non tamen cauſa; quia ad rationem principij, nō requiritur diſtinctio naturarum inter principium, & principiatum; at inter cauſam, & cauſatum, ſiue effectum, neceſſaria eſt diſtinctio naturæ, ſaltem numerica: quare priuatio, cum nō influat, non eſt cauſa; eſt tamen principium.

Prima aſſertio. Propoſitio, quā Ariſt. docuit prima principia eſſe contraria, vera eſt. Hanc aſſertionem confirmauit ſatis Ariſt. cap. 5. Item communi omnium Philoſophorum conſenſu; docuit enim omnes Philoſophos conſtituiſſe, prima principia eſſe contraria; tum etiam id idem confirmauit ex definitione primorum principiorū oſtendens, illam primis contrariis conuenire. Manet ergo dubitatio: An propoſitio Ariſt. ſit indefinita, vel potius intelligenda ſit de omnibus primis principiis, ſcilicet, de materia, forma, & priuatione.

Sit ergo ſecunda aſſertio. Solum forma, & priuatio ſunt contraria. Hanc aſſertionem probauit Ariſto. cap. 5. & 7. tenent etiam illam Simplicius cap. 5. textu 42. Vicomercatus in expoſitione etiam definitionis primorum principiorum, Valles. in expoſitione textus, & controuerſia 2. ad Tyronem fere in fine, Soto q. 5. concluſione 1. Toletus cap. 5. q. 2. fundamen. 3. Pererius lib. 5. cap. 2. in principio, Ferra. q. 8. & alij, & probatur ratione. Oppoſita qualicumque oppoſitione nequeunt ſimul eſſe, imo potius mutuo ſe expellunt; ſed materia, & priuatio: vel materia & forma ſunt ſimul; ergo materia neque eſt contraria formæ, neque priuationi. maior certa eſt. Minor etiam adeo eſt manifeſta, vt ſenſibus cognoſcatur; & probatur etiam ex Ariſt. ca. 7. vbi expreſſe docet materiam, & priuationem eſſe vnum numero.

Probatur 2. aſſertio. Vnum contrarium non poteſt eſſe perfectio alterius; ſed forma eſt perfectio materiæ; ergo forma, & materia non ſunt contraria. Maior certa eſt, minor etiam: probatur nihilominus ex Ariſt. ca. 9. vbi loquens de forma, ita ſcribit: *Nam cum ſit diuinum quiddam, quod et bonum et expetendum eſt, alterum ei contrarium eſſe dicimus, alterum quod ſuapte natura eius cupiditate ducatur*. Vbi per contrarium, priuationem intelligit; per illud vero, quod formæ ducitur cupiditate, materiam intelligit, vt in contextus expoſitione ſatis abunde diximus. Sed huic ſecundæ rationi ſatisfacit Aquarius in additionibus in Ferrarienſem q. 8. negando maiorem; quia ſolum inquit eſt vera de ſecundis contrariis, & non de primis, & eodem modo poſſe ſolui prima ratio; ſed ſolutio hæc ita impugnatur. Prima contraria continentur ſub contrariis in communi; ſed contraria in communi mutuo ſe expellunt; ergo prima contraria mutuo ſe expellunt; ſed quæ mutuo ſe expellunt, neq. poſſunt eſſe ſimul; neque vnum ex illis poteſt eſſe perfectio alterius: ergo prima contraria nec poſſunt eſſe ſimul, neq. vnum ex illis poteſt eſſe perfectio alterius.

Dices in primam aſſertionem. Principia debent componere rem, cuius ſunt principia; ſed contraria non poſſunt componere rem; ergo principia non ſunt contraria. Reſpondemus negando propoſitionem; nam ſolum eſt vera de principiis, quæ ſunt cauſæ intrinſecæ; at non omne principium eſt cauſa, vt conſtat ex tertia obſeruatione.

Dices ſecundo, principia ſubſtantiæ debent eſſe ſubſtantiæ; ergo principia rei naturalis debent eſſe ſubſtantiæ; ſed ſubſtantiæ nihil eſt contrarium; ergo principia rei naturalis non ſunt contraria. Reſpondemus eodem modo, negando maiorem. Ita facile ac hæc duo, ſoluuntur omnia alia argumenta, quæ adducuntur hic, ſi perpendatur expoſitio definitionis primorum principiorum adducta de principiis q. quare non eſt opus, in illis diutius immoremur.

Aquarius loco citato docet, tria principia eſſe contraria, idque adeo certum eſſe

dicat, vt medio iuramento hoc affirmet eſt ergo prima illius ratio qua ſecūdā labefactat aſſertionē huiuſmodi. *Forma et materia conueniunt proprietates. et conditiones primorum contrariorum: ſiquidem materia nō fit ex alijs, cum ſit æterna, nec fit ex materia aliqua, uel forma, et priuatione: et omnia naturalia fiunt ex ea*, concludit ergo. *unde per uitam meam, neſcio quare omnes allucinantur in hoc, negando materiam eſſe unum ex contrarijs.* Subdit tamē ſtatim, ſe non loqui de contrarietate priuatiua; ſed de illa, quæ eſt ſecundum tres conditiones principiorū aſſignatas. Sed vt dicā, quod ſentio nec ſomniauit Ariſt. materiam contrariam eſſe formæ, aut priuationi; ſi enim perpendantur, quæ docuit a cap. 5. vſq. ad finē libri, mille in locis expreſſe negat materiam contrariam eſſe alicui principiorū nam cap. 5. loquens de forma, & priuatione, docet eſſe contraria, cap. 6 loquens de forma & materia, docet non eſſe contraria, & cap. 7. ſic ſcribit. *Sed hoc etiam explicatur, quod aliud ſubiectum eſt, hoc enim cum non ſit contrarium, etc.* Et paulo inferius, illud etiam perſpicuum eſt, aliquid contrarijs ſubiectum eſſe oportere, & duo contraria eſſe: & paulo poſt inquit: Ac illud quidem primo dictum eſt, principia eſſe ſola contraria, deinde illud etiam, neceſſe eſſe aliquid aliud ſubijci, & tria eſſe principia.

Definitio principiorum conuenit materiæ. Cardinalis Toletus; aſſerit, quæſtione citata negari nō poſſe definitionem illam principiorum adductam ab Ariſt. communē eſſe tribus principijs; & nouiſsime Petrus de Oña q. 3. in 1. Phyſ. art. 2. & 3. ſequitur C. Toletum quæ ſententia recta eſt.

Argumento Ferrarienſis reſpondemus; definitionem adductam ab Ariſt. eſſe definitionem primorum principiorum, non tamen primorum contrariorum; prima enim principia, & prima contraria, ſe habent vt ſuperius, & inferius, ac proinde, recte ſequitur, primis contrarijs conuenit definitio primorum principiorum: ergo prima contraria ſunt prima principia: tamē, nō recte ſequitur, materiæ primæ conueniunt tres illæ conditiones; ergo materia prima continetur inter prima contraria: ſic enim argumentabatur. Prima principia ſunt, quæ nec fiunt ex alijs, neq. ex ſe ipſis, omnia tamen ab illis oriuntur; ſed prima contraria, eo quod prima ſunt, nō fiunt ex alijs, & eo quod cōtraria ſunt, nō fiunt ex ſe ipſis, omnia tamen fiunt ex primis contrarijs: ergo prima contraria ſunt prima principia. Argumentum ergo Aquarij nullius eſt momenti, quemadmodum nec alia quæ ibi proponit.

QVAESTIO II.

An principia rei naturalis ſint tantum tria.

ARIST. cap. 7. huius lib. propoſuit huius quæſt. ſolutionem: docuit enim principia partim eſſe duo, & partim eſſe 3. duo, ſi ſumantur materia & priuatio, vt efficiunt vnum numero; eſſe vero tria, ſi ſumantur materia & priuatio, vt diſtinguuntur formaliter, & ſpecie. Docuit etiam principia partim eſſe cōtraria, & partim non eſſe contraria: eſſe quidem contraria, formam & priuationem, nō eſſe contraria, materiam & formam, ſiue materiam & priuationem. Sed licet hoc ita ſit, manet tamen quædam dubitandi ratio nō leuis, propter quam hæc quæſtio mouetur: tum etiā, quia multa addenda ſunt iis, quæ ab Ariſt. fuerunt dicta.

Ratio dubitandi. Eſt ergo ratio dubitandi. Aut loquitur Ariſt. de principijs intrinſecis ſolum, aut de intrinſecis & extrinſecis: ſi loquatur de intrinſecis, minus recte docuit principia eſſe tria: cū priuatio nō ſit principiū intrinſecū: ſi vero loquatur de principijs intrinſecis, & extrinſecis, etiam non recte docuit eſſe tantum tria ſunt enim plura; cū efficiens, & finis ſint principia extrinſeca. Confirmatur hæc ratio: quia aut loquitur

Ariſt. de principiis per ſe, aut de principiis per ſe, & per accidens: ſi loquatur de principiis per ſe, priuatio non eſt principium, vt ipſe docuit; ſi vero de principiis per ſe, & per accidens, ſunt plura tribus; quia etiam forma rei corruptæ eſt principiũ per accidens rei genitæ.

Diviſio quæſt. Quæſtionẽ hanc in 3. diſtribuimus partes; quarũ 1. proponemus obſeruationes: in 2. aſſertiones: in 3. vero, ſoluemus contraria argumenta.

1. Obſeruatio. IN PRIMA parte quæſtionis, ſit prima obſeruatio. Non eſt quæſtio de principiis cuiuſcumq. rei; ſed tantum de principiis entis naturalis; & non cuiuſcũque, ſed illius ſolum, quod generabile eſt, & corruptibile.

2. Obſeruatio. Secunda obſeruatio. Nõ procedit quæſtio de omnibus principiis, ſed tantum de primis, quæ non fiunt ex aliis: quare excluduntur elementa, quæ, licèt ſint principia entis naturalis, nõ tamen ſunt prima: cum fiant ex aliis, ſcilicet ex materia, forma, & priuatione. Præterea non intelligitur quæſtio de omnibus primis principiis, ſed tantũ de internis: quare cauſa efficiẽs, & cauſa finalis non ſunt principia, de quibus procedit quæſtio; quia ſunt extrinſeca.

3. Obſeruatio. Tertia obſeruatio. Principia intrinſeca alia ſunt rei in fieri, ſiue generationis: & alia rei genitæ, ſiue conſtitutiuæ. Sed cum generatio ſit accidens, principia generationis non ſunt componentia generationem: dicuntur tamen intrinſeca: quia generatio eſt mutatio, & mutatio nequit intelligi abſque termino a quo, abſque termino ad quem, & ſubiecto, quod mutatur a termino a quo, in terminum ad quem: ac proinde iſta principia dicuntur intrinſeca generationi: procedit ergo quæſtio de terminis intrinſecis, tam rei genitæ, quam generationis.

4. Obſeruatio. Vltima obſeruatio. Generatio poteſt ſumi tripliciter, 1. vt actio, 2. vt paſſio, 3. vt mutatio. Ariſt. ergo ſolum loquitur de generatione, vt eſt tranſitus, & mutatio alicuius ſubiecti, a termino a quo, in terminũ ad quem. Sed adhuc terminus a quo poteſt tripliciter imaginari: primus, qui ſit pura negatio, nullum præſupponens ſubiectum: vt in creatione, dicimus mere nihil eſſe terminum a quo (ſi licet in creatione terminum a quo conſtituere cum propriè nõ ſit actio) & de hoc non eſt quæſtio: quia creatio nec eſt mutatio Phyſica, nec eſt propriè mutatio: 2. eſt forma poſitiua, contraria formæ quæ eſt terminus ad quem; vt calor eſt terminus a quo frigiditatis; quia frigiditas fit ex calore tanquam ex termino a quo: & de termino ſumpto hoc 2. modo non eſt quæſtio; quia licet productio frigiditatis ſit productio entis naturalis, cuius principia nũc inquirimus: 3. terminus a quo eſt priuatio, quæ eſt carẽtia formæ in ſubiecto apto ad formam; vt carentia formæ ignis in ligno eſt priuatio, quæ eſt terminus a quo generationis ignis: & de termino iſto 3. modo ſumpto procedit quæſtio. Sed quia priuatio duplex eſt: alia proxima, poſt quã immediate ſequitur forma: & alia remota, quæſtio procedit de proxima, nam hæc eſt terminus a quo generationis naturalis, cuius inquirimus modo numerum principiorum. Ex his patet ſenſus quæſtionis: inquirimus enim, quot ſint principia per ſe generationis naturalis, cum etiam, & rei naturalis.

IN SECVNDA parte quæſtionis, ſit 1. aſſertio. Principia cõſtitutionis, ſiue rei naturalis in facto eſſe ſunt tantum duo, ſcilicet materia, & forma. *Principia rei naturalis ſunt duo.* Hæc eſt expreſſa Ariſt. cap. 7 illis verbis. *Perſpicuũ eſt ergo ſi ſunt cauſæ et principia*, etc. Illamq. ibidem duabus probat rationibus, prima eſt: quia res naturales, per ſe ſolum componuntur ex materia, & forma. Secunda eſt: quia quæuis res naturalis tantum reſoluitur in materiam, & formã. Sed has rationes ſatis diffuſe propoſuimus in explicatione contextus. Probatur etiam aſſertio hac alia ratione. Vnumquodq. ſufficienter componitur per ſe, ex potentia & actu, ſed materia eſt potentia naturalis, &

forma ac naturalis, ut diximus in quæſtion. 1. & 2. primis diſputationis; ergo unumquodque ens naturale ſufficienter componitur ex materia, & forma: quare duo tantum erunt principia interna rei naturalis.

Tria ſunt principia generationis. Secunda aſſertio. Principia intrinſeca generationis, ſive rei naturalis in fieri, ſunt tantum tria, ſcilicet materia, forma, & privatio. Hanc docuit Ariſto. cap. 7. & *Proba. 1.* probatur modo hac ratione. Ad generationem cuiuſcumque entis naturalis ſufficiunt duo prima contraria; ſed duo contraria verſantur circa idem ſubiectum; ergo ad generationem rerum naturalium ſufficiunt duo contraria, & unum ſubiectum: ſed duo contraria & unum ſubiectum ſunt tria principia; ergo ad generationem ſufficiunt tria *Proba. 2.* principia. Probatur 2. Generatio naturalis eſt mutatio; ſed ad mutationem continet requiruntur tria principia; ergo, &c. Maior eſt certa. Minor probatur: mutatio eſt tranſitus a termino a quo, in terminum ad quem; ſed ad huiuſmodi tranſitum ſolum requiruntur tria principia, ſcilicet terminus a quo, terminus ad quem, & ſubiectum, quod tranſit & mutatur a termino a quo, in terminum ad quem; ergo in omni mutatione ſufficiunt tria principia, ſcilicet terminus a quo, terminus ad quem, & ſubiectum ſive materia: ſufficit enim ad generationem ſubſtantialem una prima contrarietas, ut Ariſto. docuit cap. 6. ad hanc vero ſufficit unum ſubiectum; quare a primo ad ultimum, ad generationem naturalem ſufficiunt duo contraria, & unum ſubiectum: tantum igitur erunt tria principia intrinſeca generationis naturalis, ſcilicet unum ſubiectum, & duo contraria; quæ mutuo *Qua ratione agant forma et privatio.* agant, & patiantur. Obſervandum tamen eſt, quando dicimus prima contraria, ſcilicet formam, & privationem, agere & pati, hoc non eſſe intelligendum proprie, prout ſcilicet agere eſt a cauſa efficiente; ſed potius lata ſignificatione, prout ſignificat mutuam expulſionem, non per veram actionem Phyſicam, nam hæc ſolum reperitur inter primas qualitates contrarias; ſed dicitur quia unum ex contrariis, poſt aliud ſuccedit: poſt privationem enim ſequitur in materia, forma.

Principia ſunt intrinſeca rei genitæ et generationi. Deinde obſervandum eſt uno modo principia eſſe intrinſeca rei genitæ, & alio generationi; dicuntur enim intrinſeca rei genitæ, quia intrinſece res genita componitur ex illis: dicuntur vero intrinſeca generationi, non quia illam intrinſece componunt, nam ut diximus obſervatione 1. generatio eſt accidens, & non poteſt componi ex materia, & forma, quæ ſunt ſubſtantiæ, neque ex privatione, quæ non eſt ens poſitivum: ſed dicuntur huiuſmodi principia intrinſeca generationi, quia generatio ſic dicit eſſentialem ordinem ad terminum a quo, ad terminum ad quem, & ad ſubiectum, ut abſque omnibus illis nequeat intelligi.

Solutio rationis dubitandi. AD TERTIAM partem quæſt. primo reſpondemus rationi dubitandi Ariſt. loco qui de principiis intrinſecis tantum [illegible] negamus tamen privationem non eſſe principium intrinſecum: nam licet ſit privatio extrinſeca rei genitæ, eſt tamen intrinſeca generationi. Eodem modo reſpondemus confirmationi, privationem eſſe principium per ſe generationis: quando vero Ariſt. dicit privationem eſſe principium per accidens, intelligendus eſt de privatione, ſi conſideratur cum re genita; non tamen ſi conſideratur cum generatione. Sed dices: Cauſa 1. efficiens eſt de intrinſeca ratione generationis, quemadmodum & privatio: ergo ſi privatio eſt principium intrinſecum, & per ſe generationis, etiam & cauſa efficiens. Probatur antecedens. Generatio eſt actio; ſed de intrinſeca ratione actionis eſt agens; ergo de intrinſeca ratione generationis eſt agens: ergo principia intrinſeca, & per ſe generationis non erunt tantum tria. Reſpondemus negando antecedens. Probationi reſpondemus concedendo ſyllogiſmum, & negando ſecundam conſequentiam, quia tantum probat argumentum, cauſam efficientem eſſe de intrinſeca ratione gene-

ratio-

generationis; ſi ſumatur generatio vt eſt actio: nos vero non diſputamus modo de illa vt eſt actio, ſed vt eſt mutatio, vt diximus in
2. vltima obſeruatione. Sed dices: Priuatio vt docuit Ariſt. eſt vna numero cum materia: ergo principia per ſe generationis tantum ſunt duo. Reſpondemus: principia generationis ſecundum rem tantum eſſe duo: formaliter tamē eſſe tria, cum priuatio diſtinguatur formaliter a materia, vt demonſtrat Ariſt. cap. 7. illis verbis. *Atque id etiamſi vnum numero ſit, at certe ſpecie non vnum eſſe, etc.* Licet ergo materia, & priuatio ſint idem numero, & ſecundum eam rem; conſtituunt tamen diſtincta principia: ratio eſt, quia materia, vt dat eſſe toti cōpoſito ſecundum formam, eſt vnum principiū formaliter; at vero, vt ab illa incipit generatio eſt terminus a quo, & alterum prin-
3. cipium formaliter. Sed dices. Ergo forma erit vnum principium vt dat eſſe toti compoſito, & erit alterum principiū vt eſt terminus ad quem generationis: quare erunt quatuor principia per ſe generationis. Reſpondemus negando conſequentiam: quia diſpar eſt ratio; nam licet forma ſit principium generationis, & rei genitæ, tamen vtriuſque eſt principium ſub eadem ratione; ſcilicet vt eſt forma quam dat eſſe toti compoſito, vt forma eſt, & eſt terminus ad quem generationis, etiam vt forma & ratio dans eſſe toti compoſito: materia vero diuerſimode principium eſt generationis,
4. & rei genitæ modo explicato. Sed dices. Forma eodem modo dat eſſe toti compoſito, & generationi; ergo eſt forma vtriuſque. Reſpondemus explicando antecedens: eodem modo, id eſt ſecundum eundem modū cauſandi concedimus antecedens, tum etiā & conſequentiam: nam eſt forma vtriuſque, ſed cum diſcrimine: nam totius compoſiti eſt intrinſeca, reſpectu tamen generationis eſt extrinſeca, quemadmodum materia ſecundum eundem modum cauſandi dat eſſe toti compoſito, & generationi; & nihilominus eſt intrinſeca reſpectu totius compoſiti, & extrinſeca reſpectu generationis: quia generatio nō componitur ex materia, neque ex forma: licet dicat eſſentialem ordinem ad materiam, formam, & priuationem modo explicato. Totum vero compoſitum eſſentialiter componitur ex materia, & forma, tanquam ex partibus intrinſecis & eſſentialibus.

Dices ſecundo. Terminus a quo in generatione accidentium eſt forma contraria rei genitæ: ergo etiam in generatione ſubſtantiæ. Reſpondemus negando conſequentiam; quia accidentia fiunt ex ſuo contrario poſitiuo tanquam ex termino a quo, vt frigiditas ex calore; at vero ſubſtantiæ, cum non habeant contrarium poſitiuum, non fiunt tanquam ex termino a quo ex ſubſtantia, ſed potius ex priuatione formæ generandæ. Sed dices. Subſtantia, licet non habeat contrarium poſitiuū, fit tamen ex diſparato, vt ignis fit ex ligno, lignū vero & ignis ſunt res diſparatæ: ergo terminus a quo generationis ſubſtantiæ non eſt priuatio. Reſpondemus diſtinguendo antecedens. Ita per accidens, cōcedo, per ſe, nego: nam accidit priuationi, ex qua tanquam ex termino a quo fit ignis, vt ſit coniuncta cum forma ligni: ſubſtantia enim quæuis per ſe fit ex tali non ſubſtantia, tanquam ex termino a quo; per accidens vero fit ex alia ſubſtantia: modo vero ſolum eſt quæſtio de terminis per ſe. Hoc docuit Ariſt. cap. 8. his verbis. *Eodemque modo nec ex eo quod eſt, neque aliquid quod eſt, niſi per aliud alienaque ut fieri dicimus. Hoc autem pacto etiam fieri cēſemus, ut ſi ex animali animal orietur, et ſi ex quodam animali animal quoddam; etc.* Quæ verba ibi ſatis expoſita ſūt a nobis. Sed dices. Etiam ex priuatione fit ſubſtantia per accidens; ergo aut forma rei quæ corrumpitur eſt principium per ſe generationis ſubſtantiæ, aut priuatio non eſt principium per ſe. Probatur antecedens, ex Ariſt. qui cap. 7. expreſſe docuit, materiam & formam eſſe principia per ſe; ex priuatione vero, fieri rem per accidens: hoc docuit illis verbis. *Subiectum autem numero* 2. Ratio.

mum eſt ſpecie duo, etc. Imo id ipſum nos docuimus ibidem. Reſpondemus negando antecedens. Probationi reſpondemus Ariſt. tunc intelligendum eſſe de principiis rei naturalis, non verò de principiis generationis, vt in fine explicationis eiuſdem textus retulimus ex Simplicio: at, priuationem non eſſe principium per ſe rei genitæ, non negamus: negamus tamen, non eſſe principium per ſe generationis naturalis, ſiue rei naturalis in fieri. Nam hæc inter ſe diſtinguuntur, & nullo modo ſunt idem.

3. *Ratio.* Dices tertio. Priuatio eſt principium per ſe generationis: ergo vel illa quæ eſt in termino a quo ſiue in re quæ corrumpitur, vel quæ eſt in termino ad quem ſiue in re quæ generatur; ſed neutra ex iſtis; ergo priuatio non eſt principium per ſe generationis naturalis. Reſpondemus negando minorem: nã priuatio, quæ eſt in re quæ corrumpitur, eſt terminus a quo per ſe gene-

1. rationis. Sed dices. Principium rei debet eſſe quando eſt res: ſed priuatio quæ eſt in re quæ corrumpitur, non eſt quãdo eſt generatio: ergo illa priuatio non eſt principium generationis. Probatur minor. Generatio tantum eſt in inſtanti, in quo fit introductio formæ rei quæ generatur; ſed in inſtanti, in quo fit introductio formæ rei quæ generatur, iam non eſt illa priuatio; ergo quando eſt generatio, iam non eſt illa priuatio, quæ erat in re quæ corrumpitur. Reſpondemus negando minorem: fieri enim poteſt vt principium non ſit, quando res cuius eſt principium eſt, vel fit: ſufficit enim vt principium ſit, quando incipit res: nõ tamen eſt neceſſe vt ſit, quãdo fit res, aut quando eſt: & hoc certe eſt obſeruatione dignum: quare reſpondemus minori, verũ eſſe iam non exiſtere principium illud, quod eſt priuatio, quando eſt vel fit generatio; fuiſſe tamen quando incepit generatio, quod ſufficit.

2. Sed dices. Generatio ſubſtantiæ viuentis eſt mutatio inſtantanea; ſed in mutatione inſtãtanea ſimul eſt fieri, & factum eſſe: ergo in generatione ſubſtantiæ ſimul eſt fieri & factum eſſe; ergo generatio incipit in inſtanti, in quo fit. Reſpondemus negando vltimam conſequentiam: nam licet ſimul ſint fieri, & factum eſſe in mutatione inſtantanea; tamen non ſunt ſimul incipere, & fieri; ac proinde non ſequitur, generationem incipere in inſtãti in quo fit. Sed 3.
dices. Generatio non incipit in inſtanti, in quo fit: ſed quando fit eſt terminus ad quem; ergo non incipit in inſtanti, in quo eſt terminus ad quem; ſed mutatio, in qua non ſunt in eodẽ inſtanti terminus a quo, & terminus ad quem, habet extenſionem: ergo generatio ſubſtantialis habet extenſionem; quod certe nullus affirmauit. Reſpondemus concedendo primum ſyllogiſmum, & diſtinguendo ſecundam minorem ita: habet extenſionem, id eſt ſucceſsionem quæ tempore menſuretur, nego minorem: habet extenſionem quæ menſuretur duobus inſtantibus, cõcedo minorem: hoc verò ſiue dictum ſit a Philoſophis, ſiue non, certiſsimum eſt: nam ſi res non ita ſe haberet, ſequeretur inde in eodem inſtanti eſſe formam quæ generatur, & non eſſe formã quæ generatur: eſſe quidem formam, quia in illo inſtanti eſt terminus ad quem, & in termino ad quem neceſſario debet eſſe forma: non eſſe formam, quia eſt terminus a quo, & in termino a quo eſt carentia formæ generandæ in ſubiecto apto ad generationem. Sed dices. Ergo dantur duo inſtantia immediata. Reſpondemus concedendo 4.
conſequentiam: in diuerſis enim durationibus hoc nullum eſt abſurdũ, vt diximus q. 1. de maximo & minimo dubitatione 2. verſus finem.

Ex dictis hoc infero conſectarium. In inſtantaneis ſimul eſt rem fieri, & factam eſſe: non tamen eſt ſimul & in eodem inſtãti, rem incipere, & rem factam eſſe: quare quemadmodum quando res incipit fieri, nondum eſt eius forma, ſed eſt immediate poſt, ſcilicet in inſtanti ſequenti in quo iã eſt terminus ad quem: ita quando res corrumpitur nondum eſt corrupta, ſed imme- *In inſtantaneis ſimul fieri, et factam eſſe non tamen incipere et factam eſſe.*

diate

diate poſt: quare per generationem fit res, quando eſt; & incipit fieri, quãdo non eſt: & per corruptionem corrũpitur res, quãdo eſt; & immediate poſt iam eſt corrupta: quare iam non eſt, vt enim ſe habet terminus ad quem reſpectu generationis; ita ſe habet terminus a quo corruptionis, reſpectu corruptionis; ratio eſt, quia quemadmodum in generatione in termino a quo nondum eſt res genita, eſt tamen immediate poſt in termino ad quem: ita in corruptione, in termino ad quem iam nõ eſt res, quæ corrumpitur, fuit tamen immediate antea in termino a quo: & quemadmodum in termino ad quẽ generationis eſt res quæ generatur, immediate autem antea in termino a quo non erat; ita in termino a quo corruptionis adhuc eſt res quæ corrumpitur immediate vero poſt, ſcilicet in termino ad quem, iam non eſt,

Ratio. Dices vltimo. Ens rationis tantum eſt beneficio intellectus patibilis (vt diximus in Logica quæſt. de vniuerſis q. 7.) ergo ante operationem intellectus patibilis non datur ens rationis: ſed ante operationem intellectus datur generatio: ergo id quod eſt ens rationis, non poteſt eſſe principium generationis naturalis: ſed priuatio eſt ens rationis ergo nõ poteſt eſſe principium generationis naturalis. Reſpondemus negando vltimam minorem: quia priuatio, quæ eſt principium, non eſt ens rationis formaliter; ſed eſt a parte rei nullo conſiderante intellectu: fit tamen priuatio ens rationis formaliter beneficio intellectus patibilis, vt ſcilicet cognoſcitur vt forma quædam ab intellectu; cum re vera non ſit forma, ſed potius defectus formæ in ſubiecto apto ad formam: ſiue vero priuatio eſt principium a parte rei, eſt defectus
1. formæ naturalis. Sed dices. Omne principium entis poſitiui debet eſſe reale, & poſitiuum: ſed priuatio non eſt aliquid reale, & poſitiuum: ergo priuatio non eſt principium generationis naturalis, quæ eſt ens poſitiuum. Reſpondemus negando maiorem: nam quod eſt principium intrinſecũ, & componens ens reale, debet eſſe reale, & poſitiuum; id vero quod eſt principiũ vt terminus a quo, ſufficit, vt ſit ens reale priuatiuum: priuatio ergo eſt ens reale priuatiuum: quia nullo conſiderante intellectu, materia eſt priuata forma, quæ generatur.
Sed dices. Nullo conſiderante intellectu, 2.
in termino a quo ſolum reperitur materia: ergo materia eſt terminus a quo generationis, & non priuatio. Reſpondemus diſtinguendo antecedens ita: materialiter, cõcedo; formaliter, nego antecedens: nam a parte rei diſtinguitur formaliter priuatio a materia, non poſitiue, ſed priuatiue: quia ſcilicet a parte rei, alio modo ſe habet materia, vt habet in ſe formam; & alio vt eſt priuata forma. (Hinc tamen non inferas, priuationem eſſe formaliter a parte rei; nam formaliter fit per intellectũ:) hoc expreſſe docuit Ariſt. cap. 7. docens materiam & priuationem eſſe vnum numero; diſtingui tamen formaliter, & ſpecie. Sed
dices. Diſtinctio formalis inter materiam, 3.
& priuationem, ſufficere eſt adhoc, vt materia, & priuatio conſtituant duo principia: ergo cum appetitus, quem dicit materia ad formam, diſtinguatur formaliter a materia, & priuatione, appetitus ille erit diſtinctum principium. Reſpondemus negando conſequentiam; quia appetitus, etſi formaliter diſtinguatur a materia, tamen non diſtinguitur ab illa in ratione principiandi: nam appetitus materiæ nihil aliud eſt, quam inclinatio ipſiuſmet materiæ ad formas recipiendas; ac proinde in ratione principiandi ſemper ſe tenet ex parte materiæ, ſiue ſubiecti: priuatio vero diſtinguitur a materia formaliter in ratione principiandi: quia materia eſt principium recipiendi formam; at vero priuatio eſt principium vt terminus, a quo incipit generatio; hacque de cauſa materia, & priuatio conſtituunt duo principia: materia vero, & appetitus vnum tantum.

In fine quæſtionis obſeruandum eſt, Obſeruatio.
nulla ratione admittẽdam eſſe ſententiam illorum, qui exiſtimãt reperiri a parte rei

priua-

priuationem formaliter: aliud enim eſt à parte rei priuationem, formaliter eſſe principium; & aliud à parte rei priuationem eſſe formaliter priuationem: primum enim verum eſt; ſecundum vero falſum: quemadmodum aliud eſt vnum vel verum formaliter diſtingui à parte rei abente; & aliud à parte rei dari formaliter verũ aut formaliter vnũ: verum enim formaliter ſumptum ſolũ habet eſſe beneficio intellectus, tametsi & verũ. Hanc ſententiam rectam eſſe confirmabimus in quæſtionibus de priuatione.

☙ SECVNDA PARS DISPVTATIOnis de principiis, quæ eſt de materia.

Quæſtio I. An in rebus naturalibus ſit neceſſaria materia.

Ratio dubitandi. IN hac quæſt. ratio dubitandi eſt quæ ſequitur. Id quod generatur, eſt totum compoſitum, vt docuit Ariſt. cap. 6. huius lib. ergo ad generationem naturalem non eſt neceſſe conſtituamus materiã, quæ ſupponatur vt ſubiectũ in termino à quo, & ſit in termino ad quem. Probatur conſequentia. Totum compoſitum cõtinet in ſe materiam, & formam, ex quibus componitur; ergo cum generatur totum compoſitum, generatur etiã materia, & forma; quare non eſt neceſſe conſtituere materiã, quæ ſupponatur in generatione naturali.

Diuiſio quæſt. Quæſtionẽ hanc in 3. diſtribuimus partes quarum 1. materiæ ſignificationes proponemus: 2. vero, aſſertiones: 3. deniq. ſatisfaciemus contrariis argumentis.

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Omiſſa materia circa quam, quæ eſt illud circa quod ſcientiæ, & potẽtiæ verſantur: materia vt attinet ad præſens inſtitutum triplex eſt, ſcilicet alterationis tantũ; compoſitionis tantum, & alterationis, & compoſitionis ſimul. *Materia eſt triplex* Alterationis tantum eſt illa, quæ alteratur, non tamen componit; quia corrumpitur antequam ex illa fiat aliquid: vt alimentum, quod quidem alteratur, & corrumpitur, antequam ſit cõuerſum in naturam aliti. Materia compoſitionis tantum eſt illa, quæ cõponit rem, abſque eo quod per aliquam mutationem alteretur: vt ligna, & lateres, ex quibus componitur domus: ſiue ſyllabæ, ex quibus componuntur dictiones. Materia alterationis, & compoſitionis ſimul eſt illa, quæ alteratur, & componit: ſed hęc duplex eſt; alia 1. & alia 2. illa dicitur ſecunda, quæ eſt ſecundarium ſubiectum, ex quo res fiunt, & in quo ſecundario res recipiuntur: & hæc materia eſt totum cõpoſitum dicitur enim totum compoſitum materia ſecunda, reſpectu accidentium: quia totum compoſitum nõ poteſt in ſe recipere formam ſubſtantialem; fieret enim ex illa, & ex toto compoſito ens per accidens. Materia prima eſt illa, ex qua res primo fiunt, & in qua primario; & ante omnem formam, recipitur forma ſubſtantialis: procedit ergo quæſtio de materia ſumpta hoc vltimo modo: inquirimus enim, an in rebus naturalibus neceſſaria ſit materia prima: tum, vt ſint; tum etiam, vt generentur.

Secunda obſeruatio. Materia prima ſolet appellari materia, ſubiectum, & elementum. *Materia multis nominibus appellatur.* Multi, inter quos eſt pater Pererius, exiſtimant appellari materiã reſpectu formæ ſubſtantialis tam futuræ, quam præſentis: appellari vero ſubiectum reſpectu accidentium; quæ ſententia nobis diſplicet. ratio eſt; quia materia prima nullius accidentis eſt ſubiectum, vt alibi diffuſius dicemus. Appellatur ergo materia reſpectu formæ tam futuræ, quam illius, quam

habet;

habet: nam materia prima dicitur pura potentia ad formas; ac proinde reſpectu formæ, quam nondum habet, appellatur ita: materia præterea materia cœli, cũ non habeat potentiam ad aliam formam, dicitur materia reſpectu illius formæ, quam iam habet. Dicitur vero materia prima ſubiectum; quia in ſe recipit formam, cum qua efficit totum compoſitum. Appellatur tandem elementum, vt eſt pars intrinſece componens rem naturalem. Qui plura deſiderat de varijs diuiſionibus materiæ, tum etiam de varijs nominibus, quibus a Philoſophis ſolet appellari, cõſulat patrẽ Pererium in 5. Phyſ. cap. 3. non enim opus eſt, quæ facillima ſunt, & apud omnes inueniuntur, inutiliter tranſcribamus.

Sed dices. Materia non dicitur ſubiectũ reſpectu accidentium, vt diximus in 2. obſeruatione; ergo nõ recte diximus in 1. obſeruatione materiam primam, eſſe materiã alterationis, & compoſitionis ſimul; cum id, quod producitur per alterationem, ſit accidens. Reſpondemus negando conſequentiam; quia materia prima non dicitur materia alterationis; quia ipſa ſit ſubiectũ alterationis; ſed quia neceſſaria eſt alteratio in toto compoſito ad hoc, vt corrumpatur, & reſoluatur in materiam primam, ex qua tanquam ex altera parte fit deinde id quod generatur: dicitur ergo materia prima, materia alterationis, ad differentiã illius, quæ eſt compoſitionis tantum, quæ non eget præcedente alteratione ad hoc, vt ex illa fiat cõpoſitum, vt patet in ſyllabis, quæ abſq; aliqua alteratione præcedẽte cõponunt dictiones. Obſeruandũ tamẽ eſt, non omnem materiam primam appellari proprie alterationis, & compoſitionis ſimul; ſed illam tantum; ex qua res fit per generationẽ naturalem: corpora enim cœleſtia vere ex materia prima conſtant, quæ tamen capax non eſt alterationis; neque vnquã præceſſit alteratio ad hoc, vt ex illa aliquid fieret; fuit enim cõcreata a Deo ad creationẽ corporum cœleſtiũ. Sed quæres. Per quid ergo differt materia prima ab alijs materijs? Reſpondemus eo ab diſtingui; quia eſt id, quod primo recipit in ſe formam, & ex quo primo res fit, tum quia ex materia; at vero, quia modo præcipue diſputamus de principijs rei naturalis, quæ fit per generationem: proinde adduximus differentiam, per quam diſtinguitur materia prima, a materia ſecunda: tum etiam, per quam diſtinguitur materia prima, rerum quæ fiunt per generationem, a materia prima rerum, quæ fuerunt factæ per creationem; vt ſunt corpora cœleſtia.

Differentia materiæ primæ ab alijs materijs.

Dices ſecundo. Materia prima eſt id, quod primo recipit formam; ergo materia prima nunquam patitur alterationem: ergo male appellata fuit a nobis materia alterationis, & compoſitionis ſimul. Reſpondemus concedendo enthymema: & negando ſecundam conſequentiã. Ratio eſt; quia vt diximus in ſolutione ſuperioris argumenti, diſputamus modo de materia prima, vt eſt etiam principium generationis naturalis: in generatione enim naturali materia prima ſupponitur in termino a quo, vt eſt priuata forma rei generandæ; & in termino a quo materia adhuc patitur alterationem; immo præcedit alteratio corruptionem formæ: dicitur ergo materia prima, materia alterationis, non quia in ſe recipiat alterationem, ſed quia debet præcedere alteratio, ad hoc vt ex materia prima generetur res naturalis.

Ex dictis infero materiam primã ſignificare illam materiam ex qua, primo res fit, & quæ primo in ſe recipit formam.

Sit hoc fundamentum in hac quæſtione. In omni propria mutatione requiritur ſubiectum, quod mutetur a termino in terminum (vel vt verius loquar, quod reperiatur in termino a quo, & in termino ad quem: nã generatio non eſt in materia prima tanquam in ſubiecto) probatur fundamentum. Rem mutari, nihil aliud eſt, quã aliter ſe habere nunc, quam antea: ergo in omni mutatione neceſſarium eſt ſubiectũ, quod aliter ſe habeat nũc, quam antea; id eſt, quod aliter ſe habeat in termino ad

Fundamentum quæſt.

quẽ, ac ſe habebat ſicut in termino a quo: ſemper enim in omni mutatione, ſiue motu permanet aliquid ſub vtroq. termino.

Sed dices: Materia prima aliter ſe habet in termino ad quem, ac ſe habebat in termino à quo: ergo non recte diximus generationem non ſubiectari in materia prima, & conſequenter materiam primam reperiri in termino a quo, & in termino ad quem; non tamẽ mutari a termino a quo, in terminum ad quem. Reſpondemus negando conſequentiam: nam etſi materia prima reperiatur in termino a quo, & in termino ad quem; non tamen mutatur a termino a quo, in terminum ad quẽ; ſed potius dicitur aliter ſe habere quia in termino a quo habebat formam rei, quæ corrumpitur, & priuationem formæ rei, quæ generatur; at vero in termino ad quem; habet formam rei, quæ generatur: & priuationẽ formæ corruptæ. Quod vero verũ ſit, materiam primam non mutari à termino à quo, in terminum ad quem, dicemus diffuſe in libris de Generatione; & lib. 1. in q. cap. 1. vel ſecundi: interim tamen breuiter probatur: materia prima mutatur; ſed nõ mutatione ad accidẽs: ergo ad ſubſtantiã: ſed mutatio ad ſubſtantiam eſt generatio: ergo ſi materia prima mutatur, materia prima generatur: ſed conſequens eſt abſurdum: ergo & antecedẽs. Probatur minor: Abſurdũ eſt aſſerere generari id, quod ex ſe eſt ingenerabile, & incorruptibile: ſed materia prima ex ſe eſt ingenerabilis, & incorruptibilis: ergo abſurdum eſt aſſerere materiam generari. Vltima minor docetur ab Ariſt. admittitur a Philoſophis: & probatur ratione: Omne quod generatur fit ex aliqua materia, quæ in termino a quo generationis erat priuata forma illius rei, quæ generatur: ergo ſi materia prima generatur, fiet ex alia materia priori, quæ in termino a quo erat priuata forma materiæ primæ: quare materia prima vt talis eſt, haberet formam: & eſſet alia materia prior materia prima: quæ omnia ſunt abſurda.

IN SECVNDA parte quæſtionis ſit 1. aſſertio. In omni re naturali neceſſaria eſt materia prima. Probatur aſſertio. Res naturalis eſt compoſita ex materia, & forma; ergo in omni re naturali neceſſaria eſt, materia prima. Probatur conſequentia. Illa materia; ex qua eſt compoſita res naturalis, ſi ſecundum ſe ſumatur, & vt eſt altera pars compoſiti naturalis, eſt omni forma deſtituta: ſed materia quæ eſt omni forma deſtituta, eſt materia prima: ergo illa materia eſt materia prima. Minor eſt certa: nam ſi illa materia ſecundum ſe non eſſet omni forma deſtituta, eſſet totum compoſitum: quare totum compoſitum componeretur ex toto compoſito, & ex alia forma: quod certe eſt abſurdũ. Minor etiam probatur a definitione nominis materiæ primæ, quam in ſuperioribus propoſuimus: ſignificat enim materia prima illã, ex qua res primo fit, & quæ primo recipit formam: ſed materia ex qua res primo fit, & quæ recipit formam primo, eſt omni forma deſtituta: ergo illa materia eſt omni forma deſtituta: & conſequenter eſt materia prima: quare in omni compoſito naturali neceſſaria eſt materia prima. *In omni re naturali eſt neceſſaria materia prima.*

Probatur ſecundo. Omnis res naturalis eſt compoſita ex naturis: ſed naturæ ſũt materia prima, & forma ſubſtantialis: ergo omnis res naturalis eſt compoſita ex materia prima, & ex forma ſubſtantiali. Maior eſt certa; quia propterea dicitur res naturalis, quia compoſita eſt ex naturis. Minor conſtabit ſatis, ex his quæ dicemus cum Ariſt. 2. Phyſ. cap. 1. & in quæſtionibus eiuſdem cap. 1.

Secunda Aſſertio. In omni tranſmutatione naturali neceſſaria eſt materia prima. Probatur primo ex Ariſt. qui cap. 6. non ſolum hanc aſſertionem docuit, verũ etiam illã multis confirmauit rationibus. Probatur ſecundo, a diffinitione nominis materiæ primæ: materia enim prima ſignificat illam, ex qua primo res fit, & in qua primo recipitur forma ſubſtantialis; ſed in omni generatione reperitur materia ex *Materia eſt neceſſaria in omni trãſmutatione.*

qua.

quā primō res fit, & in qua primo recipitur forma ſubſtantialis; ergo in omni generatione neceſſaria eſt materia prima.

Probatur tertio. Agens naturale non producit rem ex nihilo; quia hoc proprium eſt ſolius Dei: ergo producit illam ex præſuppoſito ſubiecto: ſed illud ſubiectum non eſt accidens; quia ex accidente non poteſt fieri res naturalis: ergo producit illam ex ſubſtātia tanquam ex præſuppoſito ſubiecto: ſed illa ſubſtantia nec eſt forma, neque totum compoſitum; ergo eſt materia prima. Conſequentia probatur quia omnis ſubſtātia vel eſt materia prima, vel forma, vel totum compoſitum. Minor vero vltima probatur etiam (nam cætera ſunt certa.) illud ſubiectum recipit in ſe formam; ſed neque totum compoſitum, neque forma poſſunt recipere in ſe formam, quæ generatur; ergo illud ſubiectum ſiue illa ſubſtantia neque eſt forma, neque totum compoſitum. Probatur minor. Quod eſt in actu, non poteſt recipere formam, & actum ſubſtantialem: ſed forma eſt actus ipſe, & totum compoſitum etiam eſt ens actu ratione formæ: ergo neque forma, neque totum compoſitum poteſt recipere formam ſubſtātialem: quare, a primo ad vltimum, neceſſario conſtituenda eſt materia prima, quæ ſit ſubiectum in omni generatione naturali.

Probatur quarto. Experientia conſtat fieri multas res naturales compoſitas ex materia, & forma: ſed illæ res non fiunt ſecundum vtramque partē; quia fierent per creationem: ergo fiunt ſecundum formam tantum. Probatur conſequētia: quia ſi fierent ſecundum materiam: ſequerentur multa abſurda; tempore ſcilicet, antecedere potentiam rem eſſe ſecundum actum, antequam fieret; materiam educi de potentia formæ: & alia huiuſmodi. Tum ſic, fiunt ſecundū formam tāntum: ergo antea ſupponitur materia ex qua fiant, quæ quidē ſit omni forma denudata; ſed illa materia eſt materia prima: ergo fiunt ex materia prima. Probatur minor; quia illa materia, quæ denudata eſt omni forma, primo recipit formam; & ex conſequenti, ex illa primo res fit: quare erit materia prima; nam materia prima eſt ex qua primo res fit, & quæ primo recipit in ſe formam ſubſtantialem.

Probatur quinto. Homo nutritur ex alimento; ergo manet in homine aliquid alimenti; ſed non manet forma; quia homo deſtruit formam alimenti: ergo remanet materia, quæ erat ſub forma alimenti: & conſequenter, manet materia prima: quare in omni mutatione naturali neceſſaria eſt materia prima. Et tandem confirmatur: quia ſi non eſſet materia prima, & primum ſubiectum ex quo res primo fierent, eſſet neceſſarius proceſſus in infinitum, vt Ariſt. docuit, qui tamen nulla ratione debet admitti.

IN TERTIA parte quæſt. proponendæ ſunt rationes contrariæ aſſertionibus; prius tamen ſoluenda eſt dubitandi ratio. *Soluitur dubitandi ratio.* Reſpondemus ergo rationi dubitandi negando conſequētiam. Probationi reſpōdemus; verum eſſe totum compoſitum continere in ſe materiam, & formam; ſed inde non ſequi generari materiam, & formam: dicitur enim generari totum compoſitū, quia per generationem habet eſſe totum, quod antea non habebat; non vero, quia totum fiat ſecundum omnia quæ habet, quemadmodum etiam dicimus fieri domum, non quia fiat ſecundum materialia; ſed quia materialia illo modo diſponuntur, vt ſimul cum forma efficiant domum, quæ antea non erat. Imo non ſolum verū eſt, aliquando non fieri totum de nouo, ſecundum omnem entitatem, quam habet; ſed etiam, multoties generatur totum compoſitum, abſque eo quod per generationem producatur aliqua entitas realiter diſtincta, ab entitate partium, quarum, nulla fit per generationem: verbi gratia, in generatione hominis, in qua ſupponitur materia, quæ eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, vt docuit Ariſto. hoc lib. cap. 9. & creatur forma, ſcilicet anima rationalis: totum vero, non diſtinguitur ab omnibus

ſuis partibus, ſiue ſumatur vnitæ, ſiue abſque vnione, vt diximus cap. 2. quæſt. 1. art. Sed dices primo. Si conſtituenda eſſet materia prima, idcirco eſſet conſtituenda, vt ſubiiceret tanquam ſubiectum recipiens formam ſubſtantialem; ſed forma ſubſtantialis nõ recipitur in ſubiecto; ergo nõ eſt neceſſaria materia prima. Probatur minor. Forma ſubſtantialis eſt ſubſtantia; ſed ſubſtantia non recipitur in ſubiecto; ergo forma ſubſtantialis nõ recipitur in ſubiecto. Reſpondemus negando minorem. Probationem diſtinguendo minorem ſtatim hanc en do concedentes: hoc proprium eſt accidẽtis informando & dando eſſe ſubſtantiale, nego minorem. Sed dices. Vt ſe habẽt formæ accidentales inter ſe, ita formæ ſubſtantiales inter ſe; ſed in formis accidentalib' eſt vna, quæ eſt reliquarum ſubiectum, ſcilicet quantitas; ergo in formis ſubſtantialibus debet eſſe vna prima forma, quæ ſit reliquarum ſubiectũ; quare non eſt neceſſe conſtituamus materiam primã, quæ ſit ſubiectum formæ ſubſtantialis. Reſpondemus negando minorem. Deinde dicimus etiã falſam eſſe minorem: nam multa ſunt accidentia, quæ non inhærent toti compoſito, ratione quantitatis; qualia ſunt ſpiritualia.

Dices ſecũdo. Poteſt dari generatio naturalis abſq. materia prima; ergo licet materia prima ſit neceſſaria, ad hoc vt ſit gen. naturalis, quia eſt altera pars illius; tamẽ non erit neceſſaria ad omnem generationẽ naturalem. Antecedens probatur. Ex ſpeciebus conſecratis panis poſſunt fieri vermes, per generationem naturalem, & ex ſpeciebus conſecratis vini poteſt fieri acetum; imo poſſunt alia multa ex ſpeciebus conſecratis generari; ſed in illa generatione nulla ſupponitur materia prima; ergo materia prima non eſt neceſſaria in omni generatione naturali. Probatur minor: nã materia prima eſt ſubſtantia, & ſpecies cõſecratæ ſunt accidentia, & ſub illis nulla ſubſtantia reperitur, niſi ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti; ex qua hæretici eſt aſſerere, generari vermes, acetum, aut aliquid aliud: quare cũ illæ generationes naturales fiant ex ſpeciebus conſecratis, quæ accidentia ſunt, non eſt aſſerendum, in omni generatione naturali neceſſariam eſſe materiam primam, cum hæc ſit ſubſtãtia.

Ex ſpeciebus conſecratis p. ſeſe fieri vermes et alia.

Pro ſolutione obſeruandum eſt cum S. Tho. 3. p. q. 77. art. 5. varios fuiſſe dicendi modos circa hanc rem. Quidam enim dixerunt ea quæ generantur ad corruptionem ſpecierum conſecratarum, non fieri ex ſpeciebus conſecratis, ſed ex aere circunſtantis; hos impugnat quatuor rationibus. Alij docuerunt quod redit ſubſtantia panis & vini in ipſa corruptione ex qua fiunt vermes, acetum, vel cineres, &c. Sed hunc dicendi modum egregie refellit ex eo; quia ſubſtantia panis & vini fuit conuerſa in corpus & ſanguinem Chriſti; quare, non poteſt ſubſtantia panis & vini iterum redire, niſi corpus, & ſanguis Chriſti cõuertantur in ſubſtantiam panis, & vini, quod certe eſt impoſſibile. Alij exiſtimarũt creari tum temporis materiam primam de nouo. Ipſe vero S. Thom. docet fieri ex ſpeciebus conſecratis vermes, & alia; nam *D. Tho.* quantitas, cum ex vi prioris miraculi habeat vicem ſubſtantiæ, & ſubiecti, ita ſe habet, vt ex illa poſſit generari ſubſtantia. Hanc D. Tho. ſententiam ſequuntur multi ex eius diſcipulis; ſed certe difficultate nõ vacat hæc ſententia: primo, quia ex quãtitate & forma ſubſtantiali non poteſt fieri vnum eſſe per ſe. Secundo; quia vermes, verbi gratia, geniti ex ſpeciebus nõ eſſent eiuſdem ſpeciei cum illis, qui poſſunt generari ex ſubſtantia panis. Tertio; quia non videtur conſonum rationi quantitatem fieri poſſe primum ſubiectum formæ ſubſtantialis. Durandus in 4. d. 12. q. 2. in ſolut. ad 2. docet ſpecies conſecratas, quando corrumpuntur naturaliter, non annihilari, ſed cedere in potentiam materiæ, excipit tamen quantitatẽ: nam hanc docet annihilari ab ipſo Deo, & eadem quæſt. docet creari materiam primam, quando ex ſpecie- *Durãdus*

ſpeciebus conſecratis aliquid generatur. Scotus vero eadem diſt. præcipue q. 6. docet non ſolum materiam primam, verum etiam totum compoſitum creari ab ipſo Deo, quando fit aliquid ex ſpeciebus conſecratis. Sed quidquid ſit de veritate harũ ſententiarum, reſpondemus argumẽto propoſito, negando antecedens, & probationẽ negando maiorem: nam generatio illa, per quam ex ſpeciebus conſecratis fiunt vermes, vel alia, non eſt naturalis, de qua modo loquimur; quia quocumque modo fiat ſupponit miraculum: & quemadmodũ conuerſio illa panis, & vini in corpus & ſanguinẽ Chriſti eſt ſingulariſsima, cui nulla eſt ſimilis in rerum natura: ſic hæc corruptio ſpecierum, & productio illius, quod ex illis producitur, ſiue generatur, ſingularis eſt, & nulli ſimilis earum, quæ ſunt in natura rerũ; ſiue ſequamur ſententiam Scoti ſiue S. Tho. dicitur tamen naturalis illa generatio, per quam fit aliquid ex ſpeciebus conſecratis; quia habet terminum a quo, ſimilem termino a quo generationis naturalis; & quia præcedit etiam alteratio: ſumaturq; quia in termino ad quẽ reperitur totum compoſitum, quod antea nõ erat. Sed hæc obiter ſint dicta & modo ſufficiant: hæc enim breuiter modo propoſui, quia illorum cognitio nimis neceſſaria eſt vt intelligamus, in omni vera & propria generatione naturali neceſſariam eſſe materiam primã, quæ ſupponatur vt ſubiectum & pars ſubſtãtialis tranſmutationis Phyſicæ.

Scotus.

Quod fit ex ſpeciebus conſecratis non fit per generationẽ Phyſicã.

QVAESTIO II.

An materia prima ſit ſubſtãtia.

SVPERIORI quæſtione diximus dari materiam primam, illamque neceſſariam eſſe ad generationẽ, & ad cõpoſitionem entis naturalis; in hac quæſtione ſecunda inquirimus, an illa materia prima ſit ſubſtantia, vel accidens.

Diuiditur quæſtio in quatuor partes: quarum prima, quendam reiiciemus errorem; ſecunda, proponemus obſeruationes; tertia, aſſertiones; quarta, contraria argumenta, & illorum ſolutiones.

Diuiſio quæſt.

IN PRIMA parte quæſtionis reiiciendus eſt error, quem habuit Dauid de Dinando, qui ſtultiſsime docuit, Deum eſſe materiam primam. Hunc refert D. Th. 1. p. quæſt. 3. artic. 8. impugnatque illius errorem acutiſsime tribus rationibus, quæ apud D. Tho. legito. Auctor hic, & qui hanc ſunt ſequuti ſententiam, ducebantur hac leui ratione (ſi licet rationem appellare, illam, quæ rem pluſquam ab omni ratione alienam intendit probare.) Quæ non differunt inter ſe, conueniunt; ſed Deus, & materia prima non differunt inter ſe: ergo cõueniunt. Probant maiorem. Differre, & conuenire opponuntur immediate; ergo ſi Deus, & materia prima non differunt, conueniunt. Minorem vero ita probabant. Quæ differunt, ſunt compoſita ex illo per quod differunt, & ex illo, in quo conueniunt: ſed Deus, & materia prima non ſunt res compoſitæ, cum Deus ſit purus & ſimpliciſsimus actus nullam admittens compoſitionem, & materia prima ſit etiam pura potentia; ergo Deus, & materia prima non differunt. Reſpõdemus tamen huic argumento facillimo negotio, ſcilicet negando maiorem: nam inter differre, & conuenire datur medium, nempe eſſe primo diuerſa. Probationi reſpondemus negando maiorem; nam differre, & conuenire non opponuntur immediate, ſi vox differre ſumatur lata quadam ſignificatione, prout ſcilicet idem eſt aliqua differre, ac eſſe primo diuerſa: ſi ſumant vocem differre in hac ſignificatione, concedimus primam maiorem; negamus tamen minorem, ſcilicet Deum, & materiam primam non differre: quia Deus, & materia prima ſunt res primo diuerſæ, imo ita primo diuerſæ, vt in infinitum diſtent quemadmodum etiam diſtat Deus Opt. Max. in infinitum, a quacumq. creatura.

Reiicitur quidam error.

Ratio huius erroris.

Solutio.

Deus et materia prima diſtãt in infinitum.

forma actus naturalis, vt diximus in quæſtion. 2. & 2. partis diſputationis; ergo vnumquodque ens naturale ſufficienter componitur ex materia, & forma: quare duo tantum erunt principia interna entis naturalis.

Tria ſunt principia generationis. Secunda aſſertio. Principia intrinſeca generationis, ſiue rei naturalis in fieri, ſunt tantum tria, ſcilicet materia, forma, & priuatio. Hanc docuit Ariſto. cap. 7. &

Proba. 1. probatur modo hac ratione. Ad generationem cuiuſcumque entis naturalis ſufficiunt duo prima contraria: ſed duo contraria verſantur circa idem ſubiectum: ergo ad generationem rerum naturalium ſufficiunt duo contraria, & vnum ſubiectum: ſed duo contraria & vnum ſubiectum ſunt tria principia: ergo ad generationem ſufficiunt tria

Proba. 2. principia. Probatur 2. Generatio naturalis eſt mutatio; ſed ad mutationem omnem requiruntur tria principia: ergo, &c. Maior eſt certa. Minor probatur: mutatio eſt tranſitus a termino a quo, in terminum ad quem; ſed ad huiuſmodi tranſitum ſolum requiruntur tria principia, ſcilicet terminus a quo, terminus ad quem, & ſubiectum, quod tranſit & mutatur a termino a quo, in terminum ad quem; ergo in omni mutatione ſufficiunt tria principia, ſcilicet terminus a quo, terminus ad quem, & ſubiectum ſiue materia: ſufficit enim ad generationem ſubſtantialem vna prima contrarietas, vt Ariſto. docuit cap. 6. ad hanc vero ſufficit vnum ſubiectum; quare a primo ad vltimum, ad generationem naturalem ſufficiunt, duo contraria, & vnum ſubiectum: tantum igitur erunt tria principia intrinſeca generationis naturalis, ſcilicet vnum ſubiectum, & duo contraria, quæ mutuo

Qua ratione agant forma et priuatio. agant, & patiantur. Obſeruandum tamen eſt, quando dicimus prima contraria, ſcilicet formam, & priuationem, agere & pati, hoc non eſſe intelligendum proprie, prout ſcilicet agere eſt a cauſa efficiente; ſed potius lata ſignificatione, prout ſignificat mutuam expulſionem, non per veram actionem Phyſicam, nam hæc ſolum reperitur inter primas qualitates contrarias; ſed non tam quia vnum ex contrariis, poſt aliud ſuccedit: poſt priuationem enim ſequitur in materia, forma.

Deinde obſeruandum eſt, vno modo principia eſſe intrinſeca rei genitæ, & alio generationi: dicuntur enim intrinſeca rei genitæ, quia intrinſece res genita componitur ex illis: dicuntur vero intrinſeca generationi, non quia illam intrinſece componant, nam vt diximus obſeruatione 1. generatio eſt accidens, & non poteſt componi ex materia, & forma, quæ ſunt ſubſtantiæ, neque ex priuatione, quæ non eſt ens poſitiuum: ſed dicuntur huiuſmodi principia intrinſeca generationi, quia generatio ſic dicit eſſentialem ordinem ad terminum a quo, ad terminum ad quem, & ad ſubiectum, vt abſque omnibus illis nequeat intelligi. *Principia ſunt intrinſeca rei genitæ et generationi.*

IN TERTIA parte quæſt. primo reſpondemus rationi dubitandi: Ariſt. loquitur de principiis intrinſecis rei genitæ, negamus tamen priuationem non eſſe principium intrinſecum, nam licet ſit priuatio extrinſeca rei genitæ eſt tamen intrinſeca generationi. Eodem modo reſpondemus confirmationi, priuationem eſſe principium per ſe generationis: quando vero Ariſt. docuit, priuationem eſſe principium per accidens, intelligendum eſt de priuatione, ſi conſideratur cum re genita; non tamen ſi conſideratur cum generatione. *Solutio. Rationis dubitandi.*

Sed dices: Cauſa 1. efficiens eſt de intrinſeca ratione generationis, quemadmodum & priuatio: ergo ſi priuatio eſt principium intrinſecum, & per ſe generationis, etiam & cauſa efficiens. Probatur antecedens. Generatio eſt actio; ſed de intrinſeca ratione actionis eſt agens; ergo de intrinſeca ratione generationis eſt agens: ergo principia intrinſeca, & per ſe generationis non erunt tantum tria. Reſpondemus negando antecedens. Probationi reſpondemus concedendo ſyllogiſmum, & negando ſecundam conſequentiam: quia tantum probat argumentum, cauſam efficientem eſſe de intrinſeca ratione gene-

rationis] ſi ſumitur generatio vt eſt actio: nos vero non diſputamus modo de illa vt eſt actio, ſed vt eſt mutatio, vt diximus in

2. vltima obſeruatione. Sed dices. Priuatio vt docuit Ariſt. eſt vna numero cum materia: ergo principia per ſe generationis tantum ſunt duo. Reſpondemus: principia generationis ſecundum rem tantum eſſe duo: formaliter tamen eſſe tria: cum priuatio diſtinguatur formaliter a materia, vt demonſtrauit Ariſt. cap. 7. illis verbis. *Aliquid etiamſi vnum numero ſit, at certe ſpecie unum non eſſe, etc.* Licet ergo materia, & priuatio ſint idem numero, & ſecundum rem; conſtituunt tamen diſtincta principia ratio eſt, quia materia, vt dat eſſe toti compoſito recipiendo formam, eſt vnum principium formaliter: at vero, vt ab illa incipit generatio eſt terminus a quo, & alterum principium formaliter. Sed dices. Ergo forma

3. erit vnum principium vt dat eſſe toti compoſito, & erit alterum principium vt eſt terminus ad quem generationis: quare erunt quatuor principia per ſe generationis. Reſpondemus negando conſequentiam: quia diſpar eſt ratio; nam licet forma ſit principium generationis, & rei genitæ, tamen vtriuſque eſt principium ſub eadem ratione; ſcilicet vt eſt forma; nam dat eſſe toti compoſito, vt forma eſt; & eſt terminus ad quem generationis, etiam vt forma & ratio dans eſſe toti compoſito: materia vero diuerſimode principium eſt generationis,

4. & rei genitæ modo explicato. Sed dices. Forma eodem modo dat eſſe toti compoſito, & generationi; ergo eſt forma vtriuſq. Reſpondemus explicando antecedens; eodem modo, id eſt ſecundum eundem modum cauſandi concedimus antecedens, tum etiam & conſequentiam: nam eſt forma vtriuſq; ſed cum diſcrimine; nam totius compoſiti eſt intrinſeca, reſpectu tamen generationis eſt extrinſeca, quemadmodum materia ſecundum eundem modum cauſandi dat eſſe toti compoſito, & generationi & nihilominus eſt intrinſeca reſpectu totius compoſiti, & extrinſeca reſpectu generationis: quia generatio nō componitur ex materia, neque ex forma: licet dicat eſſentialem ordinem ad materiam, formam, & priuationem modo explicato. Totum vero compoſitum eſſentialiter componitur ex materia, & forma, tanquam ex partibus intrinſecis & eſſentialibus.

Dices ſecundo. Terminus a quo in generatione accidentium eſt forma contraria rei genitæ: ergo etiam in generatione ſubſtantiæ. Reſpondemus negando conſequentiam: quia accidentia fiunt ex ſuo contrario poſitiuo tanquam ex termino a quo, vt frigiditas ex calore; at vero ſubſtantiæ, cum non habeant contrarium poſitiuum, non fiunt tanquam ex termino a quo ex ſubſtantia, ſed potius ex priuatione formæ generandæ. Sed dices. Subſtantia, licet non habeat contrarium poſitiuū, fit tamen ex diſparato, vt ignis fit ex ligno, lignū vero & ignis ſunt res diſparatæ: ergo terminus a quo generationis ſubſtantiæ non eſt priuatio. Reſpondemus diſtinguendo antecedens. Ita per accidens, concedo: per ſe, nego: nam accidit priuationi, ex qua tanquam ex termino a quo fit ignis, vt ſit coniuncta cum forma ligni: ſubſtantia enim quæuis per ſe fit ex tali non ſubſtantia, tanquam ex termino a quo; per accidens vero fit ex alia ſubſtantia: modo vero ſolum eſt quæſtio de terminis per ſe. Hoc docuit Ariſt. cap. 8. his verbis. *Eodemque modo nec ex eo quod eſt, neque aliquid quod eſt, niſi per aliud alienaque ui fieri dicimus. Hoc autem pacto etiam fieri cēſemus, ut ſi ex animali animal oriretur, et ſi ex quodam animali animal quoddam; et c.* Quæ verba ibi ſatis expoſita ſūt a nobis. Sed dices. Etiam ex priuatione fit ſubſtantia per accidens; ergo aut forma rei quæ corrumpitur eſt principium per ſe generationis ſubſtantiæ, aut priuatio non eſt principium per ſe. Probatur antecedens, ex Ariſt. qui cap. 7. expreſſe docuit, materiam & formam eſſe principia per ſe; ex priuatione vero, fieri rem per accidens: hoc docuit illis verbis. *Subiectum autem numero* [illegible]

tum eſt ſpecie ſuo, etc. Imo id ipſum nos docuimus ibidem. Reſpondemus negando antecedens. Probationi reſpondemus Ariſt. tunc intelligendum eſſe de principiis rei naturalis, non verò de principiis generationis, vt in fine explicationis eiuſdem textus retulimus ex Simplicio: at, priuationem non eſſe principium per ſe rei genitæ, non negamus: negamus tamen, non eſſe principium per ſe generationis naturalis, ſiue rei naturalis in fieri. Nam hæc inter ſe diſtinguũtur, & nullo modo ſunt idem.

3. Ratio. Dices tertio. Priuatio eſt principium per ſe generationis: ergo vel illa quę eſt in termino a quo ſiue in re quæ corrũpitur, vel quæ eſt in termino ad quem ſiue in re quæ generatur; ſed neutra ex iſtis; ergo priuatio non eſt principium per ſe generationis naturalis. Reſpondemus negãdo minorem: nã priuatio, quæ eſt in re quæ corrumpitur, eſt terminus a quo per ſe generationis.

1. rationis. Sed dices. Principium rei debet eſſe quando eſt res: ſed priuatio quæ eſt in re quæ corrumpitur, non eſt quãdo eſt generatio: ergo illa priuatio non eſt principium generationis. Probatur minor: Generatio tantum eſt in inſtanti, in quo fit introductio formæ rei quæ generatur; ſed in inſtanti, in quo fit introductio formæ rei quæ generatur, iam non eſt illa priuatio; ergo quando eſt generatio, iam non eſt illa priuatio, quæ erat in re quæ corrumpitur. Reſpondemus negando minorem: fieri enim poteſt vt principium non ſit, quando res cuius eſt principium eſt, vel fit: ſufficit enim vt principium ſit, quando incipit res: nõ tamen eſt neceſſe vt ſit, quãdo fit res, aut quando eſt & hoc certe eſt obſeruatione dignum: quare reſpondemus minori verũ eſſe iam non exiſtere principium illud, quod eſt priuatio, quando eſt vel fit generatio; fuiſſe tamen quando incepit generatio, quod ſufficit.

2. Sed dices. Generatio ſubſtantiæ viuẽtis eſt mutatio inſtantanea; ſed in mutatione inſtãtanea ſimul eſt fieri, & factum eſſe: ergo in generatione ſubſtantiæ ſimul eſt fieri & factum eſſe; ergo generatio incipit in inſtanti, in quo fit. Reſpondemus negãdo vltimam conſequentiam: nam licet ſimul ſint fieri, & factum eſſe in mutatione inſtantanea; tamen non ſunt ſimul incipere, & fieri; ac proinde non ſequitur, generationem incipere in inſtãti in quo fit. Sed 3.
dices. Generatio non incipit in inſtanti, in quo fit: ſed quando fit eſt terminus ad quem; ergo non incipit in inſtanti, in quo eſt terminus ad quem; ſed mutatio, in qua non ſunt in eodẽ inſtanti terminus a quo, & terminus ad quem, habet extenſionem: ergo generatio ſubſtantialis habet extenſionem: quod certe nullus affirmauit. Reſpondemus concedendo primum ſyllogiſmum, & diſtinguendo ſecundam minorem ita: habet extenſionem, ideſt ſucceſsionem quæ tempore menſuretur, nego minorem; habet extenſionem quæ menſuretur duobus inſtantibus, cõcedo minorem: hoc vero ſiue dictum ſit a Philoſophis, ſiue non, certiſsimum eſt; nam ſi res non ita ſe haberet, ſequeretur inde in eodem inſtanti eſſe formam quæ generatur, & non eſſe formã quæ generatur: eſſe quidem formam, quia in illo inſtanti eſt terminus ad quem, & in termino ad quem neceſſario debet eſſe forma: non eſſe formam, quia eſt terminus a quo, & in termino a quo eſt carentia formæ generandæ in ſubiecto apto ad generationem. Sed dices. Ergo dantur duo inſtantia immediata. Reſpondemus concedendo 4.
conſequentiam: in diuerſis enim durationibus hoc nullum eſt abſurdũ, vt diximus q. 1. de maximo & minimo dubitatione 2. verſus finem.

Ex dictis hoc infero conſectarium. In inſtantaneis ſimul eſt rem fieri, & factam eſſe: non tamen eſt ſimul & in eodem inſtãti, rem incipere, & rem factam eſſe: quare quemadmodum quando res incipit fieri, nondum eſt eius forma, ſed eſt immediate poſt, ſcilicet in inſtanti ſequenti in quo iã eſt terminus ad quem: ita quando res corrumpitur nondum eſt corrupta, ſed imme

In inſtantaneis ſimul fieri, et factam eſſe non tamen incipere et factam eſſe.

diate

diate poſt: quare per generationem fit ens, quando eſt; & incipit fieri, quando non eſt: & per corruptionem corrumpitur ens, quando eſt; & immediate poſt iam eſt corrupta: quare iam non eſt, vt enim ſe habet terminus ad quem reſpectu generationis; ita ſe habet terminus a quo corruptionis, reſpectu corruptionis; ratio eſt, quia quemadmodum in generatione in termino a quo nondum eſt res genita, eſt tamen immediate poſt in termino ad quem: ita in corruptione, in termino ad quem iam nõ eſt res, quæ corrumpitur, fuit tamen immediate antea in termino a quo: & quemadmodum in termino ad quẽ generationis eſt res quæ generatur, immediate autem antea in termino a quo non erat; ita in termino a quo corruptionis adhuc eſt res quæ corrumpitur immediate vero poſt, ſcilicet in termino ad quem, iam non eſt.

Ratio. Dices vltimo. Ens rationis tantum eſt beneficio intellectus patibilis (vt diximus in Logica quæſt. de vniuerſali q. 7.) ergo ante operationem intellectus patibilis non datur ens rationis: ſed ante operationem intellectus datur generatio: ergo id quod eſt ens rationis, non poteſt eſſe principium generationis naturalis: ſed priuatio eſt ens rationis ergo nõ poteſt eſſe principium generationis naturalis. Reſpondemus negando vltimam minorem: quia priuatio, quæ eſt principium, non eſt ens rationis formaliter; ſed eſt a parte rei nullo conſiderante intellectu: fit tamen priuatio ens rationis formaliter beneficio intellectus patibilis, vt ſcilicet cognoſcitur vt forma quædam ab intellectu; cum re vera non ſit forma, ſed potius defectus formæ in ſubiecto apto ad formam: ſiue vero priuatio eſt principium a parte rei, eſt defectus
1. formæ naturalis. Sed dices. Omne principium entis poſitiui debet eſſe reale, & poſitiuum: ſed priuatio non eſt aliquid reale, & poſitiuum: ergo priuatio non eſt principium generationis naturalis, quæ eſt ens poſitiuum. Reſpondemus negando maiorem: nam quod eſt principium intrinſecũ, & componens ens reale, debet eſſe reale, & poſitiuum; id vero quod eſt principiũ vt terminus a quo, ſufficit, vt ſit ens reale priuatiuum: priuatio ergo eſt ens reale priuatiuum; quia nullo conſiderante intellectu, materia eſt priuata forma, quæ generatur.
Sed dices. Nullo conſiderante intellectu, 2.
in termino a quo ſolum reperitur materia: ergo materia eſt terminus a quo generationis, & non priuatio. Reſpondemus diſtinguendo antecedens ita: materialiter, cõcedo; formaliter, nego antecedens: nam a parte rei diſtinguitur formaliter priuatio a materia, non poſitiue, ſed priuatiue: quia ſcilicet a parte rei, alio modo ſe habet materia, vt habet in ſe formam; & alio vt eſt priuata forma. (Hinc tamen non inferas, priuationem eſſe formaliter a parte rei; nam formaliter fit per intellectũ:) hoc expreſſe docuit Ariſt. cap. 7. docens materiam & priuationem eſſe vnum numero; diſtingui tamen formaliter, & ſpecie. Sed
dices. Diſtinctio formalis inter materiam, 3.
& priuationem, ſufficiens eſt adhoc, vt materia, & priuatio conſtituant duo principia: ergo cum appetitus, quem dicit materia ad formam, diſtinguatur formaliter a materia, & priuatione, appetitus ille erit diſtinctum principium. Reſpondemus negando conſequentiam; quia appetitus, etſi formaliter diſtinguatur a materia, tamen non diſtinguitur ab illa in ratione principiandi: nam appetitus materiæ nihil aliud eſt, quam inclinatio ipſiuſmet materiæ ad formas recipiendas; ac proinde in ratione principiandi ſemper ſe tenet ex parte materiæ, ſiue ſubiecti: priuatio vero diſtinguitur a materia formaliter in ratione principiandi: quia materia eſt principium recipiendi formam; at vero priuatio eſt principium vt terminus, a quo incipit generatio; hacque de cauſa materia, & priuatio conſtituunt duo principia: materia vero, & appetitus vnum tantum.

Obſervatio. In fine quæſtionis obſeruandum eſt, nulla ratione admittendam eſſe ſententiam illorum, qui exiſtimãt reperiri a parte rei

priuationem formaliter: aliud enim eſt a parte rei priuationem, formaliter eſſe principium: & aliud a parte rei priuationē eſſe formaliter priuationem: primum enim verum eſt, ſecundum vero falſum: quemadmodum aliud eſt vnum vel verum formaliter diſtingui a parte rei abente; & aliud a parte rei dari formaliter verū aut formaliter vnū: verum enim formaliter ſumptum ſolū habet eſſe beneficio intellectus, tametiam & verū. Hanc ſententiam rectam eſſe confirmabimus in quæſtionibus de priuatione.

❧ SECVNDA PARS DISPVTATIOnis de principiis, quæ eſt de materia.

Quæſtio I. An in rebus naturalibus ſit neceſſaria materia.

Ratio dubitandi. IN hac quæſt. ratio dubitandi eſt quæ ſequitur. Id quod generatur, eſt totum compoſitum, vt docuit Ariſt. cap. 8. huius lib. ergo ad generationem naturalem non eſt neceſſe conſtituamus materiā, quæ ſupponatur vt ſubiectū in termino a quo, & ſit in termino ad quem. Probatur conſequentia. Totum compoſitum cōtinet in ſe materiam, & formam, ex quibus componitur; ergo cum generatur totum compoſitum, generatur etiā materia, & forma: quare non eſt neceſſe conſtituere materiā, quæ ſupponatur in generatione naturali.

Diuiſio quæſt. Quæſtionē hanc in 3. diſtribuimus partes: quarum 1. materiæ ſignificationes proponemus: 2. vero, aſſertiones: 3. deniq. ſatisfaciemus contrariis argumentis.

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Omiſſa materia circa quam, quæ eſt illud circa quod ſcientiæ, & potentiæ verſantur: materia vt attinet ad præſens inſtitutum triplex eſt, ſcilicet alterationis tantū, compoſitionis tantum, & alterationis, & compoſitionis ſimul. *Materia eſt triplex* Alterationis tantum eſt illa, quæ alteratur, non tamen componit; quia corrumpitur antequam ex illa fiat aliquid: vt alimentum, quod quidem alteratur, & corrumpitur, antequam ſit cōuerſum in naturam aliti. Materia compoſitionis tantum eſt illa, quæ cōponit totum, abſque eo quod per aliquam mutationem alteretur: vt ligna, & lateres, ex quibus componitur domus: ſiue ſyllabæ, ex quibus componentur dictiones. Materia alterationis, & compoſitionis ſimul eſt illa, quæ alteratur, & componit: ſed hæc duplex eſt; alia 1. & alia 2. illa dicitur ſecunda, quæ eſt ſecundarium ſubiectum, ex quo res fiunt, & in quo ſecundario res recipiuntur: & hæc materia eſt totum cōpoſitum: dicitur enim totum compoſitum materia ſecunda, reſpectu accidentium: quia totum compoſitum nō poteſt in ſe recipere formam ſubſtantialem; fieret enim ex illa, & ex toto compoſito ens per accidens. Materia prima eſt illa, ex qua res primo fiunt, & in qua primario; & ante omnem formam, recipitur forma ſubſtantialis: procedit ergo quæſtio de materia ſumpta hoc vltimo modo: inquirimus enim, an in rebus naturalibus neceſſaria ſit materia prima: tum, vt ſint; tum etiam, vt generentur.

Secunda obſeruatio. Materia prima ſolet appellari materia, ſubiectum, & elementum. *Materia multis nominibus appellatur.* Multi, inter quos eſt pater Pererius, exiſtimant appellari materiā reſpectu formæ ſubſtantialis tam futuræ, quam præſentis: appellari vero ſubiectum reſpectu accidentium; quæ ſententia nobis diſplicet. ratio eſt; quia materia prima nullius accidentis eſt ſubiectum, vt alibi diffuſius dicemus. Appellatur ergo materia reſpectu formæ iam futuræ, quam illius, quam

habet;

habet: atque materia prima dicitur pura potentia ad formas; ac proinde reſpectu formæ, quam nondum habet, appellatur etiam materia præterea materia cœli, cum non habeat potentiam ad aliam formam, dicitur materia reſpectu illius formæ, quam iam habet. Dicitur vero materia prima ſubiectum; quia in ſe recipit formam, cum qua efficit totum compoſitum. Appellatur tandem elementum, vt eſt pars intrinſece componens rem naturalem. Qui plura deſiderat de variis diuiſionibus materiæ, tum etiam de variis nominibus, quibus a Philoſophis ſolet appellari, conſulat patrem Pererium .5. Phyſ. cap. 3. non enim opus eſt, quæ facillima ſunt, & apud omnes inueniuntur, inutiliter transſcribamus.

Sed dices. Materia non dicitur ſubiectum reſpectu accidentium, vt diximus in 2. obſeruatione; ergo non recte diximus in 1. obſeruatione materiam primam eſſe materiam alterationis, & compoſitionis ſimul cum id, quod producitur per alterationem, ſit accidens. Reſpondemus negando conſequentiam; quia materia prima non dicitur materia alterationis, quia ipſa ſit ſubiectum alterationis: ſed quia neceſſaria eſt alteratio in toto compoſito ad hoc, vt corrumpatur, & reſoluatur in materiam primam, ex qua tanquam ex aliqua parte fit deinde id quod generatur: dicitur ergo materia prima, materia alterationis, ad differentiam illius, quæ eſt compoſitionis tantum, quæ non eget præcedente alteratione ad hoc, vt ex illa fiat compoſitum, vt patet in ſyllabis, quæ abſque aliqua alteratione præcedente componunt dictiones. Obſeruandum tamen eſt, non omnem materiam primam appellari proprie alterationis, & compoſitionis ſimul: ſed illam tantum, ex qua res fit per generationem naturalem; corpora enim cœleſtia vere ex materia prima conſtant, quæ tamen capax non eſt alterationis; neque vnquam præceſſit alteratio ad hoc, vt ex illa aliquid fieret: fuit enim concreata a Deo ad creationem corporum cœleſtium. Sed quæres. Per quid ergo differt materia prima ab aliis materiis? Reſpondemus eam ab aliis diſtingui; quia eſt id, quod primo recipit in ſe formam, & ex quo primo res fit, tanquam ex materia: at vero, quia modo præcipue diſputamus de principiis rei naturalis, quæ fit per generationem: proinde addimus differentiam, per quam diſtinguitur materia prima, a materia ſecunda: tum etiam, per quam diſtinguitur materia prima, rerum quæ fiunt per generationem, a materia primarum rerum, quæ fuerunt factæ per creationem; vt ſunt corpora cœleſtia.

Dices ſecundo. Materia prima eſt id, quod primo recipit formam; ergo materia prima nunquam patitur alterationem: ergo male appellata fuit a nobis materia alterationis, & compoſitionis ſimul. Reſpondemus concedendo enthymema: & negando ſecundam conſequentiam. Ratio eſt; quia vt diximus in ſolutione ſuperioris argumenti, diſputamus modo de materia prima, vt eſt etiam principium generationis naturalis: in generatione enim naturali materia prima ſupponitur in termino a quo, vt eſt priuata forma rei generandæ, & in termino a quo materia adhuc patitur alterationem; imo præcedit alteratio corruptionem formæ: dicitur ergo materia prima, materia alterationis, non quia in ſe recipiat alterationem, ſed quia debet præcedere alteratio, ad hoc vt ex materia prima generentur res naturales.

Ex dictis infero materiam primam ſignificare illam materiam ex qua, primo res fit: & quæ primo in ſe recipit formam.

Sit hoc fundamentum in hac quæſtione. In omni propria mutatione requiritur ſubiectum, quod mutetur a termino in terminum (vel vt verius loquar, quod reperiatur in termino a quo, & in termino ad quem: nam generatio non eſt in materia prima tanquam in ſubiecto) probatur fundamentum. Rem mutari, nihil aliud eſt, quam aliter ſe habere nunc, quam antea: ergo in omni mutatione neceſſarium eſt ſubiectum, quod aliter ſe habeat nunc, quam antea: id eſt, quod aliter ſe habeat in termino ad

Differentia materiæ primæ ab aliis materiis.

Fundamentum quæſt.

què, ac ſe habebat ſecūs in termino a quo: ſemper enim in omni mutatione, ſiue motu permanet aliquid ſub vtroq; termino.

Sed dices. Materia prima aliter ſe habet in termino ad quem, ac ſe habebat in termino a quo: ergo non recte diximus generationem non ſubiectari in materia prima, & conſequenter materiam primam reperiri in termino a quo, & in termino ad quem; non tamē mutari a termino a quo, in terminum ad quem. Reſpondemus negādo conſequētiam: nam etſi materia prima reperiatur in termino a quo, & in termino ad quem; non tamen mutatur a termino a quo, in terminum ad quē; ſed potius dicitur aliter ſe haberet quia in termino a quo habebat formam rei, quæ corrumpitur, & priuationem formæ rei, quæ generatur; at vero in termino ad quem; habet formam rei, quæ generatur: & priuationē formæ corruptæ. Quod vero verū ſit, materiam primam non mutari a termino a quo, in terminum ad quem, dicemus diffuſe in libris de Generatione; & lib. 5. in q. cap. 1. vel ſecundi; interim tamen breuiter probatur: materia prima mutatur; ſed nō mutatione ad accidēs: ergo ad ſubſtantiā: ſed mutatio ad ſubſtantiam eſt generatio: ergo ſi materia prima mutatur, materia prima generatur: ſed conſequens eſt abſurdum: ergo & antecedēs. Probatur minor. Abſurdū eſt aſſerere generari id, quod ex ſe eſt ingenerabile, & incorruptibile: ſed materia prima ex ſe eſt ingenerabilis, & incorruptibilis: ergo abſurdum eſt aſſerere materiam generari. Vltima minor docetur ab Ariſt. admittitur a Philoſophis: & probatur ratione. Omne quod generatur fit ex aliqua materia, quæ in termino a quo generationis erat priuata forma illius rei, quę generatur: ergo ſi materia prima generatur, fiet ex alia materia priori, quæ in termino a quo erat priuata forma materiæ primę: quare materia prima vt rā ſit aſſ, habebat formam: & eſſet alia materia prior materia prima: quæ omnia ſunt abſurda.

IN SECVNDA parte quæſtionis ſit 1. aſſertio. In omni re naturali neceſſaria eſt materia prima. Probatur aſſertio. Res naturalis eſt compoſita ex materia, & forma: ergo in omni re naturali neceſſaria eſt materia prima. Probatur conſequētia. Illa materia, ex qua eſt compoſita res naturalis, ſi ſecundum ſe ſumatur, & vt eſt altera pars compoſiti naturalis, eſt omni forma deſtituta: ſed materia quæ eſt omni forma deſtituta, eſt materia prima: ergo illa materia eſt materia prima. Maior eſt certa: nam ſi illa materia ſecundum ſe non eſſet omni forma deſtituta, eſſet totum compoſitum: quare totum compoſitum componeretur ex toto compoſito, & ex alia forma: quod certe eſt abſurdū. Minor etiam probatur a definitione nominis materiæ primæ, quam in ſuperioribus propoſuimus: ſignificat enim materia prima illā, ex qua res primo fit, & quę primo recipit formam: ſed materia ex qua res primo fit, & quæ recipit formam primo, eſt omni forma deſtituta: ergo illa materia eſt omni forma deſtituta: & conſequenter eſt materia prima: quare in omni compoſito naturali neceſſaria eſt materia prima. *In omni re naturali eſt neceſſaria materia prima.*

Probatur ſecundo. Omnis res naturalis eſt compoſita ex naturis: ſed naturæ ſūt materia prima, & forma ſubſtantialis: ergo omnis res naturalis eſt compoſita ex materia prima, & ex forma ſubſtantiali. Maior eſt certa: quia proinde dicitur res naturalis, quia compoſita eſt ex naturis. Minor conſtabit ſatis, ex his quę dicemus cum Ariſt. 2. Phyſ. cap. 1. & in quęſtionibus eiuſdem cap. 1.

Secunda Aſſertio. In omni tranſmutatione naturali neceſſaria eſt materia prima. Probatur primo ex Ariſt. qui cap. 6. nō ſolum hanc aſſertionem docuit, verū etiam illā multis confirmauit rationibus. Probatur ſecundo, a diffinitione nominis materiæ primæ: materia enim prima ſignificat illam, ex qua primo res fit, & in qua primo recipitur forma ſubſtantialis; ſed in omni generatione reperitur materia ex *Materia eſt neceſſaria in omni tranſmutatione.*

qua.

In omni generatione neceſſaria eſt materia prima.

qua primò res fit, & in qua primo recipitur forma ſubſtantialis; ergo in omni generatione neceſſaria eſt materia prima.

Probatur tertio. Agens naturale non producit rem ex nihilo, quia hoc proprium eſt ſolius Dei; ergo producit illam ex præſuppoſito ſubiecto: ſed illud ſubiectum non eſt accidens; quia ex accidente non poteſt fieri res naturalis; ergo producit illam ex ſubſtantia tanquam ex præſuppoſito ſubiecto: ſed illa ſubſtantia nec eſt forma, neque totum compoſitum; ergo eſt materia prima. Conſequentia probatur: quia omnis ſubſtantia vel eſt materia prima, vel forma, vel totum compoſitum. Minor vero viſima probatur etiam (nam cætera ſunt certa.) illud ſubiectum recipit in ſe formam; ſed neque totum compoſitum, neque forma poſſunt recipere in ſe formam, quæ generatur; ergo illud ſubiectum, ſiue illa ſubſtantia neque eſt forma, neque totum compoſitum. Probatur minor. Quod eſt in actu, non poteſt recipere formam, & actum ſubſtantialem: ſed forma eſt actus ipſe, & totum compoſitum etiam eſt ens actu, ratione formæ; ergo neque forma, neque totum compoſitum poſſunt recipere formam ſubſtantialem: quare, à primo ad vltimum, neceſſario conſtituenda eſt materia prima, quæ ſit ſubiectum in omni generatione naturali.

Materia neceſſaria non … in tranſmutatione.

Probatur quarto. Experientia conſtat fieri multas res naturales compoſitas ex materia, & forma: ſed illæ res non fiunt ſecundum vtramque partem; quia fierent per creationem: ergo fiunt ſecundum formam tantum. Probatur conſequentia: quia ſi fierent ſecundum materiam, ſequerentur multa abſurda; nempe actum, antecedere potentiam, rem eſſe ſecundum actum, antequam fieret; materiam educi de potentia formæ; & alia huiuſmodi. Tum ſic, fiunt ſecundum formam tantum: ergo antea ſupponitur materia ex qua fiunt, quæ quidem ſit omni forma denudata; ſed illa materia eſt materia prima: ergo fiunt ex materia prima. Probatur minor; quia illa materia, quæ denudata eſt omni forma, primo recipit formam; & ex conſequenti, ex illa primo res fit; quare erit materia prima; nam materia prima eſt ex qua primo res fit, & quæ primo recipit in ſe formam ſubſtantialem.

Probatur quinto. Homo nutritur ex alimento; ergo manet in homine aliquid alimenti: ſed non manet forma; quia homo actu eſſet tale alimentum; ergo remanet materia, quæ erat ſub forma alimenti: & conſequenter, manet materia prima: quare in omni mutatione naturali neceſſaria eſt materia prima. Et tandem confirmatur: quia ſi non eſſet materia prima, & primum ſubiectum ex quo res primo fierent, eſſet neceſſarius proceſſus in infinitum, vt Ariſt. docuit, qui tamen nulla ratione debet admitti.

Soluitur dubitandi ratio.

IN TERTIA parte quæſt. proponendæ ſunt rationes contrariæ aſſertionibus; prius tamen ſoluenda eſt dubitandi ratio. Reſpondemus ergo rationi dubitandi negando conſequentiam. Probationi reſpondemus; verum eſſe totum compoſitum continere in ſe materiam, & formam; ſed inde non ſequi generari materiam, & formam: dicitur enim generari totum compoſitum, quia per generationem habet eſſe totum, quod antea non habebat; non vero, quia totum fiat ſecundum omnia quæ habet, quemadmodum etiam dicimus fieri domum, non quia fiat ſecundum materialia; ſed quia materialia illius ita diſponuntur, vt ſimul cum forma efficiant domum, quæ antea non erat. Imo non ſolum verum eſt, aliquando non fieri totum de nouo, ſecundum omnem entitatem, quam habet; ſed etiam, multoties generatur totum compoſitum, abſque eo quod per generationem producatur aliqua entitas realiter diſtincta, ab entitate partium, quarum, nulla fit per generationem: verbi gratia, in generatione hominis, in qua ſupponitur materia, quæ eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, vt docuit Ariſto. hoc lib. cap. 9. & creatur forma, ſcilicet anima rationalis: totum vero, non diſtinguitur ab omnibus

ſuis partibus, ſiue ſumātur vniti, ſiue abſque vnione, vt diximus cap. 2. quæſt. 3. art. Sed dices primo. Si conſtituenda eſſet materia prima, ideo eſſet conſtituenda, vt ſcilicet tanquam ſubiectum reciperet formam ſubſtantialem; ſed forma ſubſtantialis nō recipitur in ſubiecto; ergo nō eſt neceſſaria materia prima. Probatur minor. Forma ſubſtantialis eſt ſubſtantia; ſed ſubſtantia non recipitur in ſubiecto; ergo forma ſubſtantialis nō recipitur in ſubiecto. Reſpondemus negando minorem. Probationem diſtinguendo minorem ſtatim inhærendo concedo, nam hoc proprium eſt accidētis, informando, & dando eſſe ſubſtantiale, nego minorem. Sed dices. Vt ſe habēt formæ accidentariæ inter ſe, ita formæ ſubſtantiales inter ſe; ſed in formis accidentalibus eſt vna, quæ eſt reliquarum ſubiectum, ſcilicet quantitas; ergo in formis ſubſtantialibus debet eſſe vna prima forma, quæ ſit reliquarum ſubiectū; quare non eſt neceſſe conſtituamus materiam primā, quæ ſit ſubiectum formæ ſubſtantialis. Reſpondemus negando minorem. Deinde dicimus etiā falſam eſſe minorem; nam multa ſunt accidentia, quæ non inhærent toti compoſito, ratione quantitatis; qualia ſunt ſpiritalia.

Dices ſecūdo. Poteſt dari generatio naturalis abſq. materia prima; ergo licet materia prima ſit neceſſaria, ad hoc vt ſit res naturalis, quia eſt altera pars illius; tamē non erit neceſſaria ad omnem generationē naturalem. Antecedens probatur. Ex ſpeciebus conſecratis panis poſſunt fieri vermes, per generationem naturalem, & ex ſpeciebus conſecratis vini poteſt fieri acetum; imo poſſunt alia multa ex ſpeciebus conſecratis generari; ſed in illa generatione nulla ſupponitur materia prima; ergo materia primā non eſt neceſſaria in omni generatione naturali. Probatur minor: nā materia prima eſt ſubſtantia, & ſpecies cōſecratæ ſunt accidentia, & ſub illis nulla ſubſtantia reperitur, niſi ſubſtantia corporis & ſanguinis Chr. Alij ex quo hæreticū

Ex ſpeciebus conſecratis poſſe fieri vermes et alia.

eſt aſſerere, generari vermes, acetum, aut aliquid aliud: quare cū illæ generationes naturales fiant ex ſpeciebus conſecratis, quæ accidentia ſunt, non eſt aſſerendum, in omni generatione naturali neceſſariam eſſe materiam primam, cum hæc ſit ſubſtātia.

Pro ſolutione obſeruandum eſt cum S. Tho. 3. p. q. 77. art. 5. varios fuiſſe dicendi modos circa hanc rem. Quidam enim dixerunt ea quæ generantur ad corruptionem ſpecierum conſecratarum, non fieri ex ſpeciebus conſecratis; ſed ex aere circunſtanti; hos impugnat quatuor rationibus. Alij docuerunt quod redit ſubſtantia panis & vini in ipſa corruptione ex qua fiunt vermes, acetum, vel cineres, &c. Sed hunc dicendi modum egregie refellit ex eo, quia ſubſtantia panis & vini fuit conuerſa in corpus & ſanguinem Chriſti; quare, non poteſt ſubſtantia panis & vini iterum redire, niſi corpus, & ſanguis Chriſti cōuertantur in ſubſtantiam panis, & vini, quod certe eſt impoſſibile. Alij exiſtimarūt creari rurſum tempore materiam primam de nouo. Ipſe vero S. Thom. docet fieri ex ſpeciebus conſecratis vermes, & alia; nam quantitas, cum ex vi prioris miraculi habeat vicem ſubſtantiæ, & ſubiecti, ita ſe habet, vt ex illa poſſit generari ſubſtantia. *D. Tho.* Hanc D. Tho ſententiam ſequuntur multi ex eius diſcipulis; ſed certe difficultate nō vacat hæc ſententia: primo, quia ex quātitate & forma ſubſtantiali non poteſt fieri vnum per ſe. Secundo, quia vermes, verbi gratia, geniti ex ſpeciebus nō eſſent eiuſdem ſpeciei cum illis, qui poſſunt generari ex ſubſtantia panis. Tertio, quia non videtur conſonum rationi quantitatem fieri poſſe primum ſubiectum formæ ſubſtantialis. Durandus in 4. d. 12. q. 2, in ſolut. ad 2. docet ſpecies conſecratas, quando corrumpuntur naturaliter, non anihilari, ſed cedere in potentiam materiæ, excipit tamen quantitatem, nam hanc docet anihilari ab ipſo Deo; & eadem quæſt. docet creari materiam primam, quando ex

Durādus

ſpecie-

ſpeciebus conſecratis aliquid generatur. Scotus vero eadem diſt. præcipue q. 6. docet non ſolum materiam primam, verum etiam totum compoſitum creari ab ipſo Deo, quando ſit aliquid ex ſpeciebus conſecratis. Sed quidquid ſit de veritate harũ ſententiarum, reſpondemus argumẽto propoſito, negando antecedens, & probationẽ negando maiorem: nam generatio illa, per quam ex ſpeciebus conſecratis fiunt vermes, vel alia, non eſt naturalis, de qua modo loquimur; quia quocumque modo fiat ſupponit miraculum: & quemadmodũ conuerſio illa panis, & vini in corpus & ſanguinẽ Chriſti eſt ſingulariſſima, cui nulla eſt ſimilis in rerum natura: ſic hæc corruptio ſpecierum, & productio illius, quod ex illis producitur, ſiue generatur, ſingularis eſt, & nulli ſimilis earum, quæ ſunt in natura rerũ; ſiue ſequamur ſententiam Scoti ſiue S. Tho. dicitur tamen naturalis illa generatio, per quam ſit aliquid ex ſpeciebus conſecratis; quia habet terminum a quo, ſimilem termino a quo generationis naturalis; & quia procedit etiam alteratio: tum etiam quia in termino ad quẽ reperitur totum compoſitum, quod antea nõ erat. Sed hæc obiter ſint dicta & modo ſufficiant: hæc enim breuiter modo propoſui, quia illorum cognitio nimis neceſſaria eſt vt intelligamus, in omni vera & propria generatione naturali neceſſariam eſſe materiam primã, quæ ſupponatur vt ſubiectum & pars ſubſtãtialis tranſmutationis Phyſicæ.

Scotus.

Quod ſit ex ſpeciebus conſecratis non ſit per generationẽ Phyſicã.

QVAESTIO II.

An materia prima ſit ſubſtãtia.

SVPERIORI quæſtione diximus dari materiam primam, illamque neceſſariam eſſe ad generationẽ, & ad cõpoſitionem rerũ naturalium; in hac quæſtione ſecunda inquirimus, an illa materia prima ſit ſubſtantia, vel accidens.

Diuiditur quæſtio in quatuor partes: quarum prima, quendam reiiciemus errorem; ſecunda, proponemus obſeruationes; tertia, aſſertiones; quarta, contraria argumenta, & illorum ſolutiones.

Diuiſio quæſt.

IN PRIMA parte quæſtionis reiiciendus eſt error, quem habuit Dauid de Dinãdo, qui ſtultiſſime docuit, Deum eſſe materiam primam. Hunc refert D. Th. 1. p. quæſt. 3. artic. 8. impugnatque illius errorem acutiſſime tribus rationibus, quæ apud D. Tho. legito. Auctor hic, & qui hanc ſunt ſecuti ſententiam, ducebãtur hac leui ratione (ſi licet rationem appellare, illam, quæ rem pluſquam ab omni ratione alienam intendit probare.) Quæ non differunt inter ſe, conueniunt; ſed Deus, & materia prima non differunt inter ſe: ergo cõueniunt. Probant maiorem. Differre, & conuenire opponuntur immediate: ergo ſi Deus, & materia prima non differunt, conueniunt. Minorem vero ita probabant. Quæ differunt, ſunt compoſita ex illo per quod differunt, & ex illo, in quo conueniunt: ſed Deus, & materia prima non ſunt res compoſitæ, cum Deus ſit purus & ſimpliciſſimus actus nullam admittens compoſitionem, & materia prima ſit etiam pura potentia: ergo Deus, & materia prima non differunt. Reſpõdemus tamen huic argumento facillimo negotio, ſcilicet negando maiorem: nam inter differre, & conuenire datur medium, nempe eſſe primo diuerſa. Probationi reſpondemus negando maiorem; nam differre, & conuenire non opponuntur immediate, niſi vox differre ſumatur lata quadam ſignificatione, prout ſcilicet idem eſt aliqua differre, ac eſſe primo diuerſa: et ſi ſumant vocem differre in hac ſignificatione, concedimus primam maiorem; negamus tamen minorem, ſcilicet Deum, & materiam primam non differre: quia Deus, & materia prima ſunt res primo diuerſæ, imo ita primo diuerſæ, vt in infinitum diſtent quemadmodum etiam diſtat Deus Opt. Max. in infinitum, a quacumq. creatura.

Reiicitur quidam error.

Ratio huius erroris.

Solutio.

Deus et materia prima diſtãt infinitum.

Falſum præterea eſt, quæ differunt, id eſt quæ ſunt primo diuerſa, conuenire in aliquo ſynonymo: nam genera ſuprema ſunt primo diuerſa, & tamen non conueniunt in aliquo ſynonymo.

IN SECVNDA parte quæſtionis ſit prima obſeruatio. Cum ſubſtantia duplex ſit, ſcilicet completa, & incompleta, quæſtio non procedit de ſubſtantia completa; quia certum eſt, materiam primam non eſſe ſubſtantiam completam; ſed inquiris, an ſit ſubſtantia ſumendo nomen ſubſtantiæ incomplete, & vt diſtinguitur contra accidens.

Materia prima eſt primũ ſubiectum.

Secunda obſeruatio. Ariſto. hoc libro cap. 9. verſus finem hanc propoſuit materiæ primæ diffinitionem. Primum ſubiectum ex quo cum inſit res fiunt per ſe. Dicitur primum ſubiectũ, ad differentiam ſubiecti accidentium, quod non eſt primũ, ſed ſecundum, quandoquidem conſtat ex alio priori: dicitur deinde, ex quo cũ inſit, ad differentiam elementorum, quæ non manent in mixto formaliter; ſed virtute tantum: dicitur per ſe, ad differentiam priuationis, ex qua non fit per ſe res naturalis, ſed per accidens.

Primũ ſubiectum et ſecundum differunt.

Tertia obſeruatio. Primum ſubiectum, & ſecundum differunt multis modis: primo, quia primum ſubiectum eſt ens partiale, & incompletum; ſecundum vero ſubiectum eſt ens completum, cum ſit totum cõpoſitum, eſt enim totum compoſitum perfectum, & conſummatũ, ac proinde accidẽtia quæ illi adueniunt, non abſoluunt ſubiectum illud, cum iam ſit abſolutum, & integrum; ſed potius ornant, vel diſponunt: hacque de cauſa potius habent eſſe accidentia a ſubiecto illo, quam ſubiectum ab accidentibus. Primum vero ſubiectum eſt quoddam ens incõpletum, imperfectum, & nondum integre factum; perficitur tamen per formã ſubſtantialẽ, quæ illi aduenit. Vt enim obſeruat C. Toletus 1. Phyſic. q. 13. rerum omnium opifex glorioſus Deus conceſſit rebus vniuerſis productionem, quamuis illum naturales nõ poſſint producere aliquid ex nihilo, ac proinde illis conceſſit hoc medium ens, ſcilicet materiã, ex qua res efficerent, & conſummarent: ſicut magiſter qui puero dimidium characterem efformat, vt illũ puer abſoluat. Agentia namque naturalia non producunt ſecundum totum ens; quia talis productio eſt creatio, vt docuit D. Tho. 1. p. q. 45. ar. 5. quæ creatio vt ipſe docet eadem quæſt. art. 3. ſolum fieri poteſt ab ipſo Deo. Obſerua tamen interim, Deum nõ creaſſe materiam primam omni forma nudatam, ſed in prima rerum productione illã cõcreaſſe ad creationem compoſitorum, quæ creationes dicitur tamen hæc materia dimidium ens, quia eſt altera pars totius compoſiti, quæ ſupponitur in omni generatione, ex qua materia, agẽs naturale educit omnem formam, excepta anima rationali, & generat totum compoſitum: in omni tamen actione agentis naturalis ſemper Deus concurrit immediate, vt dicemus 2. Phy. ca. 5. in diſputatione de cauſis.

Primũ ſubiectũ accipit eſſe ſimpliciter a ſua forma.

Ex ſuperiori diſcrimine ortũ habet ſecundum diſcrimen, quod eſt huiuſmodi. Primum ſubiectum recipit eſſe ſimpliciter a ſua forma: ſecundum vero ſubiectum tantum recipit a ſua forma eſſe ſecundũ quid, & accidẽtarium: hincq. naſcitur tertium diſcrimen quod eſt huiuſmodi. Primũ ſubiectum, & ſua forma, efficiunt ſimpliciter vnum ens per ſe; quia primum ſubiectum ſimpliciter eſt potentia, & forma quam recipit, eſt actus: at vero ſubiectũ ſecundũ, & eius forma nõ efficiunt ſimpliciter vnũ per ſe. Dixi ſimpliciter, quia aliquo modo ex toto compoſito, & ex forma accidentaria poteſt fieri vnum ens per ſe, vt ſæpe diximus in Logica, præſertim cap. de genere quæſ. de definitio diffinitionis generis; & cap. de quantitate q. 5. & aliis in locis. Ex dictis manifeſtus eſt quæſtionis titulus: inquirimus enim an materia prima, quæ eſt primum ſubiectum, ſit ſubſtantia partialis & incompleta.

Materia prima eſt

IN TERTIA parte quæſtionis ſit aſſertio. Materia prima eſt ſubſtantia partialis.

Subſtantia partialis. tialis. Probatur primo ex Ariſt. qui 1. de ... cap. 9. docuit materiam primam pertinere ad ſubſtantiam, & materiam in rerum generatione componendo. Et 7. ... 9. docuit, materiam diſtingui a priuatione, quia materia prope, & quodammodo eſt eſſentia; id eſt ſubſtantia; priuatio vero nullo modo. Et 2. de Anima cap. 1. diuiſit ſubſtantiam in materiam, formam, & totum compoſitum. Et in Metaphyſica innumeris in locis ipſam materiam primam appellauit ſubſtantiam. Probatur etiam ratione. Materia prima eſt primum ſubiectum formæ ſubſtantialis; ſed primum ſubiectum formæ ſubſtantialis neceſſario debet eſſe ſubſtantia partialis; ergo materia prima eſt ſubſtantia partialis.

Probatur ſecundo aſſertio. Materia prima, quæ componit totum ſubſtantiale, non eſt nihil; ergo eſt ens: ſed non eſt accidens, quia non inhæret; ergo eſt ſubſtantia: ſed non eſt ſubſtantia completa, cum non habeat compoſitionem ex partibus ſubſtantialibus, ſcilicet ex materia & forma; quia eſſet progreſſus in infinitum; ergo eſt ſubſtantia incompleta.

Probatur tertio aſſertio. Quod eſt pars eſſentialis, & componens intrinſece ſubſtantiam, quæ eſt totum compoſitum, neceſſario debet eſſe ſubſtantia incompleta: ſed materia prima eſt pars eſſentialis, & componit intrinſece totum compoſitum ſubſtantiale; quia ens naturale, quod eſt totum ſubſtantiale, nihil aliud eſt quam compoſitum ex materia prima, & forma ſubſtantiali; ergo materia prima eſt ſubſtantia partialis.

IN QVARTA parte quæſtionis dices primo. Ex Ariſt. 7. Metaphy. cap. 3. Materia prima nec eſt quid, nec quale, nec quantum, ſed hæc omnia in potentia continet; ergo materia prima non eſt ſubſtantia: conſequentia probatur: nam per quid, intellexit Ariſt. ſubſtantiam. Reſpondemus negando conſequentiam. Probationi reſpondemus, per quid intellexiſſe Ariſto. ſubſtantiam, non tamen incompletam, ſed completam; quare Ariſt. ſolum docuit materiam primam non eſſe ſubſtantiam completam, nec quantitatem, &c. Tamen non docuit, non eſſe ſubſtantiam incompletam & partialem: dixit vero Ariſt. materiam primam continere illa omnia in potentia, id eſt poſſe recipere formam ſubſtantialem, quantitatem, &c. Non quia materia prima in ſe recipiat accidentia, quia accidentia, vt ſæpe dictum eſt, & dicemus, inhærent toti compoſito; ſed quia materia prima dicit potentiam ad formam ſubſtantialem, ſimul cum qua componit totum compoſitum, in quo recipiuntur accidentia.

Dices ſecundo. Id quod pertinet ad aliquod genus, neceſſario debet pertinere ad aliquam ſpeciem; ſed materia prima non pertinet ad aliquam certam, & determinatam ſpeciem; ergo materia prima non pertinet ad aliquod certum, & determinatum genus: quare non recte docuimus, materiam primam eſſe ſubſtantiam. Reſpondemus negando maiorem propoſitionem: nam ſolum eſt vera in his, quæ ita continentur ſub aliquo genere, vt ſub iſto directe contineantur: at materia prima, cum ſit ſubſtantia partialis, & incompleta, non continetur directe, & per ſe ſub genere ſupremo categoriæ ſubſtantiæ; ſed pertinet ad categoriam ſubſtantiæ reductiue, ac proinde non eſt neceſſe, vt determinate pertineat ad aliquam ſpeciem infimam categoriæ ſubſtantiæ; ſed potius eſt pars Phyſica componens vniuerſaliter indiuidua cuiuſuis ſpeciei ſubſtantiæ corporeæ, ſiue naturalis. Sed dices. Quod pertinet reductiue ad aliquod genus, debet pertinere, licet reductiue, determinate tamen ad aliquam ſpeciem infimam illius generis, vt patet in genere & differentia, quæ componunt hominem, ſi tamen reductiue pertinent ad categoriam ſubſtantiæ, determinate tamen, licet reductiue ad ſpeciem hominis: ſed materia prima non pertinet ad aliquam ſpeciem infimam determinatam ſubſtantiæ, ad hunc reductiue; ergo materia prima, neque reductiue, pertinet ad categoriam ſubſtantiæ: & conſequenter non erit ſubſtantia incompleta. Reſpõ

demus.

dimus negando minorem. Licet enim illa vera ſit in parte Metaphyſica determinante, ſimiliter in differentia; tamen non eſt vera in genere; quod eſt pars Metaphyſica determinabilis: neque eſt vera in materia prima, licet vera ſit in forma. Ratio diſparitatis eſt: quia differentia, cum ſit pars determinans, & conſtituens ſpeciem, non poteſt indeterminate multis cõuenire; genus vero cum ſit natura ſuperior, & quamuis ſit pars componens, ſit etiam totum potentiale, nõ pertinet determinate ad aliquam ſpeciem infimam, ſed potius eſt indifferens ad omnes, quas in potentia continet: eodem modo forma naturalis cum determinet materiam, illamque ſub eſſe ſpecifico determinato cõſtituat, non eſt indifferẽs; ſed potius, etſi reductiue, pertinet tamen ad determinatam ſpeciem infimam: at vero materia prima cum nec ſit pars determinans, nec etiam quoddam totum potẽtiale reſpectu illius rei quam cõponit; proinde non pertinet determinate ad aliquã ſpeciem infimam, ſed modo ad hãc, deinde ad illam, prout variis formis informatur, & determinatur ad varias ſpecies: materia enim prima, cum ſit primũ ſubiectũ, modo in termino a quo eſt ſub hac forma, quæ corrumpitur; deinde ſub illa, quæ generatur; & ruſſus ſub alia, &c.

Dices tertio. Materia prima eſt pura potentia, ſed quælibet ſubſtantia eſt actus: ergo materia prima non eſt ſubſtantia. Reſpondemus negando minorem: nam licet quælibet ſubſtantia exiſtens, tam totalis, quam partialis, ſit actu; non tamen omnis ſubſtantia eſt actus: actus enim diſtinguitur contra id omne, quod non eſt forma (loquor de ſubſtantiis prædicamentalibus) at vero, non omne id quod eſt actu diſtinguitur cõtra id omne, quod nõ eſt forma: nam quamuis pars materialis, quæ eſt in planta, verbi gratia, eſt actu, quando exiſtit planta; nulla tamen ex iſtis eſt actus, & forma: materia ergo prima ſemper eſt actu, ſiue hoc ſit ratione ſui, ſiue ratione formæ, quam habet; nunquam tamen eſt actus. Sed dices: Materia prima eſt pura potentia; ergo nõ poteſt eſſe actu. Probatur conſequentia. Vt ſe habet purus actus, ad hoc quod eſt eſſe in potentia; ita ſe habet pura potentia, ad hoc quod eſt eſſe actu; ſed purus actus excludit omne quod eſt eſſe in potentia; ergo pura potentia excludit id omne, quod eſt eſſe actu: quare, cum materia prima ſit pura potentia, nulla ratione poterit eſſe actu. Pro ſolutione huius argumenti opus eſt doceamus, an potẽtia ſit de eſſentia materiæ primæ; & an materia prima ſit pura potentia: id vero præſtabimus pertractando quæſtionem, quæ ſequitur, & in fine illius ſatisfaciemus huic argumento difficillimo.

QVAESTIO III.

An potentia ſit de eſſentia materiæ primæ, & an materia prima ſit pura potentia.

QVÆSTIO hæc inquirit ſolutiones duarum dubitationum, quarum prima eſt, an potentia ſit de eſſentia materiæ primæ: ſecũda vero, an materia prima ſit pura potẽtia: pertractamus enim has duas dubitationes ſub eodem titulo, quia fere eadẽ obſeruationes neceſſariæ ſunt pro ſolutione vtriuſque.

IN PRIMA parte 1. Dubia. ſit prima obſeruatio. Cum dictum ſit ſuperiori quæſtione, materiam primam eſſe ſubſtantiam, non eſt cur inquiramus, an potẽtia materiæ primæ ſit ſubſtantia, vel accidens: nam ſi compertum fuerit, potentiam eſſe de eſſentia materiæ primæ, quæ ſubſtãtia eſt, manifeſtum etiam erit, eſſe ſubſtantiam: nam quod eſt de eſſentia ſubſtantiæ, neceſſario debet eſſe ſubſtantia. Soluemus tamen in hac quæſtione argumenta, quæ videntur probare, potentiam materiæ eſſe accidens illius.

Secun-

Potentia proxima et remota

Secunda obſeruatio. Potentia duplex eſt, ſcilicet proxima, & remota. Potentia proxima eſt illa, quam habet materia, quā do eſt cū diſpoſitione ad hanc numero formam: & conueniunt omnes, hanc non eſſe de eſſentia materiæ primæ; quia cum hæc potentia conueniat materiæ ratione accidentis illi ſuperadditi, non poteſt eſſe talis potētia de eſſentia materiæ. Probatur etiam; quia, talis diſpoſitio corrumpitur, manente materia, in re quæ generatur; at, quod eſt de eſſentia, nequit corrumpi, manente re cuius eſt eſſentia. Potentia remota eſt illa, quam habet materia, ſi ſumatur nudata ab omni accidētes diſponētes ad introductionem formæ generandæ; quæ potentia nihil aliud eſt, quā inclinatio quædam, ſiue capacitas materię ad omnem formam ſubſtantialem: & de hac potētia procedit dubitatio.

Tertia Obſeruatio. Potentia duplex eſt; alia mera receptiua, ratione cuius res, quæ habet potentiam, poteſt recipere, non tamen cauſare: vt potētia, quæ eſt in vaſe ad recipiendam aquam; & alia, receptiua ſiue ad recipiendum, ſimul tamen cauſare rem, quam debet recipere. Supponendum ergo modo eſt, in materia prima, non ſolū reperiri potentiam ad recipiendas formas ſubſtātiales, ſed etiam ad cauſandum illas, quæ potentia eſt inclinatio quædam naturalis, ſecundum quam materia naturaliter recipit formam, concurrēdo in genere cauſæ materialis, non ſolum ad receptionem, ſed etiam ad productionem formæ: quia quæuis forma naturalis, excepta anima rationis particeps, educitur de potentia materiæ, vt dicemus in tertia parte diſputationis, in quæſtionibus de forma.

Potentia ſumitur dupliciter

Quarta obſeruatio. Potentia poteſt ſumi dupliciter: primo pro aptitudine ad agendum vel patiendum, & illa eſt accidēs; ſecundo, poteſt ſumi pro principio ſubſtantiali, & hac ratione eſt ſubſtantia; verbi gratia aptitudo ad riſum, pro potentia proxima ad eliciendum actum ridendi eſt accidens, pertinens ad ſecundam ſpeciem qualitatis; pro potentia vero remota eſt ſubſtantia & eſſentia hominis. Ex his manifeſtus eſt ſenſus dubitationis.

IN SECVNDA parte dubitationis ſit aſſertio. Potentia ad formas ſubſtātiales eſt de eſſentia materiæ primæ. Hanc aſſertionē tenet S. Th. 1. Phy. lect. 15. tex. 79. D. Soto, q. 6. art. 1. aſſertione 2. Ægidius Romanus 1. Phy. lect. 18. Cardinalis Toletus 1. Phy. q. 24. aſſertione 2. Valleſius controuerſia 7. Phyſ. Soncinas 8. Metaph. q. 6. Villalp. q. vltima, 1. Phyſic. Marſilius Ficinus in argumento in 3. lib. enneadis 2. Plotini, cap. 18. Et probatur primo ex Ariſto. 2. de Anima, cap. 1. vbi poſtquam diuiſit ſubſtantiam in materiam, formam, & totum compoſitum, ita ſcripſit. *Eſt autē materia poteſtas, ſpecies actus, et perfectio, et c.* Quemadmodum ergo ſpecies, & forma eſſentialiter eſt actus; ita materia eſſentialiter eſt potentia: ac proinde Ariſt. 8. Metaph. cap. 6. docuit ex materia, & forma fieri vnū ens per ſe; quia ſcilicet materia, eſſentialiter eſt potentia; & forma, eſſentialiter eſt actus, & ex actu, & potentia, fit vnum ens per ſe.

Probatur rationibus.

Præterea probatur aſſertio rationibus. Prima ratio. Potentia non eſt de eſſentia materiæ, ſed accidens illius: ergo omnis 1. vnio formę, cum materia eſt accidentaria, quod eſt abſurdum. Conſequentia probatur. Vnio quæ fit media potentia, quæ eſt accidens, accidentaria eſt; ſed vnio formæ cūm materia fit media potentia materiæ primæ; ergo ſi potentia materiæ primæ eſt accidens, omnis vnio materiæ cum forma eſſet accidētaria. 2. Secunda ratio quia ſi potentia non eſſet de eſſentia materiæ poſſet materia prima abſque illa intelligi, quod eſt abſurdum. 3. Tertia ratio eſt; quia ſequeretur, ens per accidens eſſe prius, ente per ſe; quod etiam eſt abſurdum. Sequela probatur: quia ex ſubſtantia, & accidente fit ſimpliciter ens per accidens. 4. Quarta eſt: quia ſequeretur accidens immediate inhærere materiæ primæ, quod iudicamus falſum. 5. Vltima ratio: quia actus, & potentia

S pertin-

pertinent ad eandem categoriam: ideo, ſi actus eſt ſubſtantia, potentia ad illum actũ debet eſſe ſubſtantia, et ſi actus eſt accidẽs, potentia ad illum debet eſſe accidens: ergo cum actus, quẽ primo recipit materia prima, ſit forma ſubſtantialis, illius potentia non erit accidens, ſed ſubſtantia & eſſentia.

C. Tole. potentiam materiæ eſſe accidens.

IN TERTIA parte dubitationis proponendæ ſunt ſententiæ contrariæ. C. Tol. q. citata aſſertione 1. docet, potentiã materiæ ad recipiendam formã, ſiue potentiam paſsiuam ad hoc vt proxime poſsit tranſmutari, eſſe accidens materiæ primę immerito tamen, quia potentia proxima, ad hoc vt materia trãſmutetur, & recipiat formam ſubſtantialem, non inhæret materiæ primæ, ſed toti compoſito, cum cauſetur a diſpoſitionibus vltimis ad formæ introductionem: licet enim admittamus huiuſmodi potẽtiam, tamen non admittimus illam in materia prima. Exiſtimauit enim Toletus, in materia prima eſſe duplicẽ potentiam, quemadmodum in homine, verbigratia: eſt duplex potentia ad ridendum: altera proxima, quæ eſt qualitas ſecũdæ ſpeciei: & altera remota, quæ eſt ſubſtantia & eſſentia hominis. Hanc ſententiam impugnamus ex eo, quia ſi iſtæ duæ potentiæ eſſent in materia prima, ſequeretur inde, iſtas duas potentias realiter diſtingui in materia; & tunc eſſet in materia accidens ab illa realiter diſtinctum, quod antecederet formam; quæ certa abſurda ſunt.

Probatur ſuperior ſententia.

Sed dices pro hac ſentẽtia. Omnis potẽtia ad actum accidẽtarium eſt accidens; ſed in materia prima non ſolum eſt potentia ad formam, ſed etiam ad generationem, per quã producitur forma, quæ generatur quæ ſaltim in noſtra ſententia, eſt accidẽs; ergo potentia materiæ primæ ad huiuſmodi generationem neceſſario debet eſſe accidens.

Solutio.

Reſpondemus diſtinguendo maiorẽ ſic: ſi illa potẽtia per ſe, & primo recipiat actum accidentarium, concedo; ſi vero illũ ſecundario recipiat, nego maiorem; cum ergo potentia materiæ primæ primo, & per ſe recipiat formam ſubſtantialem, ſecundario vero generationẽ, per quam producitur forma ſubſtantialis, proinde licet illa generatio ſit accidens, non ſequitur inde, potentiam materiæ primæ eſſe accidens.

Potentia materiæ ad formas ſubſtantiales, iuxta aliquos eſt accidens.

Themiſtius 1. Phyſi. digreſsione vltima, & vt refert Toletus q. citata Auerroes 1. Phy. com. 69. & Iandunus 1. Phy. q. 25. exiſtimant potentiam materiæ primæ ad formas ſubſtantiales, non eſſe de eſſentia materiæ, ſed potius eſſe accidens illi ſuperadditum. P. etiam Peterius 5. Phyſi. cap. 22. quamuis iudicet probabilem noſtram ſententiam aſſerit tamen, probabiliorem multo eſſe hanc: docet enim potentiam materiæ primæ eſſe accidens illius, & pertinere ad ſecundam ſpeciem qualitatis: ſubdit tamen, non diſtingui ex, ſed ſolum ratione a materia prima. Huius ergo ſententiæ rationes ſunt diſſoluendæ.

Confirmatur primo

Prima ratio. Potẽtia eſt de eſſentia materiæ; ergo adueniente forma deſtruitur materia: conſequens eſt abſurdum: ergo illud ex quo ſequitur. Conſequentia probatur. Deſtructa eſſentia, deſtruitur res cuius eſſentia; ſed aduaniente forma deſtruitur potentia materiæ; ergo ſi potentia materiæ eſt de eſſentia materiæ, adueniẽte forma deſtruitur materia. Reſpondemus negando conſequentiam. Probationi, negando minorem: nam adueniente forma, ſolũ deſtruitur potentia proxima ad hunc numero formam mediis diſpoſitionibus, hęc vero potentia non eſt de eſſentia materiæ primæ, vt diximus in ſecũda obſeruatione, ſed potius illa potentia remota ad omnem formã, quæ ſemper manet. Sed dices. Adueniente forma, manet in materia potẽtia illa ad omnem formam: ergo manet potẽtia ad formam corruptam: ergo id quod ſemel corruptum eſt, poteſt iterum per naturam redire, quod non eſt dicendum. Reſpondemus negando ſecundam conſequentiam: quia, ad introductionem formæ ſubſtantialis, non ſolum requiritur illa poten

tia,

tia, quæ eſt de eſſentia, ſed etiam requiritur potentia illa proxima, mediis diſpoſitionibus, quæ, quia corruptæ fuerunt, & iterum nequeunt in materiam ſecundā redire, proinde, quod ſemel corruptum eſt, nequit iterum per naturā redire licet poſſit potentia diuina.

Proba. 2. Secunda ratio. Potentia materiæ eſt accidens, ſiue illud pertineat ad qualitatem, ſiue ad relationem: ergo non poteſt eſſe de eſſentia materiæ primæ, quæ eſt ſubſtantia. Probatur antecedens. Potentia materiæ, aut eſt aptitudo ad formas, & ſic pertinet ad ſecundam ſpeciem qualitatis: aut eſt ordo ad illas, & ſic pertinet ad genus relationis: ergo quocumq. modo ſumatur potentia eſt accidens, & conſequenter non eſt de eſſentia materiæ primæ. Reſpondemus negando antecedens. Probationi reſpondemus potentiam materiæ primæ eſſe aptitudinem ad formas ſubſtātiales, negamus tamē pertinere ad qualitatem: nam aptitudo ad formam ſubſtantialem, ſubſtantia eſt: concedimus etiam potentiā materiæ primæ eſſe relationem, non tamen prædicamentalem, ſed ſecundū dici, & conſequenter illa relatio eſt ſubſtantia, quemadmodum res abſoluta, in qua fundatur, quæ eſt potentia ad formam ſubſtantialē: imo hinc manifeſte colligitur, hanc potentiam eſſe ſubſtantiam, quia eſt ad actū qui eſt ſubſtantia: actus enim & potentia ſemper pertinēt ad eandem categoriam, id eſt, ſi actus eſt ſubſtantia, potentia ad illum debet eſſe ſubſtantia: et ſi actus eſt accidēs, potentia ad illum debet eſſe accidens. Hæc propoſitio adducta ſemper eſt vera, ſi tres obſeruentur conditiones.

Actus et potentia pertinent ad eandem categoriā.

Prima eſt vt potentia immediate tendat in actum: defectu cuius conditionis etſi ſaltatio ſit accidēs, anima, a qua tanquam a potentia remota fit, non eſt accidens: fit enim ſaltatio ab anima tanquam a potentia remota; quia fit immediate a potentia motrice. Secunda cōditio eſt; vt actus fiat per ſe: defectu cuius conditionis etſi quantitas leonis geniti, quæ accidēs eſt, fiat ab anima leonis generantis tanquam a potētia, tamen anima leonis generātis non eſt accidēs, quia quātitas leonis geniti non fit per ſe, ſed congeneratur ad generationem leonis. Tertiā conditio eſt; vt actus fiat a potētia per veram actionem Phyſicam, & non per naturalem ſequellam: defectu cuius cōditionis, etſi proprietates, quæ fluunt tāquam a potentia ab ipſa anima, ſint accidētia, anima tamen non eſt accidens: quia proprietates etſi fiant immediate ab anima, tamen non per veram actionem phyſicam, ſed potius naturali quadā ſequella. Cū ergo formæ, quæ ſunt ſubſtantiæ, fiant per ſe a potentia materiæ, immediate, & per verā actionem phyſicam, ſcilicet per generationē naturalem, neceſſario aſſerendum eſt, potentiam materiæ primæ eſſe ſubſtantiā & eſſentiam ipſius materiæ primæ.

Diuiſio ſecundæ dubitationis.

AD SECVNDAM dubitationem accedentes, illā in quatuor diuidimus partes: quarum prima proponemus obſeruationes: ſecunda, quæ certa ſunt, & quædā fundamenta: tertia, aſſertiones: ac denique quarta, contrariam ſententiam illius quæ argumēta ſoluemus.

Potentia quadruplex.

IN PRIMA parte dubitationis ſit prima obſeruatio. Potentia quadruplex eſt; ſcilicet actiua, quę eſt principium agendi, vt potentia quæ eſt in homine ad curſum, paſsiua, quę eſt principium patiendi; vt ſiccitas in ligno, quæ eſt potentia paſsiua, ad hoc vt lignum comburatur; ſubiectiua, quæ ordinatur ad recipiendam formā; vt potentia in homine ad calorem: & obiectiua, quæ eſt entitas rei poſsibilis, prout habet eſſe obiectiue tantum, & in mēte artificis: vt domus nondū confecta eſt in potentia obiectiua architecti. Quæſtio ergo non procedit de potentia actiua, aut paſsiua; quia iſtæ ſupponunt formam: ſed de potētia tertio, aut quarto modo ſumpta: inquirimus enim, an materia prima ſit pura potentia obiectiua, vel ſubiectiua.

Secunda obſeruatio cum potētia dicat ordinem ad actum, & potentia ſit quadruplex, quadruplex etiam eſt actus. Prima

qui correſpondet potentiæ actiuæ, & huiuſmodi actus eſt operatio: verbi gratia actio currendi, quæ correſpondet potentiæ actiuæ ad curſum. Secundus actus eſt, qui correſpondet potẽtiæ paſſiuæ, & hic actus eſt forma, ad quã dicit rẽ potentiam paſſiuam: vt potentiæ paſſiuæ ligni ad calorẽ correſpondet actus, qui eſt calor. Tertius actus eſt, qui correſpondet potentiæ obiectiuæ, qui eſt entitas rei, quæ erat poſsibilis, poſita iam extra ſuam cauſam, & extra eſſe obiectiuum; vt domus ædificata correſpondet, tanquam actus, potentiæ obiectiuæ, iuxta quam domus erat in mente architecti. Quartus actus eſt, qui correſpondet potẽtiæ ſubiectiuæ, & hic actus eſt forma, quæ recipitur in re, quæ habebat potentiã ſubiectiuam ad talem formã; verbi gratia, forma leonis correſpondet vt actus potentiæ ſubiectiuæ, quam habet materia. Procedit ergò dubitatio de potentia & actu duobus vltimis modis, inquiritque, an materia prima ſit pura potẽtia tertio, vel quarto modo; vel potius ex ſe habeat actũ correſpondentẽ potentiæ obiectiuæ, vel ſubiectiuæ: ſed cũ actus ſubiectiuus ſit duplex; alter primus, qui eſt forma; & alter ſecundus, qui eſt operatio, non diſputamus de actu ſubiectiuo ſũpto ſecundo modo, quia hic & ſupponit actum primum, & pertinet per ſe ad actum, qui correſpondet potẽtiæ actiuæ; ſed diſputamus de actu primo ſubiectiuo: ſed cum hic adhuc ſit duplex alter ſubſtantialis, qui eſt forma ſubſtantialis; & alter accidentarius, qui eſt forma accidẽtaria, non diſputamus de actu, qui eſt forma accidentaria, nam hæc ſupponit neceſſario actum ſubſtantialem. Ex dictis ergo patet ſenſus dubitationis: diximus enim in prima dubitatione, potentiã eſſe de eſſẽtia materiæ primæ; inquirimus tamen modo, an ita illa potentia ſit de eſſentia materiæ primæ, vt materia prima ſecundum ſe excludat omnem actum; etiam illum, qui opponitur potentiæ obiectiuæ; quam ſubſtãtialem, & ſpecificum, qui opponitur potẽtiæ ſubiectiuæ.

IN SECVNDA parte dubitationis primo certum eſt, & conueniunt omnes, materiam primam ſemper eſſe coniunctam cum forma ſubſtantiali: imo hoc ita eſt certum, vt vertatur in dubium a Philoſophis, an de potentia abſoluta poſsit eſſe materia abſque forma: & D. Tho. & eius diſcipuli cenſent, nec de potentia abſoluta poſſe exiſtere materiam abſque forma. Secundo certum eſt materiam primam ex ſe non habere eſſe actuale completum & totale, cum tale eſſe ſupponat compoſitionem ex materia, & forma. Certum etiã eſt, materiam primam nõ habere ex ſe eſſe actuale incompletum promanans ab altera parte cõpoſiti naturalis, ſcilicet a forma: quare inquirimus, an materia habeat ex ſe aliquod eſſe actuale, licet illud ſit incompletum, & determinabile per actum ſpecificũ, ſcilicet per formam. In qua re certum etiã eſt, materiam primam ſemper efficere vnũ per ſe ſimul cum forma, cũ qua ſemper eſt coniuncta: & dicere potentiam ad omnem formam ſubſtantialem; ac proinde eſſe potentiam ſubiectiuã. Manet ergo in hoc dubitatio: an, cum huiuſmodi potẽtia habeat materia prima aliquem actum entitatiuũ, correſpondentẽ potentiæ obiectiuæ: quod idem eſt ac inquirere, an materia prima ex ſe ſit ens, vel potius nihil, & habẽt totum ſuum eſſe a forma ſubſtãtiali. Sed animaduerſum volo, nomine actus correſpondentis potẽtiæ obiectiuæ poſſe intelligi quamcunq. entitatem productam, & extra ſuam cauſam. ſed nihilominus modo ſumitur actus correſpondens potentiæ obiectiuæ, prout diſtinguitur contra actum, qui eſt forma naturalis. Quemadmodũ vnũ tranſcendens ſumitur pro quocumque ente, ea ratione qua in ſe eſt indiuiſum, & diuiſũ a quolibet alio; ſumitur etiam aliquando, prout diſtinguitur contra ens indiuiſum, in ratione pertinente ad categoriam quantitatis, vt ſæpe a nobis dictum fuit in Logica cap. de quantitate quæſt. 9. & alijs in locis.

Sit primum fundamentum. *Materia, &*

forma.

Margin notes:
1. *Eſt certum.*
2. *Eſt certum.*
3 *Eſt certum.*

formæ ſunt duæ ſubſtantiæ partiales realiter diſtinctæ, vt ſatis ab ſe diximus quæſtione ſuperiori: ſunt enim partes compoſitionis phyſicæ. At realis vero partes debent neceſſario diſtingui realiter inter ſe, ſin minus, nullo certe modo poſſent efficere realem compoſitionem: imo materia, & forma ita realiter diſtinguuntur, vt in nullo ſuperiori ſynonimo conueniant: ſunt enim res primo diuerſæ: alioquin enim, haberent aliquid commune, & rurſus proprias differentias, per quas differrent; & non eſſet maior ratio, cur forma determinaret materiam, quàm e contra, quod certe eſt abſurdum: nam ſemper forma determinat materiam, & eſt ratio conſtituens totum compoſitum in ſpecie certa, & determinata.

Eſſe ſpecificum duplex.

Secundum fundamentum. Eſſe ſpecificum in ſubſtantiis duplex eſt; aliud ſcilicet completum; aliud vero incompletum. Completum eſt illud, quod habent res, quæ collocantur in recta ſerie categoriæ ſubſtantiæ. Incompletum vero illud, quod habent partes Phyſicæ, eſſentialiter componentes ſubſtantiam completam naturalem, (partes enim Metaphyſicæ, non poſſunt admittere compoſitionem ex genere, & differentia, cum ſint genus & differentia: quia neceſſario ſequeretur proceſſus in infinitum) ſcilicet materia, & forma: forma enim in communi eſt vna ſecundum ſpeciem ſupremam: anima vero rationalis eſt vna forma ſecundum ſpeciem infimam. Neque fundamentum hoc repugnat his, quæ diximus in Logica, in diſputatione de vniuerſis quæſt. 9 & cap. de accidente, quæſt. vltima; nam ibi diximus vniuerſum debere eſſe naturam completam, quia tunc temporis tantum erat ſermo de vniuerſo, quod eſt natura completa: ratio eſt: quia tota illa diſputatio erat introductio ad categorias, categoria autem eſt ſeries & ordo generum, ſpecierum, & indiuiduorum entium, quæ completa ſunt: nam in decem illis categoriis ſolum habent locum per ſe in recta ſerie entia completa. Infero ergo ex hoc fundamento formam habere varietatem ſpecificam, vel multiplicitatem: & eodem modo materiam primam, & in hoc conueniunt omnes, nam inquirunt Philoſophi, an materia corporum cœleſtium, & materia rerum inferiorum diſtinguantur ſpecie: admittunt etiam diſtinctionem ſpecificam inter animam vegetatiuam, ſentientem, & intelligentem: quare tam in materia, quàm in forma eſſe naturalis dicitur eſſe ſpecificum, quamuis illud ſit incompletum.

Materia prima ſumitur dupliciter.

Tertium fundamentum. Materia prima poteſt ſumi dupliciter: primo prout dicit ordinem, ſiue potentiam naturalem ad omnem formam, non tamen determinate ad hanc, vel illam; qui ordo nihil aliud eſt quam inclinatio, & capacitas materiæ primæ ad omnem formam, vt diximus ſuperiori dubitatione. Secundo ſumi poteſt, prout dicit ordinem ita ad hanc formam, vt non ad aliam; qui ordo eſt aliquid reale in materia prima, & relatio quædam ſecundum dici, immediate fundata in ipſa materia prima: tamen non diſtinguitur realiter ab illa: quemadmodum vnio partium eſt aliquid reale, non tamen realiter diſtinctum a partibus, vt diximus cap. 2. quæſt. 3. in quarta præcipue parte.

Obſeruati[o]

Materia ſumpta ſecundum illum primum ordinem, quia eſt cum indifferentia ad omnem formam, appellatur ab omnibus materia prima: ſumpta vero cum ordine ad hanc formam determinate, appellatur a multis materia ſecunda: ſed rectius appellatur materia prima diſpoſita, & determinata poſitiue: hoc enim nomen, materia ſecunda, proprie conuenit toti compoſito reſpectu accidentium. Huius rei ratio eſt: quia materia, tam ſumpta illo primo modo, cum aptitudine & indeterminatione ad omnem formam; quàm ſumpta ſecundo modo, & determinata, eſt ſubiectum reſpectu primæ formæ, nempe ſubſtantialis, ac proinde ſemper debet appellari materia prima, & primum ſubiectum: totum vero compoſitum cum ſit ſubiectum, dicens potentiam & ordinem ad formam accidentalem, quæ non eſt prima, ſed ſecunda, proinde, ſi proprie loquamur, merito

appellatur materia ſecunda, & ſecundum ſubiectum. Licet tamen hæc ita ſint, nihilominus parum refert illam quocumq; nomine appellare, nã certe quæſtio eſt de nomine; dummodo conueniamus in re, ſumẽdo materiam primam illis duobus modis.

Materia prima eſt potentia ſubiectiua

IN TERTIA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Materia prima ex ſe eſt pura potentia ſubiectiua. Antequam probemus aſſertionem obſeruandum eſt: particulam ex ſe, idem ſignificare, ac abſque eſſe participato a forma. Hæc aſſertio in omni opinione vera eſt: & probatur ita a diffinitione. Quod ex ſe nullã habet formam, ex ſe eſt pura potentia ſubiectiua; ſed materia prima ex ſe nullam habet formã; ergo materia prima ex ſe eſt pura potentia ſubiectiua. Maior eſt certa. Minor probatur. Ens naturale fit ex materia, & forma tanquam ex duabus ſubſtantiis partialibus & realiter diſtinctis; ergo materia prima ex ſe nullam habet formam: ſi enim ex ſe formã haberet, eſſet cõpoſita ex materia & forma, & conſequenter non eſſet materia, & altera pars compoſiti naturalis; ſed potius eſſet compoſitum naturale.

Materia prima ex ſe eſt actu ens.

Secunda aſſertio. Materia prima ex ſe eſt actu ens. Hanc aſſertionem tenent Scotus 2. ſententiarum, diſt. 12. q. 2. Toletus 1. Phy. q. 13. Pererius 5. Phyſ. cap. 13. & alij multi, confirmant quæ illam firmiſſimis rationibus. Nos vero illã tribus rationibus, quæ ſequuntur, probamus; poterat etiam confirmari aliquibus Ariſt. teſtimoniis, quæ omnia omitto: quia facile interpretantur a contrariis: quemadmodum interpretabimur nos in vltima parte quæſtionis teſtimonia Ariſto. quibus contraria ſententia confirmatur.

Eſt ergo prima ratio. Materia prima ex ſe non habet actum entis; ergo materia prima ex ſe eſt nihil; ſed ens naturale componitur ex forma & materia; ergo ens naturale componitur ex forma & ex nihilo, quod certe intelligi nequit. Reſpõdent authores contrariæ ſententiæ negando vltimam conſequentiam; quia in illa inquiũt, fit fallacia a dicto ſecundũ quid ad dictũ ſimpliciter: nam non ſequitur, materia prima ex ſe eſt nihil; ergo ens naturale, quod cõponitur ex illa & forma, cõponitur ex ente & ex nihilo: quia licet materia prima ex ſe ſit nihil, ſemper tamẽ eſt ens a forma, cum qua ſemper eſt coniuncta. Hanc ſolutionẽ ita impugnamus. Materia prima habet eſſe a forma, cum qua eſt coniuncta, & abſq. forma eſt nihil; ergo materia prima nõ poteſt recipere formam; quod certe eſt abſurdũ. Conſequẽtia probatur. Id quod recipit formam, neceſſario debet eſſe ens: ſed materia, quãdo debet fieri introductio formæ, non eſt ens, ſi ſequimur cõtrariam ſententiam: ergo materia prima nõ poteſt recipere formam ſubſtantialẽ. Maior certa eſt; quia quod recipit ens reale, quale eſt forma, neceſſario debet eſſe ens reale. Minor probatur. Materia, vt illi docent, eſt ens a forma; ſed quando debet fieri introductio formę, non eſt ens a forma: ergo nõ eſt ens: ergo non poteſt recipere formam. Probatur minor. Si eſſet ens: aut eſſet a forma, quæ corrumpitur; aut a forma, quę generatur: ſed a neutra; ergo non eſt ens. Probatur minor. Imprimis non a forma, quæ corrumpitur: quia cum receptio formæ, quæ generatur, fiat in inſtanti, ſi materia haberet eſſe a forma, quæ corrumpitur, haberet formam quæ corrumpitur; & conſequenter eſſent duæ formæ in eadem materia. Neque a forma quæ generatur; quia nequit intelligi, formam realem recipi in ſubiecto habente eſſe, ſolum per formam illam, quę recipitur: neceſſario enim tenentur omnes admittere materiam primam, ſaltim prioritate naturæ antecedentem introductionẽ formę: quare in illo priori naturæ materia, cum ſit omni forma deſtituta, ſi ſolum eſſet ens ratione formæ, eſſet tunc neceſſario nihil: & cum ſit principium in illo priori naturæ, tum materiam, cũ eius cauſalitas cõſiſtat in hoc, quod eſt recipere formam, eſſet materia prima principium, & cauſa entis naturalis ea ratione, qua eſt nihil; quod certe abſurdum eſt.

Secun-

Secũda ratio. Materia prima ſolum eſt ens ratione formæ; ergo omnis generatio eſt creatio, & omnis corruptio eſt annihilatio. Probatur conſequētia. Productio rei ſecundum totam ſuam entitatē eſt creatio, & deſitio rei ſecundum totam entitatē eſt annihilatio: ſed ſi materia prima ſolum habet eſſe a forma, producitur res naturalis ſecundum totam ſuam entitatem, cum producatur ſecundum formam, & totum eſſe ſit a forma: deſinit etiā per corruptionem ſecundum totum eſſe; cum deſinit forma, (excipio animam rationalem,) & conſequēter omne eſſe, quod habebat materia a forma: ergo ſi materia prima habet totū ſuū eſſe a forma, omnis generatio eſt creatio, & omnis corruptio eſt annihilatio. Aliqui ex Philoſophis contrariæ ſententię reſpondent ſuperiori rationi, tametſi & huic, dicentes materiam primam eſſe purā potentiam ſubiectiuam, tamen non eſſe merè nihil; quia entitas materiæ primæ non eſt ſolum obiectiue intra ſuam cauſam; ſed eſt producta, & extra ſuam cauſam, dicitur tamen omnino pura potentia; quia illud eſſe, quod habet extra cauſam, habet ſemper a formà, cum qua eſt coniuncta: exiſtit enim beneficio formæ. Sed quam falſa ſit hæc ſolutio, dicemus q. ſequenti, in qua docebimus, materiam primam ex ſe habere exiſtentiā, diſtinctā ab exiſtentia formæ. Alij reſpondent huic ſecūdæ rationi, materiam primam ſemper habere eſſe, vel a forma, quæ generatur, vel a forma, quæ corrumpitur; ac proinde, cū nullū ſit tempus, aut inſtans, in quo materia non ſit cū forma, nullum eſſe inſtās, aut tempus, in quo materia prima nō ſit ens; hac quæ de cauſa docent, nec generationem eſſe creationem, nec corruptionē eſſe annihilationē: quia, etſi in termino a quo primario generationis, non ſupponatur aliqua ētitas rei genitæ, ſupponitur tamen entitas in termino a quo ſecundario, quæ eſt totū quod corrumpitur. Quando enim res naturalis generatur, fit ex priuatione tanquam ex termino a quo per ſe; fit vero ex re quæ corrumpitur, tamquam ex termino a quo ſecundario & per accidens, vt docuit Ariſtoteles capite 8. huius libri eodem modo res quæ corrumpitur, licet in primario termino deſinat in totale non eſſe ſui ipſius, tamen in ſecundario termino deſinit in ens, quod generatur; generatio enim vnius eſt corruptio alterius, & e contra, vt Ariſt. docuit 1. de generatione cap. 3. quo poſito reſpondent: ad creationē non ſufficere productionem rei, ſecundum totum ſuum eſſe, ſed deſiderari etiam, vt ſiat talis productio ex nihilo, ita vt non ſupponatur ēs, aut in termino primario, aut in termino ſecundario; & eodem modo ad annihilationem requiri vt nec in primario termino, nec in ſecundario maneat res: cum ergo in termino a quo ſecundario generationis, & in termino ad quem ſecundario corruptionis ſemper ſit ens, proinde nec generatio eſt creatio, nec corruptio annihilatio. Sed hæc ſolutio nullius eſt momēti, quod probatur ita. Mutationes diiudicandæ ſunt ex terminis primariis: ergo ſi generatio ſit ex nihilo tamquam ex primario termino, nō erit generatio, ſed creatio; et ſi corruptio deſinit in nihil abſolute, tamquam in primarium terminum, non erit corruptio, ſed annihilatio. Probatur conſequentia. Omnis productio ſubſtantię totalis vel eſt generatio, vel creatio; ſed productio ſubſtantiæ ex nihilo, tamquam ex termino primario, non eſt generatio; ergo eſt creatio. Probatur minor; Generatio eſt mutatio a termino a quo primario, in terminū ad quē primarium: ſed in omni mutatione debet eſſe aliquid cōmune ſub vtroque termino primario; quia in omni mutatione debet eſſe aliquid, quod aliter ſe habeat in termino ad quē primario, ac ſe habebat in termino a quo primario; ergo ſi in productione ſubſtantiæ non eſt aliquid commune ſub vtroq. termino primario, talis productio non erit generatio. ergo productio ſubſtātiæ ex nihilo, tāquam ex termino a quo primario, non erit generatio; ergo erit creatio.

Ter-

Tertia ratio. Vt docuit Ariſto. cap. 7. materia, quæ eſt principium generationis naturalis, eſt idem ſecundum rem cum priuatione, quæ eſt principium eiuſdem generationis: ergo quando eſt priuatio, debet eſſe ſecundum rem materia: ſed antequam ſit forma rei generandæ, eſt priuatio formæ generandæ; ergo antequam ſit forma rei generandæ eſt ſecundum rem materia rei generandæ. Modo ſic. Antequã ſit forma rei generandæ, eſt illius materia; ergo materia non habet totum ſuum eſſe a forma: quia quod non dum eſt ſecundum eſſe reale & actuale, non poteſt tribuere alteri eſſe reale & actuale. Si reſpondeas materiã habere eſſe quando eſt priuatio, non a forma rei generandæ, ſed a forma rei corrumpendæ, facile impugnatur ſolutio ita. Materia rei generandæ eſt principium illius; ergo debet eſſe idem ſecundũ rem cum priuatione, quæ eſt terminus a quo eiuſdem generationis: ſed priuatio, quæ eſt terminus a quo, erat in re, quæ corrumpitur; ergo materia rei generandæ erat in re, quæ corrumpitur: & conſequenter, non eſt aſſerendum, habere ſuum eſſe a forma, ſed potius ex ſe eſſe ens. Probatur minor a ſufficiente diuiſione. Priuatio, quæ eſt principium, neceſſario debet eſſe, vel in re, quæ corrumpitur, vel in re, quę generatur; ſed huiuſmodi priuatio non eſt in re, quæ generatur; ergo eſt in re, quæ corrumpitur. Probatur minor. Quãdo eſt priuatio, verum eſt dicere, non eſſe formam, quæ opponitur illi priuationi; & quando eſt generatio, verũ eſt dicere, eſſe formam rei, quæ generatur: ergo ſi priuatio formæ, quæ generatur, eſſet in re, quæ generatur, ſimul eſſet verum dicere, in re, quæ generatur, eſſe formam, & non eſſe formam: quod certe eſt manifeſtum abſurdum. Hæc tertia ratio, forſan non eſt omnino certe, eſt tamen aliquantulum efficax.

Materia ex ſe eſt ſubſtantia incõpleta. Tertia aſſertio. Materia prima ex ſe, eſt ſubſtantia incõpleta. Hæc aſſertio, ſuppoſita ſuperiori, facile probatur ita. Materia prima ex ſe, habet entitatem, cũ qua ſimul cum forma componit rem naturalem; ergo ſecundum ſe eſt ſubſtantia. Probatur conſequentia. Res naturalis eſt compoſitum ſubſtantiale; ergo partes componentes debent eſſe ſubſtantiæ: ergo cum materia prima ſit altera ex partibus componentibus compoſitum ſubſtantiale materia prima erit ſubſtantia. Eſſe vero incompletam, manifeſtum eſt, cum nõ ſit totum compoſitũ, ſed potius pars illius.

Materia prima ex ſe habet ſpeciem. Vltima aſſertio. Materia prima ex ſe habet actum ſpecificum. Hæc aſſertio manifeſte deducitur ex ſuperioribus. Eſſe enim ipſius materiæ licet ſit incompletum, eſt tamen ſpecificum; vt diximus in ſecundo fundamento: imo omnes inquirunt, an materia prima omnium rerum ſit eiuſdem ſpeciei. Cũ ergo ex ſuperioribus aſſertionibus conſtet, materiam primam ex ſe eſſe actu ens, & ſubſtantiam incompletam; infertur inde manifeſte, materiã primam habere ex ſe eſſe ſpecificum incompletum, quemadmodum forma ex ſe habet etiam eſſe incompletum, & ſpecificum.

Cõtraria ſententia. IN QVARTA parte quæſtionis proponenda eſt contraria ſententia, & ſoluendæ ſunt illius rationes. Contraria ergo ſententia docet, materiam primam non ſolum eſſe puram potentiam ſubiectiuam, & carere ex ſe omni forma, ſed etiam carere actu entis. Hanc tuetur grauiſſimi Philoſophi, nam S Tho. 1. Phyſ. lectione 13. & 15. hanc docet ſententiam, vt referunt aliqui ex eius diſcipulis: quamuis, vt verũ fatear, in iſtis locis, nõ ita clare, vt illi volunt, eam hanc proponit. Bar. p. quæſt. 7. art. 2. in ſolutione ad 3. ita ſcribit. *Materia prima non exiſtit in rerum natura per ſeipſam, cum non ſit ens in actu, ſed potentia tantum.* Et quæſt. 66. art. 1. in reſponſione ad 3. ita habet. *Materia autem ſecundum id quod eſt, eſt ens in potentia;* &c. Durandus in 2. diſt. 12. q. 2. num. 7. loquens de materia docet quæ ſequuntur: *Eſt autẽ eius natura ut breuiter dicatur ut ſit pura potentia ad eſſe.* Idem etiam docuerat q. 1. numero 6. Eandem etiam ſequuntur ſententiam.

tentiam. Soncinas 7. Metaphyſico q. 17. Valleſius cõtrouerſia 7. Phyſica. Soto q. 6. in primum Phyſicõ. Et alij multi ſcholaſtici doctores in 2. diſt. 12. eandem ſequitur ſententiam P. Fonſeca 1. Metaphy. cap. 7. q. 3. ſect. 7. & 8.

Confirmatur cõtraria ſententia uariis Ariſt. teſtimo.

Hanc ſententiam confirmant primo varijs Ariſt. teſtimonijs, nam Ariſt. hoc lib. cap. 7. docet materiam primam carere omni actu, ac proinde non poſſe cognoſci ex ſe, ſed per analogiam ad materiam rei artificiatę. Et 7. Metaphyſico cap. 3. docet ma-
1. teriam nec eſſe quid, nec quale, nec quan-
2. tum, &c. Sed eſſe hæc omnia in potentia. Præterea 2. de Anima cap. 7. ita ſcribit.
3. *Eſt enim materia poteſtas, forma, actus.*
4. Et eodem cap. tum etiam 8. Metaphyſico cap. 6. inquirens cur ex materia, & forma fiat vnum ens per ſe: reſpondet, quia materia eſt potentia, & forma actus. Hęc tamen omnia Ariſto. teſtimonia, & alia ſimilia, quæ ab illis adducuntur, non aduerſantur noſtræ ſententiæ.

Explicantur ſuperiora teſtimonia Ariſto.

Quare reſpondemus primo teſtimonio loqui Ariſt. de actu, qui eſt
1. forma, & correſpondet potentiæ ſubiectiuæ; & quia hic actus determinat rẽ, proinde materia ſecundum ſe nequit a nobis cognoſci, quia non eſt determinata per actũ: cognoſcitur tamen per analogiam ad materiam artificialẽ, quia hæc per ſe cognoſcitur, cum ſit determinata per formam, nã
2. eſt totum compoſitum. Secũdo teſtimonio reſpõdemus, materiam ex ſe nec eſſe quid, nec quale, &c. ideſt, nec habere formã ſubſtantialem, nec accidentariam; poſſe tamẽ habere immediate, & primo quamcumque formam ſubſtantialem; & ſecundario, & mediа forma ſubſtantiali, quamcunq. for-
3. mam accidentariam. Tertio teſtimonio, reſpondemus: per poteſtatem intellexiſſe potentiam ſubiectiuam; & per actum intellexiſſe illũ, qui correſpondet potentiæ ſub-
4. iectiuæ, qui actus eſt forma naturalis. Vltimo teſtimonio, reſpondemus: ex ente in actu, quod tamen eſt in potẽtia ſubiectiua, & ex actu correſpondente huic potentiæ, fieri vnum ens per ſe: quare ſit vnum ens per ſe ex materia, & forma: quia materia, quæ ex ſe eſt ens, & ſubſtãtia incompleta, eſt potẽtia ſubiectiua ad omnem actũ, qui eſt forma naturalis. Eodem modo ſoluuntur alia Ariſt. teſtimonia.

Confirmant præterea ſuam ſententiam his rationibus. *1. Ratio.* Prima ratio. Omnis actualitas abſoluta poteſt ex ſe cognoſci; ſed materia prima non poteſt ex ſe cognoſci, vt retulimus ex Ariſt. ergo materia prima ex ſe nõ habet actualitatem. Probatur maior. Quæuis actualitas quantumcunq. imperfecta ſit, eſt determinata ad aliquẽ gradum entis; ſed omne quod eſt determinatũ ad aliquem gradum entis, poteſt cognoſci ab intellectu; quia ens, ſecundũ totam ſuã latitudinem, eſt obiectum intellectus; ergo quæuis actualitas poteſt cognoſci ex ſe: ergo cum materia prima ex ſe nõ ſit aliquid relatum, & non poſſit cognoſci, non erit ſecundũ ſe ens. *Solutio.* Reſpondemus negando minorem: nã licet materia ſecundum ſe ſumpta non poſſit a nobis cognoſci, quia non eſt determinata per formam; tamen ſecundum ſe cognoſci poteſt, & ſub obiecto intellectus continetur.

2. Ratio. Secunda ratio. Materia eſt actus; ergo ſubſtantia naturalis ſecũdum ſe totam eſt actus: ergo ſubſtantia naturalis nõ eſt compoſita ex actu & potentia. Probatur conſequentia: quia ſubſtantia naturalis eſt cõpoſita ex materia & forma. *Solutio.* Reſpondemus negando antecedens: nam materia eſt ens actu, non tamen eſt actus; ideſt non eſt forma; nomine enim actus ſẽper intelligit Ariſt. formam: ſi vero nomine actus intelligant actualitatem rei, correſpondentẽ potentiæ obiectiuæ verum eſt antecedẽs: tum etiam & conſequens: quia res naturalis ſecundum ſe totam eſt actus, correſpondens potentiæ obiectiuæ; ſi minus non eſſet res naturalis ſecundũ ſe totam extra ſuã cauſam: quod eſt ridiculũ: quare reſpondemus ſecundæ cõſequentiæ, rem naturalem eſſe compoſitam ex potentia ſubiectiua, & ex forma, quæ illi correſpõdet vt actus: tamen non eſſe compoſitam ex potentia ob-

T iectiua,

ſectiua, & ex actu illi correſpondente.

3. *Ratio.* Tertia ratio. Forma & actus idem ſunt; ſed materia ex ſe nullam habet formam: ergo ex ſe nullum habet actum. Maior confirmatur ab illis inductione. Reſpondemus maiorem ſolum eſſe veram de actu, qui correſpondet potentiæ ſubiectiuæ.

4. *Ratio.* Quarta ratio. Nulla res eſt ens ſimpliciter, niſi ſit in ſpecie certa, & determinata; ſed materia prima ex ſe non eſt in ſpecie certa, & determinata; ergo ex ſe nō eſt ſimpliciter ens. Minorem probāt ita. Res pertinet ad certam ſpeciem per formā; ſed materia ex ſe non habet formam: ergo ex ſe non pertinet ad certam ſpeciem. Reſpondemus negando minorem. Probationi negando maiorem: nam ſolum eſt vera de ſpecie completa, non tamen de incompleta vt conſtat ex ſecūdo fundamento, materia ergo pertinet ad determinatam ſpeciem incompletam.

5. *Ratio.* Quinta ratio. Materia prima eſt primū ſubiectum: ſed primum ſubiectum nullum includit actum; ergo, &c. Reſpondemus diſtinguendo minorem ita, correſpondentem potentiæ ſubiectiuæ concedo: correſpondentem potentiæ obiectiuæ nego minorē.

6. *Ratio.* Sexta ratio. Cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ, & materia eſt cauſa formæ, & forma eſt cauſa materiæ; ſed forma non cauſat, niſi dando eſſe; ergo materia habet totum ſuum eſſe a forma: & conſequenter ex ſe materia non eſt ens. Hæc ratio, multis ex Philoſophis huius ſententiæ, efficaciſſima apparet; ſed certe ita leuis eſt ac ſuperiores. Reſpondemus ergo diſtinguēdo minorem ita. Eſſe incompletum nego: eſſe vero completum, ratione cuius materia, vt pars, pertinet ad certam & determinatam ſpeciem: concedo minorem: hoc tamen nō

Solutio.

Obſerua. eſt contra nos. Obiter tamen obſeruandū eſt, materiam primam, primo & per ſe, nūquam habere eſſe a forma; quemadmodum nec forma, primo & per ſe, habet eſſe ab ipſa materia; dicitur tamē materia habere eſſe a forma; quia per coniunctionem quā habet cum forma, pertinet ad ſpeciē completam, non primo & per ſe, ſed vt eſt pars illius compoſiti, quod componit ſimul cū forma: & forma dicitur etiam habere eſſe ab ipſa materia nō primo & per ſe, ſed potius quia forma non poteſt determinare rē naturalem ad certam ſpeciem, niſi recipiatur in materia: imo eſſe completum, & determinatum rei naturalis non eſt realiter diſtinctum ab eſſe materiæ, & formæ: cum res naturalis cōponatur ex materia & forma, tanquam ex partibus eſſentialibus, a quibus, ſi ſimul ſumantur, ſolū diſtinguitur ratione ratiocinata; vt diximus ca. 2. q. 3. Aliæ per multæ adducuntur rationes ab iſtis philoſophis; ſed illas omitto, quia facilem habent ſolutionē, ſi perpendantur ſolutiones propoſitæ, & fundamēta quæſ.

Ex dictis manet ſolutum argumentum propoſitum in fine ſuperioris quæſt.

QVAESTIO IIII.

An materia prima habeat ex ſe propriam exiſtentiam.

SVPERIORI quæſt. docuimus materiam primam ex ſe, & nō a forma habere eſſe entis, & ſubſtātiæ ſpecificum incompletum tamen; cum vero duplex ſit eſſe: aliud ſcilicet eſſentiæ, quod cōſtituit rem eſſentialiter: & aliud exiſtentiæ, ratione cuius res eſt extra ſuam cauſam, & habet actu ſuum eſſe: hinc ortum habet præſens quæſt. ſunt enim varij dicendi modi philoſophorum circa diſtinctionem exiſtentiæ ab eſſentia; ſi enim in hoc conuenirent philoſophi, forſan hæc quæſ. nō eſſet adeo controuerſa: quare antequam diluamus quæſt. prius breuiter dicemus, an exiſtentia diſtinguatur ab eſſentia.

Diuiſio quæſt. Diuiditur hæc quæſt. in quatuor partes: quarum prima, proponemus obſeruationes: ſecunda, quæ certa ſunt: tertia, contrariam noſtram ſententiam: & quarta, contrariæ illius quæ argumentorum ſolutiones.

Diſtinctio quotuplex. IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Diſtinctio alia eſt rationis alia

lis realis: præterea diſtinctio rationis, alia eſt rationis ratiocinatæ, & alia rationis ratiocinantis. Deinde diſtinctio realis triplex eſt, alia rei a re, ſiue ſuppoſiti a ſuppoſito; alia rei a modo rei, vel inter totũ & partẽ, vel inter includẽs & incluſum; & alia inter duas formas eſſentialiter, & realiter diſtinctas; quid hæc omnia ſint diximus c. 2. q. 3. obſeruatione 2. Conueniunt ergo omnes exiſtentiam non diſtingui ab eſſentia, vt res a re. Deinde certum eſt, non diſtingui diſtinctione reali, quæ reperitur inter totum & partem: quia nec eſſẽtia eſt totũ, & exiſtentia pars; nec e contra. Præterea certum eſt, exiſtentiam, & eſſentiã non diſtingui, vt duæ formæ realiter diſtinctæ: quia exiſtentia, & eſſentia nõ ſunt formæ. Manet ergo dubitatio: an exiſtentia, & eſſentia diſtinguantur realiter, vt res & modus rei: vel vt includens, & incluſum. In hac re variæ ſunt ſententiæ: omnibus tamen aliis omiſſis (nam longum eſſet, & ab inſtituto alienum illas recenſere, & impugnare) exiſtimamus eſſentiam, & exiſtentiam nullo modo diſtingui realiter, ſed ſolũ diſtingui diſtinctione rationis ratiocinatæ: eadem enim entitas, quæ eſt eſſentia, ſumpta vt eſt extra cauſas, eſt exiſtentia. Hanc ſententiam ita probamus. Quæ diſtinguũtur realiter ita ſe habẽt, vt vnum ex illis habeat neceſſario realitatem aliquam, quam non habeat alterum; ſed nulla eſt realitas in eſſentia, quæ non ſit in exiſtentia, nec e contra: ergo eſſentia, & exiſtẽtia nullo modo diſtinguuntur realiter. Diſcurſus eſt legitimus, Maior certiſſima. Minor probatur. Imprimis exiſtentiam non habere realitatem diſtinctam ab eſſentia ita probamus. Quia ſequeretur inde, dari aliquam realitatem deſtitutam omni eſſentia, quod certe eſt abſurdum: ſequela probatur: quia ſi illa entitas, quæ eſt exiſtentia, & ſecundum illos realiter diſtincta ab eſſentia, haberet eſſentiam: illa, cum eſſet extra cauſas, etiam haberet exiſtentiam, & rurſus illa exiſtentia haberet eſſentiam, & illa eſſentia exiſtẽtiam, & ſic in infinitum. Deinde eſſẽtiam nullam habere realitatem, quã non habeat exiſtentia probamus: quia ſequeretur inde illam entitatem ſecundum ſe ſumptam non eſſe extra cauſam: verbi gratia, quando leo eſt in rerum natura, entitas, quæ eſt eius eſſentia, ſumpta ſecundũ ſe, & realiter non eſſet extra cauſam quod incommodum eſt, & nulla ratione concedendum.

Quæ ſunt certa.

Eſſentia et exiſtentia non diſtinguuntur realiter.

Secunda obſeruatio. Exiſtentia duplex eſt; alia incompleta, per quam res incõpleta eſt extra ſuam cauſam; & alia cõpleta, per quam res eſt extra ſuam cauſam in ſpecie completa, & determinata. Ex his manifeſtus eſt ſenſus quæſt.

Exiſtẽtia duplex.

IN SECVNDA parte quæſ. primo certum eſt materiam primam exiſtere: nam ſemper eſt extra ſuam cauſam.

Materia exiſtit.

Secundo certum eſt: materiam primam per ſe numquam habere exiſtentiam completam: nam exiſtentia completa creata, de qua loquimus, ſolum conuenit entibus completis, quæ collocãtur per ſe in recta ſerie alicuius categoriæ: et ſi loquamur de ſubſtantiis ſolum conuenit per ſe primis ſubſtantiis.

Materia ex ſe non habet exiſtentiam cõpletam.

Tertio certum eſt: materiam primã ſemper exiſtere ad exiſtentiam totius compoſiti: nam quemadmodum nulla forma, ex his quæ educuntur de potẽtia materiæ, poteſt exiſtere viribus naturæ ſeparata a materia: ita neque materia poteſt exiſtere ſeparata a forma. Cum ergo certum ſit, materiam habere exiſtẽtiam, & illam habere in toto cõpoſito, manet dubitatio: an materia prima habeat illam exiſtẽtiam ex ſe, vel potius a toto cõpoſito, ita, vt non habeat propriam exiſtentiam, ſed tantum alienam.

Exiſtit materia ad exiſtentiã totius.

IN TERTIA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Materia prima habet propriã exiſtentiam. Hanc ſententiam tuentur philoſophi, quos ſuperiori quæſt. retulimus in ſecunda aſſertione: illam enim cõfirmat C. Toletus q. 13. citata. Et pater Pererius illam etiam probat octo rationibus. Nos vero illã confirmamus tribus rationibus.

Materia prima habet propriam exiſtentiam.

Prima ratio. Actualitas eſſentiæ pendet ab exiſtentia; nam eſſentia abſque exiſtentia non eſt actu, ſed ſolum poſsibilis; ergo quotieſcumque res habet actualitatem eſſentiæ ſecundum vnam ſolam durationem continuam, debet habere vnam ſolam exiſtentiam ſecundum vnam durationem continuam: ſed materia prima ſemper habet actualitatem eſſentiæ ſecũdum vnã durationem continuam; ergo materia prima ſemper habet vnam exiſtentiam ſecundum vnam durationem continuam: ſed ſi haberet exiſtentiam a forma, cum ſucceſsiue habeat multas formas, non haberet vnam exiſtentiam ſecundum vnam durationẽ continuam: ergo materia prima non habet exiſtentiam a forma, ſed potius propriam.

Secunda ratio. Materia & forma habẽt diſtinctas eſſentias realiter, licet incompletas; ſed quæ habent diſtinctas eſſentias realiter, habent diſtinctas exiſtẽtias: ergo materia, & forma habent diſtinctas exiſtentias. Reſpondent quidam negando minorem; & reddunt inſtantiam, in actione & paſsione, quæ, cum pertineãt ad diuerſas categorias, habent diſtinctas eſſentias, & tamen non habent exiſtentias realiter diſtinctas. Sed hæc ſolutio eſt nulla: quia actio, & paſsio non habent eſſentias realiter diſtinctas, cum ſint idem ſecũdum rem. Reſpondent alij diſtinguendo minorẽ ita. Quæ habẽt diſtinctas eſſentias realiter cõpletas concedo; quia exiſtentia ſolum ſequitur eſſentiam cõpletam, vel incompletam rei quæ fit, vel poteſt eſſe per ſe; qualis eſt anima rationalis: quæ habent eſſentias incompletas realiter diſtinctas, nego minorem: cum ergo nec materia ſit ſubſtãtia completa, nec fiat per ſe, nec poſsit eſſe per ſe; proinde, etſi habeat eſſentiam diſtinctam realiter ab eſſentia formæ, nõ habet exiſtentiam realiter diſtinctam. Sed cõtra. Exiſtentia eſt modus, & effectus eſſentiæ; ſed partes rei naturalis, ſcilicet materia & forma, ſecundum ſe habent eſſentiam propriam; imo totum compoſitum non habet eſſentiam diſtinctam ab eſſentia partium; ergo neque exiſtentiam: ergo materia & forma habent propriam exiſtentiam. Probatur minor. Materia, & forma cõponunt eſſentialiter totum: ergo materia, & forma habent proprias eſſentias partiales, quæ ſimul ſumptæ componunt totum: & conſequenter, totum non habet eſſentiam diſtinctã ab eſſentiis partialibus ſimul ſumptis.

Tertia ratio. Quæ fiunt diuerſis productionibus, habent diuerſas exiſtentias; ſed materia, & forma fiunt per diuerſas productiones; ergo habẽt diuerſas exiſtẽtias. Maior eſt certa: quia fieri eſt adquirere eſſe extra cauſam; hoc vero eſſe, eſt eſſe exiſtẽtiæ. Minor probatur. Forma fit per generationẽ, materia vero facta fuit per creationem; nam vt in ſequẽtibus dicemus materia prima eſt ingenerabilis & incorruptibilis: ſed generatio, & creatio ſunt diſtinctæ productiones; ergo materia & forma fiunt per diſtinctas productiones. Reſpondent quidam negando minorem: & probationi negando maiorem: nam in prima rerum productione fuerunt ſimul factæ materia, & forma a Deo per creationem. Sed hæc ſolutio eſt nullius momenti: quia, etſi in prima productione fuerint factæ forma, & materia per creationem, modo tamen, forma fit per generationem, materia verò eſt ingenerabilis, & incorruptibilis. Alij reſpondent diſtinguendo primam maiorẽ ita. Si fiant per ſe, concedo; ſi fient per accidens, nego maiorem: at materia prima, & forma fiunt per accidens, ac proinde non habent diſtinctas exiſtentias: nam quemadmodum in prima rerũ productione materia prima accepit eſſe exiſtentiæ a forma, cum qua fuit creata, ita modo illud accipit a forma, quæ in illam introducitur. Sed contra. Materia ſolum habet hanc exiſtentiam, quam accipit a forma, quæ introducitur; ergo pro diuerſis temporibus, cũ per varias tranſmutationes naturales introducantur in illam diuerſæ formæ, habebit diuerſas exiſtentias: quod eſt abſurdũ. Authores contrariæ ſententiæ concedunt

conſe-

conſequentiam, & negant conſequens eſſe abſurdum. Eſſe vero abſurdum ita probamus. Per actũ exiſtentiæ res eſt extra ſuas cauſas; ergo quando amittitur actus exiſtentiæ, res deſinit eſſe extra ſuas cauſas: ergo ſi materia prima habet actum exiſtentiæ a forma, quoties corrumpitur forma, deſinit materia eſſe extra ſuam cauſam; & quotieſcumque recipit formam de nouo, incipit iterum eſſe extra ſuam cauſam. Tũ ſic. Quidquid de nouo exit extra virtutẽ ſuæ cauſæ, de nouo accipit totam ſuam entitatẽ extra cauſam; ergo materia prima, quotieſcumque fit generatio, de nouo accipit totam ſuam entitatem extra cauſam: ergo de nouo fit: ergo non ſupponitur in vtroq. termino generationis naturalis, ſcilicet in termino a quo, & in termino ad quem: quæ omnia abſurda videntur, & Ariſ. repugnant: materia enim prima, vt Ariſt. paſſim docet in hoc libro, viciſſim recipit formas, manens ſemper eadem ſecundum ſe; quod certe intelligendum eſt, tam quantum ad actum eſſentiæ, quam, quantũ ad actum exiſtẽtiæ: nam nec per ſe, nec per accidens generabilis eſt, aut corruptibilis materia prima, vt in ſequẽtibus dicemus.

Materia prima non habet in toto compoſito exiſtentiã diſtinctam a propria.

Secunda aſſertio. Materia prima nõ habet in toto compoſito exiſtẽtiam realiter diſtinctam a ſua propria exiſtentia. Probatur aſſertio. Materia prima in toto cõpoſito nunquam habet eſſe eſſentiæ realiter diſtinctũ a ſuo proprio eſſe; ergo neq. eſſe exiſtentiæ. Probatur antecedens. In toto phyſico ſolum eſt realiter eſſe eſſẽtiæ, materiæ, & formæ: ſed materia non habet eſſe eſſentiæ formæ: quia materia eſſet eſſẽtialiter totum cõpoſitum; ergo ſolum habet in toto compoſito ſuum proprium eſſe eſſentiæ. Quod vero in toto compoſito non ſit aliud eſſe eſſẽtiæ præter eſſe proprium materiæ & formæ conſtat ex eo, quia ſi eſſet aliud, non ſolum cõſtaret compoſitum naturale ex materia & forma tanquam ex partibus eſſentialibus; ſed cõſtaret etiam ex illo tertio: quod certe eſt abſurdũ. Prima conſequentia manifeſta eſt in opinione illorum qui docent exiſtentiam nõ diſtingui realiter ab eſſentia: contra illos vero qui hoc negant ita probatur. Exiſtẽtia rei eſt entitas rei extra cauſã; ſed materia nõ eſt diſtincta entitas extra cauſam, ſi ſumatur ſecundum ſe, et ſi ſumatur in toto compoſito; ergo in toto compoſito non habet diſtinctam exiſtentiã realiter ab illa quam habet ſecundum ſe.

Materia prima habet in toto exiſtentiã formaliter diſtinctam.

Tertia aſſertio. Materia prima habet in toto compoſito exiſtentiam diſtinctã formaliter, ab illa quam habet ſecundum ſe. Hæc aſſertio manifeſte deducitur ex dictis: & probatur ita. Materia prima vt eſt formaliter in toto compoſito, differt a ſe ipſa, ſumpta ſecundum ſe, diſtinctione formali; ergo, cum habeat diſtinctum modum eſſendi, neceſſario debet habere ſecundum ſe diſtinctum modum exiſtendi. Materiam primã, vt eſt vltimate diſpoſita, & para totius compoſiti, diſtingui ratione formali a ſeipſa, ſumpta ſecundum ſe, diximus ſuperiori quæſt. cõſtituitur enim in tali eſſe per quendam modum realem, & ſubſtantialem; qui eſt ordo quidã, ſeu ad hanc formam, vt non ad aliam: & hic ordo, vt ibidem dictum eſt, eſt relatio ſecundum dici.

Cõtraria ſententia docet materiã ſciũ habere exiſtentiam a forma.

IN QVARTA parte quæſt. proponenda eſt contraria ſententia. Docet ergo materiam habere exiſtentiam a forma, & præter illam nullam aliam habere. Hãc tenent grauiſſimi, & magni nominis philoſophi, vt S. Tho. locis ſuperiori quæſt. citatis, & de ente & eſſentia ca. 2. tametſi & omnes doctores citati ſuperiori quæſt. pro contraria ſententia locis citatis. Et alij multi, quos moleſte citat Petrus de Oña 1. Phyſico q. 3. art. 4. in quo hanc pertractans quæſt. accuratius multo authores vtriuſque ſententiæ refert, quam quæſt. diuiſat.

Hæc ſententia variis confirmatur rationibus. Prima eſt. Exiſtẽtia ſumit ſuam ſpecificationẽ ab eſſentia ſpecifica; ſed materia, ex ſe, nullam habet eſſentiam ſpecificam; ergo, ex ſe, nullam habet exiſtẽtiam. *1. Ratio.*

Secunda ratio. Exiſtentia eſt actus ſecun- *2. Ratio.*

 duſ:

dus ergo ſupponit actum primum. Sed materia prima, ex ſe, nullum habet actum primum; ergo, ex ſe, nullam habet exiſtentiam. Reſpondemus vtriq. rationi negando minorem; quam materia prima, ex ſe, habet ſpeciem incompletam, & actum primũ incompletum. Sed dices materia habet propriam exiſtẽtiam; ergo, cum forma habeat propriam exiſtentiam, totum compoſitũ habebit duas exiſtẽtias realiter diſtinctas. Reſpondemus concedendo conſequentiã: quia nullum eſt abſurdum, totum compoſitũ habere duas exiſtentias partiales realiter diſtinctas: quemadmodum habet etiã duas eſſentias partiales realiter diſtinctas: imo quemadmodum totũ non habet eſſentiam diſtinctã realiter ab eſſentiis partialibus, ex quibus componitur; ita neq. habet exiſtentiam realiter diſtinctam ab exiſtẽtiis partialibus partium, ex quibus eſſentialiter componitur.

Solutio vtriuſque rationis.

3. Ratio.

Tertia ratio. Materia habet propriam exiſtentiam; ſed omnis exiſtentia in rebus creatis diſtinguitur realiter a ſua eſſentia; ergo exiſtentia materiæ diſtinguitur realiter a ſua eſſentia. Tum ſic: ergo forma ſubſtantialis non vnitur immediate materiæ primæ, ſed mediate illius exiſtentia: quod certe eſt abſurdum. Reſpondemus negando minorem: nã quamuis in rebus increatis exiſtẽtia nec re, nec ratione differat ab eſſentia, quia in Deo eſſentia diuina formaliter & realiter eſt ſua propria exiſtentia, & exiſtentia diuina realiter & formaliter eſt eſſentia diuina: in rebus vero creatis exiſtentia differt ab eſſentia formaliter tantum ſecundum rationem ratiocinatam. Et quamuis concedamus in rebus creatis exiſtentiam diſtingui realiter ab eſſentia, negamus, ſecundum conſequens eſſe abſurdum, eſſet tamen abſurdum, ſi cõcluderet, formam ſubſtantialem vniri materiæ primæ media alia forma, vniri vero illi ſuppoſita exiſtẽtia materiæ primæ, per quam materia prima eſt extra cauſam, nullum eſt incommodum: imo non intelligo, qua ratione poſſit illi vniri, niſi ſupponatur per exiſtentiam poſita extra cauſam. Merito ergo dictum eſt, formam vniri materiæ, in qua ſupponitur, non ſolum exiſtentia propria, ſed etiam ille modus realis & ſubſtantialis, per quem dicit ordinem, ita ad hanc formam, vt non ad illam. Sed dices, Quæ poſſunt ad inuicẽ ſeparari diſtinguũtur realiter; ſed eſſentia poteſt ſeparari ab exiſtentia; ergo eſſentia & exiſtentia diſtinguuntur realiter: ergo perperã negauimus in prima ſolutione exiſtentiam diſtingui realiter ab eſſentia. Reſpondemus negando minorem: nam abſque exiſtentia nõ poteſt manere eſſentia actu, ſed in potentia, & eodem modo manet exiſtentia. Reſpondemus ſecundo maiorem eſſe falſam: nam ad diſtinctionem realem nõ ſufficit ſeparatio vnius ab alio, ſed talis ſeparatio debet eſſe mutua; ita vt ex illis inter quę eſt diſtinctio, quoduis poſſit ſine alio manere; vt diximus hoc libro cap. 2. quæſt. 3.

Solutio.

4. Ratio.

Quarta ratio. Vna exiſtẽtia ſufficit toto compoſito; ergo non eſt cur in illo conſtituamus duplicem exiſtentiam. Reſpondemus diſtinguẽdo antecedẽs ita. Si ſit totalis concedo; ſi partialis nego antecedẽs: quare non cõſtituimus in toto compoſito duplicem exiſtentiam totalem, ſed vnã totalem, & duplicem partialem: quemadmodum conſtituimus in toto cõpoſito duplicem eſſentiam partialem, & vnã totalem.

Solutio.

Pater Fonſeca 5. Metaphyſico cap. 7. quæſt. 3. ſectione 7. conatur aliquibus rationibus ſuperiorem ſententiam confirmare, quas omnes ſolues facile, ſi obſerues, illum ſemper loqui de actu completo, ratione cuius res pertinet ad certam, & determinatam ſpeciem alicuius categoriæ entiũ completorum.

Materia prima nunquam exiſtit ſeparata a forma.

In fine quæſt. animaduerſum vellem materiam primam nunquã habere ſuam propriam exiſtẽtiam ſeparatam a forma; quẽadmodum nec forma quæ educitur de potentia materiæ habet ſuam propriam exiſtentiam ſeparatã a materia. Verum autem poſſit id fieri per aliquam potentiam dicemus quæſt. ſequenti.

QVAESTIO V.

An materia prima poſſit exiſtere abſque forma.

CONSTAT ex ſuperioribus quid ſit materia prima, quid exiſtentia, quid forma; pro explicatione ergo tituli dicendum eſt, de qua potentia ſit ſermo.

Diuiſio quæſt. Diuiditur hæc quæſ. in tres partes: in quarum prima proponemus quandam obſeruationem pro explicatione tituli, & quæ certa ſunt: ſecunda, noſtram ſententiam: & tertia, contrariam.

Potentia abſoluta et ordinata. IN PRIMA parte quæſt. obſeruandum eſt potentiam aliam eſſe naturalē & ordinatā; qua Deus concurrit cum cauſis ſecundis iuxta illarū naturam & indigētiam: & aliā abſolutā; qua Deus, ſupra naturæ leges, poteſt efficere quæcūq. factibilia ſunt, & contradictionē non implicant. In hac quæſt. certum eſt, loquendo de potentia ordinaria, materiam primam nō poſſe exiſtere abſq. forma. Certum etiam eſt materiam primam abſq. forma, adhuc de potentia abſoluta, nō poſſe exiſtere, exiſtentia pertinēte ad certam & determinatā ſpeciem completā: quare manet dubitatio an per potentiam abſolutam poſſit exiſtere aliqua exiſtentia, quæcumque illa ſit.

Materia prima poteſt exiſtere abſque forma. IN SECVNDA parte quæſt. ſit aſſertio. De potentia abſoluta poteſt materia prima exiſtere in rerum natura abſque forma. Hæc aſſertio eſt Scoti in 2. diſt. 12 q. 2. P. Pererij. & Toleti locis ſuperioris quæſt. citatis. Imo Soto qui contrariam tuetur ſententiam q. 6. art. 3. aſſertione 2. docet probabile eſſe, de potentia abſoluta materiam primam poſſe exiſtere abſq. forma. *Ratio efficax.* Ratio quæ Soto in hanc ducitur ſententiam efficax eſt, & ita habet. Quando duæ res ita ſe habent vt realiter diſtinguātur & vna non ſit pars alterius, non eſt negandum, poſſe Deum quamlibet illarum conſeruare abſque alia; nihil enim Deo eſt denegandum, vbi non eſt manifeſta contradictio; at nulla eſt certe manifeſta contradictio, quæ nos cogat ad id aſſerendum: cum enim materia & forma realiter diſtinguantur, cum ſint partes compoſitionis phyſicæ, quæ realis eſt; proinde non eſt aſſerendum, implicare contradictionem poſſe exiſtere materiam abſq. forma. Hæc certe ratio, ſi recte perpendatur, adeo efficax eſt, vt ſufficiat pro confirmatione concluſionis: quare ſolum proponemus aliam rationem, & breuiter rationes quæ adducūtur ab Scoto: nam poſtea in tertia parte quæſ. ex ſolutione argumentorū contrariæ ſententiæ, propoſitæ aſſertionis veritas manifeſte conſtabit, vbi enim eſt medium ita efficax ad probandam aſſertionem, quale eſt potentia Dei abſoluta, nō opus eſt vti variis rationibus: ſolum enim conabimur oſtendere, aſſertionem propoſitam non inuoluere manifeſtam contradictionem.

Sit ergo ſecūda ratio. *2. Ratio.* Quæ poteſt Deus medijs cauſis ſecūdis, poteſt ſe ſolo facere; ſed poteſt Deus medijs cauſis ſecundis efficere, vt materia prima exiſtat: ergo idē poterit efficere ſe ſolo: quare poterit cōſeruare materiam primam abſq. forma, cum forma ſit cauſa ſecunda. Reſpōdent contrarij auctores concedendo maiorem de cauſis ſecundis extrinſecis, quales ſunt efficiens, & finis: tamē negant illam de cauſis intrinſecis, quales ſunt materia & forma: cum ergo exiſtentia materiæ ſit a forma in genere cauſæ formalis, proinde, nec de potentia abſoluta poteſt exiſtere materia abſq. forma; quia hoc implicat contradictionem. Vt impugnemus ſolutionem videndum eſt in quo conſiſtat contradictio, in hoc quod eſt poſſe Deum efficere ſe ſolo, idquod poteſt media materia & forma. Docent ergo contradictionem in hoc conſiſtere; quia ſi Deus ſe ſolo efficeret, quod efficit medijs cauſis ſecundis intrinſecis, ſuppleret illarum vices: id eſt efficeret id, quod illæ efficiunt: cū ergo cauſæ intrinſecæ eſſentialiter componant, Deus ſi illarum vices ſuppleret eſſentialiter componeret: & conſequenter res illa compoſita eſſet Deus, *Obſerua.*

Sed

Sed licet verum ſit quod iſti docent, tamē non eſt ad inſtitutum: nam forma non eſt cauſa intrinſeca materiæ primæ: quia neq. forma, eſt forma materiæ; neque materia, materiæ; ſed ſolum eſt cauſa intrinſeca totius compoſiti: quare, verum eſt implicare contradictionem, totum compoſitum poſſe eſſe abſque forma, aut abſque materia: quia materia & forma ſunt partes intrinſecæ, & eſſentiales totius: tamē non implicat, materiam poſſe exiſtere abſq. forma: quia forma nō eſt de eſſentia materiæ. Reſpondent tamen, effectum formæ eſſe duplicem: alterum primarium, qui eſt eſſe eſſentiæ, & hunc dat forma toti compoſito; & alterum ſecundarium, & exiſtentiæ; & hunc tribuit forma toti compoſito & materiæ: cum ergo tam eſſe eſſentiæ, quam exiſtentiæ ſit effectus formalis, nullo modo poteſt ſupleri a Deo. Sed hæc ſolucio non euacuat vim rationis, quod ita oſtendo argumento ad hominem. (& perpendantur

Obſeruat

hæc, quæſo.) Quando aliquis effectus agit, dicit neceſſariam dependentiam ab aliqua cauſa, vt implicet contradictionem, poſſe reperiri abſque illa, per nullam potentiam talis effectus poteſt reperiri, abſq. illa cauſa; ergo, ſi talis effectus poteſt eſſe abſque illa cauſa per aliquam potentiam, non implicat contradictionem talem effectū poſſe eſſe abſque illa cauſa: ergo. ſi materia prima alicuius cōpoſiti poteſt exiſtere, abſq. eo quod habeat exiſtentiam a forma talis compoſiti, non implicat contradictionem, materiam poſſe exiſtere abſque forma; & conſequēter de potentia abſoluta poterit exiſtere abſque illa: ſed materia prima poteſt per aliquam potentiam exiſtere, abſq. exiſtentia cōmunicata a forma, [illegible] vnus materia eiuſdem compoſiti: ergo non implicat contradictionem, materiam primam poſſe exiſtere abſque forma. Probatur minor. Materia prima Chriſti Domini exiſtebat in Chriſto Domino, & tamen non exiſtebat per exiſtentiam tributam a forma, ſcilicet ab anima rationali Chriſti Domini; quia vt docet S. T. 3. p. q. 2. ar. 2. & fere omnes eius diſcipuli, qui tenēt materiam non poſſe exiſtere abſq. forma, humanitas Chriſti non habuit propriam exiſtentiam; ergo hic effectus, qui eſt exiſtentia materiæ primæ, hominis verbi gratia, poteſt eſſe, abſque eo quod ſit a forma, ſcilicet ab anima rationali; & conſequenter non implicat contradictionem materiā primam poſſe exiſtere abſque forma. Reſpondent quidam, materiam Chriſti Domini non exiſtere in Chriſto propria exiſtētia, ſed exiſtētia communicata a verbo diuino, illam tamen habere ſimul cum forma, cum qua ſemper fuit cōiuncta materia in Chriſto Domino, ac proinde, numquam materiam habuiſſe exiſtentiam abſque forma. Si tamen vim rationis perpendiſſent, non auderent certe hanc adhibere ſolutionem: nam non ſatisfacit argumēto quod ita oſtendo. Materia non poteſt exiſtere abſq. forma; ergo pendet a forma neceſſario in aliquo genere cauſæ, ita vt tale genus cauſæ, nō poſſit ſupleri a Deo: ſed hoc eſt aperte falſum; ergo, &c. Probatur minor: quia exiſtentia materiæ in Chriſto Domino nō erat ab anima rationali, quia illi docēt humanitatem in Chriſto Domino non exiſtere propria exiſtentia: ergo exiſtentia materiæ poteſt eſſe abſque eo quod ſit a forma in aliquo genere cauſæ: & conſequenter poteſt exiſtere materia abſque eo quod ſit a forma in genere cauſæ formalis: quare eſſe quod habet materia a forma poterit ſupleri a Deo: nō ergo recte docent, perinde materiam nō poſſe exiſtere abſq. forma, quia pendet ab illa in genere cauſæ formalis, & intrinſecæ: cum demonſtratum ſit materiam primā habere in Chriſto Domino eſſe exiſtentiæ, independens a forma in quocumque genere cauſæ.

His etiam accedit, materiam primam Chriſti Domini fuiſſe eandem in triduo mortis, quæ fuit antea & poſtea: & tamen in illo triduo vere exiſtebat, nullam tamē habebat dependentiam a forma cadaueris cum qua erat cōiuncta, ſumpta ea ratione qua vere & realiter illa materia erat materia

ria Chriſti, & altera ex partibus naturæ humanæ aſſumptæ a verbo diuino.

Aliæ rationes Scoti. Præterea probat Scotus hanc ſententiam his rationibus. Prima eſt. Plus dependent accidentia a ſubſtantia, quam materia a forma; ſed accidentia poſſunt exiſtere abſq. ſubſtãtia; ergo, &c. Minor probatur in ſacramento Euchariſtiæ, in quo ſpecies conſecratæ, quæ accidentia ſunt, per ſe exiſtunt, & non inhærent ſubiecto.

Secunda ratio. Illud quod eſt prius, ſi ſit abſolutum, & realiter diſtinctum ab aliquo poſteriori, ſi non eſt de eſſentia illius, poteſt eſſe ſine illo poſteriori; ſed materia prima eſt quid abſolutũ, & realiter diſtinctum a forma, & nõ eſt de eſſentia formæ, eſtque prior illa, ſaltem in ſuo genere cauſæ, materialis cum illam recipiat; ergo materia prima poteſt eſſe abſq. forma.

Tertia ratio. Quod creat Deus immediate, poteſt immediate conſeruare; quia conſeruatio rei creatæ nihil aliud eſt, quam quædam continuatio creationis: ſed Deus immediate creat materiam primam; quia nulla creatura poteſt eſſe cauſa materiæ primæ; ergo poteſt Deus immediate, & ſe ſolo conſeruare materiam primam; & conſequenter abſque forma.

Sententia D. Tho. mate. 1. non poteſt exiſtere abſq. forma. IN TERTIA parte quæſt. proponenda eſt cõtraria ſententia quæ docet materiam primam per nullam potẽtiam poſſe exiſtere abſque forma. Hanc tenent S. T. 1. p. q. 66. art. 1. Quodlibeto 3. q. 1. art. 1. de ente & eſſentia cap. 5. & ibidem Caietanus q. 8. & de potentia Dei q. 4. art. 1. Duran. 2. ſenten. diſt. 12. q. 2. numero 5. Soncinas 8. Metaphyſicæ q. 1. Soto q. 6. ar. 2. aſſertione 1. Valleſius controuerſia 7. & alij multi. Sed antequam horum rationes proponamus, obſeruandũ eſt, omnes iſtos philoſophos inniti huic fundamento. Nulla exiſtentia poteſt eſſe aut in toto compoſito, aut in eius partibus quæ non ſit a forma in genere cauſæ formalis. *Fundam. opinionis D. Tho. nullum.* Sed hoc fundamentum ab Scoto & ab eius ſectatoribus non iudicatur firmum: quare negãdo fundamentum hoc, facillimum eſt ſatisfacere rationibus illorum. Et quamuis multi ex illis conentur deducere fundamentũ hoc ex Ariſt. 2. de Anima cap. 1. ibi tamen nunquam hoc docuit: nam de hac re illo ceteris in locis mentionem fecit, primo enim ita ſcribit. *Eſt autẽ materia poteſtas, ſpecies actus et perfectio* Et paulo poſt. *Animus igitur natura et eſſentia ſit, neceſſe eſt, quaſi ſpecies ac forma corporis naturalis.* etc. Et deinde ita. *Animus eſt prima corporis naturalis, quod uitæ eſt particeps perfectio* Ex his vero locis ſolum licet inferre, formam eſſe primam perfectionem, & primum actum in rebus naturalibus: cũ ergo materia prima non ſit res naturalis, ſed natura; proinde, ex teſtimoniis Ariſt. non colligitur formam eſſe primum actũ, & primam perfectionem materiæ primæ.

Eſt ergo prima ratio pro ſententia D. *1. Ratio.* Tho. Quod implicat contradictionem nõ poteſt fieri, adhuc de potẽtia abſoluta: ſed implicat contradictionem materiam primam exiſtere abſque forma; ergo de potentia abſoluta materia prima non poteſt exiſtere abſque forma. Probatur minor. Rem ſimul eſſe & non eſſe implicat cõtradictionem; ſed ſi materia exiſteret abſq. forma ſimul eſſet & non eſſet: eſſet quidem; quia exiſteret; non eſſet, quia eſſet abſque forma & omne eſſe eſt a forma: ergo materiam exiſtere abſque forma implicat contradictionem. Reſpõdemus negando minorem. *Solutio.* Probationi ſimiliter; quia non omne eſſe eſt a forma, cum dictũ ſit ſuperiori quæſt. materiam primam ex ſe habere eſſe eſſentiæ, & exiſtentiæ: imo illud eſſe, eſſe ſubſtãtiale & ſpecificum licet incompletum: quare materia prima abſq. forma habet eſſe. Sed dices omne eſſe, vel eſt ſubſtantiale, 1. vel accidentarium; ſed materia abſque forma, neque poteſt habere eſſe ſubſtantiale, neq. accidentarium; ergo materia abſque forma non poteſt habere eſſe. Probatur minor. Non minus pendet eſſe ſubſtãtiale a forma ſubſtantiali, quam eſſe accidentale a forma accidẽtaria; ſed implicat quod ſit eſſe accidentale abſque forma accidentaria;

taria; ergo implicat quod ſit eſſe ſubſtãtiale abſque forma ſubſtantiali: ergo ſi materia eſt ab omni forma denudata, nec poterit habere eſſe ſubſtantiale, nec accidentarium. Reſpõdemus negando minorẽ. Probationi diſtinguendo maiorẽ ita. Eſſe ſubſtantiale completum concedo; eſſe ſubſtantiale incompletum nego maiorem. Ratio eſt: quia forma accidentaria eſt ens cõpletum, & pertinens ad categorias entium cõpletorum, & non admittit compoſitionem ex materia & forma: forma vero ſubſtantialis eſt natura incompleta; quare non poteſt tribuere ſubſtantiæ naturalium totũ eſſe quod habet, quamuis illam conſtituat in ſpecie completa, cum ſit actus determinãs.

2. Ratio. Secunda ratio. Omne quod exiſtit eſt ſingulare, & indiuiduum; ſed materia prima abſq. forma non poteſt eſſe ſingularis, & indiuidua; ergo materia prima non poteſt exiſtere abſq. forma. Probatur minor Omne ſingulare & indiuiduũ pertinet ad certam & determinatam ſpeciem; ſed materia abſq. forma non poteſt pertinere ad certam & determinatam ſpeciem; ergo materia prima abſq. forma non poteſt eſſe ſingularis & indiuidua. Probatur minor Eſſe ſpecificum tribuitur a forma: ergo ſi materia prima eſt omni forma deſtituta non

Solutio. poteſt pertinere ad certam ſpeciem. Reſpõdemus negãdo minorẽ. Probationi ſimiliter Probationi probationis, negãdo antecedens: nam ſolum, eſſe ſpecificũ cõpletum eſt a forma, incompletum vero minime: ſæpe enim dictum eſt materiam primam ex ſe habere eſſe ſpecificum incompletum. Iſtas quas propoſuimus rationes adducuntur ab omnibus iſtis philoſophis locis citatis: ab aliquibus ex illis aliæ proponuntur, omnes tamen eodem modo poſſunt diſſolui.

Valleſius quid. Valleſius loco citato noſtram ſententiam ita irridet, vt aſſerat eſſe debilitatem mentis affirmare, poſſe Deũ efficere vt materia prima exiſtat abſque forma. Sed melius fuiſſet Val. ſuam ſententiam probare quam contrariã abſq. cauſa irridere. Poſt quam enim hanc Scoti ſententiam, non ſit mirimis, ſed inanibus quibuſdam rationibus impugnauit, quaſi quadam capeus admiratione. ſequens de materia prima exiſtente abſq. forma, in hæc verba prorũpit. *Quid enim faceret?* Reſpondemus poſſe Deũ illam cõſeruare abſq. formã, cognoſcimus enim hoc non implicare contradictionem: quid vero ex illa efficeret Deus, aut quid ipſa faceret, ſi de potentia abſoluta abſq. forma exiſteret, Deus ſcit: rerum namque, quæ naturaliter eueniunt, cauſas inquirat philoſophus naturalis: nam certe intellectus noſter eſt incerta regula, eorum quę de potentia Dei abſoluta fieri poſſunt. Inquit enim D. Paulus ad Romanos 11. *O altitudo diuitiarũ ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius eius fuit?* etc. Et 1. ad Corinthior cap. 2. *Quis enim cognouit ſenſũ Domini, aut quis inſtruxit eum?* Et ſapientiæ 9. inquit ſcriptura ſacra. *Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei?* Et Iſaiæ cap. 40. *Quis adiuuit ſpiritum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit, & oſtendit illi?* etc. Indiſcrẽte ergo Valle. ex eo quod dubitet quidnã faceret materia abſq. forma colligit non poſſe exiſtere abſq. illa.

Sed obiicies, vt ipſe obiicit. Si materia prima exiſteret abſq. forma; ergo eſſet alicubi & quanta: ſi ergo alicubi, & quanta; cum eſſe in loco, & habere quantitatem ſit proprietas entis naturalis, materia prima eſſet ens naturale: & conſequenter non eſſet abſq. forma. Reſpõdemus negando primã conſequentiam: nam tunc temporis careret quantitate, & non eſſet in loco phyſico: ſi vero quæras, qua ratione tunc temporis ſe haberet, & vbinam eſſet, reſpondemus nõ eſſe in loco, ſed in ſeipſa, vt late diximus de ſubſtantia exiſtente abſque quantitate cap. 2. quæſt. 2. Sed dices materia prima tunc eſſet corporea; ergo eſſet quanta: ſed omnis quantitas ſupponit formã ſubſtantialem: ergo materia prima haberet formã ſubſtantialem. Hæc ratio eget q. ſequenti.

QVÆ.

QVAESTIO VI.

An materia prima ſecundum ſe ſit corporea, & an habeat formam corporeitatis.

IN hac quæſt. primo inquirimus, an materia ſecundum ſe ſit corporea: ſecundo, an habeat formam corporeitatis.

Diuiſio quæſt. Diuiditur quæſt. in tres partes in quarũ prima proponemus obſeruationes pro explicatione tituli: in ſecunda ſatisfaciemus quæſt. tribus aſſertionibus: & in tertia ſoluemus contraria argumenta.

Corpus duplex. IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Corpus duplex eſt: aliud de prædicamento quantitatis, & de hoc dicemus quæſt. ſequenti: & aliud de prædicamento ſubſtantiæ, de quo procedit quæſt. Sed pro exacta intelligentia propoſitæ diuiſionis, cõſule quæ diximus c.3.q.2. præcipue in 4. parte illius.

Corpus ſubſtantiale duplex. Secunda obſeruatio. Corpus de prædicamento ſubſtantiæ duplex eſt: aliud pertinens directe ad rectam ſeriẽ categoriæ ſubſtantiæ, & hoc eſt ſubſtantia naturalis cõpleta: & aliud pertinens reductiue ad categoriam ſubſtantiæ, & tale corpus eſt pars ſubſtantiæ naturalis: ſed quia pars alia eſt integrans, vt caput; & alia eſſentialis, vt materia & forma, quæſtio nec procedit de ſubſtantia naturali, nec de parte illius integrante: ſed inquirit, an materia prima ſecũdum ſe, ſit corporea, vt pars eſſentialis ſubſtantiæ naturalis.

Particula ſecundum ſe ſumitur dupliciter. Tertia obſeruatio. Particula ſecũdum ſe modo ſumitur dupliciter: primo vt idẽ eſt ac non ab alio, ſiue ſit ſecundum eſſentiam, ſiue ſecundũ accidens: ſecũdo prout idem eſt ac ſecundum eſſentiam; quamuis certum ſit, materiam primam nõ poſſe eſſe partem ſubſtantiæ corporeæ per accidẽs; quare manet dubitatio: an materia prima ſit corporea ſecundum ſe: id eſt ſecundum eſſentiam. Ex his patet ſẽſus dubitationis quam primo inquirit quæſt.

Quid ſit forma corporeitatis. Quarta obſeruatio. Forma corporeitatis, eſt per quã res naturalis pertinet directe, & per ſe ad alterã ex ſpeciebus, in quas immediate diuiditur ſubſtãtia, quæ eſt genus ſupremum; diuiditur enim ſubſtantia, quæ eſt genus ſupremum in corpoream, & in ſpiritualem, ſiue incorporeã: forma ergo corporeitatis eſt illa, a qua ſumitur differentia, ratione cuius ſubſtantia naturalis pertinet ad ſpeciem, quæ eſt ſubſtãtia corporea: vbi obſeruandum eſt formam hanc corporeitatis phyſice loquendo, nõ eſſe vnam, nam forma plantæ eſt corporeitatis, forma lapidis forma animalis, &c. Sed eſt vna Metaphyſice, quia ſcilicet ab omnibus iſtis formis, quæ realiter diſtinguũtur, abſtrahit intellectus naturam quandam communem negatiue, per quã conſtituitur forma corporeitatis, ratione cuius res naturales pertinent ad ſpeciem, quæ eſt ſubſtantia corporea. Ex hac obſeruatione manifeſtus eſt ſenſus dubitationis, quam ſecundo loco inquirit quæſt.

Materia nõ eſt corpus de recta ſerie. IN SECVNDA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Materia prima ſecundũ ſe non eſt corpus compoſitum ſiue pertinens directe ad rectam ſeriem categoriæ ſubſtantiæ. Probatur. Omne corpus pertinẽs per ſe, & directe ad categoriam ſubſtantiæ eſt ens naturale; ſed materia prima ſecundum ſe nõ eſt ens naturale; ergo materia prima ſecundum ſe non eſt corpus pertinens directe ad categoriam ſubſtantiæ. In hac aſſertione omnes conueniunt.

Materia ſecundum ſe eſt corpus incõpletum. Secunda aſſertio. Materia prima ſecundum ſe eſt corpus incompletum, pertinens indirecte & reductiue ad rectam ſeriem categoriæ ſubſtãtiæ. Probatur aſſertio. Materia prima ſecundum ſe eſt ſubſtantia: ſed non eſt ſubſtantia incorporea; ergo eſt corporea. Maior manifeſta eſt ex quæſt. ſuperioribus, & probatur etiã. Quod eſſentialiter eſt tale, ſecũdum ſe eſt tale: ſed materia prima eſſentialiter eſt ſubſtãtia: ergo ſecũdũ ſe eſt ſubſtantia. Probatur maior: quia eſſẽtia rei nõ poteſt eſſe ab alio, ſed ſolũ eſt a Deo efficienter. Probatur minor. Quod eſt pars eſſentialis ſubſtantiæ, debet eſſe

ſecundum ſe ſubſtantia; ſed materia prima eſt pars eſſentialis ſubſtātiæ: ergo materia prima ſecundum ſe eſt ſubſtantia. Minor primi argumenti ita probatur. Subſtantia corporea nō poteſt componi ex partibus, quarum quæuis ſit incorporea: ſed ſubſtātia naturalis cōponitur ex materia & forma: ergo materia, & forma nō poſſunt eſſe ſubſtātiæ incorporeæ: cum ergo in aliqua ſubſtantia naturali, ſcilicet in homine, forma, quę eſt anima rationalis, ſit ſpiritalis, & incorporea, aſſerendum eſt, materiā primam eſſe ſubſtantiam corpoream incompletam.

In materia prima non eſt forma corporei-tatis. Tertia aſſertio. Nullo modo eſt admittēda in materia prima forma corporeitatis, quam multi docent cōſtituiſſe Auerroem: aſſerunt enim multi, in materia prima eſſe quādam formā corporeitatis coæternam materiæ primæ, & poſſe materiam primā denudari ſucceſsiue ab omnibus formis ſpecificis, non tamen ab hac forma corporeitatis: quam ſentētiam conſonam eſſe Auerroi probant quatuor rationibus, quas adfert P. Pererius lib. 5. cap. 14. & illas ſoluit cap. 15. Probant inſuper quinque rationibus, ſententiam hāc conſonam eſſe rationi, quas adducit Pererius in fine eiuſdem cap. 14. & accurate illas ſoluit cap. 6. dum proponit 6. rationem. Probat ad hęc cap. 15. propoſitam ſententiam de forma corporeitatis, eſſe contra Auerroem octo argumentis, & eſſe contra Ariſt. 12. argumentis. Inſuper cap. 6. demonſtrat ſex rationibus eſſe contra veritatem illum legire. Nos vero vnica ſolum ratione confirmamus aſſertionem: ratio ergo ita habet.

Probatur ratione aſſertio. Omnis forma recipitur in ſubiecto; ergo ſi materia prima ſecundum ſe habet formā corporeitatis, illa forma debet recipi in ſubiecto. Modo ſic. Forma hęc materię primę recipitur in ſubiecto: ergo illud primū ſubiectum erit materia prima. Probatur conſequentia: quia Ariſto. hoc lib. cap. 9. definiuit materiam primam, primum ſubiectum, &c.

1. Ratio. IN TERTIA parte quæſt. dices primo. Materia prima ſecūdum ſe eſt actu corporea; ergo per aliquem actū: ſed actus conſtituens rem in eſſe corporeo eſt forma corporeitatis: ergo, ſi materia, prima ſecūdum ſe eſt actu corporea, habet formā corporeitatis. *Solutio.* Reſpondemus concedendo enthymema, & negando minorem: nam per formam ſolum cōſtituitur res corporea de recta ſerie categoriæ ſubſtantiæ, at materia prima, quæ corporea eſt ſecundum ſe, non pertinet ad rectam ſeriem, ſed reductiue & vt pars. *1.* Sed dices: ergo materia prima componitur ex ſubſtātia, & ex actu illo, per quem cōſtituitur in eſſe corporeo: ergo illa ſubſtantia, quæ recipit huiuſmodi actum, erit materia prima: quare ex ſe non erit corporea. Reſpondemus concedēdo primam conſequentiam; & negando ſecundam: ratio eſt: quia illa compoſitio nō eſt phyſica, ſed Metaphyſica ex genere, & differentia: hæc vero non deſtruit rationē materiæ primæ: quia materia prima non eſt primum ſubiectum actus Metaphyſici idest differentiæ; ſed eſt primum ſubiectū actus phyſici, ideſt formæ naturalis.

2. Ratio. Dices ſecūdo. Omne corporeum eſt extenſum; ſed materia prima non eſt extenſa: ergo materia prima non eſt corporea. Probatur minor. Omnis extenſio eſt à forma accidentaria, quæ eſt quantitas: ſed materia prima ſecundum ſe nullam habet quantitatem; ergo materia prima ſecundum ſe nullam habet extenſionem. *Solutio.* Reſpondemus diſtinguendo maiorem ita; omne corporeum de prædicamento quantitatis, concedimus: omne corporeum de prædicamento ſubſtantiæ, negamus maiorem: materia ergo prima ex ſe eſt corporea de prædicamento ſubſtantiæ. *1.* Sed dices. Naturaliter loquendo; ſubſtantia corporea nō poteſt eſſe abſque extenſione; ſed materia prima eſt ſubſtantia corporea; ergo nō poteſt eſſe abſque extēſione: ſed extenſio eſt a quantitate; ergo naturaliter loquendo, materia prima non poteſt eſſe abſq. quantitate: ergo ſecundum ſe non eſt omni forma deſtituta; aut ſi eſt omni forma deſtitu-

ta, non eſt ſubſtantia corporea. Reſpondemus negando vltimam conſequentiam; nã cõmittitur fallacia a dicto ſimpliciter, ad dictum ſecundum quid. Verum namq. eſt, naturaliter loquendo, non poſſe eſſe abſq. quantitate: quia, naturaliter loquendo, nõ poteſt eſſe abſque forma, & forma non poteſt recipi niſi media quãtitate: inde tamẽ non ſequitur, materiam primam ſecundũ ſe habere quantitatem; quia illam tribuit illi forma, cum qua eſt coniuncta. Sed dices.
2\. Materia non poteſt recipere formam niſi media quantitate: ergo quantitas non eſt in re naturali a forma: quare materia prima habet quantitatem ſecundum ſe, id eſt, non mendicatam a forma: quare materia prima ſecundum ſe habebit quantitatem coæuam, quæ ſemper maneat cum illa in omni tranſmutatione naturali. Hoc argumentum inquiris quæſt. quæ ſequitur.

QVAESTIO VII.

An materia prima habeat ſecundum ſe quantitatem coæuam, & dimenſiones interminatas.

Diuiſio quæſt. DIVIDITVR quæſt. in tres partes: prima proponemus obſeruationes pro explicatione tituli: ſecunda, noſtram ſententiam: & tertia, contrariam, illiuſque argumenta diſſoluemus.

Particula per ſe ſignificat nõ a forma. IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Particula, *per ſe*, non ſignificat modo ſecũdum eſſentiam; quia omnes exiſtimant, materiam primam eſſe ſubſtantiam: & conſequenter non eſt dubium, materiam primam ſecundum eſſentiam non habere quantitatem: ſignificat ergo particula *ſecundum ſe*, idem ac non a forma, ſiue a toto compoſito.

Cur quantitas dica Secunda obſeruatio. Quantitas molis, de qua loquimur, dicitur ab aliquibus coæna materiæ, quia crediderunt, materiã primam a principio ſuæ creationis accepiſſe, ſimul cum ſuo eſſe ſubſtantiali, quantitatẽ quandam, hancque eandem ſemper permanſiſſe cum materia prima in omni trãſmutatione naturali. *tur ab aliquibus coæua.* Sed cũ quantitas hæc ſit trina dimẽſio, dicitur ab illis huiuſmodi quantitas dimenſio interminata, ſiue dimenſiones interminatæ: fuerunt enim opinati, quantitatem hanc materiæ determinari per formã, quæ recipitur in materia. Quare ſenſus quæſt. eſt: an materia prima habeat ex ſe, id eſt, non a forma quantitatem indeterminatam, quæ maneat ſemper eadem in omni tranſmutatione naturali.

Materia prima ex ſe non habet quantitatem. IN SECVNDA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Materia prima ex ſe nõ habet quantitatem. Probatur primo ex Ariſ. qui in Logica cap. de ſubſtãtia docuit deſtructis primis ſubſtantiis nihil loci manere ſecundis & illarum accidentibus: ergo cum prima ſubſtantia ſit totum compoſitum, accidẽtia inhærent toti compoſito, & non materiæ primæ. Deinde 7. Metaphyſico cap. 1. loquens de ſubſtantia completa, inquit. *Omnium tamen eſt ipſa ſubſtantia primum, et ratione, et cognitione, et tempore:* ergo in materia prima nullũ accidens poteſt antecedere formam ſubſtantialem: quare materia prima ſecundum ſe non habet quantitatem.

Probatur etiã aſſertio his rationibus. Prima ratio. Forma ſubſtãtialis recipitur immediate in materia prima; ergo quantitas nõ eſt coæua materiæ primæ: quia forma ſubſtantialis reciperetur media quantitate. Antecedens eſt Ariſto. 2. de Anima ca. 1. Et probatur ratione: primo, quia ſin minus vnio ſecunda & accidentaria antecederet vnionem primam & ſubſtantialẽ: ſecundo, quia actus ſecundus & accidentãrius eſſet prior, actu primo & ſubſtantiali: tertio, quia ratio, quam reddit Ariſt. 8. Metaphyſico cap. 6. cur ex materia prima & ex forma ſubſtantiali fiat vnum ens per ſe, non eſſet recta: docet enim ibi, huius rei cauſam eſſe, quia materia prima eſt pura

 poten-

potentia ad omnem formam, & forma ſubſtantialis eſt primus actus: imo docet, formā, quę ex genere & differentia cōſtat eſſe vnum per ſe, ex eo quod genus ſe habet vt materia, differentia vero vt forma: ſignum ergo eſt ſenſiſſe Ariſtotelē genus in ſe nullam habere differentiam actu quemadmodum nec materia habet ex ſe aliquam formam actu.

Secunda ratio. Per generationē cuiuſcumq. rei producitur quantitas; ergo ſi in materia eſt quantitas coæua, in toto compoſito erit duplex quantitas & cōſequenter erit penetratio dimenſionum, quod eſt abſurdum. Nec valet ſi reſpondeas pro cōtraria ſententia, per generationē non produci quantitatem de nouo, ſed præexiſtentem determinari: quod ita oſtendo. Producitur ſubſtantia capax quantitatis: ergo ſimul cū illa producitur de nouo quantitas.

Tertia ratio. Quantitas, quæ fit per accretionem, eſt in toto compoſito, ergo etiā quantitas, quæ ſit, vel quæ determinatur per generationem. Probatur cōſequentia: quia in toto cōpoſito indiuiduo & ſingulari omnis quantitas, non ſolum eſt vna ſecundum ſpeciē (loquor de trina dimenſione de qua eſt quæſt.) ſed eſt vna numero.

Quarta ratio. Media quantitate reciperetur forma in materia, vt vult contraria opinio: ergo principia rei naturalis ſūt quatuor: quod eſt abſurdum.

Materia prima ex ſe non habet dimenſiones interminatas. Secunda aſſertio. Materia prima, ex ſe non habet dimenſiones interminatas. Hæc aſſertio manifeſta eſt ex ſuperiori: quod enim quantitate caret, non poteſt illam habere interminatam: imo quamuis in materia ſecundum ſe ſupra concederemus quantitatem, non eſſet concedendū, illam quantitatem ſecūdum ſe eſſe interminatam, ſed potius terminatam: quod ita probo. Omne finitum eſt terminatum, cum terminus, & finis, ſint idem: ergo cum nulla ſit quantitas infinita actu nulla erit quātitas interminata.

Sententia Auerro. IN TERTIA parte quæſt. propo-nenda eſt contraria ſententia. Auerroes exiſtimauit materiam primam ex ſe habere quantitatem coæuam, illamque eſſe interminatam, & perſeuerare cum materia prima in omni tranſmutatione. Hanc docet ſententiam 1. Phyſ. occaſione deſumpta ex illis verbis Ariſto. cap. 7. quæ ita habent. *Eorum vero quæ omnino ſiūt partim informatione, etc.* Quibus Ariſt. facta inductione docet in omni tranſmutatione neceſſarium eſſe ſubiectum. Tenet eandē ſententiam lib. de ſubſtantia orbis. Hanc ſequitur ſententiam P. Pererius lib. 5. ca. 18 ibique refert multos doctores huius ſententiæ.

Eſt ergo prima ratio huius ſententiæ. *1. Ratio* Materia habet eſſe ſubiectum, nō a forma ſubſtantiali, ſed a ſe; ſed materia eſt ſubiectū per quantitatē: ergo ex ſe habet quantitatem. Minor probatur. Forma ſubſtantialis, huius ignis verbi gratia, non informat omnem materiam, ſed partē materiæ diuiſam ab aliis partibus materiæ; atqui materia non eſt diuiſa niſi per quantitatē: ergo forma, non informat niſi materiam per quantitatem diuiſam: ergo materia ſecundum ſe habet quantitatem. Reſpondemus *Solutio.* diſtinguendo minorem ita: per quantitatem coæuam, negamus: per quantitatē abſolute, concedimus minorem. Hanc autem ſemper habet, vel a forma, quæ corrūpitur, vel a forma, quæ generatur: quia cū quātitas ſit a forma, & nullum eſt inſtans tēporis, in quo non ſit a forma in materia: nullū etiam eſt inſtans, in quo materia nō habeat quantitatē a forma, media qua materia eſt ſubiectum. Sed dices. Accidens, quod eſt idem in genito & in corrupto, nō eſt a forma geniti, aut corrupti: ſed quantitas eſt eadem in genito & in corrupto: ergo nec eſt a forma geniti nec a corrupti. Probatur minor ex Ariſt. qui 2. de Gen. c. 4. docet, eadem accidentia eſſe in genito, & in corrupto. Reſpōdemus negando minorem. Probationi reſpondemus: Ariſto. eo cap. ſolum docere, faciliorem eſſe tranſmutationem naturalem inter ea, quæ habent

quali-

qualitate ſymbolã: quia eſt minor repugnantia, & talis qualitas ſymbola manet, in genito eadem ſecũdum ſpeciẽ, quæ erat in corrupto. Idem etiã docuerat 1. lib. c. 4.

2. *Ratio.* Secunda ratio. Forma rei naturalis introducitur in materiã extenſam; ſed quando eſt introductio formæ, materia non eſt extenſa a forma; ergo eſt extenſa ex ſe; ergo ex ſe habet quantitatem. Probatur minor. imprimis non eſt extenſa a forma rei, quæ corrumpitur, quia tunc iam non eſt talis forma: neque a forma quæ introducitur in materiam; ergo nõ eſt extenſa a forma. Vltima pars huius antecedentis probatur. Quod recipit, eſt prius re quæ recipitur; ergo cum materia extenſa recipiat formam, non poterit eſſe extenſa per illã.

Solutio. Reſpondemus negando minorem. Probationi negando antecedens; nam eſt extenſa a forma, quæ introducitur. Probationi reſpondemus quod recipit aliud, eſſe neceſſario prius natura illo, non tamen tempore: materia ergo eſt extenſa prius quam recipiat formam prioritate naturæ, ſimul vero tempore: & hoc ſufficit, ad hoc vt talis extẽſio ſit a forma.

1. Sed dices. Forma, quæ introducitur, eſt cauſa quantitatis; ergo eſt prior quantitate ſaltim prioritate naturæ; ergo in illo priori naturæ erit materia abſque quantitate ergo tunc non diſtinguitur a ſubſtantia incorporea, verbi gratia a ſubſtantia Angeli. Reſpondemus concedendo primam, & ſecundam conſequentiam, & negando tertiam: quia in illo tunc naturæ, etſi formaliter & actu non ſit diuiſibilis, eſt tamen capax diuiſibilitatis: ſubſtantia enim corporea nõ diſtinguitur eſſentialiter ab incorporea per actualem diuiſionem, ſed per aptitudinem ad illam, vt diximus hoc libro cap. 2. quæſt. 2. in quarta parte.

3. *Ratio.* Tertia ratio. Quantitas ſequitur materiã, ſicut reliqua accidentia ſequuntur formam; ergo ſicut reliqua accidẽtia inhærẽt materiæ ratione formæ, ita quantitas ineſt formæ ratione materiæ. Reſpondemus explicando propoſitionem, quæ eſt antecedens: nã quamuis omnia illa ſit a ſubiectis, non tamen conueniunt in illius explicatione: hic ergo eſt ſenſus illius. Quemadmodum materia eſt ſubiectum formarum ſubſtantialium, per quas conſtituuntur res naturales; ita quantitas eſt ſubiectũ, quo medio recipiuntur accidentia, quæ conſequũtur res naturales, & corporeas: vel poteſt intelligi hoc alio modo illa propoſitio. Quantitas ſequitur materiam, id eſt in qualibet re naturali, eo quod conſtat ex materia, reperitur neceſſario quantitas: quod non contingit in aliis accidẽtibus. Reſpõdemus ergo argumento negãdo conſequẽtiam; quia illa non ſequitur ex antecedente ſumpto modis explicatis. *Quantitas ſequitur materiam.*

1. Sed dices. Quãtitas conuenit toti compoſito ratione materiæ: ergo quantitas ſupponitur in materia. Confirmatur conſequentia. Forma de ſe non eſt quanta aut diuiſibilis; ergo eſt quanta ratione materiæ in qua recipitur; ergo materia ex ſe habet quantitatem. Reſpondemus diſtinguendo antecedens ita. Quantitas conuenit toti compoſito ratione materiæ, id eſt totum compoſitũ eſt quãtum per quantitatẽ materiæ, negamus antecedens: ſi vero reddat hunc ſenſum, quantitas conuenit toti compoſito ratione materiæ, id eſt quod non eſt compoſitum ex materia, nõ poteſt habere quantitatẽ, concedimus antecedens: quia materia eſt prima radix, & primum principium extenſionis: negamus tamen conſequentiam: quia nec materia, nec forma habet quãtitatem, ſed totum compoſitum.

4. *Ratio.* Quarta ratio. Quantitas eſt a forma; ergo recipitur in ſubiecto nõ extenſo: quod certe eſt abſurdũ. Conſequẽtia probatur. In toto cõpoſito ſolum eſt quantitas quæ eſt a forma; ergo cum non ſupponatur in ſubiecto quãtitas a forma recipietur forma in ſubiecto non extenſo. Cõſequens vero eſſe abſurdum conſtat ex eo quia impoſſibile eſt id quod extenſum eſt vel per ſe, vel per accidẽs recipi in ſubiecto non extẽſo. Reſpondemus concedendo cõſequentiam, negando tamen cõſequens eſſe abſurdum:

nam licet ex ſe non ſit ſubiectum extenſum formaliter, nã hoc habet a quantitate, quę eſt beneficio formæ; tamen, ſemper habet formaliter extẽſionem: quia ſemper habet vel formam rei, quæ generatur; vel formã rei, quæ corrumpitur. Sed dices. Quando recipiũtur duæ formæ in duabus partibus materiæ, illæ partes materiæ ſecundum ſe ſunt diuiſæ; ergo ſecundũ ſe habent quantitatem. Reſpondemus diſtinguendo antecedens ita. Sunt actu diuiſæ ſubſtantialiter, concedimus; ſunt actu diuiſæ quantitatiue, negamus antecedens; nam ſubſtantia corporea ſi quantitate deſtituatur, ſolũ eſt extenſa & diuiſa quantitatiue ab aliis ſecundum aptitudinem.

QVAESTIO VIII.

An materia prima ſecundum ſe ſit generabilis & corruptibilis.

Diuiſio quæſt. DIVIDITVR quæſt. in quatuor partes: prima explicabimus titulũ: ſecunda proponemus quædam fundamẽta, & quæ certa ſunt: tertia aſſertiones: & quarta contraria argumenta.

Quid ſit rẽ eſſe generabilem IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Rem eſſe generabilem eſt, poſſe fieri, vel factam fuiſſe per generationem: generatio vero duplex eſt: alia per ſe & ſimpliciter, quę eſt generatio ſubſtãtię: & alia per accidens, quæ eſt productio accidẽtis, ſemper tamẽ omnis generatio præſupponit ſubiectũ. Hoc enim differt generatio a creatione: quia creatio cũ ſit a Deo qui eſt agens infinitæ virtutis, fit ex nihilo, tanquã ex termino a quo, & nullũ præſupponit ſubiectũ res quæ fit per creationem: generatio vero naturalis cum ſit ab agente naturali, quod finitæ virtutis eſt, proinde neceſſario generatio naturalis ſẽper præſupponit ſubiectum, ex quo fiunt res naturales.

Secũda obſeruatio. Duobus modis poſſunt aliqua corrumpi, ſiue deſinere: primo ab intrinſeco, qua ratione poſſunt deſinere Angeli, & corpora cæleſtia: poſſunt enim annihilari a Deo, a quo libere conſeruantur: ſecũdo ab intrinſeco, & ab extrinſeco; vt omnia hæc inferiora, quæ poſſunt corrumpi a Deo, tum etiam & a principio intrinſeco: habẽt enim materiam cũ priuatione formæ, ratione cuius corrũpitur totum compoſitum (qua ratione corruptibilitas rei naturalis ſit a materia, & qua ratione ſit a forma dicemus quæſ. ſequẽti.) Quæ ſolum ſunt ab extrinſeco corruptibilia, dicũtur ſimpliciter neceſſaria, & corruptibilia ſecundum quid & ab extrinſeco: quæ vero ſunt corruptibilia ab extrinſeco, & ab intrinſeco, dicuntur ſimpliciter corruptibilia, & incorruptibilia ſecundũ quid, & ab extrinſeco. Ex his manifeſtus eſt ſenſus quæſt.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit primum fundamentum. In omni mutatione eſt neceſſarium ſubiectum; quod ſit ſub vtroque termino; & eſt neceſſarius terminus productus per mutationem: quare mutatio poteſt duobus modis ſignificari; primo vt mutatio, & ſic dicit ordinem ad ſubiectũ: ſecundo vt productio, & ſic dicit ordinem ad terminum, per illam productum: *In omni mutatione requiritur ſubiectum* denominat ergo mutatio, vt mutatio eſt, ſubiectum: vt vero eſt productio denominat formam, per illam productam: ſemper tamẽ inhæret mutatio in toto compoſito: verbi gratia calefactio ligni, vt mutatio, denominat lignum: vt vero eſt productio, denominat calorem: inhæret tamen in ligno calido: lignum enim mouetur ad calorem: calor producitur; & recipitur mutatio in calido.

Generatio & corruptio per ſe, & per accidens. Secundum fundamentũ. Aliquid poteſt generari aut corrumpi, ſimpliciter per ſe, & per accidẽs. Generatur per ſe quod per ſe eſt terminus generationis: vt homo generatur per ſe, quia eſt terminus per ſe generationis per quam producitur. Generatur per accidens, quod generatur ratione

illius

illius, quod generatur per ſe: vt brachium generatur per accidens, ad generationem hominis. Corrumpitur per ſe id, cuius nõ eſſe, eſt terminus per ſe corruptionis: vt homo. Corrumpitur per accidẽs id, cuius nõ eſſe eſt terminus ad quem corruptionis, nõ per ſe, ſed ratione alterius. Sed hoc, quod eſt generari, aut corrũpi per accidẽs, poteſt intelligi dupliciter: primo, ita vt vere generetur, aut corrumpatur, quamuis non primo & per ſe, ſed ad generationem & corruptionem alterius; verbi gratia brachium, vel forma leonis: ſecũdo, ita vt vere & realiter non generetur, aut corrumpatur, ſed dicitur generari, quia in illo ponitur aliquid, ſiue ſit realiter diſtinctum, ſiue non; & dicitur corrumpi, quia ab illo aufertur aliquid, ſiue diſtinguatur ab illo realiter, ſiue non diſtinguatur.

Materia ſumitur dupliciter.

Tertium fundamẽtum. Materia prima poteſt ſumi dupliciter: primo ſecundum rem: ſecundo, ſecundum modum realem, & ſubſtantialem, quem diximus in ſuperioribus habere per ordinem ad formam determinatam, cum qua coniungitur: ille enim modus realis eſt, non tamen realiter diſtinctus a materia.

Quæ ſunt certa.

His poſitis. In hac re primo certum eſt, materiam primam non eſſe generabilẽ per ſe: quia eſt pars totius cõpoſiti, quod per ſe generatur: & cõſequenter generatur, ad generationem illius, quod generatur per ſe: id vero quod generatur hoc modo, generatur per accidens.

Secundo certum eſt, materiam primam in prima ſua productione fuiſſe creatã ab ipſo Deo, vel concreatam potius, ad creationem rerum naturaliũ, quas Deus creauit. Quare manet dubitatio: an ſaltem per accidens generetur materia, quando generatur totum naturale: & an corrumpatur, ſaltem per accidens, quando corrumpitur totum naturale.

Materia nec generabilis, nec corruptibilis, adhuc per accidens.

IN TERTIA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Materia prima ſumpta ſecundum entitatem realem quam habet, neque per accidens eſt generabilis, aut corruptibilis. Probatur aſſertio. Illud generatur, aut corrumpitur per accidens, quod generatur, aut corrumpitur ad generationem, aut corruptionem alterius, quod generatur, aut corrũpitur per ſe; ſed materia prima, ſecundum entitatem realem quam habet, nec generatur, nec corrumpitur ad generationẽ, aut corruptionẽ alterius, quod generetur aut corrũpatur per ſe: ergo materia prima non generatur, aut corrumpitur, adhuc per accidẽs. Maior eſt certa. Minor probatur. Entitas, quæ reperitur ſub vtroque termino generationis, neque per ſe, neq. per accidens, fit per generationem; ſed entitas materiæ primæ reperitur ſub vtroque termino generationis; ergo materia prima ſecundum ſuam entitatem neq. per ſe, neq. per accidens generatur, aut corrumpitur.

Materia prima generatur per accidens ratione modi.

Secunda aſſertio. Materia prima generatur, & corrumpitur per accidens ratione illius modi ſubſtantialis, per quam ita determinatur ad hanc formam, vt non ad aliam. Probatur aſſertio. Illud generatur, aut corrumpitur per accidẽs, quod generatur, aut corrũpitur, ad generationẽ tamẽ, vel ad corruptionem alterius, quod generatur aut corrumpitur per ſe; ſed materia prima, ſumpta ſecundum illum modum, generatur, & corrumpitur ad generationem & corruptionem alterius, quod generatur per ſe: ergo materia prima generatur, & corrumpitur per accidens, ſi ſumatur ſecũdum illum modum. Minor probatur: quia ad generationem leonis generatur per accidens ille modus, per quem materia dicit ordinem ad formam leonis; & per corruptionem leonis corrumpitur ille modus, per quem dicebat ordinem ad formã leonis.

Quomodo generetur per accidens materia.

Tertia aſſertio. Materia prima dicitur generari, & corrumpi per accidens ſecundo modo: quia ſcilicet per generationem totius compoſiti, recipit in ſe formam, & per corruptionẽ eiuſdem compoſiti illam amittit. In hac aſſertione conueniunt omnes, & ſit manifeſta, ſi perpendantur quæ

 dicta

dicta ſunt in ſecundo fundamento huius quæſtionis.

IN QVARTA parte quæſt. dices primo. Quod per ſe denominatur a mutatione, ſcilicet a generatione & corruptione per ſe eſt generabile & corruptibile; ſed materia prima denominatur per ſe a generatione, & corruptione; ergo materia prima per ſe eſt generabile, & corruptibilis. Reſpondemus ex primo fundamēto diſtinguendo maiorem ita. Quod denominatur a generatione vt productio eſt, & a corruptione vt eſt deſitio rei concedimus maiorem vt vero eſt mutatio, negamus illam.

1. Sed dices Quod denominatur a generatione, vt productio eſt, eſt per ſe generabile; ſed forma denominatur a generatione, vt productio eſt; quia forma eſt quæ producitur per generationem; ergo materia per ſe eſt generabilis. Reſpondemus diſtinguendo minorem; vt quo concedimus. vt quod negamus minorem: quare tantū ſequitur, formam eſſe generabilem per ſe vt quo; eſt tamē generabilis per accidens, ex eo quod illud eſſe, quod habet, adquirit nō primo & per ſe, ſed ad productionem totius cōpoſiti, quod eſt terminus per ſe, & vt quod, generationis naturalis.

Dices ſecundo. Quod per ſe generatur, & per ſe corrumpitur, per ſe eſt generabile, & corruptibile: ſed materia prima per ſe generatur, & corrumpitur; ergo materia prima per ſe eſt generabilis, & corruptibilis. Probatur minor. Generari eſt adquirere eſſe per generationem; & corrumpi eſt amittere eſſe per corruptionem; ſed materia prima acquirit eſſe per generationem, & amittit eſſe per corruptionem; ergo materia prima per ſe generatur, & corrumpitur. Reſpondemus negando minorē. Probationi ſimiliter: nam materia prima, cum ſupponatur in termino a quo, & maneat in termino ad quem corruptionis, nec adquirit ſuum eſſe reale per generationem, nec illud amittit per corruptionem. Solū ergo dicitur materia prima generari, & corrumpi ſecundum illum modum; quem diximus habere in ordine ad formam determinatam.

Dices tertio. Ad generationē per ſe totius, generantur quæuis illius pars per accidēs; ſed materia, & forma ſunt partes totius naturalis; ergo ad generationem per ſe totius generantur per accidens materia, & forma; (idem iudiciū eſt de corruptione) ergo materia prima eſt generabilis, & corruptibilis per accidens. Reſpondemus diſtinguendo minorem ita: ſi eſſe illarum partium non ſupponitur, concedimus; ſi ſupponitur, negamus minorem: quemadmodum quando fit domus, eius partes materiales, ſi ſumantur ſecundum entitatem, quam habent, nec per ſe, nec per accidens fiunt. Cum ergo eſſe materiæ ſupponatur, proinde nec per ſe, nec per accidens ſit, ſiue generatur ad generationē alterius. Imo in homine nulla pars generatur per ſe, aut per accidens, ſi ſumantur ſecundum ſuam entitatem realem; nam eſſe materiæ hominis ſupponitur ante generationem; forma vero, ſcilicet anima rationalis, fit a Deo per creationem. Dicuntur tamen materia & forma hominis generari per accidens ſecundum illum modum, quem dicit forma ad materiam, & ſecundum illum, quem dicit materia ad formam.

Dices vltimo. Res generabilis, & corruptibilis imperfectior eſt, re ingenerabili & incorruptibili; ſed totum cōpoſitum eſt generabile, & corruptibile; ergo, ſi materia prima eſt ingenerabilis & incorruptibilis, materia prima erit nobilior toto compoſito; quod certe eſt abſurdum. Reſpondemus negando maiorem. Nam præſtantia & nobilitas in rebus, non deſumitur a mutatione, ſiue actione per quā producatur; ſed potius a præſtantiori entitate: cum ergo præſtantior ſit entitas totius compoſiti, entitate materiæ primæ, totum compoſitum, quod fit per generationem, præſtantius eſt, materia prima, quæ fuit facta per creationem, licet creatio ſit præſtantior generatione.

QVÆ-

QVAESTIO IX.

An materia prima ſit principiũ corruptibilitatis.

SVPERIORI quæſtione docuimus, materiam primam ſecundum ſuã realitatem eſſe ingenerabilem, & incorruptibilẽ: ſupereſt modo inquiramus an ſit principium corruptibilitatis; cum conſtet, multas res materia conſtantes eſſe corruptibiles.

Diviſio quæſt.

Dividitur quæſtio in tres partes. In prima explicabimus titulum, & dicemus quæ certa ſunt; in ſecũda proponemus aſſertiones, & quaſdam dubitationes, quæ ab illis oriuntur; in tertia ſoluemus contraria argumenta.

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Inquirimus, an materia prima ſit principium corruptibilitatis, id eſt, an ratio, & cauſa, cur res naturalis eſt corruptibilis, ſit materia prima; nam certũ eſt, materiam primam eſſe principium corruptionis ſuam, vt dictum eſt q. 2. primæ partis diſputationis, principia generationis naturalis ſũt materia, forma, & priuatio, & eadem principia ſunt principia corruptionis naturalis; aut ſaltim certum eſt materiam primã eſſe ſubiectũ tam corruptionis, quam generationis naturalis; quia in vtraque eſt ſubiectum.

Materia eſt principium corruptionis.

Secũda obſeruatio. Materia alia eſt coniuncta cum forma inſeparabili, & appellatur materia ſatiata, quia ita illius appetitus adimpletur per illam formam, vt aliã nõ appetat: huiuſmodi eſt materia corporum cæleſtium; & alia, quæ eſt coniuncta cum forma ſeparabili, vt forma harum rerum inferiorum: hæc enim cum ſit coniuncta cum forma, quæ ab illa poteſt ſeparari, nõ eſt ſatiata; habet enim appetitum ad alias formas, qui prouenit a priuatione: priuatio enim eſt cauſa appetitus. Inquirit ergo quæſt. an materia prima ex ſe, ſit principium corruptibilitatis in quacunque re naturali.

Materia alia ſatiata, & alia non ſatiata.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Materia prima ſecundum ſe, non eſt principium corruptibilitatis. Probatur aſſertio: quia corpora cæleſtia materia conſtant, & tamen non ſunt corruptibilia.

Materia ex ſe non eſt principium corruptibilitatis.

Secunda aſſertio. Materia, quæ non eſt ſatiata; ſed coniuncta cum priuatione, eſt principium corruptibilitatis. Probatur aſſertio primo ex Ariſtotele hoc libro nono vbi docuit, priuationem partes maleficium formæ; quia eſt cauſa; ob quam vna forma ſeparatur a materia, & aduenit alia. 1.

Materia prima corruptibilitatis.

Probatur ſecũdo. Materia cum priuatione habet appetitum ad alias formas; quia priuatio materię in obliquo, dicit aptitudinem naturalem, quæ eſt idem re, & ratione cum appetitu ad formas; ergo, ratione priuationis, quam habet, eſt materia principium corruptibilitatis. 2.

Probatur tertio. Materia, quæ nõ eſt ſatiata forma, quam habet; ſed dicit priuationem formæ, dicit etiam potentiam paſsiuam ad alias formas; ſed id quod dicit potentiam paſsiuam ad alias formas eſt principium corruptibilitatis; ergo materia prima eſt principiũ corruptibilitatis. Probatur minor. Ad hoc, vt illa potentia paſsiua reducatur in actum, debet introduci forma de nouo; ſed non poteſt introduci forma de nouo, niſi corrumpatur totum illud, ſub cuius forma eſt materia prima: ergo a primo ad vltimum materia prima erit principium illius corruptibilitatis: quare materia, quę ſatiata eſt ſua forma, qualis eſt corporum cæleſtium, non debet iudicari principium corruptibilitatis: debet tamen illa, quę nõ eſt ſatiata, ſed cum priuatione coniuncta. 3.

Sed quæres. Vnde prouenit, materiam eſſe ſatiatam ſua forma, vel non eſſe ſatiatam? Reſpondemus breuiter, (nam de hac re erit ſermo in lib. de cælo) materiam eſſe ſatiatã, prouenire ab inſeparabilitate formæ; & non eſſe ſatiatam, prouenire a ſeparabilitate formæ: quare materia corporũ

Dubit. 1.

cæleſtium eſt ſaciata; materia vero omnium rerum inferiorum non eſt ſaciata: quia forma corporum cæleſtium, inſeparabilis eſt, harum vero rerum ſeparabilis. Sed quæres.

2. Vnde proueniat, formam eſſe ſeparabilem, aut inſeparabilem. Reſpondemus Prouenire a diſpoſitionibus, quæ ſunt in materia ad receptionem formarum; formæ ergo, quæ recipiuntur in materia, in qua ſunt diſpoſitiones prouenientes a contrariis qualitatibus, quales ſunt formæ rerum inferiorum, ſunt ſeparabiles. Ratio eſt, quia illa diſpoſitio, quæ eſt debita proportio inter primas qualitates, deficit propter mutuam actionem, & reactionem, quæ inter illas reperitur. Formæ vero, quæ nõ egent diſpoſitionibus promanantibus a cõtrariis qualitatibus, ſũt inſeparabiles, huiuſmodi ſunt formæ corporum cæleſtium: in cælo enim non ſunt contrariæ qualitates, ac proinde diſpoſitio ad receptionem, & conſeruationem formarum corporum cæleſtium, non poteſt a contrariis qualitatibus promanare.

3. Sed Quæres 3. Si corruptibilitas prouenit ex ſeparatione, & forma eſt, quæ ſeparatur, qua ergo ratione tribuitur materiæ, & nõ tribuitur formæ? Reſpõdemus, corruptibilitatẽ in rebus naturalibus nõ ſolum prouenire a materia; verumetiam a forma: nam, quemadmodum materia illis eget diſpoſitionibus, vt poſsit in ſe recipere formam ſeparabilem, ita forma eiſdem eget diſpoſitionibus ad hoc, vt poſsit recipi in materia, a qua poſsit ſeparari. Tribuitur tamẽ præcipue corruptibilitas materiæ; quia materia ratione priuationis, quam habet, eſt prima radix corruptibilitatis: effectus enim includens defectũ, ſemper tribuitur cauſæ defectiuæ, vt claudicatio in ambulatione, quãuis etiã ſit a virtute motrice ſecundum locũ, præcipue tamen tribuitur tibiæ claudæ; cum ergo corruptibilitas dicat defectum, proinde merito tribuitur primo, & præcipue materiæ: nam materia habet in ſe priuationem, ratione cuius forma ſeparabilis eſt a materia, & conſequẽter res naturalis eſt corruptibilis.

IN TERTIA parte quæſt. ſoluẽda ſunt contraria argumenta. Durãdus in 2. diſtinct. 12. q. 1. exiſtimat, materiam primam abſolute ſumptã eſſe cauſam corruptibilitatis; ac proinde omnem rem materia conſtantem eſſe corruptibilem; & cum videat, corpora cæleſtia eſſe incorruptibilia, proinde docuit eadem quæſ. cæleſtia corpora materia carere. Sed hanc ſententiam ratione aliquantulum alienam in libris de cælo examinabimus, modo ſufficiat occurrere argumentis, quæ propoſitis aſſertionibus videntur vim inferre. *Opinio Durandi.*

Eſt ergo prima ratio. Ex trãſmutatione naturali inueſtigamus materiam, tanquam per effectum; ſed trãſmutatio eſt corruptio vnius, & generatio alterius; ergo per corruptionem inueſtigamus materiã, tanquam per effectum; ergo quæuis materia prima eſt principium, & cauſa corruptibilitatis, & conſequenter vbi non erit tranſmutatio, & corruptibilitas, non erit materia. Hæc ratio eſt Durandi loco citato. Reſpondemus negando ſecundam conſequentiam: nam, etſi trãſmutatio naturalis ſit principium colligendi materiam eſſe; tamen non eſt principium adæquatum: cum etiam id idem probari poſsit per qualitates ſenſiles, & per quantitatem molis. Ariſto. vero hoc libro cap. 6. per motum, & tranſmutationes probauit, materiam eſſe: quia loquebatur de materia prima rerum, quæ generantur & corrumpuntur; non vero de materia in tota ſua latitudine: materiam vero rerum, quæ generantur, & corrumpuntur eſſe principium, & primã radicẽ corruptibilitatis, docuimus in aſſertionibus. Sed dices potẽtia paſsiua eſt principium tranſmutandi; ſed principium tranſmutandi eſt principium corruptibilitatis; ergo materia prima, cum ſit potẽtia paſsiua eſt principiũ corruptibilitatis. Reſpondemus negando maiorem; nam non omnis materia prima eſt principium paſsiuum tranſmutandi; ſed illa tantum, quæ *Soluuntur contrariæ rationes.* 1.

non.

non eſt ſaciata forma, quam habet: ſed potius habet priuationem, & appetitum ad alias formas.

Dices 2. Nulla potentia naturalis ordinatur ad non eſſe: ſed materia prima eſt potentia naturalis, & corruptio eſt non eſſe: ergo materia prima non ordinatur ad corruptionem: ergo materia prima non eſt principium corruptibilitatis. Probatur vltima conſequentia: quia corruptibilitas eſt principium corruptionis. Reſpondemus diſtinguendo primam maiorem ita, primo & per ſe concedimus, ſecundario negamus antecedens: quia ergo ad eſſe eius rei, quæ generatur, debet neceſſario ſupponi, non eſſe eiuſdem, quæ corrumpitur, proinde etſi natura, & quæuis potentia naturalis primo ſit ad eſſe: ſecundario tamen eſt ad non eſſe: corruptio ergo rei naturalis, naturalis eſt reſpectu naturæ vniuerſæ, quæ intendit generationem rei, quæ generatur, ex corruptione illius, quæ corrumpitur; eſt tamen contra naturam particularem illius rei, quæ corrumpitur: quemadmodum motus terræ ſurſum, ne detur vacuum, naturalis eſt ex parte naturæ vniuerſæ: eſt tamen contra naturam particularem terræ.

QVAEST: VLTIMA.

An materia omnium generabilium, & corruptibilium ſit eadem numero.

DIXIMVS ſuperiori quæſt. materiam primam eſſe principium corruptibilitatis: ſequitur explicemus, an hæc materia ſit eadem numero in omnibus rebus, quæ generantur & corrumpuntur.

Diuiſio quæſt. Diuiditur quæſtio in quatuor partes. Prima proponemus obſeruationes 2. aſſertiones 3. contraria argumenta 4. breuiter aliqua attingemus de appetitu materiæ primæ.

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio quæſt. ſolum procedit de materia rerum naturalium, quæ fiunt per generationem, & poſſunt corrumpi: nam de materia cœli dicemus in libris de cœlo.

Secunda obſeruatio. Materia prima poteſt ſumi ſecundum ſe, & ſecundum illum modum ſubſtantialem, quem habet in ordine ad formam determinatam, vt in ſuperioribus quæſtionibus ſæpe dictum eſt, præcipue vero quæſtione 3. de materia, dubitatione 2. *Materia prima ſumitur dupliciter.*

Tertia obſeruatio. Vnum numero ſumitur dupliciter, ſcilicet poſitiue, & negatiue. Eſt vnum numero poſitiue illud, quod habet in ſe principium aliquod indiuiduale poſitiuum, ratione cuius in ſe eſt indiuiſum, & diuiſum a quolibet alio. Eſt vnum numero negatiue illud, quod in ſe non eſt plura numero, tamen in ſe non habet principium, per quod poſitiue conſtituatur in eſſe numerico, & diſtinguatur ab aliis. Ex his manifeſtus eſt quæſ. ſenſus: inquirimus enim, an materia prima ſumpta ſecundum ſe, aut ſecundum illum modum ſubſtantialem, quem habet in ordine ad formam, ſit vna numero poſitiue, vel negatiue. *Vnum numero poſitiue, & negatiue.*

IN SECVNDA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Materia omnium generabilium, & corruptibilium ſecundum ſe ſumpta, eſt vna numero poſitiue. Probatur a definitione ita. Id quod habet vnum principium indiuiduale poſitiuum, per quod conſtituitur eſt vnum numero poſitiue; ſed materia prima, ſecundum ſe ſumpta, habet vnum principium indiuiduale, per quod conſtituitur: ergo materia prima ſecundum ſe ſumpta eſt vna numero poſitiue. Probatur minor. Id quod ſecundum ſe eſt ens, & ſubſtantia, & non habet multiplicitatem numericam poſitiuam, neceſſario debet habere quantitatem numericam poſitiuam: ſed materia prima ſecundum ſe, eſt ens, & ſubſtantia, & non habet multiplicitatem numericam poſitiuam: ergo neceſſario debet habere vnitatem numericam poſitiuam. Probatur minor. In primis materiam primam *Materia prima eſt vna numero poſitiue.*

mam ſecundum ſe eſſe ſubſtantiam, manifeſtum eſt ex quæſtione ſecunda de materia, & omnes concedunt: quod vero non habeat multiplicitatem numericam poſitiuam, probatur. Materia prima ſecundum ſe ſumpta, ſolum dicit ſuã nudam eſſentiam: ſed ſua eſſentia ſolum eſt pura potentia ad formas ſubſtantiales; ergo materia prima ſecundum ſe, ſolum dicit puram potentiam ad formas ſubſtantiales: ſed quod ſolum dicit puram potentiam ad formas ſubſtantiales nõ dicit multiplex principium numericum poſitiuum; ergo materia prima ſecũdum ſe non dicit multiplex principium numericum poſitiuũ: ſed quod non dicit ſecundum ſe, multiplex principium numericum poſitiuum, non eſt multiplex numero poſitiue; ergo materia prima ſecundum ſe non eſt multiplex numero poſitiue.

Tot ſunt materiæ, quot ſunt res naturales. Secunda aſſertio. Si materia prima ſumatur, vt eſt coniuncta cum formis, tot ſũt materiæ primæ numero poſitiue, quot ſunt compoſita naturalia. Probatur primo. Materia prima eſt actu in pluribus indiuiduis poſitiue; ergo tot erunt materiæ primæ poſitiue, quot erũt compoſita naturalia. In intelligibile enim eſt materiã Petri, & materiam Ioannis non diſtingui numero poſitiue, ſi ſumantur ſecundum eam rationem, qua materia Petri eſt ſub forma Petri, & materia Ioãnis eſt ſub forma Ioãnis. Quod probatur ita. Quæ diſtinguuntur, & non ſunt partes eiuſdem indiuidui, debẽt diſtingui numero poſitiue: ſed materia prima, quæ eſt ſub forma Ioannis, & materia prima, quæ eſt ſub forma Petri, realiter diſtinguuntur, & non ſunt partes eiuſdem indiuidui; ergo diſtinguuntur numero poſitiue.

Probatur ſecundo ab incommodo. Nõ ſunt tot materiæ poſitiue in rebus naturalibus, quot ſunt res naturales; ergo nõ eſt maior diſtinctio numerica poſitiua inter materiã Petri, & Ioannis adhuc, prout dicunt ordinem ad diſtinctas formas numero; quam ſit inter partes materiæ primæ Petri, quod certe abſurdum eſt & apparet impoſsibile.

IN TERTIA parte quæſt. proponendæ ſunt contrariæ ſententiæ. Eſt ergo communis ſententia Thomiſtarum, materiam primam omnium generabilium, & corruptibilium eſſe vnam numero negatiue: quare ſoluendæ ſunt rationes contrariæ noſtris aſſertionibus. *Cõtraria ſententia.*

1. Dices ergo primo. Quæ ad inuicem transmutantur, habent eandem materiam numero negatiue; ſed omnia generabilia, & corruptibilia ad inuicem tranſmutantur, ſiue hoc fiat mediate, ſiue immediate; ergo omnia corruptibilia habent eandem materiam numero negatiue. Reſpondemus negando minorem; nam quæ ad inuicem tranſmutantur, poſſunt fieri, imo fiunt ex eadem materia vna numero poſitiue ſecundum ſe, quæ dicitur eſſe multiplex per diuerſos ordines ad diuerſas formas.

2. Dices ſecundo. Omnis diſtinctio numerica eſt a forma: ſed materia prima ſecũdum ſe non habet formam; ergo materia prima ſecundum ſe non eſt vna numero. Reſpondemus negando maiorem: nam ſolum eſt vera de diſtinctione numerica compoſiti, quod in ſe continet formam.

3. Dices tertio. Tot ſunt materiæ quot ſunt res naturales: ergo, vel diſtinguuntur ſeipſis: & ſic erũt primo diuerſæ, & diſtinguentur pluſquam genere; vel diſtinguuntur per aliquid ſuperadditum: & tunc non erunt primum ſubiectum reſpectu formarum, cum prius recipiant illud per quod diſtinguuntur quam formam. Reſpondemus eſſe multas numero per aliquid ſuperadditum ſcilicet per illos diſtinctos ordines, quos habent ad diſtinctas formas: inde tamen non ſequi, materiam non eſſe primum ſubiectum: quia illi ordines nõ ſunt formæ; at materia dicitur primum ſubiectum reſpectu formæ.

4. Dices vltimo. Ex Ariſtotele hoc libro multis in locis, eadem eſt materia generabilium & corruptibilium; imo hoc ex eo probat: quia in omni generatione eſt aliquid

quid idem ſub vtroque termino: ergo cum eadem ſit materia rei, quæ generatur, cum materia rei quę corrũpitur, nõ recte docuimus, tot eſſe materias numero, quot ſunt numero res naturales. Reſpondemus negãdo conſequentiam: quia Ariſtoteles ſolum voluit ſignificare, illam partem materiæ, quæ erat ſub termino a quo, eſſe poſtea ſub termino ad quem: hinc tamen nõ licet inferre, illam materiam non eſſe multiplicẽ numero per diuerſos ordines, quos habet in re quæ generatur, & in re, quæ corrumpitur. Quia licet ſecundum ſe ſit vna numero, tamen multiplicatur numero per diuerſos ordines, per quos reſpicit diuerſas formas; cum quibus componit multas res naturales numero diſtinctas.

Dubitatio de appetitu materiæ. In fine quæſt. quæret aliquis, an in materia prima ſit appetitus ad formam. Reſpondemus in materia harum rerum inferiorum, certum eſſe, eſſe appetitum, qui nihil aliud eſt, quam capacitas ipſius materiæ ad recipiendas formas ſubſtantiales. In materia enim primo reperitur aptitudo ad recipiendas formas, hanc ſequitur priuatio, cum priuatio ſit carentia formæ in ſubiecto apto ad formam: priuationem ſequitur tanquam effectus, appetitus, qui eſt ad formas, quas materia habere poteſt; & licet hæc omnia in materia prima reperiãtur, inter ſe tamen non re, ſed ſola ratione formali diſtinguuntur; ſed obſeruandum eſt, appetitum materiæ duplicẽ eſſe, quemadmodum duplex etiam eſt materiæ potẽtia; appetitus enim qui ſequitur potentiã remotam materiæ primæ ſemper manet in materia prima; appetitus vero qui eſt ad formam certam & determinatam, perit accedente illa forma, & cõuenit materiæ primæ, non ſumptæ ſecundum ſe; ſed potius ſumptæ iuxta ordinem, quem habet ad formam determinatam. Alia multa poterant modo ſatis commode pertractari de materia prima; ſed illa omittimus, cum, ne hæc diſputatio ita prolixa ſit, vt ad alia explicanda non ſuperſit locus: tum, quia aliqua etiam dicemus de materia in quarta parte diſputationis, & ſecundo libro Phyſicorum: quare, quæ huc vſque dicta ſunt de materia prima modo ſufficiant.

TERTIA PARS DISPVTATIONIS QVAE EST DE FORMA, ET PRIVATIONE.

IN hac diſputatione breuiter quę ad formã pertinẽt prius explicabimus: tum, quia ex his quæ dicta ſunt de materia facillimo negotio intelligentur, quæ diſputanda erant de forma: tum etiam, quia diſputatio hæc aliquantulum eſt Metaphyſica: ac proinde Ariſtoteles cap. 9. huius libri monuit ab illa eſſe ſuper ſedendum. Quare in hac tertia diſputationis parte prius breuiter pertractabimus, quæ pertinent ad formam vt eſt principium naturale: deinde vero quæ ad cognitionem priuationis videntur deſiderari.

QVAE-

QVAESTIO I.

An ſit forma ſubſtantialis & quid ſit.

Diuiſio quæſt.

QVÆSTIO hæc facilē habet ſolutionē ſinam in his, quæ in illa docentur omnes conueniunt. Diuiditur ergo in 3 partes: quarum prima, proponemus varia nomina, quibus forma ſignificatur; tum etiam & varias formæ diuiſiones: ſecūda, dicemus an ſit & quid ſit forma: tertia, quaſdam rationes faciles ſoluemus.

Nomina formæ.

IN PRIMA parte quæſt. Sit prima obſeruatio. Forma varijs nominibus ſignificatur, præcipue tamen tribus nominibus metaphoricis, & tribus proprijs. Appellatur enim metaphorice ab Ariſt. 3. & 4. libro phyſico multis in locis, *terminus*,

Terminus.

eo quod rem terminet, & in ſuo certo eſſe cōpleto conſtituat, & ab alijs ſeparet, ſumpta metaphora a terminis & finibus agrorum, per quos agri, a vicinis ſeparantur. Quamuis nomen hoc etiam proprium ſit formæ, ſi ſumatur forma in quantū terminat quamuis mutationem: compoſitum enim conſtat ex materia & forma tanquam ex entitatibus partialibus. ex quibus, materia ſēper ſupponitur, forma vero ſemꝑ producitur, & eſt terminus productus per mutationē: Secundo appellatur forma metaphorice *pulcritudo*. Sic enim illā appellauit Ariſto. hoc libro cap. 9. vbi ita ſcribit: *Sed materia eſt, quæ formam ita deſiderat, vt marem fœmina, & res turpis pulcritudinem.* Appellatur 3. metaphorice, exemplar, quia quemadmodum artifex producit effectū proponendo ſibi, tanquam exēplar imitandum, formam & ideam, quam habet in mente, ita agens naturale producit effectum ſimilem ſuæ propriæ formæ. Appellatur etiam tribus nominibus proprijs, ſcilicet *forma, actus, & ratio* Dicitur *forma* quia informat, & induit materiam format, & perficit. Dicitur *ratio*: quia ab ipſa præcipue deſumitur ratio, eſſentia, & definitio rei. Dicitur tandem, *actus*: quia ipſius materiæ potentialitatē actuat; materia enim, quæ ex ſe dicit potentiā ad eſſe ſpecificum completum, per formam, tanquam per actum, actu pertinet ad certam, & determinatam ſpeciem: ſic enim Ariſt. illam nuncupauit 2. de Anima cap. 1. illis verbis *Eſt enim materia poteſtas, ſpecies, actus, & perfectio.* Ex quo teſtimonio colligo etiam, materiam interdum ab Ariſt. appellari ſpeciem & perfectionem rei. Appellatur quidem, *ſpecies*: quia ratione formæ, res naturalis, de qua loco citato verba facit Ariſt. pertinet ad certam ſpeciem. Dicitur etiam, *perfectio*; quia forma, perficit res naturales. Alijs etiam nominibus ſolet forma appellari; ſed quæ propoſuimus ſunt, quæ crebrius a Philoſophis vſurpantur.

Pulcritudo.

Exemplar.

Ratio.

Actus.

Diuiſiones formæ

Secunda obſeruatio. Alijs omiſſis formæ diuiſionibus, diuidimus formā in naturalem, & artificialem. Hæc enim formæ diuiſio colligitur ex Ariſto. multis in locis, præcipue ex 2. Phyſico cap. 1. Forma artificialis eſt, quæ fit media arte, & hæc aliena ſatis eſt a noſtro inſtituto. Naturalis forma duplex eſt, alia ſubſtantialis, & alia accidentaria. (Nomine formæ naturalis accidētariæ intelligimus omnia accidentia, quę diſtinguuntur contra illa, quę ſunt ab arte) Deinde forma ſubſtantialis, vt docet P. Fonſeca 1. Metaphyſicæ ca. 7. q. 3. ſect. 7. duplex eſt, ſcilicet per ſe exiſtens, & informans. Forma per ſe exiſtens eſt ſubſtantia ſeparata, vt ſunt intelligentię; & iſta forma per ſe exiſtens duplex eſt; alia, quæ nulli rei aſſiſtit: & alia, quæ alicui rei aſſiſtit, & appellatur forma aſſiſtens: huiuſmodi ſunt Angeli ſiue intelligentiæ, quæ aſſiſtunt corporibus cæleſtibus. Vt enim Ariſtote. docet in libris de cœlo, vnicuiq. corpori cæleſti aſſiſtit vna intelligētia, a qua perpetuo mouetur. Tādem forma informans, quæ naturalis eſt, eſt duplex: alia ſeparabilis, & alia inſeparabilis.

tabilis. Dicitur ſeparabilis illa, quæ poteſt exiſtere ſeparata a toto compoſito, cuius eſt forma: huiuſmodi eſt anima rationis particeps. Inſeparabilis eſt illa, quæ ſeparata a materia non poteſt exiſtere: huiuſmodi ſunt aliæ omnes formæ naturales; verbi gratia, forma leonis, bouis, &c.

Tertia obſeruatio. Præter huiuſmodi formas, alias cõſtituebat Plato; quas ideas appellabat: exiſtimauit enim rerum eſſentias a rebus ipſis eſſe ſeparatas. Sed has ideas paſſim maximo odio proſecutus eſt Ariſto.

Tandem obſeruandũ eſt, totam rei eſſentiam appellari etiam formam: ſic enim multoties dicere ſolemus, hominẽ formaliter eſſe animal; animal vero non eſt forma phyſica, ſed dicitur forma: quia eſt de eſſentia hominis. Ex dictis patet quæſ. ſenſus: ſolum enim diſputamus de forma ſubſtantiali informante, quæ eſt altera pars compoſiti naturalis.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Præter materiã reperitur alia pars compoſiti naturalis, quam formam ſubſtãtialem appellamus. Hæc aſſertio communis eſt, & cõfirmatur breuiter. Materia prima eſt ens incompletum, vt ſuperiori parte diſputationis ſatis dictũ eſt: ergo res naturalis non poteſt conſtare ex ſola materia: quare neceſſario conſtituenda eſt forma ſubſtantialis; quæ ſimul cum materia componit rem naturalem: quæ, cum ſit ſubſtantia completa, non poteſt cõponi ex accidẽtibus; ſed neceſſario ex partibus ſubſtantialibus; quarum altera, nempe materia, ſit potẽtia; altera vero, forma ſcilicet, ſit actus.

Definitio formæ naturalis. Secunda aſſertio. Forma naturalis ita definitur. Actus, ſubiectiuus, ſimplex, cõponens intrinſece ſimul cum materia rem naturalem. Ex dictis in quæſtionibus materiæ primæ facillimum eſt, hanc definitionem intelligere. Dicitur actus ſubiectiuus ad differentiam materiæ primæ; quæ licet ſit actus ſubiectiuus, eſt tamen pura potentia ſubiectiua. Dicitur, ſimplex; ad differentiam totius compoſiti: quod eſt actus ſubiectiuus, compoſitus tamen ex materia & forma. Dicitur, componens, ad differentiam formæ, & actus per ſe exiſtentis, ſiue ille ſit aſſiſtens, vel non. Tandem dicitur intrinſece componere, ad differentiam formæ accidentariæ; quæ licet ſit in toto cõpoſito, illud tamen non componit intrinſece. C. Toletus 1. Phyſico. quæſt. 19. aſſertione 2. hanc proponit formæ definitionem. Actus ſimplex formalis vnum per ſe cum materia componens, principium propriarum operationum rei. Quæ definitio recta etiam eſt, & ab illo accurate explicatur, a ſuperiorique parum diſtat.

Forma eſt præcipua pars eſſentiæ. Ariſt. 2. Phyſico cap. 3. & 8. Metaphyſico cap. 1. docuit, formam eſſe quidditatem rei: quam ſententiam multi ex Græcis interpretibus ita intelligunt, vt arbitrẽtur cenſiſſe Ariſto. ſolam formam eſſe eſſentiã rei. Exiſtimamus tamen formam ideo appellari ab Ariſt. quidditatem rei: quia forma eſt præcipua pars eſſentiæ rei naturalis, vt aperte colligitur, ſi attente perpendantur quæ Ariſt. docuit cap. c, 8. lib. Metaphyſici. Docet etiam hoc D. Tho. 1. p. q. 75. art. 4. in corpore.

IN TERTIA parte quæſt. dices primo. Eſſe actum ſimplicem eſt proprium ipſius Dei; ergo minus proprie dicitur forma naturalis actus ſimplex. Dices ſecũdo forma cõſtat ex gradu ſuperiori, & ex inferiori: ergo eſt compoſita. Reſpondemus primæ rationi negando conſequentiam: quia Deus ita eſt actus ſimpliciſſimus, vt nullam admittat compoſitionẽ: forma vero actus ſimplex eſt, non tamen ita, vt excludat omnem compoſitionem: quia admittit compoſitionem Metaphyſicam, ex genere & differentia; & hoc eſt, quod probat ſecũda ratio. Quod vero admittat hãc compoſitionẽ probatur primo: quia omnis creatura hanc admittit compoſitionẽ. Probatur ſecundo: quia forma in communi etiam diuiditur in formam corruptibilium, & incorruptibilium. Deinde corruptibilium in formam mixtorum, & ſimplicium. *Diuiſio formæ.*

eiuſ. Præterea forma ſimplicium, in formam quatuor elementorum. Rurſus forma mixtorum, in formam viuentium & non viuentium. Ad hæc forma viuentium, in vegetantem, ſentientem, & intelligentem, &c. Formam vero eſſe ſimplicem phyſice loquendo probatur primo. Principium cuiuſuis compoſitionis non debet eſſe compoſitum in illa compoſitione, ſed ſimplex; atqui forma eſt principium compoſitionis phyſicæ; ergo phyſice loquendo, forma debet eſſe ſimplex. Probatur ſecundo. Quia ſi eſſet compoſita, non differret à toto cõpoſito. Probatur tertio. Quia eſſet proceſſus in infinitum: quia forma, ſi non eſſet ſimplex phyſice, eſſet phyſice compoſita; & cum cõpoſitio phyſica ſit ex materia, & forma, eſſet forma cõpoſita ex materia, & forma: & rurſus illa forma eſſet compoſita ex alia materia, & forma: & ſic in infinitum.

Forma eſt ſimplex phyſice. 1. 2. 3.

Sed dices. Forma quæuis admittit compoſitionem ex genere, & differentia: ergo forma in communi eſt natura generica: ſed conſequens eſt abſurdum; ergo & antecedens. Probatur minor: quia genus debet eſſe natura completa, forma vero natura eſt partialis, & incompleta. Reſpondemus negando minorem. Probationi reſpondemus, non omnem naturam genericam debere eſſe completam, vt diximus quæſt. vltima de materia. Sed dices. Ergo materia prima ſumpta in communi etiam erit vna genere. Reſpondemus negando conſequentiam: quia diſpar eſt ratio. Nam materia ſecundum ſe non eſt determinata, ſed determinabilis: forma vero ſecundum ſe eſt determinata: imo forma eſt, quæ determinat eam ad certam ſpeciem. Secus vero res ſe habet, ſi loquamur de materia, non ſecundum ſe, ſed ſecundum diſtinctos ordines quos habet ad diuerſas formas: nam ſi materia prima penes huiuſmodi ordines cõſideretur, tot ſũt conſtituẽdę ſpecies materiæ primæ, quot ſũt ſpecies formarum, ad quas materia prima, per tales ordines, dicit habitudinem. Quare materia prima, vt reſpicit formam leonis, eſt vna ſpecies; vt reſpicit formã bouis, alia; & ſic de cæteris.

QVAESTIO II.

An omnes formæ naturales educantur de potentia materiæ.

HANC quæſt. diuidimus in quatuor partes: quarũ prima dicemus, an aliquid formæ lateat in materia, quid ſit formã educi de potentia materiæ, & diſcrimen inter productionem animæ rationalis, & cæterarum formarum naturalium: in ſecunda proponemus quæ certa ſunt: in tertia aſſertiones: in quarta ſatisfaciemus contrariis argumentis.

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Cũ ſatis ex ſuperiori quæſtione, quid ſit forma naturalis, eo modo videndum eſt, quid ſit, formam naturalem educi de potentia materiæ: prius tamen explicandũ eſt, an aliquid formę lateat in materia. Latere in materia eſt, aliquo modo eſſe actu in materia formã naturalem, antequã per generationem comproducatur, id eſt productionem totius, cuius eſt pars, & forma.

Quid ſit formã latere in materia.

Circa hanc rem; Durandus in ſecundo diſtinctione 18. quæſt. 2. ſtatim in principio, adfert tres ſententias, quarum prima negat veram generationem, & ponit ſolũ productionem formæ, de occulto ad manifeſtum, (ſic enim Durandus loquitur.) Secunda ſententia docet omnem formã creari à Deo de nouo, & nullã generari. Tertia aſſeruat, in rebus naturalibus poſſe nos conſiderare quatuor: primo ipſum nihil, quod eſt negatio omnis entitatis: ſecundo purum poſsibile: tertio materiam: quarto formam ſubſtantialem. Docet ergo tertia ſententia, generari aliquid naturaliter, ex eo quod illud purum poſsibile, quod eſt in materia, tranſmutatur in naturam formæ, nõ per annihilationem, ſed per ſui corruptionem, quia manet in forma aliquo modo, ſcilicet in virtute formæ. Ad

Proponit Dura. 3. ſentẽtias.

dic

dit inſuper ſententia hæc, hoc paruum poſſibile multiplicari, ad multiplicationem formarum, in quas eſt tranſmutabile. Sed huiuſmodi ſententias, & alias ſimiles, egregie impugnant Durandus loco citato Soto quæſt. 7. art. 1. & D. Thom. 1. p. q. 45. art. 8. vbi huiuſmodi ſententias docte impugnat: docet enim, eos qui collocabant inchoationes, & latitationes formarum in materia, ideo hoc docuiſſe, quia ignorabant naturã materiæ; & neſciebant diſtinguere inter potentiam, & actum materiæ. Docet prætere a, alios docuiſſe, formas omnes fieri per creationem: quia ignorabant rationem formæ: non enim conſiderabãt, non omnem formam naturalem corporis eſſe ſubſiſtentem. Sed hanc ſententiam impugnabimus ſatis in vltima obſeruatione: quare neque aſſerendũ eſt, aliquid formæ latere in materia; neque formas omnes fieri per creationem. Supereſt ergo explicemus, quid ſit educi de potẽtia materiæ.

Potentia paſsiua naturalis, & obedientialis.

Secunda obſeruatio. Potentia paſsiua, qualis eſt potentia materiæ, duplex eſt: alia naturalis: & alia obedientialis. Naturalis eſt, quæ dicit reſpectum & ordinem ad potentiam naturalem actiuam, quæ eſt ad producendam formam: Potentia obedientialis eſt, quæ dicit reſpectum ad potẽtiam actiuam agẽtis ſuperioris ordinis ad producendam aliquam formam. Vt lignũ eſt in potẽtia obedientiali ad formã cathedræ: quia non dicit ordinẽ, reſpectu huius formæ, ad potẽtiam agentis naturalis, ſed potius ad potentiam agẽtis ſuperioris ordinis; ſcilicet artificialis. Inquirimus ergo an formæ omnes naturales educãtur de potẽtia paſsiua naturali materiæ primæ.

Formam educi de potentia materiæ quid.

Tertia obſeruatio. Varie explicãt philoſophi, quid ſit, formam educi de potentia materiæ. Aliqui exiſtimant, formam educi de potentia materiæ, eſſe, materiam concurrere effectiue ad productionem formæ. Sed hæc ſententia non eſt recta: quia materia nullius eſt actiuitatis. Alij, quos refert Soto quæſt. 7. art. 2. exiſtimant, formam educi de potentia materiæ, eſſe, produci in materia diſpoſita certis diſpoſitionibus naturaliter ordinatis ad formæ receptionem. Sed illis obijcias, hoc etiam conuenire animæ rationali, cum animæ rationali etiam competat illa animæ definitio, actus corporis phyſici, organici, &c. Reſpondent materiam nõ eſſe diſpoſitam ex natura rei, ad receptionem animæ rationalis, ſed ex pacto, quo pepigit Deus cũ cauſis ſecundis, ſe creaturum animam rationalem, quotieſcumq. in materia tales præceſſent diſpoſitiones. Sed hæc ſolutio, vt ibidem docet, & probat Soto, indigna eſt, vt a philoſopho naturali proferatur.

Materia naturaliter eſt diſpoſita ad animã rationalem.

Materia enim naturaliter diſpoſita eſt ad receptionem animæ rationalis, quemadmodum ad receptionem cuiuſuis alterius formæ naturalis. Nam licet anima rationalis creetur a Deo, quod non contingit in alijs formis; tamen in materia prima etiam eſt naturalis diſpoſitio ad receptionem animæ rationalis. Hoc probatur primo: quia materia prima ſecundum ſe dicit eſſentialiter potentiam ad quamcumq. formam ſubſtantialem, quam recipit: & conſequenter cum etiam recipiat formam, quæ eſt anima rationalis, debet habere diſpoſitiones ex natura rei ordinatas, ad hoc, vt in materiam primam ſic diſpoſitam introducatur anima rationalis, & non alia forma. Probatur ſecundo: quia ſi in materia prima, diſpoſitiones, quæ antecedunt introductionem animæ rationalis in materiam primam, non eſſent naturaliter ordinatæ, ſequeretur inde, generationem hominis non eſſe naturalem; quod certe incommodum eſt: nam quamuis reſpectu productionis formæ quæ a Deo ſit, hominis generatio non ſit naturalis tamẽ reſpectu totius compoſiti naturalis, eſt naturalis homo enim quando generat hominem, non attingit productionem animæ, attingit tamen vnionem illius cũ materia, ex vi præcedentiũ diſpoſitionum, & ratione virtutis ſeminalis ſic deciſæ: quare tales diſpoſitiones ex natura rei ſunt ordinatæ, & generatio illa naturalis eſt.

Alij aſſerunt formam educi de potẽtia materiæ eſſe, agens attingere productionẽ formæ, & illius vnionem cũ materia. Sed quamuis verum ſit, hoc requiri, tamen magis explicat, quid ſit, formam produci virtute agentis naturalis, quam quid ſit, formam educi de potentia materiæ.

S. Tho. 1. p. q. 90. ar. 2. ad ſecundũ docet, educi de potentia materiæ nihil aliud eſſe quam fieri actu quod prius erat in potentia. Hunc modum dicendi ſequuntur Soto quæſt. citata. Et Valle. controuerſia 8. Sed licet hæc conditio requiſita ſit, tamen non ſatis explicat, quid ſit formã educi de potentia materiæ, quia etiam anima rationalis eſt in potentia paſsiua materiæ, cum materia prima habeat potentiam, vt illam recipiat. & poſtea eſt in illa actu.

Sententia Caiet. quã ſequimur. His variis dicendi modis omiſsis exiſtimamus cum C. Caietano 1. p. q. 90. art. 2. formam educi de potẽtia materiæ, eſſe, fieri dependenter ab ipſa materia: ita tamen vt fiat ex vi tranſmutationis naturalis. Quare licet ſit neceſſariũ, quod forma fiat dependenter ab ipſa materia, & quod fiat eadem actione, qua compoſitum, vt vult C. Toletus, q. 19. hoc tamẽ nõ ſufficit, ſed requiritur amplius, vt ſcilicet, fiat ex vi trãſmutationis naturalis, ratione cuius materia, quæ erat ſub vna forma, deinde eſt ſub alia. Ratio eſt: quia formæ elementorum, & corporum cæleſtium, cum ſint corporeæ, fuerunt factæ dependenter a materia, & per eãdem actionem, per quã fuerunt facta compoſita, quorum ſunt formæ: & tamen non fuerunt deductæ de potentia materiæ; quia non præfuit potentia, cum nõ præextiterit materia. Si enim ad hoc, vt forma educatur de potentia materiæ, non eſſet neceſſe, vt ſupponeretur ſubiectum, productio talis compoſiti non eſſet generatio, ſed potius creatio.

Deo cõſectaria. Ex dictis infero primo. Quod ſi Deus crearet modo aliquod compoſitum naturale, forma illius non educeretur de potẽtia materiæ: etſi illius forma talis eſſet naturæ, vt ſecundum ſe, poſſet educi de potẽtia materiæ. Infero ſecundo. Si ante productionem formæ reperiatur in materia potentia, a qua, per tranſmutationem materiæ forma producatur; talem formam educi de potentia materiæ; ſiue potentia illa materiæ ſit naturalis, ſiue obedientialis.

Excepta anima rationali omnis forma extrinſecus aduenit. Vltima obſer. Omnis forma naturalis, excepta anima rationali, comproducitur ad productionem totius compoſiti ita; vt ſi compoſitum fiat per creationem, forma concreetur: ſi vero per generationem, congeneretur. Hoc aperte docet D. Tho. 1. p. quæſt. 90. art. 2. in cor. & ita probat. Fieri eſt via ad eſſe; ergo vt competit alicui eſſe, ita competit illi fieri cum itaque ſola anima rationalis ſit, & ſubſiſtat: aliæ vero nec ſint proprie, nec ſubſiſtant, ſed ſint id, quo eſt totum compoſitum, proinde ſola anima rationalis per ſe fit; aliæ vero omnes formæ comproducũtur ad productionem compoſitorum, quorum ſunt formæ. Quare anima rationalis extrinſecus aduenit. Hoc etiam aperte docuit Ariſt. 2. lib. de generatione animalium cap. 3. vbi poſt quam probauit, animam vegetantem, & ſentientẽ nec fieri, nec eſſe poſſe extra corpus; eo quod huiuſmodi formæ ſunt principia actionum corporalium, loquens de anima rationali, ita ſcribit. *Reſtat igitur vt mens ſola, extrinſecus accedat.* Eſt igitur conſtituendum neceſſario hoc diſcrimen inter generationem hominis, & cuiuſuis alterius rei naturalis: quod in generatione cuiuſuis alterius rei naturalis, agẽs naturale vnica actione generat totum compoſitum, attingendo non ſolum vnionem formæ cum materia; ſed etiam productionem formæ: in generatione vero hominis, homo generans ſolum attingit vnionem formæ, ſcilicet animæ rationalis, cum materia: anima vero fit a Deo, diſtincta actione per creationẽ. Sed quæres. Qua ratione attingit homo vnionem formæ cum materia? Reſpondemus attingere ex eo, quod diſponit materiam, certis diſpoſitionibus neceſſariis, quibus mediis materia vltimate diſponitur ad hoc, vt cũ hac forma v-

ſtauniatur.

IN SECVNDA parte quæſt. primo certum eſt, formas corporum cœleſtiũ, tum etiam elementorum in prima productione non fuiſſe eductas de potentia materiæ; quia fuerunt factæ a Deo per creationem: fuerunt namq. concreatæ ad creationem corporum cœleſtium, & elementorũ. Idem iudicium eſt de alia quacumque forma concreata ab ipſo Deo.

Excepta anima rationali omnis forma extrinſecus aduenit.

Secundo certum eſt, animam rationalẽ non educi de potentia materiæ: quia non fit ex vi tranſmutationis naturalis, nam certiſsimum ſit fieri a Deo per creationẽ. Nulla enim forma ſubſtantialis facta per productionem diſtinctam ab illa, per quã fit totum compoſitum, educitur de potentia materiæ. Quare non procedit quæſtio de forma, quæ eſt anima rationalis; ſed de aliis omnibus formis naturalibus.

IN TERTIA parte quæſt. ſit aſſertio. Omnis forma generabilium, & corruptibilium (excepta anima rationali penitus) educitur de potentia materiæ. Hæc aſſertio ex dictis manifeſta eſt. Imprimis animam rationalem nõ educi de potentia materię certiſsimum eſt, cum fiat diſtincta actione ab illa, per quam generatur homo: anima enim rationalis (vt dictum eſt, fit a Deo per creationem. Deinde omnes alias formas naturales generabilium, & corruptibilium educi de potentia materiæ probatur. Formæ, quæ fiunt depẽdenter a materia, & ab agente naturali ex vi tráſmutationis naturalis, educuntur de potentia materiæ; ſed omnes aliæ formæ naturales generabilium, & corruptibilium fiunt ab agente naturali dependenter a materia, & ex vi tranſmutationis naturalis; ergo omnes educuntur de potentia materiæ.

Sed quæres. Formæ accidentariæ educuntur de potentia materiæ? Reſpondemus, accidentia alia eſſe, quæ comproducuntur ad productionem totius compoſiti, & hæc educuntur de potentia materiæ non primo, & per ſe; ſed ratione alterius, cum quo ſimul comproducuntur: alia vero ſunt accidentaria, quæ fiũt per ſe, vt calor, qui fit per alterationem; & eiuſmodi accidentia educuntur de potentia materiæ ſecundæ, ſcilicet de potentia totius compoſiti: nam accidentia; quæ per ſe producuntur, ſi ſint accidentia totius compoſiti, fiunt dependenter a toto compoſito ex vi tranſmutationis, qua totum compoſitum tranſmutatur.

Quæres ſecundo. An formæ arte factæ educantur de potentia materiæ, in quam introducuntur. Reſpondemus, omnes formas arte factas educi de potentia obedientiali totius compoſiti, quod materia eſt illarum; non tamen educuntur ab agente naturali: cũ non ſint in potentia naturali materiæ; ſed ab agente alterius ordinis, ſcilicet ab artifice.

Quæres tertio, qua ratione fiant accidẽtia ſpiritalia, quę ſunt in anima, mediis animæ potentiis. Reſpõdemus eodem modo, ac in ſuperioribus: etenim ſi illa accidentia conſequũtur neceſſario animam rationalem, non educuntur de potentia illius; ſed concreãtur ſimul cũ illa ab ipſo Deo: ſi vero adueniant animæ iam creatæ, educuntur de illius potentia aut naturali, aut obedientiali, vt ſcientiæ educuntur de potentia naturali animæ: multæ vero virtutes ſupra naturales (vt permulti Theologi docent) educuntur de potentia obediẽtiali animæ ab ipſo Deo.

IN QVARTA quæſt. dices primo. Id, quod educitur de potẽtia alicuius, debet præfuiſſe in illo; ſed formæ naturales non præfuerũt in materia; ergo formæ naturales non educuntur de potentia materiæ. Reſpondemus negando maiorem: nam vt aliquid educatur de potentia materiæ, non requiritur vt præfuerit in illa actu; ſed ſufficit præfuiſſe in potentia. Sed dices. Anima rationalis etiam eſt in potẽtia materiæ, vt dictum eſt; ergo etiam educitur de potentia materiæ. Reſpondemus negando conſequentiam, nam etſi anima rationalis ſit in potentia materiæ primæ, id eſt, etſi materia prima habeat potentiam 1.

naturalem ad hoc, vt recipiat animam rationalem; tamen anima rationalis nõ educitur de illius potẽtia: quia ad hoc, vt forma educatur de potentia materiæ, nõ ſufficit, vt in materia ſit potentia ad illam: ſed deſideratur amplius, vt ſcilicet ſit dependenter a materia ex vi tranſmutationis.

Dices ſecundo. Sicut reliquæ formæ recipiuntur in materia naturaliter diſpoſita, ita anima rationalis: ergo ſicut reliquæ formæ educuntur de potentia materiæ, ita anima rationalis. Reſpondemus negando conſequentiam: quia anima rationalis fit per diſtinctam actionem ab illa, per quam vnitur materiæ: fit enim a Deo per creationem. Quare non fit ex vi tranſmutationis materiæ: ac proinde non educitur de potẽtia materiæ, quæ præſupponitur diſpoſita ad animæ receptionem: diſpoſitiones tamẽ illæ attingunt ſolum vnionem animæ rationalis cum materia, & non productionẽ illius. Sed dices. Ergo minus perfectè homo gignitur ab homine generante, quã leo gignitur a leone generante. Reſpondemus diſtinguendo conſequens ſic. Quoad vnionem partium, & productionem totius, negamus conſequentiam; quia etiam homo generat hominem attingendo vnionem animæ rationalis cum materia: quoad productionem partiũ, concedimus conſequentiam: ratio eſt, quia leo producit formam leonis geniti, & homo non producit animam rationalem hominis geniti: nam anima rationalis propter perfectionem, quã habet, non poteſt fieri ab homine, ſed à Deo per creationem: cum enim nec in eſſe, nec in fieri, nec in conſeruari, nec in operationibus proprijs pendeat a corpore, nequit fieri ab agente naturali, quod corporeum eſt.

Dices tertio. Formæ naturales generabilium & corruptibiliũ, (exceptâ anima rationali) educũtur de potentia materiæ; ergo antequam producantur, erãt aliquid formarũ in materia. Probatur conſequentia. Nihil poteſt educi ex eo, in quo nõ erat aliquo modo; ſed formæ educuntur de potentia materiæ: ergo formæ aliquo modo erant in materia. Reſpondemus negando conſequentiam. Probationi diſtinguendo maiorem ita. Vbi non erat actu, vel potentia concedimus: vbi non erat actu, nec potentia, negamus maiorem: formæ ergo erant in materia in potentia; non tamen actu. Sed dices. Simile appetit ſibi ſimile: ſed materia appetit formam: ergo forma eſt ſimilis materiæ: ſed non eſt ſimilis materiæ, ſi materia formatur ſecundum ſe, quia ſic eſt pura potentia ad formam: ergo in materia latet aliquid formæ, ratione cuius appetit formam, veluti ſibi ſimilem. Reſpondemus diſtinguendo maiorem ita. Simile perfectum & ſpecificum appetit ſibi ſimile concedimus: ſimile perfectibile, quale eſt materia prima, negamus maiorem: nam potius illud appetit vt actum, quo omnino caret. Sed dices nihil formæ erat in materia: ergo omnis forma creatur. Probatur conſequentia. Quod fit ſecundum totum ſuum eſſe, creatur; ſed ſi nihil formæ erat in materia, omnis forma fit ſecundum totum ſuum eſſe: ergo omnis forma creatur. Reſpondemus negando conſequentiam. Probationi diſtinguendo maiorem ita. Si ita fiat ſecundũ totum ſuum eſſe, vt ſit terminus illius productionis, per quam fit, concedimus: ſi non ſit terminus per ſe illius, negamus maiorem, cum ergo formæ non ſint termini per ſe mutationum, per quas producuntur: proinde, etſi fiant ſecundum totam ſuam entitatem, non fiunt per creationem. Sed dices. Ergo anima rationalis non creatur. Probatur conſequentia. Quod non eſt terminus per ſe productionis, non creatur, etiam ſi fiat ex nihilo: ſed anima rationalis non eſt terminus per ſe in generatione hominis: ergo etiã ſi fiat ex nihilo, nõ creatur, per generationem hominis. Reſpõdemus concedendo totum ſyllogiſmũ. Nam anima rationalis nõ fit per actionẽ, per quam generatur homo; ſed fit a Deo per creationem: aliæ vero formæ nullius actionis ſunt termini per ſe: compoſitũ enim eſt, quod per ſe ge-

ſe generatur, & quod per ſe terminat generationem, vt docet Ariſt. cap. 7. illis verbis. Certe ex his quæ dicta ſunt perſpicuū eſt; omne quod fit ſemper eſſe concretum, atque eſſe aliquid quod fiat, eſſe etiam aliquid quod id ipſum efficiatur. Quæ verba ſatis nos ibidem expoſuimus, & hunc habet ſenſum. Quod per ſe generatur, eſt totum compoſitum, ex partibus vero illius, forma eſt quæ comproducitur è materia vero, quæ ſit ſubiectum, quæ incipit nouum modum, & ordinem, vt ſatis dictum eſt in diſputatione de materia, præcipue quæſt. 8. Sed dices: Quod eſt terminus per ſe generationis naturalis, per ſe generatur: ſed forma quæuis naturalis eſt terminus per ſe generationis: ergo quæuis forma per ſe generatur. Reſpondemus diſtinguendo maiorem ita: quod eſt terminus per ſe vt quod, ſiue quod eſt terminus qui, (ſic enim ab aliis appellatur) concedimus maiorem; quod eſt terminus vt quo negamus maiorem; & negamus etiam minorem, nã forma eſt terminus generationis, vt quo: quia forma non eſt, quæ generatur, ſed id, medio quo totum generatur. Sed dices. Illud, propter quod vnumquodque tale, illud eſt magis tale: ſed forma eſt id, quo medio totū generatur per ſe: ergo forma magis generatur per ſe. Reſpondemus concedendo maiorem cū conditionibus requiſitis: concedimus etiam minorem, negamus tamen conſequentiam: quia non ſunt omnes conditiones requiſitæ. Nam ratio debet conuenire vtrique; hæc enim eſt vna ex conditionibus, quæ requiruntur ad veritatem maioris propoſitionis: at per ſe generari non conuenit vtrique, ſcilicet toti compoſito, & formæ: ſed ſolum conuenit toti compoſito.

QVAESTIO III.

In qua multæ dubitationes pertractantur.

PERMVLTÆ aliæ erant pertractandæ in quæſtione de forma naturali: quia tamen permultæ ex illis faciles habent ſolutionem ex his, quæ de materia dicta ſunt: proinde multas ex illis hac vnica quæſt. complectimur: & quæ ſupererunt dicemus tum in vltima parte huius diſputationis, tum etiam 2. libri in q. 1. cap. 1.

Sit ergo prima dubitatio: An forma naturalis ſit ſubſtantia? Reſpondemus ex his quæ dicta ſunt quæſt. 2. de materia, omnem formam, quæ eſt principium rei naturalis, eſſe ſubſtantiam incompletam: quod manifeſtum eſt, ſi perpendantur teſtimonia Ariſto. & argumenta, quæ propoſuimus quæſtione citata. Forma enim naturalis eſt præſtantior pars ex illis, quæ eſſentialiter componūt totū naturale, quod eſt ſubſtantia: quare forma naturalis neceſſario debet eſſe ſubſtantia. Probatur præterea. Omne quod determinat rem ad certam ſpeciem categoriæ ſubſtantiæ, neceſſario debet eſſe ſubſtantia; ſed forma determinat rem ad certam ſpeciem categoriæ ſubſtantiæ: ergo forma naturalis eſt ſubſtantia. Dubit. 1.

Quæres ſecundo. Cum forma ſit actus ſpecificus determinans rem, vt diximus in hac tertia parte diſputationis quæſtione 1. an habeat propriam exiſtentiam. Reſpondemus, omnem formam eductam de potentia materiæ, imo omnem formam, excepta anima rationis participe, habere propriam exiſtentiam: illam tamen eſſe incompletam: nam nulla forma ex dictis poteſt per ſe ſolam exiſtere, niſi ſit coniuncta cum materia. Anima vero rationalis, dum eſt in corpore, habet etiam propriam exiſtentiam, ſed incompletam; quando vero eſt a corpore ſeparata, habet exiſtentiam completam & ſubſiſtentiam completam vt docet S. Thom. prima parte quæſt. 75. art. 2. & quæſt. 90. artic. 2. omnia quæ deſiderantur pro hac dubitatione, mutatis mutandis, facile deducuntur ex quæſt. 4. de materia. 2.

Quæ-

3. Quæres tertio. An forma naturalis poſſit exiſtere abſque materia. Reſpondemus de potentia ordinaria ſolam animã rationis participem poſſe exiſtere abſque materia: ex aliis vero formis nullam poſſe exiſtere a materia ſeparatã. Ratio eſt: quia omnes iſtæ formæ pẽdent a materia in eſſe, fieri, & conſeruari, cum omnes educantur de potentia materiæ. De potentia vero abſoluta poteſt quæuis forma exiſtere abſq. materia. Probatur primo. Quia materia, quæ eſt potẽtia, poteſt exiſtere abſq. forma, vt diximus q. 5. de materia. Probatur ſecundo. Quia formæ accidentariæ virtute Dei abſoluta exiſtunt abſq. ſubiecto ſiue materia; vt patet in ſpeciebus conſecratis.

4. Quæres quarto. An forma ſecũdum ſe, ſit corporea. Reſpondemus nullã formam eſſe corpoream vt quod; omnes vero, excepta anima rationis participe, eſſe corporeas vt quo, & formas corporis ita, vt nõ ſolum corpus informent, nam hoc etiam præſtat anima rationalis; ſed etiam ita, vt ſint extenſæ per totum corpus ſuũ, vt Deo dante dicemus 2. lib. de Anima, ſola anima rationalis eſt tota in toto, & tota in qualibet parte; aliæ vero omnes formæ naturales ita ſe habẽt, vt pars cuiuſuis illarũ ſit in parte materiæ, & non tota in qualibet parte materiæ. Vtrum autem anima rationalis ſit corporea vt quo dicemus loco citato.

5. Quæres quinto. An forma ſecũdum ſe, ſit generabilis, & corruptibilis. Reſpõdemus, animã rationalem nec eſſe generabilem, nec corruptibilem nec per ſe, nec per accidens; ſi loquamur de illa ſecũdum ſuã entitatem: nam quemadmodum ſecundum ſuam entitatem ſolum eſt a Deo per creationem, ita ſolũ poteſt deſinere ab extrinſeco, & de potentia Dei abſoluta; ex ſe vero omnino eſt incorruptibilis; fides enim catholica docet, animam rationalem, quæ a Deo eſt per creationem, a parte poſt eſſe æternam, & immortalem. Dicitur tamen corruptibilis ſecundum modum, ad corruptionem hominis; quia, quãdo homo corrumpitur, anima rationalis deſinit informare corpus, quouſque iterum per reſurrectionem illud informet; hominum enim reſurrectio eſt articulus fidei. Aliæ vero formæ ſunt generabiles, & corruptibiles per accidens ad corruptionem, & generationem compoſitorum, quorum ſunt formæ: vt diximus quæſt. 8. de materia, ex qua quæſtione facile poſſunt deſumi, quæ ad hanc dubitationem deſiderantur.

Quæres ſexto. An forma ſit principiũ corruptibilitatis. Quæ deſiderantur pro ſolutione huius dubitationis, manifeſte ſunt explicata quæſt. 9. de materia. 6.

Quæres vltimo. An forma vniatur immediate, vel mediate materiæ. Dubitatio hæc non procedit de formis accidẽtariis: nam, vt 1. lib. de Generatione dicemus, cũ accidentia inhæreant toti compoſito, neceſſario recipiuntur in materia prima media forma ſubſtantiali. Quæſtio ergo procedit de forma ſubſtantiali; & inquirit, an recipiatur in materia prima immediate, vel potius media alia forma, ſiue illa ſubſtantialis ſit, ſiue accidentaria. 7.

Obſeruandum etiam eſt, nos nõ inquirere modo, an forma inhæreat materię primæ media exiſtẽtia materiæ primæ, & media differentia, per quã eſſentialiter conſtituitur in eſſe materiæ primæ: nam hoc certum eſt, & manifeſtũ ex dictis in quæſtionibus de materia: ſed quæſtio procedit de immediatione formæ; ſiue illa ſubſtantialis ſit; ſiue accidentaria. Crediderunt enim multi formam mixti recipi in materiã mediis formis ſubſtantialibus elementorum, ſed hos impugnabimus in fine dubitationis.

Sit aſſertio. Nulla forma ſubſtantialis vnitur materiæ primæ media aliqua forma ſubſtantiali, aut accidentaria: id eſt, materia prima, quando recipit formam ſubſtantialem, cum qua efficit compoſitũ naturale, in ſe nullam habet formam. Hanc aſſertionem tenent D. Thom. opuſculo de pluralitate formarum, & 1. p. quæſt. 76. art. 6.

art. 6. & quæſt. 77. art. 6. & ibidem Caietanus & de ente & de eſſentia cap. 7. q. 16 Capreolus in 2. diſt. 17. Durandus 2. diſt. 8. quæſt. 4. Baſſes 1. de Generatione ca. 4. quæſt. 10. art. 1. & alij multi Ariſt. expoſitores hoc loco, vltimo citato: vbi nos etiam multa de hac re, Deo dante, dicemus. Probatur aſſertio primo. Proinde ex materia, & forma ſubſtantiali ſit vnum ens per ſe (vt diximus q. 3. de materia) quia materia eſt pura potentia ſubiectiua; ergo forma ſubſtantialis non inhæret materiæ primæ, media aliqua forma ſubſtantiali, aut accidentaria. Probatur ſecūdo de forma accidentaria ita. Forma ſubſtantialis vnitur materiæ primæ media forma ſubſtantiali; ergo accidentia immediate inhærēt materiæ primæ: ergo in hac definitione accidentis quod poteſt adeſſe, & abeſſe abſque interitu ſubiecti: nomine ſubiecti intelligimus materiam primam: tū ſic ergo forma ſubſtātialis eſt accidens: quod certe eſt abſurdum. Probatur vltima conſequentia: quia forma ſubſtantialis adeſt, & abeſt materiæ primæ abſq. interitu ipſius materiæ primæ: nā materia prima eſt ingenerabilis, & incorruptibilis per ſe, & per accidens, vt diximus quæſt. 6. de materia.

Probatur tertio aſſertio. Potētia prius ordinatur ad actum primum, quam ad actum ſecundum: ſed forma ſubſtātialis eſt actus primus, & forma accidentaria eſt actus ſecundus; ergo materia prima, quæ eſt potentia ad formas, prius ordinatur ad formam ſubſtantialem, quam ad formam accidētariam: quare materia prima immediate recipit formam ſubſtantialem.

Sed dices. Omnis actus requirit determinatam potentiam: ergo forma ſubſtantialis, quæ eſt actus, requirit determinatā materiam, quæ eſt potentia: ſed materia nequit determinari niſi per accidentia: ergo forma requirit materiam determinatā accidentibus: ergo vnietur illi mediis accidentibus. Pro ſolutione obſerua, accidentia generari, & corrumpi 4. modis primo

Acciden tis generā tur. 4. modis.

a ſeq[illegible] vt calor[illegible] ſecūdo a præſentia conſeruantis, vt lumē in aere a præſentia ſolis generatur, & ab illius abſentia corrumpitur: tertio per accidens ad generationem, vel corruptionem ſubiecti: quarto ad productionem termini, vt relatio. Obſerua etiam, tertiū modum corruptionis proprium eſſe omnibus accidentibus. Reſpondemus ergo argumento, negādo vltimam conſequentiam: nam materia prima ſemper eſt determinata vel accidentibus geniti, vel accidentibus corrupti: accidentia enim, quæ antecedebant in corrupto, ad corruptionem illius corrumpuntur, & manet materia prima denudata omni accidenti, & determinatur de nouo per accidentia, quæ conſequuntur rem de nouo productam. Sed quæres ſtatim, ſi materia manet denudata ab omni accidēte, cur ergo potius recipit hāc formam, quam aliam? Reſpondemus, hoc promanare ab agēte, quod induxit diſpoſitiones, quæ antecedunt introductionem formæ generandæ, & corrumpunt formam antecedētem: non tamen quia maneant: nam in omni tranſmutatione naturali ſemper fit reſolutio vſque ad materiam primam, vt alibi dicemus.

Dubitatio.

Sed dices. Ex Ariſt. 9. Metaph. omnis potentia præcedit actum; ergo potētia determinata debet præcedere actum determinatum: ſed materia ad recipiendam formā eſt potentia determinata; ergo debet præcedere determinata: ergo accidentia determinantia erunt in materia prima. Reſpondemus negando vltimam conſequentiam: quia tantum probat argumētum materiā eſſe determinatam per accidentia, quæ fuerunt in corrupto: in inſtanti vero generationis determinatur tanquam a prima radice, a forma ſubſtantiali, quam recipit, & ſecundario ab accidentibus, quæ talem formam conſequuntur. Circa hanc vltimā dubitationem multa ſunt difficillima, quæ non ſunt huius loci, illa adducemus 1. de Generatione c. 4.

QVAESTIO IIII.

An priuatio ſit principium diſtinctum à materia.

PRIVATIONEM eſſe principiũ per ſe generationis naturalis, & per accidens rei genitæ diximus ſatis quæſt. 2. de principiis: inquirimus nunc, qua diſtinctione diſtinguatur a materia.

Diuiſio quæſt. Diuiditur quæſt. in quatuor partes. 1. proponemus obſeruationes in 2. fundamẽta. 3. aſſertiones 4. contrarias rationes ſoluemus.

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio, quid ſit diſtinctio realis, & rationis; & quotuplex, diximus ſatis ca. 2. quæſt. 3. obſeruat. 2. ſolum modo obſeruandum occurrit pro intelligentia huius rei, diſtinctionem realem aliam eſſe poſitiuã, quæ verſatur inter extrema realia poſitiua: & aliam negatiuam, ſiue priuatiuã, quæ verſatur inter extrema, quorum vnũ eſt ens reale poſitiuum, & alterum negatiuum, ſiue priuatiuum.

Secunda obſeruatio. Carentia formæ alia eſt, quæ nõ determinat ſubiectũ, & dicitur negatio; & alia, quæ determinat, & appellatur priuatio: hæc vero ex ſua natura non requirit, vt in ſubiecto, cui inhæreat, ſit aliqua forma, ex illis, reſpectu quarum eſt priuatio, vt patet in priuatione lucis, quæ eſt in aere: priuatio tamen formæ ſubſtantialis ſemper eſt coniuncta cum forma ſubſtantiali ex eo, quod viribus naturę materia prima, quę dicitur priuata forma rei generandæ, non poteſt exiſtere ſeparata a forma.

Tertia obſeruatio in materia reperiuntur potẽtia ad formam, appetitus ad illã, & priuatio illius: potentia eſt naturalis inclinatio & capacitas materiæ reſpectu tam formæ, quam habet, quam illius, quam poteſt habere: appetitus vero eſt inclinatio ad formam, quam non habet: ac deniq. priuatio eſt carentia formæ in ſubiecto apto ad formam. iſta vero 3. ſic ſe habent, vt potentia ad formas antecedat; & cũ non poſſit habere omnes ſimul, ſequitur priuatio reſpectu formæ, quæ non eſt in materia; & quia talis forma eſt etiam perfectio materiæ, hinc ſequitur appetitus.

Vltima obſeruatio. Priuatio formæ duplex eſt, alia remota, quæ deſumitur in ordine ad quamcunq. formam: & alia proxima, quæ eſt carẽtia in ſubiecto ita apto ad hanc formam ſubſtantialem, vt non ad aliam, & de hac procedit quæſtio: nam hæc eſt, quæ eſt principium generationis naturalis: quod ex eo conſtat, quia terminus a quo non debet manere in termino ad quẽ, at illa priuatio manet in termino ad quem generationis: hæc vero minime. Ex his deducitur ſenſus quæſtionis: inquirimus ergo, an priuatio hęc proxima diſtinguatur a materia diſtinctione reali poſitiua, vel priuatiua.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit primum fundamẽtum. Certum eſt materiam, & priuationẽ diſtingui formaliter. Probatur primo. Quia diuerſimode ſignificantur, & intelliguntur. Probatur ſecundo illa, quæ ita ſe habent, vt vno manente pereat alterum, ad minus diſtinguũtur formaliter: ſed materia, & priuatio ſic ſe habent; ergo ad minus diſtinguũtur formaliter. maior eſt certa, minor probatur, quia in termino ad quem generationis manet materia, & nõ manet priuatio: quia ſi maneret, cum tunc iã ſit forma, eſſent duo cõtraria ſimul, quod eſt incommodum. Probatur tertio. Quia multa vere enunciãtur de priuatione, quæ non enunciãtur de materia: nam de priuatione eſt verum dicere, non poſſe eſſe partem compoſiti, non eſſe ens poſitiuum, non appetere formam, & alia huiuſmodi, quorum nullum poteſt vere enunciari de materia.

Secundum fundamentum. Priuatio duplex eſt, alia formæ rei generandæ; & alia formæ rei, quæ corrumpitur: illa eſt in re quæ corrũpitur, & eſt terminus a quo ge-

nera-

nerationis; hęc vero eſt in re quæ generatur, & eſt terminus ad quē corruptionis; ſi iſtæ priuationes conferantur cum formis, quibus directè opponuntur, certum eſt diſtingui ab illis realiter. Manet ergo dubitatio an iſtæ priuationes identificentur cum formis, quibus non opponuntur directè, vel potius, an materia, & priuatio formæ cadaueris, quæ eſt in leone, ſit idem cum forma leonis; vel potius ſit idem realiter cum materia. Eſt tamē obſeruandum, diſtingui priuationem formæ rei corruptæ a priuatione formæ rei generandæ: quia a priuatione formæ rei corruptæ nec datur progreſſus ad formam iuxta naturæ ordinem, nec regreſſus: at a priuatione formæ rei generandæ ad formam, etſi non ſit regreſſus, eſt tamē progreſſus.

Vltimum fundamentum. Ens reale duplex eſt, aliud poſitiuū illud ſcilicet, quod nullo conſiderante intellectu conſtituitur per entitatem, quæ aliquid ponit in re vt albū quod conſtituitur per albedinē quæ eſt qualitas poſitiua ponens aliquid reale in albo: & aliud priuatiuum quod nullo conſiderante intellectu priuat aliqua entitate poſitiua, vt cæcitas quia nullo conſiderāte intellectu per cæcitatem eſt animal viſu deſtitutum & quod eſt ens reale hoc ſecūdo modo ſi ſumatur abſolute eſt nihil ſiue non eſt poſitiuum.

IN TERTIA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Priuatio eſt ens reale. Probatur id quod antecedit omnem operationē intellectus eſt ens reale; ſed priuatio antecedit omnem operationem intellectus: ergo eſt ens reale; probatur minor. Homo eſt cæcus per cæcitatem; ſed nullo conſiderante intellectu reperitur homo cæcus: ergo cæcitas reperitur nullo conſiderāte intellectu. Probatur ſecūdo aſſertio. Quādo eſt generatio naturalis debēt eſſe principia generationis naturalis ſed antè operationē intellectus eſt generatio naturalis; ergo ante operationē intellectus ſunt principia generationis: ſed principia generationis ſunt materia forma & priuatio: ergo priuatio non eſt ens rationis: ergo eſt ens reale: quia omne ens, vel eſt ens rei vel rationis. Si reſpondeas priuationem eſſe nihil (vt multi docent) contra. Ratio principij eſt ratio entis; ergo cum priuatio ſit principium, priuatio erit ens. Tum etiam mutatio realis debet eſſe a termino reali in terminum realem; ſed generatio ſubſtantiæ eſt mutatio realis: ergo debet eſſe a termino reali in terminum realem: ſed priuatio eſt terminus a quo generationis; ergo priuatio erit ens reale: ergo priuatio non erit nihil.

Secunda aſſertio. Priuatio, quæ principium eſt, & terminus a quo generationis naturalis, eſt idem realiter cū materia prima. Probatur primo ex Ariſ. hoc lib. cap. 9. vbi ita ſcribit. *Subiectum autem numero vnū eſt, ſpecie duo.* idest materia eſt vna numero, & realiter cum priuatione, licet ab illa diſtinguatur formaliter in ratione principiandi: per vnū numero intelligere Ariſt. vnum realiter colligo ex variis Ariſto. locis, præſertim ex 8. Phyſico cap. 8. vbi ita habet. *Cum enim tria ſint, initium, medium, & finis: mediū ad vtrumq; cōparatum vtriuſq; rationē obtinet, & numero quidem vnum eſt, ratione autem duo.* Medius enim color, verbi gratia, hic viridis cōparatur cum albo dicit rationem nigri, & cōparatur cum nigro induit rationē albi: prætereà id etiā aperte colligitur, ſi quæ dixit ca. 9. accurate perpendantur.

Tertia aſſertio. Priuatio nō eſt formaliter ens rationis. Probatur: quia antecedit omnem operationem intellectus.

Quarta aſſertio. Priuatio fit formaliter ens rationis, quando apprehēditur ab intellectu per modum entis poſitiui, & formæ. Hæc certe eſt: cæcitas enim nō eſt ens rationis, niſi accedat intellectus apprehendens, illam, ad modū entis poſitiui, & formæ; & ſic de aliis priuationibus.

Vltima aſſertio. Priuatio formaliter non reperitur a parte rei. Probatur. Formaliter eſt ens rationis: ſed ens rationis non eſt a parte rei: ergo formaliter priua-

tio non eſt a parte rei. Probatur maior. Omne quod eſt formaliter aliquid vel eſt formaliter ens rei, vel formaliter ens rationis; ſed priuatio non eſt formaliter ens rei: ergo priuatio eſt formaliter ens rationis. Probatur minor. Quod formaliter eſt ens rei, & inhæret alicui, ponit in illo aliquid poſitiuũ; ſed priuatio non ponit aliquid poſitiuum imo tollit: ergo formaliter non eſt ens rei.

IN QVARTA parte quæſt. dices primo. Ex Ariſt. in his vltimis cap. huius librí, priuatio ſimpliciter eſt non ens: ergo non eſt ens reale. Reſpondemus negando conſequentiam: quia Ariſt. non debet intelligi de ente poſitiuo; priuatio enim, ſimpliciter eſt non ens poſitiuum; eſt tamẽ ens reale ſecũdum quid, id eſt priuatiuum.

1\. Sed dices priuatio eſt ens reale: ergo priuationis datur priuatio: & cum illa ſit ens reale, illius alia, & ſic in infinitum: probatur conſequentia: quia cuiuſuis entis realis datur priuatio. Reſpõdemus negando conſequentiam. Probationi negando propoſitionẽ illã: quia ſolum eſt vera de ente reali poſitiuo; non vero de ente reali priuatiuo: ſi enim admitteremus (vt admittit Valleſius controuerſia decima) priuationem eſſe ens reale poſitiuum, ſequeretur illud incommodum; imo non eſſet maior ratio, cur priuatio eſſet priuatio formæ, quã forma priuatio priuationis.

Dices ſecundo in ſecundam aſſertionẽ. Priuatio, & materia ſunt idem numero, & realiter: ergo ſunt idem genere, & ſpecie. Probatur conſequentia: quia, quæ cõueniunt in maiori conuenientia numerica conueniunt etiam in minori, qualis eſt ſpecifica vel generica. Varij varijs modis occurrunt huic argumento. Omnibus tamen omiſſis, reſpondemus nos, concedendo totum: nam ſolum probat eſſe idem genere, & ſpecie, ſi ſumantur realiter, quod certe verum eſt: non tamen ſunt idem, ſi ſumantur formaliter, quemadmodum actio, & paſſio realiter ſunt idẽ numero, ſpecie, & genere; formaliter tamen, cũ diſtinguãtur genere, diſtinguuntur etiã ſpecie, & numero. Sed dices. Generatio, & corruptio ſunt idem realiter & eadẽ mutatio: ſed generatio eſt idem realiter cum forma genitì; & corruptio eſt idem realiter cum priuatione: ergo priuatio eſt idem realiter cũ forma: quia, quæ ſunt eadem realiter cum aliquo tertio, ſunt idem realiter inter ſe: ſed forma diſtinguitur realiter a materia: ergo priuatio diſtinguitur realiter a materia. Reſpondemus primo, negando primam maiorem: nam generatio, & corruptio non ſunt eadem mutatio, ſed diſtinctæ mutationes realiter, vt dicemus 2. lib. de Generatione cap. 3. quod modo ex eo probatur; quia contingit multa corrumpi, & vnum generari, vt cũ ex elementis fit mixtum, & cõtingit etiam multa generari, & vnum corrumpi, vt cum ex mixto per reſolutionem generantur quatuor elemẽta. Vel ſecundo reſpondemus, argumentũ eſſe nullius momenti: quia tantum progreditur de priuatione, quæ eſt in termino ad quem, quæ non eſt principium generationis, vt diximus.

Dices in tertiam aſſertionem. Priuatio eſt formaliter ens: ergo eſt formaliter ens rationis. Probatur conſequentia. Omne quod eſt formaliter ens, vel eſt formaliter ens rei, vel ens rationis: ſed priuatio eſt formaliter ens, & non eſt formaliter ens rei: ergo eſt formaliter ens rationis. Reſpondemus diſtinguendo antecedens ita. Priuatio eſt formaliter ens, vt principiũ concedo: vt priuatio nego antecedens: Ratio enim formalis principij conuenit priuationi a parte rei, cum nullo conſiderante intellectu incipiat generatio naturalis a priuatione: ratio vero formalis priuationis ſolum conuenit beneficio intellectus apprehendentis hoc quod eſt priuare ad modũ formæ poſitiuæ, cum tamen non ſit forma: ſed carentia, & defectus formæ. Sed dices. Vt principiũ, eſt ens formaliter: ſed vt priuatio, eſt principium: ergo vt priuatio, eſt ens formaliter: ſed non eſt ens reale: ergo rationis. Reſpondemus 1.

negan-

negando minorem: nam vt priuatio, non
eſt principium, nam ſi vt priuatio, eſſet
principium, omnis priuatio eſſet princi-
pium, quod manifeſte eſt falſum. Priuatio
ergo, quæ eſt fundamentaliter ens rationis,
eſt formaliter principiũ generationis na-
2. turalis. Sed dices: priuatio vt principium
formaliter, eſt ens a parte rei; ergo id, cum
quo eſt idem realiter hoc principium, etiã
erit ens rei: ſed eſt idem realiter cum pri-
uatione; ergo priuatio etiam erit ens rei.
Reſpondemus concedendo totum: quia ſo
lum probat, priuationem eſſe ens rei, ſi ſu
matur realiter; nam priuatio realiter ſum
3. pta eſt materia. Sed dices: terminus ad quẽ
mutationis realis debet eſſe ens reale poſi
tiuum: ſed priuatio eſt terminus ad quem
mutationis realis; ergo priuatio eſt ẽs rea
le poſitiuum. Probatur minor. Priuatio
eſt terminus ad quem corruptionis natu-
ralis; ſed corruptio naturalis eſt mutatio
realis: ergo priuatio eſt terminus ad quẽ
mutationis realis. Reſpondemus negando
maiorem; quia ad mutationẽ realem ſuffi-
cit, vt ſit ens reale poſitiuum terminus a
quo, vel terminus ad quẽ: in corruptione
ergo naturali terminus a quo, cum ſit ſub
ſtantia naturalis, eſt ens reale poſitiuum.
4. Sed dices: mutatio ſumit ſpeciem a termi-
no ad quem; ergo cũ corruptio naturalis
ſit mutatio realis, ſuus terminus ad quem,
a quo ſumit ſpeciem, debet eſſe ens reale
poſitiuum. Reſpondemus, negando conſe-
quentiam: nam ſpecies in mutatione, non
ſumitur a termino ad quem tantum, ſed ſi
mul, a termino a quo, & a termino ad quẽ
& hoc eſt, quod a multis dici ſolet, ſcilicet
ſpeciẽ mutationis ſumi a termino ad quẽ
formaliter ſumpto: terminus vero ad quẽ
ſumptus formaliter eſt cum ordine ad ter-
minum a quo. Cum ergo in corruptione
naturali terminus a quo ſit ens reale poſi
tiuũ, hoc ſufficit ad hoc, vt corruptio na-
turalis ſit mutatio realis. Quemadmodum
enim in mutatione productiua, qualis eſt
generatio, terminus a quo eſt priuatio, &
nihilominus generatio naturalis eſt mu-
tatio, realis: ita in mutatione deſtructiua
qualis eſt corruptio terminus ad quem eſt
priuatio; & nihilominus corruptio eſt mu
tatio naturalis. Sed dices ex Ariſ. 3. de A- 5.
nima, tenebræ ſunt viſibiles, & nihilomi
nus ſunt priuatio lucis: ergo priuatio eſt
viſibilis; ſed quod eſt viſibile, eſt ens rea-
le poſitiuũ: ergo priuatio eſt ens reale po-
ſitiuum. Reſpondemus explicando locum
Ariſt. Tenebræ itaque dicuntur viſibiles
non per ſe, ſed ratione ſubiecti: quia ſcili-
cet aer non percipitur, quando eſt luce de
ſtitutus. Quare dicuntur tenebræ viſibi-
les: non quia tenebræ videantur, aut quia
videatur aer luce deſtitutus: ſed quia non
poteſt videri aer, ſiue ſpatium, omnino lu
ce deſtitutum, & tenebroſum. Per abſen-
tiam enim poſitiui, iudicat intellectus de
priuatiuo. Quare intellectus iudicat de
priuatione: inde tamen non ſequitur, pri-
uationem eſſe ens reale poſitiuum: nam li-
cet omne ens poſitiuũ ſit intelligibile; ta-
men, non omne, quod eſt intelligibile, eſt
ens reale poſitiuum.

Dices in vltimam aſſertionem. Priua-
tio formaliter ſumpta non reperitur a par
te rei: ergo a parte rei non ſunt tria prin-
cipia formaliter. Reſpondemus negando
conſequentiam. Ratio eſt: quia priuatio
non eſt formaliter principium, vt eſt for-
maliter priuatio: ſed eſt principium forma
liter, & ſumitur fundamentaliter, vt eſt ca
rentia & defectus formæ, a quo incipit ge
neratio. Quare formaliter eſt principium,
& fundamentaliter priuatio.

QVARTA PARS DISPVTATIONIS, QVAE EST DE principio indiuiduationis.

HANC quartam diſputationis partem diuidimus in tres quæſt. quarum prima ſermo erit de ſubſtãtiis materialibus: ſecunda de partibus ſubſtãtiæ materialis, ſcilicet de materia & forma: tertia denique de ſubſtãtiis immaterialibus, & de accidentibus. In his vero quæſt. quæ pertinent ad ſubſtantias materiales dicemus diffuſe; quæ vero ſpectant ad ſubſtantias immateriales, & ad accidentia, conciſſa diſputatione diſputabimus: quia ſunt alterius negotij.

Quæſtio I. Quid ſit principium indiuiduationis in ſubſtantiis materialibus.

QVIA multi ex Philoſophis docuerunt, quantitatem eſſe principium indiuiduationis & alij formam, & alij materiam: proinde, ne hęc de principiis rerum naturalium diſputatio imperfecta maneat, hanc pertractamus hoc in loco quæſt.

Diuiſio quæſt. Diuiditur quæſtio in quatuor partes, quarum prima explicabimus quæſtionis titulum: ſecunda faciemus fundamenta quædam: tertia proponemus noſtram ſententiam: quarta denique alias ſententias adducemus, & illarum rationibus ſatisfaciemus.

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Nomine ſubſtantiæ materialis intelligimus ſubſtantiam compoſitam ex materia & forma; ſiue ens naturale, aut compoſitum naturale, quod idem eſt: verbi gratia Petrus aut hic leo.

Secunda obſeruatio. Principium indiuiduationis eſt id, ratione cuius redditur res indiuidua omnino incommunicabilis & vna numero. Eſt autem res vna numero illa, quæ habet in ſe principiũ aliquod, ſiue rem, ſiue rationem diſtinctam, beneficio cuius diſtinguitur a quacumq. alia re ſingulari contenta ſub eadẽ ſpecie: vt hic leo dicitur indiuiduus, quia habet in ſe aliquod principium ratione cuius eſt vnus numero, omnino incõmunicabilis, & diſtinctus numero ab omnibus aliis leonibus. Quare principiũ indiuiduationis eſt illud ratione cuius, res eſt in ſe indiuiſa, diuiſa a qualibet alia contenta ſub eadem ſpecie, & omnino incommunicabilis. Ex his manifeſtum eſt quid inquirat quæſt.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit primum fundamentum. Indiuiduum triplex eſt, ſcilicet Logicum, Phyſicum, & Metaphyſicum. Indiuiduum Logicum eſt natura, vel notio ſingularis denominata a notione indiuidualitatis aggregatã ex na-

tura

tura & notione, dummodo denominatur etiã a notione indiuidui: verbi gratia Petrus denominatur a notione indiuidui: ſicut hæc notio attributi, vt continetur ſub notione attributi in communi & denominatur a notione ſingulari: tum etiam hoc genus, vt eſt indiuiduum primæ vocis communis. Indiuiduum Phyſicum eſt natura ſingularis & determinata, cõſtans ex hac materia, & ex hac forma: vt Petrus ea ratione qua compoſitus eſt ex materia, & ex ſua anima rationali. Indiuiduum Metaphyſicum eſt natura ſpecifica determinata per differentiam indiuidualẽ: verbi gratia, Petrus vt eſt determinatus per differentiam, ratione cuius collocatur in recta ſerie Categoriæ ſubſtantiæ infra ſpeciem vltimam, quæ eſt homo. Modo nõ diſputamus de indiuiduo Logico, nam de hoc multa diximus in Logica: ſed diſputamus de indiuiduo Phyſico & Metaphyſico: & inquirimus quodnam ſit principiũ ratione cuius natura eſt indiuidua & ſingularis Phyſice; & quænam ſit differentia ratione cuius natura eſt indiuidua & ſingularis Metaphyſice, continens in infimo loco Categoriæ ſubſtantiæ.

Secundum fundamentum. Quemadmodum in ſpecie duplex eſt principium ſpecificũ, aliud formale, ſcilicet differentia ſpecifica; & aliud radicale, ſcilicet forma, a qua deſumitur differentia ſpecifica: ita in indiuiduo materiali duplex eſt principiũ indiuiduationis, vnum formale, & alterũ radicale: & de vtroque principio procedit dubitatio.

Tertium fundamentum. In compoſito naturali, verbi gratia in hoc Leone, rationes ſuperiores, nec diſtinguuntur inter ſe realiter, nec ab ipſo Leone; ſed ſolum diſtinguuntur formaliter, diſtinctione rationis ratiocinatæ (hoc ex profeſſo docuimus in Logica cap. de ſubſtantia, quæſt. 5.) hic enim Leo eſt ſubſtantia, corporea, animata, ſentiens, B. (propriam enim, & indiuidualem huius Leonis differentiam ignoramus, ac proinde dicimus illam eſſe B.

Quod vero indiuidua, præter rationẽ ſpecificam, habeant proprias differentias, per quas conſtituantur, & pertineant directe & per ſe ad illam Categoriam, ad quã pertinet ſpecies, ſub qua talia indiuidua continentur: & huiuſmodi indiuiduales differentias ſolum diſtingui ratione ratiocinata, a differentia ſpecifica, quemadmodum differt etiam differentia ſpecifica ſola ratione a natura generica, diximus, & probauimus ſatis in Logica loco citato: quæſtio ergo procedit de vtroq. principio indiuiduationis.

IN TERTIA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Principium indiuiduationis in ſubſtantia materiali Metaphyſice ſumpta eſt differentia indiuidualis eſſentialis, per quam talis ſubſtantia conſtituitur, & pertinet ad rectam ſeriem Categoriæ ſubſtantiæ. Probatur primo. Subſtantia ſingularis & indiuidua materialis Metaphyſice ſumpta collocatur directe in recta ſerie Categoriæ ſubſtãtiæ infra ſpeciem vltimam, cuius eſt indiuiduum; ergo per id indiuiduatur, per quod pertinet ad rectam ſeriem Categoriæ ſubſtantiæ infra naturã ſpecificam: ſed pertinet ad rectã ſeriem infra naturã ſpecificam, per differentiam eſſentialem indiuidualem; ergo ſubſtãtia materialis indiuiduatur per differentiam eſſentialem indiuidualem. Prima conſequẽtia euidenter ſequitur: quia id quod collocatur in recta ſerie infra ſpeciem infimam, collocatur vt indiuiduum: ergo collocatur ratione illius, per quod indiuiduatur. Minor ſatis fuit demonſtrata a nobis in Logica cap. de ſubſtãtia, quæſt. 5. & probatur modo ita. Id omne, quod pertinet per ſe ad rectam ſeriem Categoriæ ſubſtantiæ, vel conſtituitur per modum intrinſecũ talis Categoriæ, vel per differentiam, pertinentem etiam ad eandem Categoriã: ſed ſubſtantia materialis, quæ tali modo pertinet ad Categoriam ſubſtantiæ, non conſtituitur per modum intrinſecum: ergo conſtituitur per differentiã indiuidualem eſſentialẽ. Probatur minor: quia, quę

conſti

conſtituuntur per modum intrinſecum, ſunt primo diuerſi: ſed indiuidua ſubſtantiæ non ſunt primo diuerſa, cum habeant rationes ſuperiores ſynonymas; ergo non conſtituuntur per modos intrinſecos.

Probatur ſecundo aſſertio. In ſubſtantiis, omnis ratio ſeu entitas ſubſtantialis & eſſentialis, vel eſt Phyſica, ſcilicet materia, aut forma, aut totum compoſitum (ſic enim diuiſit Ariſto. ſubſtantiam, quæ ad naturam pertinet, ſecundo lib. de Anima cap. 1.) vel Metaphyſica, ſcilicet natura ſuperior in recta ſerie Categoriæ ſubſtantiæ, aut differentia determinans, aut compoſitum ex natura ſuperiori & ex differentia determinante: ſed in ſubſtantia materiali Metaphyſice ſumpta principium indiuiduans nec eſt materia, nec forma, nec totum compoſitum, quia iſta omnia pertinent ad ſubſtantiam materialem Phyſice ſumptam: ergo principium indiuiduationis in ſubſtantia materiali, Metaphyſice ſumpta, neceſſario debet eſſe entitas Metaphyſica, pertinens ad Categoriam ſubſtantiæ: ſed talis entitas nec eſt natura ſuperior, quia hæc non eſt natura indiuidua nec eſt differentia ſpecifica, quia hæc eſt principium ſpecificum, & non indiuiduale; nec eſt aggregatum ex ratione ſuperiori, & ex differentia ſpecifica; quia tale aggregatum eſt ſpecies: ergo, a ſufficienti diuiſione, tale principium indiuiduationis erit differentia eſſentialis indiuidualis. Hæc enim eſt principium formale indiuiduationis. Hoc explicato, diſputemus iam de principio radicali indiuiduationis: nam principium quod eſt radicale, reſpectu ſubſtantiæ materialis Metaphyſice ſumptæ, eſt principium formale, ſi talis ſubſtantia Phyſice ſumatur. Verbi gratia in ſpecie humana, vt eſt cōpoſita ex genere & differentia, forma, ſcilicet anima rationalis eſt principium radicale; & eadem forma eſt principium formale hominis, vt homo eſt ſubſtantia materialis.

[illegible] Sit ergo ſecunda aſſertio. In ſubſtantiis materialibus, Phyſice ſumptis, materia neceſſaria eſt ad multiplicitatem numericam. *Ad indiuiduo neceſſaria eſt materia.* Probatur primo ex Ariſt. primo de cælo cap. 9. vbi docet non eſſe plures mundos, eo quod forma huius mundi occupet totam materiam. Docet etiam, quod ſi aliqua forma non occuparet totam materiam neſſ, vnum tantum eſſet naſus in rerum natura: ergo ad multiplicitatem indiuiduorum, in ſubſtantiis materialibus, neceſſaria eſt materia. Probatur ſecundo. Multiplicitas indiuiduorum ex eo fit a natura, 2o quia talia indiuidua corruptibilia ſunt, & licet multa corrumpantur, tamen ſemper manet aliquod, in quo natura ſpecifica cōſeruatur, vt docuit Ariſt. li. 2. de Anima, & lib. 2. de Generatione: ſed radix huiuſmodi corruptibilitatis eſt materia, ratione priuationis annexæ, vt diximus in diſputatione de materia quæſt. 9. Ergo materia neceſſaria eſt ad multiplicitatem indiuiduorum in ſubſtantiis materialibus.

Tertia aſſertio. Vnitas & diſtinctio indiuiduorum, ſiue principium indiuiduationis in ſubſtantiis materialibus eſt a materia & a forma.

Quarta aſſertio. Talis vnitas ſiue indiuiduatio præcipue eſt a forma. Iſtæ aſſertiones videntur cōſonæ iis, quæ docuit Durandus in 4. diſtinct. 44. quæſt. 12 & adducuntur a patre Pererio 6. Phyſic. cap. 12. probanturque ab illo hac ratione. Vnum, & ens conuertuntur, & vnumquodque habet vnitatem & diſtinctionem ab illo a quo habet eſſe; ſed compoſitum materiale habet eſſe a materia & a forma, & præcipue a forma: ergo habent vnitatem indiuiduam a forma & materia, & præcipue a forma: forma enim finis eſt materiæ, vt docuit Ariſto. 2. Phyſ. cap. 8. Probatur 2o ſecundo. In conſtitutione, & vnitate eodē modo ſe habent forma, & materia, in indiuiduo: ſicut ſe habent genus, & differentia in ſpecie: ſed in ſpecie eſſe ſpecificum, & vnitas ſpecifica deſumitur a genere, & differentia; & præcipue a differentia: ergo in indiuiduo entitas, & vnitas indiuidua deſumuntur a materia, & forma; & præcipue a for-

a for-

a forma. Probatur tertio. Vt ſæpe docuit Ariſt. in Metaphyſica, actus eſt, qui ſeparet rem ab aliis, quæ ſub eadem potentialitate continentur: ergo, cum omnia indiuidua Phyſica, phyſice ſumpta, contineantur ſub potentialitate materiæ primæ, forma naturalis, erit actus præcipue & primo ſeparans indiuidua phyſica inter ſe: & conſequenter erit primum & præcipuũ principium indiuiduationis illorum.

Probatur quarto. In indiuiduo, duo ſolum poſſumus imaginari principia, ſcilicet materiam, & formam, a quibus tanquã a radice poſſit ſumi indiuidualis differentia; ſed non ſumitur præcipue & primo a materia ſecundum ſe: quia hæc eſt vna numero, vt diximus quæſt. vltima de materia; ergo præcipue & primo deſumitur a forma: nam licet etiam ſumatur ab hac materia: tamen materia fit hæc, per ordinẽ ad hanc formã, vt diximus eadẽq. Confirmatur vltimo. Quia ſemper conceptus actualis in indiuiduo Phyſico præcipue deſumitur a forma, quæ eſt actus ſubiectiuus. Aliis permultis rationibus poterat hæc noſtra ſententia confirmari, illas tamen proponamus in quarta parte quæſt. impugnantes contrarias ſententias.

Opinio D. Tho. IN QVARTA parte quæſt. contrarias ſententias proponamus, & impugnemus, illarumq. rationibus ſatisfaciamus. S. Tho. multis in locis, vt opuſc. de ente & eſſentia, & de principio indiuiduationis, 1. p. q. 3. art. 2. ad 3. p. q. 77. art. 2. in corp. & aliis in locis docet, materiã quantitate ſignatam eſſe principium indiuiduationis in ſubſtantiis materialibus. Vtrum autem per quãtitatem, quæ ſignat materiam, intelligat illam, quæ præceſſit formæ introductionem; vel potius illam, quę ſubſequitur formam introductam, nõ eſt a leo certum inter eius diſcipulos. Sed parum in his immoramur: nam ſiue intelligatur ſententia de quantitate antecedente, ſiue de ſubſequente formam geniti, falſa eſt, vt ſtatim demonſtrabimus. Interim qui plura deſiderat de hac ſententia, conſulat inter alios, Capreo in 2. diſtinct. 3. Caiet. in coment. de ente & eſſentia, & Paulum Sonat. 7. Metaph. quæſt. 33. 34. & 35.

Superiorem ergo ſententiam falſam eſſe probatur primo. Quantitas non ſignat materiam: ergo materia ſignata quantitate non eſt principium indiuiduationis in ſubſtantiis materialibus. Probatur antecedens. Si ſignaret vel ſignaret in genere cauſæ materialis, vel formalis, vel efficientis, vel finalis: ſed in nullo ex his: ergo, &c. Probatur minor. Non in genere cauſæ finalis: quia potius materia, cũ ſit ſubſtantia, eſt cauſa finalis quantitatis. Nec in genere cauſæ efficientis: quia quantitas nullius eſt actiuitatis, & nihil producit in ipſa materia. Nec materialis: quia potius materia eſt cauſa materialis quantitatis. Nec formalis: quia vel quantitas, quę antecedit, vel quæ ſubſequitur: ſed non illa: quia maneret effectus formalis abſque cauſa, cum pereat quantitas corrupti, & maneat, quod generatur, indiuiduum & vnum numero, quod certe eſt abſurdum: neque hæc; quia cum fluat a toto compoſito indiuiduo, poſterior eſt ipſo indiuiduo. Quare materia, quantitate ſignata, non erit principium indiuiduationis. *Impugnatur opinio D. Tho,* 1.

2. Probatur ſecundo. Fiat hic aer, ex hac aqua: modo ſic. Materia ſignata quantitate eſt principium indiuiduationis huius aeris: ergo vel ſignata quantitate, quæ erat in aqua: vel quantitate quæ eſt in aere ſed neutra ex iſtis ergo, &c. Probatur minor. In primis non quantitate, quæ erat in aqua quia principium intrinſece indiuiduans debet eſſe in re, quæ indiuiduatur: nec quãtitate quæ eſt in aere: quia hęc poſterior eſt & ſequitur ſubſtantiale & eſſentiale eſſe huius aeris: ergo materia ſignata quantitate non eſt principium indiuiduationis.

3. Probatur tertio. Materia ſignata quãtitate eſt principium indiuiduationis: ergò vel ſignatur ſola quantitate: vel ſignatur aliis etiam accidentibus: ſi aliis etiam

accidentibus; ergo non ſolum materia ſignata quantitate, ſed etiam determinata aliis accidentibus erit principium indiuiduationis: quod vero non materia ſignata ſola quantitate probatur; quia cum quantitas ſit eadem ſecundum ſpeciem in omnibus inferioribus (loquimur de trina dimenſione Phyſice ſumpta) non determinaret magis materiam ad hanc formam ſecundum ſpeciem, quam ad aliam: quare materia quantitate ſignata non eſſet magis determinata ad formam leonis, quam capræ: & conſequenter non eſſet principium indiuiduationis.

4. Probatur quarto. Si Deus produceret Petrum abſque quantitate Petrus cum ſola materia & forma, ſeciſa omni quantitate eſſet vnus numero & indiuiduus: ergo quantitas, ſiue materia ſignata quantitate non eſt principium indiuiduationis in ſubſtantiis materialibus. Cõſequentia recta eſt. Antecedens probatur. Omne quod eſt terminus productionis, eſt ſingulare & indiuiduum: ergo in iſto caſu Petrus ſeciuſa quacumque quantitate eſſet ſingularis & indiuiduus, cum eſſet terminus illius productionis, & ſupponamus nullam habere quantitatem. Nec valet ſolutio illorum, qui aſſerunt in iſto caſu materiam Petri eſſe principium indiuiduationis pes ordinem intrinſecum ad determinatam quantitatẽ: quia in materia prima ſecundum ſe ſumpta non reperitur ordo ad formam determinatam; cum materia prima ſecundum ſe indifferens ſit ad quacumque formam, vt diximus in quæſtionibus de materia. Quare vel in iſto caſu, non reperitur in materia talis ordo ad quantitatem determinatam; vel ſi reperitur, conuenit illi ratione formæ, quam habet: & conſequenter primum indiuiduationis principium in ſubſtantiis materialibus erit forma, vt docuimus, & non materia ſignata quantitate.

5. Probatur vltimo. Quantitas præcedẽs incorrupto deſinit aut per vltimum eſſe corrupti, aut, vt alij volunt, per primum non eſſe; ſed in primo non eſſe corrupti iã non eſt quantitas corrupti, & in vltimo eſſe corrupti, nondum eſt res, quæ generatur: ergo quantitas corrupti nullo modo eſt principiũ indiuiduationis rei, quæ generatur. Deinde quantitatem geniti, non eſſe principiũ indiuiduationis illius, probatur. Quod cõſequitur rem indiuiduam non poteſt eſſe principium indiuiduationis illius: ſed quantitas rei genitæ conſequitur rem genitam iam indiuiduam: ergo non poteſt eſſe principium indiuiduationis rei genitæ. Probatur mi. Quantitas, quæ eſt in re genita, ſequitur ſubſtantiam, quæ eſt primarius terminus generationis; ſed ſubſtantia, quæ eſt primarius terminus generationis, eſt indiuidua; quia quod primo terminat generationem naturalem, eſt indiuiduum; ergo quantitas rei genitæ, conſequitur ſubſtantiam indiuiduam. Quare materia ſignata quantitate, non eſt primum principium indiuiduationis in ſubſtantiis materialibus.

Soluũtur rationes ſentẽ. D. Thom.

Soluendæ ſunt iam rationes huius ſententiæ. Prima ratio deſumitur ex variis Ariſto. teſt. adductis ab authoribus huius ſententiæ, quibus videtur Ariſto. docere, materiam eſſe cauſam multitudinis, & diſtinctionis indiuiduorum. Quare colligũt inde, materiam eſſe primum indiuiduationis principium: cum vero materia ſecundum ſe ſit indeterminata, docent determinari per quantitatem: & conſequenter, materiam quantitate ſignatam, eſſe principium indiuiduationis.

Solutio.

Reſpondemus tamen cum Patre Pererio 6. Phyſico c. 12. in fine, multiplicitatem & diſtinctionem indiuiduorum, tribui interdum ab Ariſt. & peripateticis materiæ. Primo: quia quoad nos manifeſtius eſt, talem multiplicationem indiuiduorum fieri per materiã quantitate determinatã. Et hoc etiam docet Sonzinas lib. 7. q. 34. Secundo: quia forma rei materialis non eſt principiũ indiuiduationis, & multiplicitatis ſub vna ſpecie, vt forma eſt, ſed vt eſt forma rei materialis. Tertio: quia multiplicatio indiui-

diuiduorum ſolum ſit a natura in ſubſtantiis materialibus: quia cum ſolum iſtæ ſint corruptibiles in indiuiduo, opus eſt, vt ſub vnaquaq. ſpecie multa indiuidua, vel ſimul vel ſucceſsiue, contineantur: vt ſi forte aliqua indiuidua corrumpantur, maneat tamen ſemper aliquod, in quo talis natura ſpecifica conſeruetur. Quare tribuitur a peripateticis, ratio indiuiduationis materiæ propter hanc cauſam; non tamen quia materia quantitate ſignata ſit primum principium indiuiduationis.

2. Secunda ratio. Illud eſt principium indiuiduationis, quod eſt radix, per quam natura materialis redditur incommunicabilis: ſed per materiam redditur incommunicabilis natura & ſubſtantia materialis: ergo materia eſt primum indiuiduationis principium in ſubſtantiis materialibus. Probatur primo. Materia eſt primum ſubiectum; ſed per primum ſubiectum redditur res omnino incommunicabilis; ergo per materiam primam redditur res omnino

Solutio. incommunicabilis. Reſpondemus negando minorem probationi ſimiliter: nam licet materia, quæ primum ſubiectum eſt, non ſit communicabilis vt natura ſuperior, eſt tamen communicabilis ex eo, quod poteſt quamcumque formam recipere, & materia, quæ modo pars eſt huius indiuidui materialis, deinde eſt pars alterius, per ordinem ad diſtinctam formam. Quare forma eſt ſemper primum principium indiuiduationis in ſubſtantiis materialibus.

Sẽt. Sco. Scotus in 2. diſtinct. 3. quæſt. 6. exiſtimat ſubſtantiam materialem fieri indiuiduam per entitatem quandam poſitiuam per ſe determinantem naturam ſpeciei ad ſingularitatem, &, vt ex curſu illius quæſt. conſtat, cenſet, huiuſmodi entitatem diſtinctam eſſe realiter a differentia ſiue natura ſpecifica: quamuis Pater Pererius 6. Phyſic. cap. 10. doceat exiſtimaſſe Scotum loco citato differentiam hanc ſiue entitatem quæ eſt principium indiuiduationis, non eſſe realiter diſtinctam a natura ſiue differentia ſpecifica. Si exiſtimet non diſtingui realiter, vera eſt eius ſententia, & a nobis admittitur: nam intelligendum eſt de ſubſtantia Phyſica & materiali Metaphyſice ſumpta, vt docuimus, in prima aſſertione. Si vero exiſtimet, entitatem illam ſuperadditam eſſe realiter diſtinctam a differentia ſpecifica, falſa eſt illius ſententia, vt conſtat ex 3. fundamento, in quo docuimus, rationes ſuperiores indiuidui alicuius Categoriæ, nec diſtingui realiter inter ſe, nec ab indiuiduo. Sed, quidquid ſit de hac re, confirmat Scotus ſuam ſententiam rationibus, quæ ſequuntur.

Prima ratio. Sicut vnitas in communi per ſe conſequitur entitatem in communi: ita quæcumque vnitas per ſe conſequitur aliquam entitatem: ergo vnitas numeralis, quæ eſt maxima & ſimpliciter vnitas, conſequitur aliquam entitatem, quæ non poteſt eſſe entitas ſeu natura ſpecifica: tum quia vnitas ſpecifica vendicat ſibi propriam entitatem, ſcilicet ſpecificam; tum quia entitas ſpecifica, cum ſit communis omnibus indiuiduis, non poteſt eſſe principium indiuiduationis. *Ratio Scoti.* Hæc ratio & aliæ ſimiles quæ adducuntur ab Scoto facile ſoluuntur: quia ſolum probant indiuiduum materiale Metaphyſice ſumptum conſtitui per entitatem diſtinctam ſolum ratione formali a differentia ſpecifica, quod nos libenter concedimus. Reſpondemus ergo argumento in forma, concedendo antecedens *Solutio.* & diſtinguendo conſequentiam. Vnitas numerica conſequitur aliam entitatem ab vnitate ſeu natura ſpecifica formaliter diſtinctam, concedo, realiter diſtinctam, nego conſequentiam: quia natura indiuidua non eſt realiter diſtincta, ſed ſolum ratione, a natura ſpecifica, quæ reperitur in natura indiuidua. Sed dices. In indiuiduo materiali non diſtinguitur entitas numerica ſiue indiuidua ab ſpecifica: ergo entitas, quæ eſt in vno indiuiduo, reperitur in omnibus indiuiduis eiuſdem ſpeciei. Probatur conſequentia. Eadem entitas realiter ſpeciei reperitur in omnibus indiuiduis ſub illa ſpecie contentis: ergo, ſi enti-

præter propriam entitatem nullum habet principium; & ſecũdum ſe nec eſt vna, nec multiplex: ergo fit vna per principium extrinſecum, quod illam determinat: ſed tale primum principium non eſt niſi materia, vel ſe tenet ex parte materiæ: ergo forma indiuiduatur per materiam. Probatur minor. Nam tale principium extrinſecum nõ poteſt eſſe niſi materia, vel eiuſdem diſpoſitiones ad recipiendam hanc formam, vel agens, quod illas induxit, & materiam diſpoſuit: ex cuius materiæ, ſic diſpoſitæ, potentia, agens formam illam eduxit. Quæ omnia iſta reducuntur ad materiam: quia agẽs vt diſponit, efficit mediis diſpoſitionibus vt materia dicat ordinem ad hanc formam, ita vt non ad aliam, & forma ad hanc materiam ſic diſpoſitam; ratione cuius ordinis forma indiuiduatur per materiam, & materia per formam.

Sed dices. Materia fit hęc per formam, & forma fit hæc per materiam: ergo hæc forma eſt prior hac materia, & hæc materia eſt prior hac forma. Reſpondemus diſtinguendo conſequens ita. Prioritate naturæ concedo, prioritate temporis nego conſequentiam: in diuerſo enim genere cauſæ forma eſt prior materia; & materia eſt prior forma. Sed dices. Quod non eſt prius determinatum & ſingulare, nec poteſt determinare, nec poteſt eſſe principiũ indiuiduationis: ſed hæc materia, antequã recipiat formam, non eſt determinata & ſingularis: & hæc forma, antequam informet hanc materiam, non eſt ſingularis & determinata: ergo nec hæc forma poteſt determinare & indiuiduare hanc materiã, nec hæc materia poteſt determinare & indiuiduare hanc formam. Reſpõdemus primo negando maiorem. Nam eſt falſa, vt patet in differentiis ſpecificis & ſpeciebus determinatis per ipſas, & in reliquis. Reſpondemus ſecundo diſtinguendo maiorẽ ita. Quod non eſt prius natura concedimus; quod nõ eſt prius tempore negamus maiorem, at forma hæc prior eſt natura hac materia, & hæc materia prior eſt hac forma modo explicato. Sed dices. Quod eſt determinatum debet eſſe tale per aliquod principiũ in ſe incluſum; ſed nec materia, nec forma includunt in ſe aliquod tale principium; ergo materia & forma nec ſunt indiuiduæ, nec determinatæ. Reſpondemus negando maiorem; nam ſolum eſt vera in ſubſtantiis completis, vt cõſtat ex ſecunda obſeruat.

Quæres tamen. Qua ergo ratione cognoſcimus ſubſtantiam materialem habere vnam materiam, & vnam formam? Reſpondemus hoc cognoſci per accidentia, & præcipue per quantitatem, ſcilicet per trinam dimenſionem: ſubſtantia namq; habens quantitatem vnam numero, & indiuiſam neceſſario debet eſſe vna numero, & debet conſtare ex vna forma ſubſtantiali, & ex vna materia: in compoſito enim naturali ſingulari & indiuiſo ſecundum quantitatem, nõ poſſe reperiri plures formas, nec conſequenter plures materias, diximus à Deo dante in lib. de Generatione.

QVAESTIO VLT.

A quo ſumant indiuiduationem ſubſtantiæ immateriales, & accidentia.

QVÆSTIO hæc non procedit de ſubſtãtia immateriali increata: rũ hoc alterius eſt negotij. Erit ergo ſermo primo de ſubſtantiis immaterialibus, & deinde de accidentibus; & inter ſubſtantias immateriales, accurate ſolum erit ſermo de anima rationali.

Supponendum ergo eſt, animam rationalem eſſe formam corporis humani, & illi naturaliter vniri, vt docuit concilium Viennenſe, ſummatiam animam rationalem eſſe immortalem (vt decreuit etiam concilium Lateranenſe ſeſſ. 8) & multiplicari per multitudinem corporum: vnde tot ſũt animæ rationales numero, quot fuerũt, &

ſunt

ſunt homines. Quo ſuppoſito quærimus, per quid anima rationalis indiuiduetur, & ſiat hæc.

Sit hæc obſeruatio. In anima rationali duplex eſt ordo ad materiã, alter actualis, quo actu refertur ad materiam, quando illam informat; & alter potẽtialis, qui eſt naturalis quædam inclinatio, & capacitas animæ rationalis ad hoc, vt corpus ſiue materiam informet, & determinet.

Sit aſſer. Anima rationalis indiuiduatur per ordinem illũ, qui eſt capacitas, & inclinatio naturalis ad hoc, vt informet hãc materiã. Probatur aſſer. Omnis actus conſtituitur in ſuo eſſe per ordinem ad potentiam, reſpectu cuius eſt actus: ſed anima rationalis eſt actus reſpectu materiæ, & corporis hominis: ergo anima rationalis conſtituitur in ſuo eſſe indiuiduo per ordinem ad hanc materiam. Sed dices. Anima rationalis non cauſatur a materia prima ita, vt educatur de potentia materiæ, vt educuntur aliæ animæ, & omnes formæ naturales: ergo non indiuiduatur per ordinem ad materiam. Reſpondemus negando conſequentiam. Quia anima rationalis indiuiduatur per ordinem ad materiam, non a qua educitur, ſed in qua recipitur.

Scotus in quodlibetis q. 2. & 2. ſententiarum diſt. vlt. exiſtimat, animam rationalem indiuiduari per ſuam ſingularitatẽ ab ipſa anima diſtinctam, & non per ſe ipſam, aut per ordinem ad materiam, hanc ſententiã probat primo ita. Anima rationalis eſt prius, natura ſaltem, terminus primus creationis, quã infundatur in corpus: ſed primus terminus creationis eſt res ſingularis, & indiuidua: ergo anima rationalis, antequam infundatur in corpus, eſt ſingularis, & indiuidua: ergo non indiuiduatur per materiam. Reſpõdemus concedendo ſyllogiſmum, & negando conſequentiam: nam adhuc in illo priori naturæ dicit ordinem ad materiam, per quem

1. indiuiduatur. Sed dices. Quæuis res prius eſt ſua aptitudine ſiue potentia quam habet: ergo anima rationalis prius eſt indiuidua, quam dicat potentiam, & ordinem ad corpus. Reſpondemus diſtinguendo antecedens. Si potentia illa ſit accidẽs, concedimus; ſi ſit de eſſentia & intrinſeca ratione, negamus antecedens; vt patet in materia prima: at ordo ille animæ rationalis, eſt de intrinſeca ratione illius. Sed

dices. Omne abſolutum prius eſt ſua relatione; ſed anima rationalis eſt abſoluta: ergo prior eſt illo ordine qui eſt relatio: ergo non indiuiduatur per illum. Reſpondemus negando maiorem: nam ſolum eſt vera in relatione ſecundum eſſe; non vero in relatione ſecundum dici; qualis eſt hic ordo materiæ: vt patet in accidẽtibus abſolutis, quæ omnia dicũt relationem ſecũdum dici ad ſubiecta, & talis relatio non eſt poſterior illis. 2.

Probat ſecundo. Per id aliquid indiuiduatur, per quod ponitur extra cauſas: ſed ponitur anima rationalis extra cauſas per ſingularitatem ſiue eccheitatem: ergo per illam indiuiduatur. Reſpondemus negando maiorem: nã id, per quod res ponitur extra cauſas, nõ eſt principium indiuiduationis, ſed exiſtentia.

Probat tertio. Anima rationalis non includit materiam: ergo non indiuiduatur per illam. Reſpondemus negando conſequentiam: quia eſt ſecundum ſe non includat materiam, includit tamen ordinem ad materiam, quam poteſt informare.

Manet nunc dubitatio de principio indiuiduationis in Angelis, quam libenter omitto: quia alterius eſt negotij, & non parum pendet ex illa quæſt. adeo controuerſa inter S. Th. & Sco. qua inquiritur, an de facto vel de poſsibili ſint plures Angeli ſub eadem ſpecie: hanc enim quæſtionem pertractat D. Thom. 1. p. q. 50. art. 4. & ſecũdo Sententiarum, diſtinct. 3. & eadem diſtinctione Scotus quæſt. vlt. & Durandus quæſt. 3. & alii permulti Scholaſtici Doctores eadem diſtinctione. Interim tamen ſat ſit intelligere ſubſtãtias ſpirituales quales ſunt Angeli ſeipſis indiuiduari

vt

QVARTA PARS DISPVTATIONIS, QVAE EST DE principio indiuiduationis.

HANC quartam diſputationis partem diuidimus in tres quæſt. quarum prima ſermo erit de ſubſtātiis materialibus: ſecunda de partibus ſubſtātiæ materialis, ſcilicet de materia & forma: tertia denique de ſubſtātiis immaterialibus, & de accidentibus. In his vero quæſt. quæ pertinent ad ſubſtantias materiales dicemus diffuſe; quæ vero ſpectant ad ſubſtantias immateriales, & ad accidentia, conciſſa diſputatione diſputabimus: quia ſunt alterius negotij.

Quæſtio I. Quid ſit principium indiuiduationis in ſubſtantiis materialibus.

QVIA multi ex Philoſophis docuerunt, quantitatem eſſe principium indiuiduationis & alij formam, & alij materiam proinde, ut hęc de principiis rerum naturalium diſputatio imperfecta maneat, hanc pertractamus hoc in loco quæſt.

Diuiſio quæſt. Diuiditur quæſtio in quatuor partes, quarum prima explicabimus quæſtionis titulum: ſecunda jaciemus fundamenta quædam: tertia proponemus noſtram ſententiam: quarta denique alias ſententias adducemus, & illarum rationibus ſatisfaciemus.

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Nomine ſubſtantiæ materialis intelligimus ſubſtantiam compoſitam ex materia & forma: ſiue ens naturale, aut compoſitum naturale, quod idem eſt: verbi gratia Petrus aut hic leo.

Secunda obſeruatio. Principium indiuiduationis eſt id, ratione cuius redditur res indiuidua omnino incommunicabilis & vna numero. Eſt autem res vna numero illa, quæ habet in ſe principiū aliquod, ſiue rem, ſiue rationem diſtinctam, beneficio cuius diſtinguitur a quacumq. alia re ſingulari contenta ſub eadē ſpecie: vt hic leo dicitur indiuiduus, quia habet in ſe aliquod principium ratione cuius eſt vnus numero, omnino incōmunicabilis, & diſtinctus numero ab omnibus aliis leonibus. Quare principiū indiuiduationis eſt illud ratione cuius, res eſt in ſe indiuiſa, diuiſa a qualibet alia contenta ſub eadem ſpecie, & omnino incommunicabilis. Ex his manifeſtum eſt quid inquirat quæſt.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit primum fundamentum. Indiuiduum triplex eſt, ſcilicet Logicum, Phyſicum, & Metaphyſicum. Indiuiduum Logicum eſt natura, vel notio ſingularis denominata a notione indiuidui aut aggregatū ex na-

tura

tura & notione, dummodo denominetur etiã a notione indiuidui: verbi gratia Petrus denominatur a notione indiuidui, ſiue hæc notio attributi, vt continetur ſub notione attributi in communi & denominatur a notione ſingulari; tametſi hoc genus, vt eſt indiuiduum primæ vocis communis. Indiuiduum Phyſicum eſt natura ſingularis & determinata, cõſtans ex hac materia, & ex hac forma: vt Petrus ea ratione qua compoſitus eſt ex materia, & ex ſua anima rationali. Indiuiduum Metaphyſicum eſt natura ſpecifica determinata per differentiam indiuidualẽ: verbi gratia, Petrus vt eſt determinatus per differentiam, ratione cuius collocatur in recta ſerie Categoriæ ſubſtantiæ infra ſpeciem vltimam, quę eſt homo. Modo nõ diſputamus de indiuiduo Logico, nam de hoc multa diximus in Logica; ſed diſputamus de indiuiduo Phyſico & Metaphyſico: & inquirimus quodnam ſit principiũ ratione cuius natura eſt indiuidua & ſingularis Phyſice; & quænam ſit differentia ratione cuius natura eſt indiuidua & ſingularis Metaphyſice, continea in infimo loco Categoriæ ſubſtantiæ.

Secundum fundamentum. Quemadmodum in ſpecie duplex eſt principium ſpecificũ, aliud formale, ſcilicet differentia ſpecifica: & aliud radicale, ſcilicet forma, a qua deſumitur differentia ſpecifica: ita in indiuiduo materiali duplex eſt principiũ indiuiduationis, vnum formale, & alterũ radicale: & de vtroque principio procedit dubitatio.

Tertium fundamentum. In compoſito naturali, verbi gratia in hoc Leone, rationes ſuperiores, nec diſtinguuntur inter ſe realiter, nec ab ipſo Leone; ſed ſolum diſtinguũtur formaliter, diſtinctione rationis ratiocinatę (hoc ex profeſſo docuimus in Logica cap. de ſubſtantia, quæſt. 1.) hic enim Leo eſt ſubſtantia, corporea, animata, ſentiens, B. (propriam enim, & indiuidualem huius Leonis differentiam ignoramus, ac proinde dicimus illam eſſe B. Quod vero indiuidua, præter rationẽ ſpecificam, habeant proprias differentias, per quas conſtituuntur, & pertinent directe & per ſe ad illam Categoriam, ad quã pertinet ſpecies, ſub qua talia indiuidua continentur: & huiuſmodi indiuiduales differentias ſolum diſtingui ratione ratiocinata, a differentia ſpecifica, quemadmodum differt etiam differentia ſpecifica ſola ratione a natura generica, diximus, & probauimus ſatis in Logica loco citato: quæſtio ergo procedit de vtroq. principio indiuiduationis.

IN TERTIA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Principium indiuiduationis in ſubſtantia materiali Metaphyſice ſumpta eſt differentia indiuidualis eſſentialis, per quam talis ſubſtantia conſtituitur, & pertinet ad rectam ſeriem Categoriæ ſubſtantiæ. Probatur primo. Subſtantia ſingularis & indiuidua materialis Metaphyſice ſumpta collocatur directe in recta ſerie Categoriæ ſubſtãtiæ infra ſpeciem vltimam, cuius eſt indiuiduum; ergo per id indiuiduatur, per quod pertinet ad rectam ſeriem Categoriæ ſubſtantiæ infra naturã ſpecificam: ſed pertinet ad rectã ſeriem infra naturã ſpecificam, per differentiam eſſentialem indiuidualem; ergo ſubſtãtia materialis indiuiduatur per differentiam eſſentialem indiuidualem. Prima conſequẽtia euidenter ſequitur: quia id quod collocatur in recta ſerie infra ſpeciem infimam, collocatur vt indiuiduum: ergo collocatur ratione illius, per quod indiuiduatur. Minor ſatis fuit demonſtrata a nobis in Logica cap. de ſubſtãtia, quæſt. 1. & probatur modo ita. Id omne, quod pertinet per ſe ad rectam ſeriem Categoriæ ſubſtantiæ, vel conſtituitur per modum intrinſecũ talis Categoriæ, vel per differentiam, pertinentem etiam ad eandem Categoriã: ſed ſubſtantia materialis, quæ tali modo pertinet ad Categoriam ſubſtantiæ, non conſtituitur per modum intrinſecum: ergo conſtituitur per differentiã indiuidualem eſſentialẽ. Probatur minor: quia, quę

conſtituuntur per modum intrinſecum, ſunt primo diuerſa: ſed indiuidua ſubſtantiæ non ſunt primo diuerſa, cum habeant rationes ſuperiores ſynonymas: ergo non conſtituuntur per modo intrinſecos.

Probatur ſecūdo aſſertio. In ſubſtantiis, omnis ratio aut entitas ſubſtantialis & eſſentialis, vel eſt Phyſica, ſcilicet materia, aut forma, aut totum compoſitum (ſic enim diuiſit Ariſt. ſubſtantiam, quæ ad naturam pertinet, ſecundo lib. de Anima cap. 1.) vel Metaphyſica, ſcilicet natura ſuperior in recta ſerie Categoriæ ſubſtantiæ, aut differentia determinans, aut cōpoſitum ex natura ſuperiori & ex differētia determinante: ſed in ſubſtantia materiali Metaphyſice ſumpta principium indiuiduans nec eſt materia, nec forma, nec totum compoſitum; quia iſta omnia pertinent ad ſubſtantiam materialem Phyſica ſumptam: ergo principium indiuiduationis in ſubſtantia materiali, Metaphyſica ſumpta, neceſſario debet eſſe entitas Metaphyſica, pertinens ad Categoriam ſubſtantiæ: ſed talis entitas nec eſt natura ſuperior, quia hæc non eſt natura indiuidua nec eſt differentia ſpecifica, quia hæc eſt principium ſpecificum, & non indiuiduans; nec eſt aggregatum ex ratione ſuperiori, & ex differentia ſpecifica; quia tale aggregatum eſt ſpecies: ergo, a ſufficienti diuiſione, tale principium indiuiduationis erit differētia eſſentialis indiuidualis. Hæc enim eſt principium formale indiuiduationis. Hoc explicato, diſputemus iā de principio radicali indiuiduationis: nā, principium quod eſt radicale, reſpectu ſubſtantiæ materialis Metaphyſice ſumptæ, eſt principium formale, ſi talis ſubſtantia Phyſice ſumatur. Verbi gratia in ſpecie humana, vt eſt cōpoſita ex genere & differentia, forma, ſcilicet anima rationalis eſt principium radicale; & eadem forma eſt principium formale hominis, vt homo eſt ſubſtantia materialis.

Admiraculi eodemque Sit ergo ſecunda aſſertio. In ſubſtantiis materialibus, Phyſice ſumptis, materia neceſſaria eſt ad multiplicitatem numericam. Probatur primo ex Ariſt. primo de cœlo cap. 9. vbi docet non eſſe plures mūdos, eo quod forma huius mundi occupat totam materiam. Docet etiam, quod ſi aliqua forma naſ occuparet totā materiam naſ, vnum tantum eſſet naſua in rerum natura: ergo ad multiplicitatem indiuiduorum, in ſubſtantiis materialibus, neceſſaria eſt materia. Probatur ſecūdo. Multiplicitas indiuiduorum ex eo fit a natura, quia talia indiuidua corruptibilia ſūt, & licet multa corrumpantur, tamen ſemper manet aliquod, in quo natura ſpecifica cōſeruetur, vt docuit Ariſt. li. 2. de Anima, & lib. 2. de Generatione: ſed radix huiuſmodi corruptibilitatis eſt materia, ratione priuationis annexæ, vt diximus in diſputatione de materia quæſt. 9. Ergo materia neceſſaria eſt ad multiplicitatem indiuiduorum in ſubſtantiis materialibus. *Individuis neceſſaria eſt materia.* 2.

Tertia aſſertio. Vnitas & diſtinctio indiuiduorum, ſiue principium indiuiduationis in ſubſtantiis materialibus eſt a materia & a forma.

Quarta aſſertio. Talis vnitas ſiue indiuiduatio præcipue eſt a forma. Hæ aſſertiones videtur cōſonæ iis, quæ docuit Durandus in 4. diſtinct. 44. quæſt. 12 & adducuntur a patre Pererio 6. Phyſic. cap. 12. probaturque ab illo hac ratione. Vnum, & ens conuertuntur, & vnumquodque habet vnitatem & diſtinctionem ab illo a quo habet eſſe; ſed compoſitum materiale habet eſſe a materia & a forma, & præcipue a forma: ergo habent vnitatē indiuiduā a forma & materia, & præcipue a forma: forma enim finis eſt materiæ, vt docuit Ariſto. 2. Phyſ. cap. 8. Probatur ſecundo. In conſtitutione, & vnitate eodē modo ſe habent forma, & materia, in indiuiduo: ſicut ſe habent genus, & differentia in ſpecie: ſed in ſpecie eſſe ſpecificum, & vnitas ſpecifica deſumitur a genere, & differentia; & præcipue a differentia: ergo in indiuiduo entitas, & vnitas indiuidua deſumuntur a materia, & forma: & præcipue a for- 2.

a forma. Probatur tertio. Vt ſæpe docuit Ariſt. in Metaphyſica, actus eſt, qui ſeparat & diſtinguit ab aliis, quæ ſub eadem potentialitate conueniunt: ergo, cum omnia indiuidua Phyſica, phyſice ſumpta, contineantur ſub potentialitate materiæ primæ, forma naturalis, erit actus præcipue & primo ſeparans indiuidua phyſica inter ſe: & conſequenter erit primum & præcipuũ principium indiuiduationis illorum.

Probatur quarto. In indiuiduo, duo ſolum poſſumus imaginari principia, ſcilicet materiam, & formam, a quibus tanquã a radice poſſit ſumi indiuidualis differentia: ſed non ſumitur præcipue & primo a materia ſecundum ſe: quia hæc eſt vna numero, vt diximus quæſt. vltima de materia: ergo præcipue & primo deſumitur a forma: nam licet etiam ſumatur ab hac materia: tamen materia fit hæc, per ordinẽ ad hanc formã, vt diximus eadem q. Confirmatur vltimo. Quia ſemper conceptus actualis in indiuiduo Phyſico præcipue deſumitur a forma, quæ eſt actus ſubſiſtens. Aliis permultis rationibus poterat hæc noſtra ſententia confirmari, illas tamen proponemus in quarta parte quæſt. impugnantes contrarias ſententias.

Opinio D. Tho. IN QVARTA parte quæſt. contrarias ſententias proponimus, & impugnemus, illarumq. rationibus ſatisfaciamus. S. Tho. multis in locis, vt opuſc. de ente & eſſentia, & de principio indiuiduationis, 1. p. q. 3. art. 2. ad 3. p. q. 77. art. 2. in corp. & aliis in locis docet, materiã quantitate ſignatam eſſe principium indiuiduationis in ſubſtantiis materialibus. Verum autem per quãti[...], quæ ſignat materiam, intelligat [...] præciſe formæ introducti[...] [...]iuis quæ ſubſequit[...] [...]du[...] aſt a ſe[...] pa[...] [...]

ſulas inter alios, Capreo in 2. diſtinct. 3. Caieta. in coment. de ente & eſſentia, & Paulum Sonci. 7. Metaph. quæſt. 33. 34. & 35.

Superiorem ergo ſententiam falſam eſſe probatur primo. *Impugnatur opinio D. Tho.* 1. Quantitas non ſignat materiam: ergo materia ſignata quantitate non eſt principium indiuiduationis in ſubſtantiis materialibus. Probatur antecedens. Si ſignaret vel ſignaret in genere cauſæ materialis, vel formalis, vel efficientis, vel finalis; ſed in nullo ex his: ergo, &c. Probatur minor. Non in genere cauſæ finalis: quia potius materia, cũ ſit ſubſtantia, eſt cauſa finalis quantitatis. Nec in genere cauſæ efficientis: quia quantitas nullius eſt actiuitatis, & nihil producit in ipſa materia. Nec materialis: quia potius materia eſt cauſa materialis quantitatis. Nec formalis: quia vel quantitas, quæ antecedit: vel quæ ſubſequitur: ſed non illa: quia maneret effectus formalis abſque cauſa, cum pereat quantitas corrupti, & maneat, quod generatur, indiuiduum & vnum numero, quod certe eſt abſurdum: neque hæc: quia cum fluat a toto compoſito indiuiduo, poſterior eſt ipſo indiuiduo. Quare materia, quantitate ſignata, non eſt principium indiuiduationis.

Probatur ſecundo. Fiet hic aer, ex hac 2. aqua: modo ſic. Materia ſignata quantitate eſt principium indiuiduationis huius aeris: ergo vel ſignata quantitate, quæ erat in aqua: vel quantitate quæ eſt in aere: ſed neutra ex iſtis: ergo, &c. Probatur minor. In primis non quantitate, quæ erat in aqua: quia principium intrinſece indiuiduans debet eſſe in ea, quæ indiuiduatur: nec quantitate quæ eſt in aere: quia hæc poſterior eſt & ſequitur ſubſtantiale & eſſentiale eſſe huius aeris: ergo materia ſignata quantitate non eſt principium indiuiduationis.

Probatur tertio. Materia ſignata quã- 3. titate eſt principium indiuiduationis: ergo [...]gnatur ſola quantitate: vel ſigna[...] [...]tiam accidentibus; ſi aliis etiam

accidentibus; ergo non ſolum materia ſignata quantitate, ſed etiam determinata aliis accidentibus erit principium indiuiduationis: quod vero non materia ſignata ſola quantitate probatur: quia cum quantitas ſit eadem ſecundum ſpeciem in omnibus inferioribus (loquimur de trina dimenſione Phyſice ſumpta) non determinat magis materiam ad hanc formam ſecundum ſpeciem, quam ad aliam: quare materia quantitate ſignata non eſſet magis determinata ad formam leonis, quam capræ: & conſequenter non eſſet principium indiuiduationis.

4. Probatur quarto. Si Deus produceret Petrum abſque quantitate Petrus cum ſola materia & forma, ſecluſa omni quantitate eſſet vnus numero & indiuiduus: ergo quantitas, ſiue materia ſignata quantitate non eſt principium indiuiduationis in ſubſtantiis materialibus. Cōſequentia recta eſt. Antecedens probatur. Omne quod eſt terminus productionis, eſt ſingulare & indiuiduum: ergo in iſto caſu Petrus ſecluſa quacumque quantitate eſſet ſingularis & indiuiduus: cum eſſet terminus illius productionis, & ſupponamus nullam habere quantitatem. Nec valet ſolutio illorum, qui aſſerunt in iſto caſu materiam Petri eſſe principium indiuiduationis per ordinem intrinſecum ad determinatam quantitatem: quia in materia prima ſecundum ſe ſumpta non reperitur ordo ad formam determinatam: cum materia prima ſecundum ſe indifferens ſit ad quacumque formam, vt diximus in quæſtionibus de materia. Quare vel in iſto caſu, non reperitur in materia talis ordo ad quantitatem determinatam; vel ſi reperitur, conuenit illi ratione formæ, quam habet: & conſequenter primum indiuiduationis principium in ſubſtantiis materialibus erit forma, vt docuimus, & non materia ſignata quantitate.

5. Probatur vltimo. Quantitas præcedētis incorrupto deſinit aut per vltimum eſſe corrupti, aut, vt alij volunt, per primum non eſſe; ſed in primo non eſſe corrupti iā non eſt quantitas corrupti, & in vltimo eſſe corrupti, nondum eſt res, quæ generatur: ergo quantitas corrupti nullo modo eſt principiū indiuiduationis rei, quæ generatur. Deinde quantitatem geniti, non eſſe principiū indiuiduationis illius, probatur. Quod cōſequitur rem indiuiduam non poteſt eſſe principium indiuiduationis illius: ſed quantitas rei genitæ conſequitur rem genitam iam indiuiduam: ergo non poteſt eſſe principium indiuiduationis rei genitæ. Probatur mi. Quantitas, quæ eſt in re genita, ſequitur ſubſtantiam, quæ eſt primarius terminus generationis; ſed ſubſtantia, quæ eſt primarius terminus generationis: eſt indiuidua; quia quod primo terminat generationem natu talem, eſt indiuiduum: ergo quantitas rei genitæ, conſequitur ſubſtantiam indiuiduam. Quare materia ſignata quantitate, non eſt primum principium indiuiduationis in ſubſtantiis materialibus.

Soluendæ ſunt iam rationes huius ſententiæ. Prima ratio deſumitur ex variis Ariſto. teſt. adductis ab authoribus huius ſententiæ, quibus videtur Ariſto. docere, materiam eſſe cauſam multitudinis, & diſtinctionis indiuiduorum. Quare colligūt inde, materiam eſſe primum indiuiduationis principium: cum vero materia ſecundum ſe ſit indeterminata, docent determinari per quantitatem: & conſequenter, materiam quantitate ſignatam, eſſe principium indiuiduationis. Reſpondemus tamen cum Patre Pererio 6. Phyſico c. 15. in fine, multiplicitatem & diſtinctionem indiuiduorum, tribui interdum ab Ariſt. & peripateticis materiæ. Primo: quia quoad nos manifeſtius eſt, talem multiplicationem indiuiduorum fieri per materiā quantitate determinatā. Et hoc etiam docet Soncinas lib. 7. q. 34. Secundo: quia forma rei materialis non eſt principiū indiuiduationis, & multiplicitatis ſub vna ſpecie, vt forma eſt, ſed vt eſt forma rei materialis. Tertio: quia multiplicatio indiui-

Soluūtur rationes ſenten. D. Thom.

Solutio.

diuiduorū ſolum ſit a natura in ſubſtantiis materialibus: quia cū ſolum iſtæ ſint corruptibiles in indiuiduo, opus eſt, vt ſub vnaquaq; ſpecie multa indiuidua, vel ſimul vel ſucceſſiue, cōtineantur: vt ſi forte aliqua indiuidua corrumpātur, maneat tamen ſemper aliquod, in quo talis natura ſpecifica conſeruetur. Quare tribuitur a peripateticis, ratio indiuiduationis materiæ propter hanc cauſam; non tamen quia materia quantitate ſignata ſit primū principium indiuiduationis.

2. Secunda ratio. Illud eſt principium indiuiduationis, quod eſt radix, per quam natura materialis redditur incommunicabilis: ſed per materiam redditur incōmunicabilis natura & ſubſtantia materialis: ergo materia eſt primum indiuiduationis principium in ſubſtantiis materialibus. Probatur primo. Materia eſt primū ſubiectum; ſed per primum ſubiectum redditur res omnino incōmunicabilis; ergo per materiam primā redditur res omnino

Solutio. incōmunicabilis. Reſpondemus negando minorem probationi ſimiliter: nam licet materia, quæ primum ſubiectum eſt, non ſit communicabilis vt natura ſuperior, eſt tamen communicabilis ex eo, quod poteſt quamcumque formam recipere, & materia, quæ modo pars eſt huius indiuidui materialis, deinde eſt pars alterius, per ordinem ad diſtinctam formam. Quare forma eſt ſemper primum, principium indiuiduationis in ſubſtantiis materialibus.

Sēt. Sco. Scotus in 2. diſtinct. 3. quæſt. 6. exiſtimat ſubſtantiam materialem fieri indiuiduam per entitatem quandam poſitiuam per ſe determinantem naturam ſpeciei ad ſingularitatē, &c. vt ex curſu illius quæſt. cōſtat, cenſet, huiuſmodi entitatem diſtinctam eſſe realiter a differentia ſiue natura ſpecifica: quamuis Pater Pererius 6. Phyſic. cap. 10. doceat exiſtimaſſe Scotum loco citato differentiam hanc ſiue entitatem quæ eſt principium indiuiduationis, non eſſe realiter diſtinctam a natura ſiue differētia ſpecifica. Si exiſtimet non diſtingui realiter, vera eſt eius ſententia, & a nobis admittitur: nam intelligendus eſt de ſubſtantia Phyſica & materiali Metaphyſice ſumpta, vt docuimus, in prima aſſertione. Si vero exiſtimet, entitatē illam ſuperadditam eſſe realiter diſtinctam a differentia ſpecifica, falſa eſt illius ſententia, vt conſtat ex 3. fundamento, in quo docuimus, rationes ſuperiores indiuidui alicuius Categoriæ, nec diſtingui realiter inter ſe, nec ab indiuiduo. Sed, quidquid ſit de hac re, confirmat Scotus ſuam ſententiam rationibus, quæ ſequuntur.

Prima ratio. Sicut vnitas in communi per ſe conſequitur vnitatem in communi: Ratio Scoti. ita quæcumque vnitas per ſe conſequitur aliquam entitatem: ergo vnitas numeralis, quæ eſt maxima & ſimpliciter vnitas, conſequitur aliquam entitatem, quæ non poteſt eſſe entitas ſeu natura ſpecifica: tū quia vnitas ſpecifica vendicat ſibi propriam entitatem, ſcilicet ſpecificam; tum quia entitas ſpecifica, cum ſit communis omnibus indiuiduis, nō poteſt eſſe principium indiuiduationis. Hæc ratio & aliæ ſimiles quæ adducuntur ab Scoto facile ſoluuntur: quia ſolum probant indiuiduū materiale Metaphyſice ſumptum cōſtitui per entitatem diſtinctā ſolum ratione formali a differentia ſpecifica, quod nos libēter concedimus. Reſpondemus ergo argumento in forma, concedendo antecedens Solutio. & diſtinguendo conſequens ita. Vnitas numerica conſequitur aliam entitatem ab vnitate ſeu natura ſpecifica formaliter diſtinctam, concedo, realiter diſtinctam, nego conſequentiam: quia natura indiuidua non eſt realiter diſtincta, ſed ſolum ratione, a natura ſpecifica, quæ reperitur in natura indiuidua. Sed dices. In indiuiduo materiali non diſtinguitur entitas numerica ſiue indiuidua ab ſpecifica: ergo entitas, quæ eſt in vno indiuiduo, reperitur in omnibus indiuiduis eiuſdem ſpeciei. Probatur conſequentia. Eadem entitas realiter ſpeciei reperitur in omnibus indiuiduis ſub illa ſpecie contentis: ergo, ſi entitas

tas indiuidui eſt idem realiter cum entita-
te ſpecifica quæ, in illo indiuiduo reperi-
tur, entitas illius indiuidui erit in omni-
Solutio. bus indiuiduis eiuſdem ſpeciei. Reſponde-
mus negando conſequentiam. Probatio-
ni negando antecedens. Nam realitas ſpe-
ciei ſiue naturæ ſpecificæ non eſt vna, ſed
tot ſunt, quot ſunt indiuidua realia, ſub
tali natura ſpecifica contenta: natura enim
ſpecifica, verbi gratia leonis, ſolum eſt v-
na a parte rei formaliter, & non vnitate
poſitiua, ſed negatiua, vt late diximus in
Logica in diſputatione de vniuerſalibus. Sed
2. dices. Attributum quod vere affirmatur
de aliquo ſubiecto, non poteſt diſtingui
realiter ab illo, vt diximus in Logica in
diſputatione de indiuiduo quæſt. 5. ſed na-
tura ſpecifica ſumpta in communi prædi-
catur de quouis indiuiduo ſub ſe conten-
to: ergo nõ poteſt diſtingui realiter ab ali-
Solutio. quo indiuiduo. Reſpondemus diſtinguen-
do minorem ita. Natura ſpecifica ſumpta
in cõmuni realiter prædicatur de quouis
indiuiduo, negamus maiorem: ſumpta for-
maliter, concedimus maiorem. Ratio eſt
quia natura ſpecifica realiter ſumpta di-
cit omnes realitates indiuiduorum. Qua-
re ſi vere affirmaretur de quouis indiuiduo
ſumpto realiter, hæc eſſet vera: Petrus eſt
homo: id eſt, Petrus eſt Ioannes, Franciſcus
Paulus, &c. Sumpta vero formaliter, ſolũ
dicit rationem formalem conſtituentẽ ho-
minem in communi, quæ licet non ſit vna
poſitiue, tamen non eſt multiplex poſiti-
ue. Quare prædicatur de Petro illa ratio
communis, quæ vna eſt negatiue ac proin-
de, licet nõ prædicetur de Petro ratio for-
malis hominis, quæ eſt in Ioanne, tamen
nõ prædicatur de illo alia ratio diſtincta:
quia ratio formalis Petri, & Ioannis, vt
homines ſunt, nec conueniunt, nec diſtin-
guuntur poſitiue: cum natura humana ſe-
cundum ſe formaliter ſumpta ſit vna ne-
Dubitatio gatiue. Sed quæres. Quẽ ergo ſenſum red-
dit hæc propoſitio, Petrus eſt homo. Re-
Obſerua. ſpondemus hunc reddere ſenſum. Ratio
formalis hominis, ſcilicet eſſe animal ra-
tionale, reperitur in Petro. Propoſitiones
enim, in quibus ratio ſuperior in recto
prædicatur de inferiori, ſolum ſunt veræ,
vt reſoluuntur in prædicationes in obli-
quo, per quas ſignificamus rationem illã
ſuperiorem reperiri in ſubiecto, de quo e-
nunciatur, vt patet in exemplo adducto.
Si vero ſumantur in recto, vt hæc, Petrus
eſt animal, hũc reddũt ſenſum: Petrus eſt
animal, id eſt, ſuppoſitũ quod eſt Petrus,
eſt ſuppoſitum quod etiã eſt animal: non
quia ſint Petrus & animal, quod de ipſo
enũciatur, duo ſuppoſita realiter diſtincta
ſed ſolũ formaliter: quia ſi realiter diſtin-
guerentur, non poſſent ad inuicem prædi-
cari. Quare attributum quod prædicatur
de aliquo in obliquo, recte poteſt diſtin-
gui realiter a ſubiecto. Attributum vero,
quod prædicatur in recto, non poteſt rea-
liter diſtingui a ſubiecto: vt hæc eſt vera in
obliquo, Petrus habet albedinem, & albe-
do realiter diſtinguitur a Petro. Hæc etiã
eſt vera in recto, Petrus eſt albus, id eſt ſup-
poſitum quod eſt Petrus, eſt album, & in
hac attributum, quod vere enunciatur de
ſubiecto, non diſtinguitur realiter a ſubie-
cto, ſed ſola ratione.

Tandem in fine quæſt. ſoluendæ ſunt *Rationes*
aliquæ rationes, quæ videntur vim habe- *contra aſ-*
re contra noſtras aſſertiones. Dices ergo *ſertiones.*
primo. Subſtãtia materialis indiuiduatur
per differẽtiam indiuidualem: ergo eſt ens
per accidens: ergo non pertinet directe ad
rectam ſeriem, vt diximus. Probatur pri-
ma conſequentia. Omnis differentia eſt a-
ctua: ergo ex illa, & ex natura ſpecifica,
quæ etiam eſt ens in actu, fiet vnum ens
per ſe: nam quod componitur ex duobus
entibus in actu eſt ens per accidens. Reſ- *Solutio.*
pondemus negando primam conſequen-
tiam. Probationi negando etiam conſe-
quentiam. Nam quemadmodum ſpecies
intellecta eſt ens in actu, & tamẽ eſt in po-
tentia ad vlteriorem perfectionem eſſen-
tialem, ſcilicet ad differẽtiam ſpecificam,
ex qua, & ex ſpecie intellecta fit vnum ens
per ſe, ſcilicet ſpecies infima: ita etiã na-

tura

tura ſpeciei vltimæ eſt ens in actu, tamen eſt in potentia ad vlteriorem perfectionẽ, ſcilicet ad differentiam indiuidualem, ſimul cum qua componit vnum ens per ſe, nempe naturam indiuiduam pertinentem ad rectam ſeriem & conſequenter talis natura indiuidua, eſt ens per ſe, cũ entia per

Obſerua. accidens excludantur a Categoriis. imo potius, eo quod natura ſpecifica non eſt vltimo diuiſa & perfecta, ſed vlterius perfectibilis, ſequitur neceſſario, illam debere determinari & perfici per differentiam indiuidualem eſſentialem pertinentem ad eandem Categoriam: quod ita probo. Species infima eſt perfectibilis: ergo, aut per perfectionem ſubſtãtialem (loquimur modo de ſpecie infima Categoriæ ſubſtãtiæ) aut per accidentariam; ſi per ſubſtantialẽ, habeo quod intendo probare; ſi per accidẽtariam; ergo etiam natura Petri nõ eſt vltimo diuiſa, cum etiam habeat potentiam ad hoc vt vlterius perficiatur per formas

2. accidentarias. Sed dices. Indiuidua habẽt propriam eſſentiã: ergo de illis poteſt dari ſcientia & diffinitio, quod eſt abſurdũ. Reſpondemus concedendo enthymema, & negãdo eſſe abſurdum: nam de indiuiduis dari ſcientiam, & definitionem diximus ſatis abunde in Logica cap. de ſubſtãtia, quæſt. 5. & 3. lib. de demonſtrat. capi. 1. quæſt. 5.

2. Ratio. Dices in ſecundam aſſertionem. Materia eſt neceſſaria ad multiplicitatem numericam: ergo vbi eſt materia debet eſſe multiplicitas indiuiduorum, quod eſt abſurdum, vt patet in ſole, qui materialis eſt, &

Solutio. non eſt multiplex numero. Reſpondemus negando conſequẽtiam: quia, licet ad multiplicitatem indiuiduorum ſub aliqua ſpecie, neceſſaria ſit materia, tamen non omnis ſpecies vel materialis debet habere multa indiuidua: nam indiuiduorum multitudo, vt in hac quæſ. diximus, reperitur in ſpecie cuius indiuidua corruptibilia ſunt; ſoli vero eſt natura incorruptibilis.

3. Ratio. Dices vltimo, materiam & formam, cũ ſint res indeterminatæ non poſſe eſſe principium indiuiduationis. Hæc ratio inquæris ſolutionem quæſtionis quæ ſequitur.

QVÆSTIO II.

Quod ſit principium indiuiduationis in materia, & forma.

EX dictis ſuperiori q. breuiter nos ab hac expediemus. Sit ergo prima obſerua. Nomine materiæ & formæ intelligimus partes eſſentiales compoſiti naturalis, excipimus tamen animã rationalem, de qua erit ſermo q. ſequenti.

Secunda obſer. materia & forma ſunt entitates partiales & incompletæ, iſtæ vero non poſſunt indiuiduari per aliquod principium intrinſecum; ſed indiuiduãtur ſeipſis; nã ſi poſſent, eſſet proceſſus in infinitum. Quare intrinſece ſeipſis ſunt indiuiduæ, extrinſece vero vel per efficiẽtẽ, vel per accidentia, vel per aliquid aliud. Non enim eſt quærenda ratio vel cauſa formalis in rebus ſimplicibus & primis, cur ſint vel cur tales ſint. Forma enim & materia nõ ſunt, ſi proprie loquamur, ſed ſunt quibus totum eſt.

Sit prima aſſer. materia ſit vna & ſingularis ſiue indiuidua per ordinem ad vnam numero formã: vt materia huius Leonis ſit indiuidua per ordinem ad hanc formã, qua informatur. Probatur aſſer. Materia ſecundum ſe eſt indifferens ad plura indiuidua: ergo id, per quod determinatur ad hoc vt ſit materia huius indiuidui, eſt principium indiuiduationis: ſed determinatur per formã, ſiue per ordinem ad hanc formã, vt diximus & probauimus q. vlt. de materia aſſer. 2. ergo determinatur & indiuiduatur per ordinẽ ad hanc formam. *Materia indiuiduatur per formam.*

Secunda aſſertio. Forma ſit vna & indiuidua per ordinem ad hanc materiam. Probatur aſſertio. Forma huius Leonis eſt vna numero, & diuiſa realiter a quacumque alia forma cuiuſuis Leonis: ergo per aliquod principium: ſed tale principium non eſt intrinſecum; quia forma *Forma indiuiduatur per materiã.*

præter propriam entitatem nullum habet principium; & ſecūdum ſe nec eſt vna, nec multiplex: ergo ſit vna per principium extrinſecum, quod illam determinat: ſed tale primum principium non eſt niſi materia, vel ſe tenet ex parte materiæ: ergo forma indiuiduatur per materiam. Probatur minor. Nam tale principium extrinſecum nō poteſt eſſe niſi materia, vel eiius diſpoſitiones ad recipiendam hanc formam, vel agens, quod illas induxit, & materiam diſpoſuit, ex cuius materiæ, ſic diſpoſitæ, potentia, agens formam illam eduxit. Quare omnia iſta reducuntur ad materiam: quia agēs vt diſponit, efficit mediis diſpoſitionibus vt materia dicat ordinem ad hanc formam, ita vt non ad aliam, & forma ad hanc materiam ſic diſpoſitam; ratione cuius ordinis forma indiuiduatur per materiam, & materia per formam.

Sed dices. Materia fit hęc per formam, & forma fit hæc per materiam: ergo hæc forma eſt prior hac materia, & hæc materia eſt prior hac forma. Reſpondemus diſtinguendo conſequens ita. Prioritate naturæ concedo, prioritate temporis nego conſequentiam: in diuerſo enim genere cauſæ forma eſt prior materia; & materia eſt prior forma. Sed dices. Quod non eſt prius determinatum & ſingulare, nec poteſt determinare, nec poteſt eſſe principiū indiuiduationis: ſed hæc materia, antequā recipiat formam, non eſt determinata & ſingularis: & hæc forma, antequam informet hanc materiam, non eſt ſingularis & determinata: ergo nec hæc forma poteſt determinare & indiuiduare hanc materiā, nec hæc materia poteſt determinare & indiuiduare hanc formam. Reſpōdemus primo negando maiorem. Nam eſt falſa, vt patet in differentiis ſpecificis & ſpeciebus determinatis per ipſas, & in relatis. Reſpondemus ſecundo diſtinguendo maiorē ita. Quod non eſt prius natura concedimus; quod nō eſt prius tempore negamus maiorem, at forma hæc prior eſt natura hac materia, & hæc materia prior eſt hac forma modo explicato. Sed dices. Quod eſt determinatum debet eſſe tale per aliquod principiū in ſe incluſum; ſed nec materia, nec forma includunt in ſe aliquod tale principium; ergo materia & forma nec ſunt indiuiduæ, nec determinatæ. Reſpondemus negando maiorem; nam ſolum eſt vera in ſubſtantiis completis, vt cō ſtat ex ſecunda obſeruat.

Quæres tamen. Qua ergo ratione cognoſcimus ſubſtantiam materialem habere vnam materiam, & vnam formam? Reſpondemus hoc cognoſci per accidentia, & præcipue per quantitatem, ſcilicet per trinam dimenſionem: ſubſtantia namq. habens quantitatem vnam numero, & indiuiſam neceſſario debet eſſe vna numero, & debet conſtare ex vna forma ſubſtantiali, & ex vna materia: in compoſito enim naturali ſingulari & indiuiſo ſecundum quantitatem, nō poſſe reperiri plures formas, nec conſequenter plures materias, dicemus Deo dante in lib. de Generatione.

QVAESTIO VLT.

A quo ſumant indiuiduationem ſubſtantiæ immateriales, & accidentia.

QVÆSTIO hæc non procedit de ſubſtātia immateriali increata; nā hoc alterius eſt negotij. Erit ergo ſermo primo de ſubſtantiis immaterialibus, & deinde de accidentibus; & inter ſubſtantias immateriales, accuratè ſolum erit ſermo de anima rationali.

Supponendum ergo eſt, animam rationalem eſſe formam corporis humani, & illi naturaliter vniri, vt docuit concilium Viennenſe, tum etiam animam rationalem eſſe immortalem (vt decreuit etiam concilium Lateranenſe ſeſſ. 8) & multiplicari per multitudinem corporum: vnde tot ſūt animæ rationales numero, quot fuerūt, & ſunt

ſunt homines. Quo ſuppoſito quærimus, per quid anima rationalis indiuiduetur, & fiat hæc.

Sit hæc obſeruatio. In anima rationali duplex eſt ordo ad materiā, alter actualis, quo actu refertur ad materiam, quando illam informat; & alter potētialis, qui eſt naturalis quædam inclinatio, & capacitas animæ rationalis ad hoc, vt corpus ſiue materiam informet, & determinet.

Sit aſſer. Anima rationalis indiuiduatur per ordinem illū, qui eſt capacitas, & inclinatio naturalis ad hoc, vt informet hāc materiā. Probatur aſſer. Omnis actus conſtituitur in ſuo eſſe per ordinem ad potentiam, reſpectu cuius eſt actus: ſed anima rationalis eſt actus reſpectu materiæ, & corporis hominis; ergo anima rationalis conſtituitur in ſuo eſſe indiuiduo per ordinem ad hanc materiam. Sed dices. Anima rationalis non cauſatur a materia prima ita, vt educatur de potentia materiæ, vt educuntur aliæ animæ, & omnes formæ naturales: ergo non indiuiduatur per ordinem ad materiam. Reſpondemus negando conſequentiam. Quia anima rationalis indiuiduatur per ordinem ad materiam, non a qua educitur, ſed in qua recipitur.

Scotus in quodlibetis q. 2. & 2. ſententiarum diſt. vlt. exiſtimat, animam rationalem indiuiduari per ſuam ſingularitatē ab ipſa anima diſtinctam, & non per ſeipſam, aut per ordinem ad materiam, hanc ſententiā probat primo ita. Anima rationalis eſt prius, natura ſaltem, terminus primus creationis, quā infundatur in corpus: ſed primus terminus creationis eſt res ſingularis, & indiuidua; ergo anima rationalis, antequam infundatur in corpus, eſt ſingularis, & indiuidua: ergo non indiuiduatur per materiam. Reſpōdemus concedendo ſyllogiſmum, & negando conſequentiam: nam adhuc in illo priori natura dicit ordinem ad materiam, per quem
1. indiuiduatur. Sed dices. Quæuis res prius eſt ſua aptitudine ſiue potentia quam habet: ergo anima rationalis prius eſt indiuidua, quam dicat potentiam, & ordinem ad corpus. Reſpondemus diſtinguendo antecedens. Si potentia illa ſit accidēs, concedimus; ſi ſit de eſſentia & intrinſeca ratione, negamus antecedens: vt patet in materia prima: at ordo ille animæ rationalis, eſt de intrinſeca ratione illius. Sed
dices. Omne abſolutum prius eſt ſua relatione; ſed anima rationalis eſt abſoluta; ergo prior eſt illo ordine qui eſt relatio: ergo non indiuiduatur per illum. Reſpondemus negando maiorem: nam ſolum eſt vera in relatione ſecundum eſſe; non vero in relatione ſecundum dici: qualis eſt hic ordo materiæ: vt patet in accidētibus abſolutis, quæ omnia dicūt relationem ſecūdum dici ad ſubiecta, & talis relatio non eſt poſterior illis. 2.

Probat ſecundo. Per id aliquid indiuiduatur, per quod ponitur extra cauſas: ſed ponitur anima rationalis extra cauſas per ſingularitatem ſiue haecceitatem: ergo per illam indiuiduatur. Reſpondemus negando maiorem: nā id, per quod res ponitur extra cauſas, nō eſt principium indiuiduationis, ſed exiſtentia.

Probat tertio. Anima rationalis non includit materiam: ergo non indiuiduatur per illam. Reſpondemus negando conſequentiam: quia etſi ſecundum ſe non includat materiam, includit tamen ordinem ad materiam, quam poteſt informare.

Manet nunc dubitatio de principio indiuiduationis in Angelis, quam libenter omitto: quia alterius eſt negotij, & non parum pendet ex illa quæſt. adeo controuerſa inter S. Th. & Sco. qua inquiritur, an de facto vel de poſsibili ſint plures Angeli ſub eadem ſpecie; hanc enim quæſtionem pertractat D. Thom. 1. p. q. 50. art. 4. & ſecūdo Sententiarum, diſtinct. 3. & eadem diſtinctione Scotus quæſt. vlt. & Durandus quæſt. 3. & alij permulti Scholaſtici Doctores eadem diſtinctione. Interim tamen ſat ſit intelligere ſubſtātias ſpiritales quales ſunt Angeli ſeipſis indiuiduari

vt

QVARTA PARS DISPVTATIONIS, QVAE EST DE principio indiuiduationis.

HANC quartam diſputationis partem diuidimus in tres quæſt. quarum prima ſermo erit de ſubſtātiis materialibus: ſecunda de partibus ſubſtātiæ materialis, ſcilicet de materia & forma: tertia denique de ſubſtātiis immaterialibus,& de accidentibus. In his vero quæſt. quæ pertinent ad ſubſtantias materiales dicemus diffuſe; quæ vero ſpectant ad ſubſtantias immateriales,& ad accidentia, conciſſa diſputatione diſputabimus: quia ſunt alterius negotij.

Quæſtio I. Quid ſit principium indiuiduationis in ſubſtantiis materialibus.

QVIA multi ex Philoſophis docuerunt, quantitatem eſſe principium indiuiduationis & alij formam, & alij materiam: proinde, ne hęc de principiis rerum naturalium diſputatio imperfecta maneat, hanc pertractamus hoc in loco quæſt.

Diuiſio quæſt. Diuiditur quæſtio in quatuor partes, quarum prima explicabimus quæſtionis titulum: ſecunda iaciemus fundamenta quædam: tertia proponemus noſtram ſententiam: quarta denique alias ſententias adducemus, & illarum rationibus ſatisfaciemus.

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Nomine ſubſtantiæ materialis intelligimus ſubſtantiam compoſitam ex materia & forma: ſiue ens naturale, aut compoſitum naturale, quod idem eſt: verbi gratia Petrus aut hic leo.

Secunda obſeruatio. Principium indiuiduationis eſt id, ratione cuius redditur res indiuidua omnino incommunicabilis & vna numero. Eſt autem res vna numero illa, quæ habet in ſe principiū aliquod, ſiue re, ſiue ratione diſtinctum, beneficio cuius diſtinguitur a quacumq. alia re ſingulari contenta ſub eadē ſpecie: vt hic leo dicitur indiuiduus, quia habet in ſe aliquod principium ratione cuius eſt vnus numero, omnino incōmunicabilis, & diſtinctus numero ab omnibus aliis leonibus. Quare principiū indiuiduationis eſt illud ratione cuius, res eſt in ſe indiuiſa, diuiſa a qualibet alia contenta ſub eadem ſpecie, & omnino incommunicabilis. Ex his manifeſtum eſt quid inquirat quæſt.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit primum fundamentum. Indiuiduum triplex eſt, ſcilicet Logicum, Phyſicum, & Metaphyſicum. Indiuiduum Logicum eſt natura, vel notio ſingularis denominata a notione indiuiduitatis aut aggregatū ex na-

tura

tera à notione, dummodo denominetur etiã a notione indiuidui: verbi gratia Petrus denominatur a notione indiuidui ſiue hæc notio attributi, vt continetur ſub notione attributi in communi & denominatur a notione ſingulari: tum etiam hoc genus, vt eſt indiuiduum primæ vocis communis. Indiuiduum Phyſicum eſt natura ſingularis & determinata, cõſtans ex hac materia, & ex hac forma: vt Petrus ea ratione qua compoſitus eſt ex materia, & ex ſua anima rationali. Indiuiduum Metaphyſicum eſt natura ſpecifica determinata per differentiam indiuidualẽ: verbi gratia, Petrus vt eſt determinatus per differentiam, ratione cuius collocatur in recta ſerie Categoriæ ſubſtantiæ infra ſpeciem vltimam, quę eſt homo. Modo nõ diſputamus de indiuiduo Logico, nam de hoc multa diximus in Logica: ſed diſputamus de indiuiduo Phyſico & Metaphyſico: & inquirimus quodnam ſit principiũ ratione cuius natura eſt indiuidua & ſingularis Phyſice; & quænam ſit differentia ratione cuius natura eſt indiuidua & ſingularis Metaphyſice, contenta in infimo loco Categoriæ ſubſtantiæ.

Secundum fundamentum. Quemadmodum in ſpecie duplex eſt principium ſpecificũ, aliud formale, ſcilicet differentia ſpecifica: & aliud radicale, ſcilicet forma, a qua deſumitur differentia ſpecifica: ita in indiuiduo materiali duplex eſt principiũ indiuiduationis, vnum formale, & alterũ radicale: & de vtroque principio procedit dubitatio.

Tertium fundamentum. In compoſito naturali, verbi gratia in hoc Leone, rationes ſuperiores, nec diſtinguuntur inter ſe realiter, nec ab ipſo Leone; ſed ſolum diſtinguũtur formaliter, diſtinctione rationis ratiocinatę (hoc ex profeſſo docuimus in Logica cap. de ſubſtantia, quæſt. 5.) hic enim Leo eſt ſubſtantia, corporea, animata, ſentiens, B. (propriam enim, & indiuidualem huius Leonis differentiam ignoramus, ac proinde dicimus illam eſſe B. Quod vero indiuidua, præter rationẽ ſpecificam, habeant proprias differentias, per quas conſtituuntur, & pertinent directe & per ſe ad illam Categoriam, ad quã pertinet ſpecies, ſub qua talia indiuidua continentur: & huiuſmodi indiuiduales differentias ſolum diſtingui ratione ratiocinata, a differentia ſpecifica, quemadmodum differt etiam differentia ſpecifica ſola ratione a natura generica, diximus, & probauimus ſatis in Logica loco citato: quæſtio ergo procedit de vtroq. principio indiuiduationis.

IN TERTIA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Principium indiuiduationis in ſubſtantia materiali Metaphyſice ſumpta eſt differentia indiuidualis eſſentialis, per quam talis ſubſtantia conſtituitur, & pertinet ad rectam ſeriem Categoriæ ſubſtantiæ. Probatur primo. Subſtantia ſingularis & indiuidua materialis Metaphyſice ſumpta collocatur directe in recta ſerie Categoriæ ſubſtãtiæ infra ſpeciem vltimam, cuius eſt indiuiduum; ergo per id indiuiduatur, per quod pertinet ad rectam ſeriem Categoriæ ſubſtantiæ infra naturã ſpecificam: ſed pertinet ad rectã ſeriem infra naturã ſpecificam, per differentiam eſſentialem indiuidualem; ergo ſubſtãtia materialis indiuiduatur per differentiam eſſentialem indiuidualem. Prima conſequẽtia euidenter ſequitur: quia id quod collocatur in recta ſerie infra ſpeciem infimam, collocatur vt indiuiduum: ergo collocatur ratione illius, per quod indiuiduatur. Minor ſatis fuit demonſtrata a nobis in Logica cap. de ſubſtãtia, quæſt. 5. & probatur modo ita. Id omne, quod pertinet per ſe ad rectam ſeriem Categoriæ ſubſtantiæ, vel conſtituitur per modum intrinſecũ talis Categoriæ, vel per differentiam, pertinentem etiam ad eandem Categoriã: ſed ſubſtantia materialis, quæ tali modo pertinet ad Categoriam ſubſtantiæ, non conſtituitur per modum intrinſecum: ergo conſtituitur per differentiã indiuidualem eſſentialẽ. Probatur minor: quia, quę

conſti

conſtituuntur per modum intrinſecum, ſunt primo diuerſa: ſed indiuidua ſubſtantiæ non ſunt primo diuerſa, cum habeant rationes ſuperiores ſynonymas: ergo non conſtituuntur per modos intrinſecos.

Probatur ſecũdo aſſertio. In ſubſtantiis, omnis ratio aut entitas ſubſtantialis & eſſentialis, vel eſt Phyſica, ſcilicet materia, aut forma, aut totum compoſitum (ſic enim diuiſit Ariſto. ſubſtantiam, quæ ad naturam pertinet, ſecundo lib. de Anima cap. 1.) vel Metaphyſica, ſcilicet natura ſuperior in recta ſerie Categoriæ ſubſtantiæ, aut differentia determinans, aut compoſitum ex natura ſuperiori & ex differẽtia determinante: ſed in ſubſtantia materiali Metaphyſice ſumpta principium indiuiduans nec eſt materia, nec forma, nec totum compoſitum; quia iſta omnia pertinent ad ſubſtantiam materialem Phyſice ſumptam: ergo principium indiuiduationis in ſubſtantia materiali, Metaphyſice ſumpta, neceſſario debet eſſe entitas Metaphyſica, pertinens ad Categoriam ſubſtantiæ: ſed talis entitas nec eſt natura ſuperior, quia hæc non eſt natura indiuidua nec eſt differentia ſpecifica, quia hæc eſt principium ſpecificum, & non indiuiduale; nec eſt aggregatum ex ratione ſuperiori, & ex differentia ſpecifica; quia tale aggregatum eſt ſpecies: ergo, a ſufficienti diuiſione, tale principium indiuiduationis erit differẽtia eſſentialis indiuidualis. Hæc enim eſt principium formale indiuiduationis. Hoc explicato, diſputemus etiã de principio radicali indiuiduationis: nã, principium quod eſt radicale, reſpectu ſubſtantiæ materialis Metaphyſice ſumptæ, eſt principium formale, ſi talis ſubſtantia Phyſice ſumatur. Verbi gratia in ſpecie humana, vt eſt cõpoſita ex genere & differentia, forma, ſcilicet anima rationalis eſt principium radicale; & eadem forma eſt principium formale hominis, vt homo eſt ſubſtantia materialis.

Ad multi[illegible] Sit ergo ſecunda aſſertio. In ſubſtantiis materialibus, Phyſice ſumptis, materia neceſſaria eſt ad multiplicitatem numericam. Probatur primo ex Ariſt. primo de cœlo cap. 9. vbi docet non eſſe plures mũdos, eo quod forma huius mundi occupet totam materiam. Docet etiam, quod ſi aliqua forma naſ. occuparet totã materiam naſ. vnum tantum eſſet naſus in rerum natura: ergo ad multiplicitatem indiuiduorum, in ſubſtantiis materialibus, neceſſaria eſt materia. Probatur ſecũdo. Multiplicitas indiuiduorum ex eo fit a natura, quia talia indiuidua corruptibilia ſũt, & licet multa corrumpantur, tamen ſemper manet aliquod, in quo natura ſpecifica cõſeruetur, vt docuit Ariſt. li. 2. de Anima, & lib. 2. de Generatione: ſed radix huiuſmodi corruptibilitatis eſt materia, ratione priuationis annexæ, vt diximus in diſputatione de materia quæſt. 9. Ergo materia neceſſaria eſt ad multiplicitatem indiuiduorum in ſubſtantiis materialibus. *individua necessaria est materia.* 2

Tertia aſſertio. Vnitas & diſtinctio indiuiduorum, ſiue principium indiuiduationis in ſubſtantiis materialibus eſt a materia & a forma.

Quarta aſſertio. Talis vnitas ſiue indiuiduatio præcipue eſt a forma. Iſtæ aſſertiones videntur cõſonæ iis, quæ docuit Durandus in 4. diſtinct. 44. quæſt. 1. & adducuntur a patre Pererio 6. Phyſic. cap. 12. probanturque ab illo hac ratione. Vnum, & ens conuertuntur, & vnumquodque habet vnitatem & diſtinctionem ab illo a quo habet eſſe; ſed compoſitum materiale habet eſſe a materia & a forma: & præcipue a forma: ergo habent vnitatẽ indiuiduam a forma & materia, & præcipue a forma: forma enim finis eſt materiæ, vt docuit Ariſto. 2. Phyſ. cap. 8. Probatur ſecundo. In conſtitutione, & vnitate eodẽ modo ſe habent forma, & materia, in indiuiduo: ſicut ſe habent genus, & differentia in ſpecie: ſed in ſpecie eſſe ſpecificum, & vnitas ſpecifica deſumitur a genere, & differẽtia; & præcipue a differentia: ergo in indiuiduo entitas, & vnitas indiuidua deſumuntur a materia, & forma: & præcipue 2

a for-

a forma. Probatur tertio. Vt ſæpe docuit Ariſt. in Metaphyſica, actus eſt, qui ſeparat rem ab aliis, quæ ſub eadem potentialitate continentur: ergo, cum omnia indiuidua Phyſica, phyſice ſumpta, contineantur ſub potentialitate materiæ primæ, forma naturalis, erit actus præcipue & primo ſeparans indiuidua phyſica inter ſe: & conſequenter erit primum & præcipuũ principium indiuiduationis illorum.

Probatur quarto. In indiuiduo, duo ſolum poſſumus imaginari principia, ſcilicet materiam, & formam, a quibus tanquã a radice poſſit ſumi indiuidualis differentia; ſed non ſumitur præcipue & primo a materia ſecundum ſe: quia hæc eſt vna numero, vt diximus quæſt. vltima de materia: ergo præcipue & primo deſumitur a forma: nam licet etiam ſumatur ab hac materia: tamen materia fit hæc, per ordinẽ ad hanc formã, vt diximus eadem q. Confirmatur vltimo. Quia ſemper conceptus actualis in indiuiduo Phyſico præcipue deſumitur a forma, quæ eſt actus ſubiectiuus. Aliis permultis rationibus poterat hæc noſtra ſententia confirmari, illas tamen proponemus in quarta parte quæſ. impugnantes contrarias ſententias.

Opinio D. Tho. IN QVARTA parte quæſt. contrarias ſententias proponimus, & impugnamus, illarumq. rationibus ſatisfaciamus. S. Tho. multis in locis, vt opuſc. de ente & eſſentia, & de principio indiuiduationis, 1. p. q. 3. art. 2. ad 3. p. q. 77. art. 2. in corp. & aliis in locis docet, materiã quantitate ſignatam eſſe principium indiuiduationis in ſubſtantiis materialibus. Verum autem per quãtitatem, quæ ſignat materiam, intelligat illam, quæ præceſſit formæ introductionem; vel potius illam, quę ſubſequitur formam introductam, nõ eſt a deo certum inter eius diſcipulos. Sed parum in his immoramur: nam ſiue intelligatur ſententia de quantitate antecedente, ſiue de ſubſequente formam geniti, falſa eſt, vt ſtatim demonſtrabimus. Interim qui plura deſiderat de hac ſententia, conſulat inter alios, Capreo in 2. diſtinct. 3. Caieta. in coment. de ente & eſſentia, & Paulum Sonzi. 7. Metaph. quæſt. 33. 34. & 35.

Impugnatur opinio D. Tho. 1. Superiorem ergo ſententiam falſam eſſe probatur primo. Quantitas non ſignat materiam: ergo materia ſignata quantitate non eſt principium indiuiduationis in ſubſtantiis materialibus. Probatur antecedens. Si ſignaret vel ſignaret in genere cauſæ materialis, vel formalis, vel efficientis, vel finalis: ſed in nullo ex his: ergo, &c. Probatur minor. Non in genere cauſæ finalis: quia potius materia, cũ ſit ſubſtantia, eſt cauſa finalis quantitatis. Nec in genere cauſæ efficientis: quia quantitas nullius eſt actiuitatis, & nihil producit in ipſa materia. Nec materialis: quia potius materia eſt cauſa materialis quantitatis. Nec formalis: quia vel quantitas, quę antecedit; vel quæ ſubſequitur: ſed non illa: quia maneret effectus formalis abſque cauſa, cum pereat quantitas corrupti, & maneat, quod generatur, indiuiduum & vnum numero, quod certe eſt abſurdum: neque hæc, quia cum fluat a toto compoſito indiuiduo, poſterior eſt ipſo indiuiduo. Quare materia, quantitate ſignata, non erit principium indiuiduationis.

2. Probatur ſecundo. Fiat hic aer, ex hac aqua, modo ſic. Materia ſignata quantitate eſt principium indiuiduationis huius aeris: ergo vel ſignata quantitate, quæ erat in aqua, vel quantitate quæ eſt in aere: ſed neutra ex iſtis: ergo, &c. Probatur minor. In primis non quantitate, quæ erat in aqua: quia principium intrinſece indiuiduans debet eſſe in re, quæ indiuiduatur: nec quãtitate quæ eſt in aere: quia hęc poſterior eſt & ſequitur ſubſtantiale & eſſentiale eſſe huius aeris: ergo materia ſignata quantitate non eſt principium indiuiduationis.

3. Probatur tertio. Materia ſignata quãtitate eſt principium indiuiduationis: ergo vel ſignatur ſola quantitate: vel ſignatur aliis etiam accidentibus: ſi aliis etiam

accidentibus; ergo non ſolum materia ſignata quantitate, ſed etiam determinata aliis accidentibus erit principium indiuiduationis: quod vero non materia ſignata ſola quantitate probatur: quia cum quantitas ſit eadem ſecundum ſpeciem in omnibus inferioribus (loquimur de trina dimenſione Phyſice ſumpta) non determinabit magis materiam ad hanc formam ſecundum ſpeciem, quam ad aliam: quare materia quantitate ſignata non eſſet magis determinata ad formam leonis, quam capræ: & conſequenter non eſſet principium indiuiduationis.

4. Probatur quarto. Si Deus produceret Petrum abſque quantitate Petrus cum ſola materia & forma, ſecluſa omni quantitate eſſet vnus numero & indiuiduus: ergo quantitas, ſiue materia ſignata quantitate non eſt principium indiuiduationis in ſubſtantiis materialibus. Conſequentia recta eſt. Antecedens probatur. Omne quod eſt terminus productionis, eſt ſingulare & indiuiduum: ergo in iſto caſu Petrus ſecluſa quacumque quantitate eſſet ſingularis & indiuiduus: cum eſſet terminus illius productionis, & ſupponamus nullam habere quantitatem. Nec valet ſolutio illorum, qui aſſerunt in iſto caſu materiam Petri eſſe principium indiuiduationis per ordinem intrinſecum ad determinatam quantitatem: quia in materia prima ſecundum ſe ſumpta non reperitur ordo ad formam determinatam: cum materia prima ſecundum ſe indifferens ſit ad quacumque formam, vt diximus in quæſtionibus de materia. Quare vel in iſto caſu, non reperitur in materia talis ordo ad quantitatem determinatam; vel ſi reperitur, conuenit illi ratione formæ, quam habet: & conſequenter primum indiuiduationis principium in ſubſtantiis materialibus erit forma, vt docuimus, & non materia ſignata quantitate.

5. Probatur vltimo. Quantitas præcedentis incorrupto deſinit aut per vltimum eſſe corrupti, aut, vt alij volunt, per primum non eſſe; ſed in primo non eſſe corrupti iam non eſt quantitas corrupti, & in vltimo eſſe corrupti, nondum eſt ea, quæ generatur: ergo quantitas corrupti nullo modo eſt principium indiuiduationis rei, quæ generatur. Deinde quantitatem geniti, non eſſe principium indiuiduationis illius, probatur. Quod conſequitur rem indiuiduam non poteſt eſſe principium indiuiduationis illius: ſed quantitas rei genitæ conſequitur rem genitam iam indiuiduam: ergo non poteſt eſſe principium indiuiduationis rei genitæ. Probatur mi. Quantitas, quæ eſt in re genita, ſequitur ſubſtantiam, quæ eſt primarius terminus generationis: ſed ſubſtantia, quæ eſt primarius terminus generationis: eſt indiuidua; quia quod primo terminat generationem naturalem, eſt indiuiduum: ergo quantitas rei genitæ, conſequitur ſubſtantiam indiuiduam. Quare materia ſignata quantitate, non eſt primum principium indiuiduationis in ſubſtantiis materialibus.

Soluendæ ſunt iam rationes huius ſententiæ. Prima ratio deſumitur ex variis *Soluūtur* Ariſto. teſt. adductis ab auctoribus huius *rationes* ſententiæ, quibus videtur Ariſto. docere, *ſenten. D. Thom.* materiam eſſe cauſam multitudinis, & diſtinctionis indiuiduorum. Quare colligūt inde, materiam eſſe primum indiuiduationis principium: cum vero materia ſecundum ſe ſit indeterminata, docent determinari per quantitatem: & conſequenter, materiam quantitate ſignatam, eſſe principium indiuiduationis. Reſpondemus tamen *Solutio.* cum Patre Pererio. 6. Phyſico c. 12. in fine, multiplicitatem & diſtinctionem indiuiduorum, tribui interdum ab Ariſt. & peripateticis materiæ. Primo: quia quoad nos manifeſtius eſt, talem multiplicationem indiuiduorum fieri per materiā quantitate determinatā. Et hoc etiam docet Soncinas lib. 7. q. 34. Secundo: quia forma rei materialis non eſt principiū indiuiduationis, & multiplicitatis ſub vna ſpecie, vt forma eſt, ſed vt eſt forma rei materialis. Tertio: quia multiplicatio indiui-

diuiduorum ſolum fit a natura in ſubſtantiis materialibus: quia cum ſolum iſtæ ſint corruptibiles in indiuiduo, opus eſt, vt ſub vnaquaq; ſpecie multa indiuidua, vel ſimul vel ſucceſſiue, contineantur: vt ſi forte aliqua indiuidua corrumpantur, maneat tamen ſemper aliquod, in quo talis natura ſpecifica conſeruetur. Quare tribuitur a peripateticis, ratio indiuiduationis materiæ propter hanc cauſam; non tamen quia materia quantitate ſignata ſit primum principium indiuiduationis.

2. Secunda ratio. Illud eſt principium indiuiduationis, quod eſt radix, per quam natura materialis redditur incommunicabilis: ſed per materiam redditur incommunicabilis natura & ſubſtantia materialis: ergo materia eſt primum indiuiduationis principium in ſubſtantiis materialibus. Probatur primo. Materia eſt primum ſubiectum; ſed per primum ſubiectum redditur res omnino incommunicabilis; ergo per materiam primam redditur res omnino incommunicabilis.

Solutio. Reſpondemus negando minorem probationi ſimiliter etiam licet materia, quæ primum ſubiectum eſt, non ſit communicabilis vt natura ſuperior, eſt tamen communicabilis ex eo, quod poteſt quamcumque formam recipere, & materia, quæ modo pars eſt huius indiuidui materialis, deinde eſt pars alterius, per ordinem ad diſtinctam formam. Quare forma eſt ſemper primum principium indiuiduationis in ſubſtantiis materialibus.

Sec. Sco. Scotus in 2. diſtinct. 3. quæſt. 6. exiſtimat ſubſtantiam materialem fieri indiuiduam per entitatem quandam poſitiuam per ſe determinantem naturam ſpeciei ad ſingularitatem, &, vt ex curſu illius quæſt. conſtat, cenſet, huiuſmodi entitatem diſtinctam eſſe realiter a differentia ſiue natura ſpecifica: quamuis Pater Pererius 6. Phyſic. cap. 10. doceat exiſtimaſſe Scotum loco citato differentiam hanc ſiue entitatem quæ eſt principium indiuiduationis, non eſſe realiter diſtinctam a natura ſiue differentia ſpecifica. Si exiſtimet non diſtingui realiter, vera eſt eius ſententia, & a nobis admittitur: nam intelligendus eſt de ſubſtantia Phyſica & materiali Metaphyſice ſumpta, vt docuimus, in prima aſſertione. Si vero exiſtimet, entitatem illam ſuperadditam eſſe realiter diſtinctam a differentia ſpecifica, falſa eſt illius ſententia, vt conſtat ex 3. fundamento, in quo docuimus, rationes ſuperiores indiuidui alicuius Categoriæ, nec diſtingui realiter inter ſe, nec ab indiuiduo. Sed, quidquid ſit de hac re, confirmat Scotus ſuam ſententiam rationibus, quæ ſequuntur.

Prima ratio. Sicut vnitas in communi per ſe conſequitur vnitatem in communi: ita quæcumque vnitas per ſe conſequitur aliquam entitatem: ergo vnitas numeralis, quæ eſt maxima & ſimpliciter vnitas, conſequitur aliquam entitatem, quæ non poteſt eſſe entitas ſeu natura ſpecifica: tum quia vnitas ſpecifica vendicat ſibi propriam entitatem, ſcilicet ſpecificam; tum quia entitas ſpecifica, cum ſit communis omnibus indiuiduis, non poteſt eſſe principium indiuiduationis. Ratio Scoti. Hæc ratio & aliæ ſimiles quæ adducuntur ab Scoto facile ſoluuntur: quia ſolum probant indiuiduum materiale Metaphyſice ſumptum conſtitui per entitatem diſtinctam ſolum ratione formali a differentia ſpecifica, quod nos libenter concedimus. Reſpondemus ergo argumento in forma, concedendo antecedens Solutio. & diſtinguendo conſequentiam. Vnitas numerica conſequitur aliam entitatem ab vnitate ſeu natura ſpecifica formaliter diſtinctam, concedo, realiter diſtinctam, nego conſequentiam: quia natura indiuidua non eſt realiter diſtincta, ſed ſolum ratione, a natura ſpecifica, quæ reperitur in natura indiuidua. Sed dices. In indiuiduo materiali non diſtinguitur entitas numerica ſiue indiuidua ab ſpecifica: ergo entitas, quæ eſt in vno indiuiduo, reperitur in omnibus indiuiduis eiuſdem ſpeciei. Probatur conſequentia. Eadem entitas realiter ſpeciei reperitur in omnibus indiuiduis ſub illa ſpecie contentis: ergo, ſi enti-

tas individui eſt idem realiter cum entitate ſpecifica quæ, in illo individuo reperitur, entitas illius individui erit in omnibus individuis eiuſdem ſpeciei. *Solutio.* Reſpondemus negando conſequentiam. Probationi negando antecedens. Nam realitas ſpeciei ſiue naturæ ſpecificæ non eſt vna, ſed tot ſunt, quot ſunt individua realia, ſub tali natura ſpecifica contenta: natura enim ſpecifica, verbi gratia leonis, ſolum eſt vna a parte rei formaliter, & non vnitate poſitiua, ſed negatiua, vt late diximus in Logica in diſputatione de vniuerſalibus. Sed

2. dices. Attributum quod vere affirmatur de aliquo ſubiecto, non poteſt diſtingui realiter ab illo, vt diximus in Logica in diſputatione de individuo quæſt. 5. ſed natura ſpecifica ſumpta in communi prædicatur de quouis individuo ſub ſe contento: ergo nõ poteſt diſtingui realiter ab aliquo individuo. *Solutio.* Reſpondemus diſtinguendo minorem ita. Natura ſpecifica ſumpta in cõmuni realiter prædicatur de quouis individuo, negamus maiorem: ſumpta formaliter, concedimus maiorem. Ratio eſt quia natura ſpecifica realiter ſumpta dicit omnes realitates individuorum. Quare ſi vere affirmaretur de quouis individuo ſumpto realiter, hæc eſſet vera: Petrus eſt homo: id eſt, Petrus eſt Ioannes, Franciſcus Paulus, &c. Sumpta vero formaliter, ſolũ dicit rationem formalem conſtituentẽ hominem in communi, quæ licet non ſit vna poſitiua, tamen non eſt multiplex poſitiue. Quare prædicatur de Petro illa ratio communis, quæ vna eſt negatiue ac proinde, licet nõ prædicetur de Petro ratio formalis hominis, quæ eſt in Ioanne, tamen nõ prædicatur de illo alia ratio diſtincta: quia ratio formalis Petri, & Ioannis, vt homines ſunt, nec conueniunt, nec diſtinguuntur poſitiue: cum natura humana ſecundum ſe formaliter ſumpta ſit vna negatiue. *Dubitatio* Sed quæres, Quẽ ergo ſenſum reddit hæc propoſitio, Petrus eſt homo. *Obſerua.* Reſpondemus hunc reddere ſenſum. Ratio formalis hominis, ſcilicet eſſe animal rationale, reperitur in Petro. Propoſitiones enim, in quibus ratio ſuperior in recto prædicatur de inferiori, ſolum ſunt veræ, vt reſoluuntur in prædicationes in obliquo, per quas ſignificamus rationem illã ſuperiorem reperiri in ſubiecto, de quo enunciatur, vt patet in exemplo adducto. Si vero ſumantur in recto, vt hæc, Petrus eſt animal, hũc reddũt ſenſum: Petrus eſt animal, id eſt, ſuppoſitũ quod eſt Petrus, eſt ſuppoſitum quod etiã eſt animal: non quia ſint Petrus & animal, quod de ipſo enũciatur, duo ſuppoſita realiter diſtincta ſed ſolũ formaliter: quia ſi realiter diſtinguerentur, non poſſent ad inuicem prædicari. Quare attributum quod prædicatur de aliquo in obliquo, recte poteſt diſtingui realiter a ſubiecto. Attributum vero, quod prædicatur in recto, non poteſt realiter diſtingui a ſubiecto: vt hęc eſt vera in obliquo, Petrus habet albedinem, & albedo realiter diſtinguitur a Petro. Hæc etiã eſt vera in recto, Petrus eſt albus, id eſt ſuppoſitum quod eſt Petrus, eſt album, & in hac attributum, quod vere enunciatur de ſubiecto, non diſtinguitur realiter a ſubiecto, ſed ſola ratione.

Rationes contra aſſertiones. Tandem in fine quæſt. ſoluendæ ſunt aliquæ rationes, quæ videntur vim habere contra noſtras aſſertiones. Dices ergo primo. Subſtãtia materialis individuatur per differẽtiam individualem: ergo eſt ens per accidens: ergo non pertinet directe ad rectam ſeriem, vt diximus. Probatur prima conſequentia. Omnis differentia eſt actus: ergo ex illa, & ex natura ſpecifica, quæ etiam eſt ens in actu, fiet vnum ens per ſe: nam quod componitur ex duobus entibus in actu eſt ens per accidens. *Solutio.* Reſpondemus negando primam conſequentiam. Probationi; negando etiam conſequentiam. Nam quemadmodum ſpecies intermedia eſt ens in actu, & tamẽ eſt in potentia ad vlteriorem perfectionem eſſentialem, ſcilicet ad differẽtiam ſpecificam, ex qua, & ex ſpecie intermedia fit vnum ens per ſe, ſcilicet ſpecies inferior: ita etiã na-

tura

tura ſpeciei vltimæ eſt ens in actu, tamen eſt in potentia ad vlteriorem perfectionẽ, ſcilicet ad differentiam indiuidualem, ſimul cum qua componit vnum ens per ſe, nempe naturam indiuiduam pertinentem ad certam ſpeciem: & conſequenter talis natura indiuidua, eſt ens per ſe, eſt entia per

Obſerua. accidens excluduntur a Categoriis. Imo potius, eo quod natura ſpecifica non eſt vltimo diuiſa & perfecta, ſed vlterius perfectibilis, ſequitur neceſſario, illam debere determinari & perfici per differentiam indiuidualem eſſentialem pertinentem ad eandem Categoriam: quod ita probo. Species infima eſt perfectibilis: ergo, aut per perfectionem ſubſtãtialem (loquimur modo de ſpecie infima Categoriæ ſubſtãtiæ) aut per accidentariam; ſi per ſubſtantialẽ, habeo quod intendo probare; ſi per accidẽtariam; ergo etiam natura Petri nõ eſt vltimo diuiſa, cum etiam habeat potentiam ad hoc vt vlterius perficiatur per formas

2\. accidentarias. Sed dices. Indiuidua habẽt propriam eſſentiã: ergo de illis poteſt dari ſcientia & diffinitio, quod eſt abſurdũ. Reſpondemus concedendo enthymema, & negãdo eſſe abſurdum: nam de indiuiduis dari ſcientiam, & definitionem diximus ſatis abunde in Logica cap. de ſubſtãtia, quæſt. 5. & 3. lib. de demonſtrat. capi. 2. quæſt. 5.

2. Ratio. Dices in ſecundam aſſertionem. Materia eſt neceſſaria ad multiplicitatem numericam: ergo vbi eſt materia debet eſſe multiplicitas indiuiduorum, quod eſt abſurdum, vt patet in ſole, qui materialis eſt, & *Solutio.* non eſt multiplex numero. Reſpondemus negando conſequẽtiam: quia, licet ad multiplicitatem indiuiduorum ſub aliqua ſpecie, neceſſaria ſit materia, tamen non omnis ſpecies rei materialis debet habere multa indiuidua: nam indiuiduorum multitudo, vt in hac quæſ. diximus, reperitur in ſpecie cuius indiuidua corruptibilia ſunt; ſol vero eſt natura incorruptibilis.

3. Ratio. Dices vltimo, materiam & formam, cũ ſint res indeterminatæ non poſſe eſſe principium indiuiduationis. Hæc ratio inquirit ſolutionem quæſtionis quæ ſequitur.

QVÆSTIO II.

Quod ſit principium indiuiduationis in materia, & forma.

EX dictis ſuperiori q. breuiter nos ab hac expediemus. Sit ergo prima obſerua. Nomine materiæ & formæ intelligimus partes eſſentiales cõpoſiti naturalis, excipimus tamen animã rationalem, de qua erit ſermo q. ſequenti.

Secunda obſer. materia & forma ſunt entitates partiales & incompletæ, illæ vero non poſſunt indiuiduari per aliquod principium intrinſecum; ſed indiuiduãtur ſeipſis; nã ſi poſſent, eſſet proceſſus in infinitum. Quare intrinſece ſeipſis ſunt indiuiduæ, extrinſece vero vel per efficiẽs, vel per accidentia, vel per aliquid aliud. Non enim eſt quærenda ratio vel cauſa formalis in rebus ſimplicibus & primis, cur ſint vel cur tales ſint. Forma enim & materia nõ ſunt, ſi proprie loquamur, ſed ſunt quibus totum eſt.

Sit prima aſſer. Materia ſit vna & ſingularis ſiue indiuidua per ordinem ad vnam numero formã: vt materia huius Leonis ſic indiuidua per ordinem ad hanc formã, qua informatur. Probatur aſſer. Materia ſecundum ſe eſt indifferens ad plura indiuidua: ergo id, per quod determinatur ad hoc vt ſit materia huius indiuidui, eſt principium indiuiduationis: ſed determinatur per formã, ſiue per ordinem ad hanc formã, vt diximus & probauimus q. vlt. de materia aſſer. 2. ergo determinatur & indiuiduatur per ordinẽ ad hanc formam. *Materia indiuidua tur per formam.*

Secunda aſſertio. Forma ſit vna & indiuidua per ordinem ad hanc materiam. Probatur aſſertio. Forma huius Leonis eſt vna numero, & diuiſa realiter a quacumque alia forma cuiuſuis Leonis: ergo per aliquod principium: ſed tale principium non eſt intrinſecum; quia forma *Forma indiuiduatur per materiã.*

præter propriam entitatem nullum habet principium; & ſecūdum ſe nec eſt vna, nec multiplex: ergo fit vna per principium extrinſecum, quod illam determinat: ſed tale primum principium non eſt niſi materia, vel ſe tenet ex parte materiæ: ergo forma indiuiduetur per materiam. Probatur minor. Nam tale principium extrinſecum nō poteſt eſſe niſi materia, vel illius diſpoſitiones ad recipiendam hanc formam, vel agens, quod illam induxit, & materiam diſpoſuit: ex cuius materiæ, ſic diſpoſitæ, potentia, egent formam illam eduxit. Quare omnia iſta reducuntur ad materiam: quia agēs vt diſponit, efficit mediis diſpoſitionibus vt materia dicat ordinem ad hanc formam, ita vt non ad aliam, & forma ad hanc materiam ſic diſpoſitam; ratione cuius ordinis forma indiuiduatur per materiam, & materia per formam.

Sed dices. Materia fit hęc per formam, & forma fit hæc per materiam: ergo hæc forma eſt prior hac materia, & hæc materia eſt prior hac forma. Reſpondemus diſtinguendo conſequens ita. Prioritate naturæ concedo, prioritate temporis nego conſequentiam: in diuerſo enim genere cauſæ forma eſt prior materia; & materia eſt prior forma. Sed dices. Quod non eſt prius determinatum & ſingulare, nec poteſt determinare, nec poteſt eſſe principiū indiuiduationis: ſed hæc materia, antequā recipiat formam, non eſt determinata & ſingularis: & hæc forma, antequam informet hanc materiam, non eſt ſingularis & determinata: ergo nec hæc forma poteſt determinare & indiuiduare hanc materiā, nec hæc materia poteſt determinare & indiuiduare hanc formam. Reſpōdemus primo negando maiorem. Nam eſt falſa, vt patet in differentiis ſpecificis & ſpeciebus determinatis per ipſas, & in relatis. Reſpondemus ſecundo diſtinguendo maiorē ita. Quod non eſt prius natura concedimus; quod nō eſt prius tempore negamus maiorem. at forma hæc prior eſt natura hac materia, & hæc materia prior eſt hac forma modo explicato. Sed dices. Quod eſt determinatum debet eſſe tale per aliquod principiū in ſe incluſum; ſed nec materia, nec forma includunt in ſe aliquod tale principium; ergo materia & forma nec ſunt indiuiduæ, nec determinatæ. Reſpondemus negando maiorem; nam ſolum eſt vera in ſubſtantiis completis, vt cō ſtat ex ſecunda obſeruat.

Quæres tamen. Qua ergo ratione cognoſcimus ſubſtantiam materialem habere vnam materiam, & vnam formam? Reſpondemus hoc cognoſci per accidentia, & præcipue per quantitatem, ſcilicet per certam dimenſionem: ſubſtantia namq. habens quantitatem vnam numero, & indiuiſam neceſſario debet eſſe vna numero, & debet conſtare ex vna forma ſubſtantiali, & ex vna materia: in compoſito enim naturali ſingulari & indiuiſo ſecundum quantitatem, nō poſſe reperiri plures formas, nec conſequenter plures materias, dicemus Deo dante in lib. de Generatione.

QVAESTIO VLT.

A quo ſumant indiuiduationem ſubſtantiæ immateriales, & accidentia.

QVÆSTIO hæc non procedit de ſubſtātia immateriali increata: rē ſ hæc alterius eſt negotij. Erit ergo ſermo primo de ſubſtantiis immaterialibus, & deinde de accidentibus; & inter ſubſtantias immateriales, accuratè ſolum erit ſermo de anima rationali.

Supponendum ergo eſt, animam rationalem eſſe formam corporis humani, & illi naturaliter vniri, vt docuit concilium Vienenſe, tum etiam animam rationalem eſſe immortalem (vt decreuit etiam concilium Lateranenſe ſeſſ. 8) & multiplicari per multitudinem corporum: vnde tot ſūt animæ rationales numero, quot fuerūt, & ſunt

ſunt homines. Quo ſuppoſito quærimus, per quid anima rationalis indiuiduetur, & ſiat hæc.

Sit hæc obſeruatio. In anima rationali duplex eſt ordo ad materiã, alter actualis, quo actu refertur ad materiam, quando illam informat; & alter potẽtialis, qui eſt naturalis quædam inclinatio, & capacitas animæ rationalis ad hoc, vt corpus ſiue materiam informet, & determinet.

Sit aſſer. Anima rationalis indiuiduatur per ordinem illũ, qui eſt capacitas, & inclinatio naturalis ad hoc, vt informet hãc materiã. Probatur aſſer. Omnis actus conſtituitur in ſuo eſſe per ordinem ad potentiam, reſpectu cuius eſt actus: ſed anima rationalis eſt actus reſpectu materiæ, & corporis hominis; ergo anima rationalis conſtituitur in ſuo eſſe indiuiduo per ordinem ad hanc materiam. Sed dices. Anima rationalis non cauſatur a materia prima ita, vt educatur de potentia materiæ, vt educuntur aliæ animæ, & omnes formæ naturales: ergo non indiuiduatur per ordinem ad materiam. Reſpondemus negando conſequentiam. Quia anima rationalis indiuiduatur per ordinem ad materiam, non a qua educitur, ſed in qua recipitur.

Scotus in quodlibetis q. 2. & 2. ſententiarum diſt. vlt. exiſtimat, animam rationalem indiuiduari per ſuam ſingularitatẽ ab ipſa anima diſtinctam, & non per ſe ipſam, aut per ordinem ad materiam, hanc ſententiã probat primo ita. Anima rationalis eſt prius, natura ſaltim, terminus primus creationis, quã infundatur in corpus: ſed primus terminus creationis eſt res ſingularis, & indiuidua; ergo anima rationalis, antequam infundatur in corpus, eſt ſingularis, & indiuidua: ergo non indiuiduatur per materiam. Reſpõdemus concedendo ſyllogiſmum, & negando conſequentiam: nam adhuc in illo priori natura dicit ordinem ad materiam, per quam
1. indiuiduatur. Sed dices. Quæuis res prior eſt ſua aptitudine ſiue potentia quam habet: ergo anima rationalis prius eſt indiuidua, quam dicat potentiam, & ordinem ad corpus. Reſpondemus diſtinguendo antecedens. Si potentia illa ſit accidẽs, concedimus; ſi ſit de eſſentia & intrinſeca ratione, negamus antecedens; vt patet in materia prima: at ordo ille animæ rationalis, eſt de intrinſeca ratione illius. Sed
dices. Omne abſolutum prius eſt ſua rela- 2.
tione; ſed anima rationalis eſt abſoluta; ergo prior eſt illo ordine qui eſt relatio: ergo non indiuiduatur per illum. Reſpondemus negando maiorem: nam ſolum eſt vera in relatione ſecundum eſſe; non vero in relatione ſecundum dici: qualis eſt hic ordo materiæ: vt patet in accidẽtibus abſolutis, quæ omnia dicũt relationem ſecũdum dici ad ſubiecta, & talis relatio non eſt poſterior illis.

Probat ſecundo. Per id aliquid indiuiduatur, per quod ponitur extra cauſas: ſed ponitur anima rationalis extra cauſas per ſingularitatem ſiue ecceitatem: ergo per illam indiuiduatur. Reſpondemus negando maiorem: nã id, per quod res ponitur extra cauſas, nõ eſt principium indiuiduationis, ſed exiſtentia.

Probat tertio. Anima rationalis non includit materiam: ergo non indiuiduatur per illam. Reſpondemus negando conſequentiam: quia licet ſecundum ſe non includat materiam, includit tamen ordinem ad materiam, quam poteſt informare.

Maneret nunc dubitatio de principio indiuiduationis in Angelis, quam libenter omitto: quia alterius eſt negotij, & non parum pendet ex illa quæſt. adeo controuerſa inter S. Th. & Sco. qua inquiritur, an de facto vel de poſsibili ſint plures Angeli ſub eadem ſpecie: hanc enim quæſtionem pertractat D. Thom. 1. p. q. 50. art. 4. & ſecũdo Sententiarum, diſtinct. 3. & eadem diſtinctione Scotus quæſt. vlt. & Durandus quæſt. 3. & alij permulti Scholaſtici Doctores eadem diſtinctione. Interim tamen ſat ſit intelligere ſubſtãtias ſpiritales quales ſunt Angeli ſeipſis indiuiduari

vt communis Philoſophorum & theologorum conſenſus docet.

Vltima dubitatio. Tandem breuiter explicandum eſt, a quonam indiuiduentur accidentia. Et cũ accidentia alia ſint realia, & alia rationis quæſtio procedit de accidentibus realibus. Præterea, cum accidentia realia ad Categorias pertinentia, alia realiter inhæreãt, & alia ſecundum modum tantum, qualia ſunt quæ ſunt idem reipſa cum ſubſtãtia, vt diximus q. 3. de maximo & minimo obſeruatione prima, non diſputamus modo de accidentibus, quæ inhærent ſolum ſecũdum modum, ſed de illis, quæ realiter inhærent; & de his, præcipue de corporeis, qualia ſunt quantitas & qualitates ſenſibiles, quæ ſunt in corporibus naturalibus, & alia quæ ſunt idem realiter cum iſtis accidentibus vt tempus locus, &c.

1. Aſſertio. Secũda obſeruatio. Subiectum duplex eſt: aliud quod, & aliud quo. Subiectum quod eſt ſubſtantia. Subiectum quo eſt accidens illud medio quo inhæret ſubſtantiæ alterũ accidẽs. Vt ſi Petrus eſt albus, ſubſtantia Petri eſt ſubiectum quod illius albedinis: quãtitas vero eſt ſubiectũ quo: quia media quãtitate inhæret albedo ſubſtantiæ Petri. Vnum ergo accidens poteſt eſſe ſubiectum quo reſpectu alterius: quia ſunt multa accidentia, quæ immediate inhærent toti compoſito, vt ſuperficies: & ſunt alia quæ inhærent mediate, vt frigiditas.

Sit prima aſſertio. Accidentia quæ immediate inhærent ſumunt vnitatem numericam a ſubiecto. Probatur aſſertio. Quæ multiplicantur numero ad multiplicationem alterius, ſumunt vnitatem numericã ab illo: ſed accidentia, quæ immediate inhærent, multiplicantur ad multiplicationem ſubiecti: ergo, &c. Probatur minor, ſi quantitate vnius ligni numero, quæ in illo eſt vna numero & indiuidua: ſi tamen diuidatur lignum, & fiant ex illo duo ligna, fiunt etiam duæ quantitates numero.

Secunda aſſertio. Ad indiuiduationem & vnitatem numericam accidentis, quod mediate inhæret, non ſufficit vnitas ſubiecti quod, & mediati; ſed requiritur etiam vnitas numerica ſubiecti quo & immediati: vt verbi gratia, ſi aliquis ſimul moueatur motu accretionis, & alterationis, iſtæ duæ durationes horum motuũ licet ſint in eodem ſubiecto quod, tamen diſtinguuntur numero, quia inhærent ſubiecto quod mediis motibus, qui ſũt ſubiecta, quibus mediis inhærent iſtæ durationes rei illius quæ duplici motu mouetur. Has vero durationes eſſe eiuſdem ſpeciei certum eſt, quemadmodum & eſſe etiam numero diſtinguit nam licet motus illi in ratione motus diſtinguantur ſpecie, tamen in ratione durationis ſub eadem ſpecie athoma continentur. Obſeruandum tamen eſt, in accidentibus ſemper ſupponendam eſſe ante vnitatem numericam, vnitatem quæ eſt ſpecifica: nam etſi albedo & frigiditas inhæreant eidem ſubſtantiæ ſingulari media eadem quantitate numero, tamen non ſunt idem numero, cum non ſupponant vnitatẽ ſpecificam, in qua conueniant. Quæ enim in maiori conuenientia conueniunt, qualis eſt numerica, neceſſario debent conuenire in minori, qualis eſt ſpecifica. Quamuis, ſi proprie loquamur, non ſit admittenda conuenientia numerica; etſi admittatur vnitas numerica, vt diximus in Logica. *Obſerua.*

Obſerua tertiò, in eodem ſubiecto poſſe eſſe multa accidentia ſolo numero diſtincta, ſed non totalia, ſed partialia: vt in Petro poſſunt eſſe multæ albedines partiales & inter ſe diſcontinuæ, cum ſint in diuerſis partibus quantitatis illius. Quamuis hęc diſputatio de principio indiuiduationis non ſit adeo diffuſa, vt ipſa poſtulat, quæ tamen dicta ſunt, ſufficiant nunc. Quę in hoc primo libro Phyſico diximus & quæ in ſequentibus dicemus ſubiecta eſſe volumus correctioni Sacroſanctæ matris Eccleſiæ Romanæ.

Finis primi libri.

COMMENTARII, VNA CVM QVAESTIONIBVS, IN SECVNDVM LIBRVM Phyſicorum Ariſtotelis.

CAP. I. QVID SIT NATVRA, QVID ENS naturale, & quid ens ſecundum naturam.

DE INSTITVTO Ariſt. in hoc lib. 2. & de huius lib. diuiſione aliqua tractant modo pertractãda, ſed circa hãc rem, quæ neceſſaria ſunt, ſatis abunde proponuntur à Vicomercato, à Car. Toleto, & ab aliis, illos conſulite: ſat ſit modo intelligere, diſputare Ariſt. in hoc libro de natura, de ente naturali, de cauſis, & de caſu & fortuna, quæ ſunt cauſæ per accidens, vt ex curſu diſputationis ſatis conſtabit; ſuperſũt enim multa difficillima in lib. qui ſequuntur, quæ Deo fauente à nobis forſan explicabũtur; prætermittamus ergo hæc leuia dubia, quæ circa prolegomena ſeſe offerũt vt ad difficiliora properemus. Textus ergo 1. cap. ſic habet. *Eorum quæ ſunt in natura rerũ, &c.* Iuxta methodum diuidẽdi, quam tradidit Ariſt. 2. lib. de demõſt. cap. 14. modo propoſita quadam generali diuiſione eorum, quæ ſunt in natura rerum, ex diſcrimine inter res naturales, & res arte factas colligit, quid ſit natura: idem præſtitit 2. de Anima cap. 1. ex diuiſione enim colligit diſcrimẽ inter res animatas, & res animæ expertes; ex quo diſcrimine, animę definitionẽ deduxit. Diuiſio ergo, à qua 2. lib. eſt exorſus, ita habet. Ea quæ ſunt, alia natura ſunt, & conſtant, id eſt, ſunt à natura, & cõſtãt natura: qualia ſũt entia naturalia; & alia ducunt originem ab aliis cauſis: Explicat, quæ ſint à natura propoſitis exemplis; ſunt inquit à natura, ſiue entia naturalia, vt animalia, & illorũ partes, plantę & corpora ſimplicia, ſcilicet, ignis, aer, aqua & terra, & alia huiuſmodi: per illa, quæ non connumerauit, intelligit corpora cæleſtia,

ſtia, ea quæ gignũtur in aeris regionibus, & in abſconditis terræ viſceribus, lapides, metalla, & alia id genus. Per ea, quæ ab aliis cauſis originem ducũt, intelligit, vt interpretes docent, res arte factas; ac proinde proponemus exemplũ in rebus naturalibus, dixit animalia, & illorum partes: nam partes integrantes entis naturalis ſunt entia naturalia, vt pes, vel caput leonis, &c. At non omnes partes rei factæ ab arte ſunt artificioſæ; ſed multę ſunt naturales, vt patet in domo: in qua lapides, & alia huiuſmodi, ſunt res naturales. Dixi partes integrantes, quia partes eſſentialiter componentes rē phyſicam non ſunt entia naturalia: ſunt enim naturæ, natura vero vt ſtatim dicemus, differt ab ente naturali.

Diſcrimē inter res naturales & artefactas.

Omnia autem quæ enumerauimus, &c. Conſtituit Ariſt. inter res naturales, & res arte factas ſequens diſcrimē. Res naturales in ſeipſis habent principium motus & quietis: nã a principio intrinſeco mouentur ad locum, & quieſcũt in loco; mouentur præterea ad quantitatem motu accretionis, & ad qualitatem motu alterationis: res vero arte factæ, vt lectus, tunica, & alia huiuſmodi, quatenus ſũt res artificiales, non habent in ſe principium motus & quietis, licet illud habeant ea ex parte, qua illis accidit, vt ſint cõpoſitæ, tanquam ex materia, ex ligno, vel terra, vel lapide vel ex alia re naturali: hac enim ratione habēt in ſe principium motus & quietis, verbi gratia, ſi ſtatua ſit lapidea; ea ex parte qua lapidea eſt habet in ſe principium motus deorſum; non tamē ea ex parte, qua eſt ab arte.

Quaſi ſit natura principiũ quoddam, &c. Ex diuiſione rerum collegit Ariſt. diſcrimē, quod reperitur inter res naturales & res arte factas; ex illo vero diſcrimine modo colligit hāc naturæ definitionem. Principium, & cauſa motus & quietis eius, in quo eſt primo & per ſe, & non per accidens.

Definitio naturæ.

Explicat vltimam definitionis partem, docetque dixiſſe non per accidēs; quia aliquis ægrotus poteſt eſſe cauſa propriæ valetudinis, non tamen per ſe, ſed per accidens, & ea ex parte, qua Medicus eſt: accidit enim, vt idem homo curetur, & ſit Medicus: curari enim aliquis poteſt abſque eo quod ſit Medicus, & curetur a ſeipſo. Quare cum iſta poſsint ſeparari, proinde Medicus per accidens ſeipſum poteſt curare. Idem

ſub-

(ſubdit) iudicium eſt de aliis omnibus quæ arte fiunt: nullum enim ex illis habet in ſe principium; ſed partim illorum habent principium efficiẽs extrinſecum; vt domus, ſtatua, & alia huiuſmodi; partim intrinſecum, & inhærens per accidens tamen; vt ſunt quæ a ſeipſis per accidẽs mouentur, vt patet in exemplo propoſito de ægroto, qui Medicus eſt, & eſt cauſa per accidens propriæ valetudinis: quare concludit Ariſtoteles, naturam definitione propoſita accurate definiri.

Quid ſit ens naturale.

Naturam autem habent ea omnia, &c. Ex definitione naturæ a ſe propoſita colligit, illa habere naturam, ſiue eſſe entia naturalia, quæ habent in ſe illud principiũ motus, nempe naturam; nam hæc omnia, inquit, eſſentiæ vocabulo continẽtur; ſubiectum enim quiddam; & in ſubiecto eſt; natura ſemper. Quæ verba varie exponuntur ab interpretibus. Vicomercatus, propoſitis variis expoſitionibus, vult docere Ariſt. entia naturalia eſſe ſubſtãtias; id eſt probare; quia natura vel eſt ſubiectum, vel eſt in ſubiecto, id eſt, natura vel eſt materia, quæ ſubiectum eſt, cum recipiat formam; vel eſt forma: (nõ enim loquitur modo de ſubiecto inhæſionis, ſed de ſubiecto, quod accipit in ſe ſubſtantialem formam) cũ ergo omnis res naturalis cõſtet ex materia & forma; & forma, & materia ſint ſubſtãtiæ, neceſſario entia omnia naturalia eſſentiæ vocabulo cõtinentur, id eſt, ſunt ſubſtantiæ. Omne enim compoſitũ ſubſtãtiale debet neceſſario eſſe ſubſtantia: quia ſemper totũ ſequitur naturã partium cõponẽtium; præſertim ſi componãt partes eſſentialiter, vt componũt materia & forma.

Quæ ſint entia ſecũdum naturam.

Secundum naturam autem eſſe dicuntur, & hæc ipſa, &c. Docet compoſita naturalia eſſe entia ſecundum naturã; tum etiam eſſe entia ſecundũ naturam, proprietates, ſiue affectiones cõpoſitorum naturaliũ; vt moueri ſurſum eſt ens ſecũdum naturam ipſius ignis; moueri enim ſurſum, nec eſt natura, nec ens naturale; conuenit tamen igni ſecundum propriã naturam. Quare, inquit, explicuimus iam quid ſit naturã, quid ens naturale, & quid ens ſecundum naturam. Ex dictis ab Ariſtotele infertur, ens ſecundum naturam eſſe quid ſuperius ad compoſita naturalia, tum etiã ad illorũ affectiones: nam omne compoſitum naturale eſt ens ſecundum naturam, & omnia

eius affectio eſt etiam ens ſe-
cundum naturam; tamen nõ
omne ens ſecũdum naturam,
eſt compoſitum naturale, ne-
que omne ens ſecundum na-
turam eſt affectio compoſiti
naturalis.

*Naturam autem eſſe, conari do-
cere ridiculum eſt, &c.* Quia po-
terat aliquis dubitare, qua ra-
tione dictum ſit, quid ſit na-
tura, quid ens naturale, &
quid ens ſecundum naturam;
cum nondum probatum ſit ab
Ariſt. naturam eſſe proinde
huic tacitæ obiectioni reſpõ-
det Ariſto. ridiculum eſſe in-
quirere, an natura ſit, quia
perſpicuũ eſt, eſſe multa quæ
natura cõſtant; cum etiam &
naturã eſſe: & inquirere quæ
per ſe nota ſunt & manifeſta,
ſignũ eſt, eum, qui huiuſmo-
di res inquirit, neſcire diſtin-
guere inter ea, quæ ſunt per
ſe nota, & inter ea, quę per ſe
non ſunt nota: qui enim, in-
quit, inquireret, an natura ſit,
ſimilis eſſet illi, qui cum cæ-
cus eſſet à natiuitate de colo-
ribus diſputaret; nam talis di-
ſputatio certe ſolum eſſet de
nomine.

Naturæ ſignificationes.

Videtur autẽ nonnullis, &c. Quo-
niam antiqui Philoſophi exi-
ſtimarunt ſolam materiã eſſe
naturam, proinde adfert mo-
do Ariſt. naturæ ſignificatio-
nes. Inquit ergo. Placuit vete-
ribus Philoſophis informem
cuiuſuis rei materiam, natu-
ram appellare: lecticæ enim
materiam, ſcilicet, lignũ, ap-
pellabãt naturam illius; & æs
appellabant naturam ſtatuæ;
quod probabat Antiphon ex
eo, quod natura eſt principiũ
motus, & quietis: etſi fodere-
tur terra, & ibi deponeretur
lectica ex ligno, tanquam ex
materia confecta, certe non
oriretur lectica, ſed illius ma-
teria, ſcilicet lignum; quare
forma artis non eſt natura, ip-
mo potius eſt aliquid conue-
niens per accidens materiæ;
nam natura ſemper manere
debet in omni trãſmutatiõ-
ne; at forma artis nõ manet,
quando corrumpitur res ar-
te facta, & ex illa alia fit; ſed
potius corrũpitur, & manet
materia. Probat deinde, eodẽ
modo rẽ ſe habere in rebus
naturalibus; nam vt materia
ſe habet in rebus arte factis,
ſic in naturalibus: ſemper e-
nim manet ſub vtroq. termi-
no in omni mutatione. Ac
proinde ex veteribus quidã
crediderunt, naturã eſſe ter-
ram; alij ignem; alij aerem; a-
lij aquam; alij multa ex iſtis;
alij deniq. hæc omnia ſimul:
Id enim, quod quiuis ex vete-
ribus exiſtimauit eſſe mate-
riam, exiſtimauit etiã eſſe na-
turã; alia vero omnia eſſe en-

tia

tiā ſecundum naturam: & naturā ipſum ſempiternā eſſe, & ſemper eodem modo ſe habentem; vtrumque non poſſe in aliam mutari; affectiones vero poſſe tranſmutari mille modis. Quare ex dictis colligit, primo ſignificare naturam, materiam cuiuſuis rei, quæ in ſe habet principium motus & mutationis. Vbi obſeruandum occurrit, non dixiſſe Ariſt. materiā eſſe principium motus tantū, ſed etiā quietis, & mutationis.

2. *Aliter autem modo forma & ſpecies, &c.* Docet præterea formam cuiuſq; rei, ſiue ſpeciē, quæ in definitione collocatur, eſſe naturam, id eſt formā ſubſtantialem eſſe naturam: id quod probat quadā ſimilitudine deſumpta ab arte ita. Illud dicitur pertinere ad artem, ſcilicet eſſe artificiatam, quod habet formam artis; ergo illud eſt à natura, & pertinet ad naturā, quod habet formā naturalem: & quēadmodū non dicitur res perfecta ſecundū artem illa, quæ in potentia continet formam artificialem; ita non dicitur res naturalis illa, quæ in potentia cōtinet formam naturalē. Nā quod eſt caro, vel os in potentia, id non habet naturam carnis, vel oſsis, antequam formā accipiat carnis, vel oſsis: per formā enim res naturalis definitur. Quare cōcludit, formam, ſiue ſpeciem rerum, quæ in ſe habent principium motus & quietis, eſſe naturam; hancq; formam nō poſſe reipſa à rebus naturalibus ſeparari, ſed ſolū ratione & conſideratione. Hic obſeruandū eſt, loqui Ariſt. de formis, quæ educuntur de potētia materiæ: nā anima rationalis, quæ etiā eſt natura, non ſolū ratione, ſed etiam reipſa ſeparatur à materia. Aliæ ergo formæ naturales, ſi non ſumātur ea ex parte qua phyſicæ ſunt, nec re, nec ratione poſſunt ſeparari à materia; ſed ſeparantur, ſi ſumantur metaphyſicè: agit enim Metaphyſicus de formis, vt ſeparatæ ſunt. 8. Metaph.

Quod autem ex his conſtat, &c. Antequam recenſeat omnes naturæ ſignificationes, docet, id quod conſtat ex materia & forma, non eſſe naturā, ſed conſtare natura, vt homo; & formam eſſe magis naturam quam materiam; idq; probat primo ita. Id per quod res eſt actu naturalis, eſt magis natura, quàm id, per quod eſt in potētia naturalis; ſed res eſt actu naturalis per formā, & per materiam eſt naturalis in potentia; ergo forma eſt magis natura. Probat ſecundò.

in omnibus rebus arte factis, in quibus ſola materia eſt natura, nõ oritur vna res artificialis ex alia, vt ex lectica nõ oritur lectica, ſed lignum: in rebus vero naturalibus, in quibus forma eſt natura, ex vna re naturali naſcitur alia; vt ex homine generatur homo, ſiue homo generat hominẽ: ergo forma eſt magis natura, quam materia.

3. *Præterea natura quæ vt ortus dicitur, &c.* Modo proponit tertiam ſignificationem naturæ, ſimulq. tertio probat, formã præcipue eſſe naturam. Ratio vero ita habet. Natura dicitur a natiuitate, quaſi naſcitura; ſed forma eſt, quæ naſcitur & oritur, non vero materia; ergo forma eſt magis natura. Minorem probat ex diſcrimine inter naturam & artem: generatio enim, inquit, non ſe habet ſicut ars Medica, verbi gratia: nam medicatio, ſiue opera, quæ in medendo ponitur, non deſumit nomen a re, quæ per illam fit, ſcilicet á ſanitate; ſed potius á medicamẽto, a quo tanquam a principio fit: natura vero e contra, deſumit nomen a re, quæ naſcitur, ſcilicet a forma; non vero a re, quæ ſupponitur, nempe a materia: quare forma magis proprie eſt natura.

Forma igitur natura eſt, &c. Cõcludit dicens, formam eſſe naturam, & ſubdit formam, & naturam dici duobus modis; quia priuatio quodammodo eſt forma. Quod ideo docuit, quia priuatio eſt in materia, illamq. afficit, ac ſi eſſet forma; aut quia priuatio non eſt omnino negatio, cum in obliquo dicat aptitudinẽ ad formam, cuius eſt carentia. Docet tandẽ Ariſt. ſe poſtea explicaturum, an ortus qui proprie ortus eſt, id eſt an generatio ſimplex, quæ eſt generatio ſubſtantiæ, verſetur inter terminos proprie cõtrarios, quæ dubitatio ortum habet ex eo, quod docuit in vltimis verbis, ſcilicet generationem eſſe quodãmodo formam.

QVAESTIO I.

An definitio naturæ tradita ab Ariſt. recta ſit.

OCCASIONE deſumpta ex illis quæ Ariſt. hoc cap. docuit, pertractanda eſt hæc quæſtio, & aliæ, quæ immediate ſequuntur.

Diuiditur hæc quæſt. in quatuor partes: in quarum prima proponemus varias ſignificationes naturæ, & quid ſit naturale; tum etiã diſcrimen inter ens naturale, & artificiale: in ſecunda quoddam fundam. in tertia proponemus aſſertiones: in quarta vero ſatisfaciemus argumentis contrariæ ſententiæ. Diuiſio quæſt.

Significationes naturæ. IN PRIMA parte quæſtionis [illegible] obſeruatio. Nomen naturæ multa ſignificat. Primo ſignificat productionem [illegible] rerum, quæ [illegible] appellatur: hæc enim dicitur natura, quaſi naſcitura, [illegible] per
1. generationem producitur forma; proinde ſignificat ſecundò formam ſubſtantialem:
2. cum vero forma ſubſtantialis conſtituat
3. quidditatem & eſſentiam rei, proinde tertio ſignificat [illegible] eſſentiam, [illegible] & vulgus [illegible] [illegible] hoc [illegible] ſecundum ſuam naturam, id eſt, ſecundum ſuam eſſentiam. Et Boetius libro de duabus naturis, quando definit perſonam [illegible]. Rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia: ſumpſit nomen naturæ in hac tertia ſignificatione. [illegible] non ſolum formæ, ſed etiam materiæ [illegible] ad quidditatem [illegible] rei naturalis [illegible]
4. inde quarto ſignificat [illegible] materiam.
5. Quinto ſignificat quodcumque principium
6. motus. Sexto ſignificat principium [illegible] motus, quale eſt materia, [illegible] forma: &, vt ad præſens attinet negotium, hæc eſt propria, & ſtricta naturæ ſignificatio. [illegible] [illegible] in [illegible] naturæ ſignifi-
7. cationes. Significat ergo ſeptimo naturæ [illegible] quandam ſpecificam, & ſic dicere ſolemus, vnam plantam ab alia natura differre. Octauo ſignificat naturæ notionem
8. [illegible] rei, & ſic dicere ſolemus naturam [illegible] [illegible] eſſe, vt ſit [illegible] in ſubiecto ap-
9. to ad formam. Nono ſignificat cauſas ſecundas, in qua ſignificatione ſumitur in hac propoſitione communi. Deus & natura nihil faciunt fruſtra: hoc enim propoſitio [illegible] reddit ſenſum. Deus, & cauſæ ſe-
10. cundæ naturales nihil faciunt fruſtra. Decimo ſignificat rerum vniuerſitatem, in qua ſignificatione ſumimus naturam, quando dicimus, in rerum natura nihil eſſe [illegible]
11. [illegible]. Vndecimo ſignificat [illegible] ſignificationes [illegible] ab Ariſtotele [illegible] Metaphyſicæ cap. 4. Sed pro pleniori intelligentia ſignificationum naturæ conſulendi ſunt Themiſtius 2. Phyſicorum [illegible] 7. Simplicius 2. Phyſicorum [illegible] & Pererius lib. 7. cap. [illegible]

[illegible] Secunda obſeruatio. Naturale ſumitur multis modis. Primo enim ſignificat id, quod eſt determinatum ad [illegible] hac ſignificatione dicimus, eſſe naturale lapidi, [illegible] deorſum quia lapis eſt determinatus ad motum deorſum. Secundo ſignifi- *Naturale ſumitur multis modis.* 1.
cat id, quod eſt conforme alicui rei; & in 2.
hac ſignificatione diſtinguitur naturale contra violentum: vt idem motus lapidis deorſum dicitur naturalis, id eſt non violentus, ſed ſecundum lapidis naturam. Ter- 3.
tio ſignificat id omne, quod fit ab agente naturali, modo naturali, in qua ſignificatione diſtinguitur contra id, quod eſt ſupra naturale, & contra morale. Quarto ſi- 4.
gnificat id, quod non fit caſu aut fortuna: & in hac ſignificatione inuentio theſauri, [illegible] per [illegible] fodiendi terram; non eſt naturalis, quia fit fortuna, & [illegible] naſci cum duplici capite non eſt naturale, ſed [illegible] cum fiat caſu. Quin- 5.
to ſignificat id, quod habet intrinſecum, & ſubſtantiale principium motus, & quie-
tis: in qua ſignificatione diſtinguitur proprie ab ente artificiali, & ſumitur modo. Nam, vt ex ſuperiori cap. conſtat; artificialia nõ habent in ſe principium motus, & quietis, ea ex parte, qua ſunt ab arte.

Ex ſuperioribus obſeruationibus conſtat, multa reperiri diſcrimina inter ens naturale, & artificiale [illegible] quia artificiale [illegible] indeterminatum, & contingens ſecundum ſpeciem, & productionem; naturalia vero ſunt neceſſaria ſecundum ſpeciem, contingentia tamen ſecundum productionem: tamen producuntur, producuntur neceſſario, & ſemper eodem modo: nam homo ſemper generat hominem, leo leonem, &c. Quod non contingit in iis, quæ arte fiunt. Secundo differunt; quia ens naturale non ſolum eſt ſimile in forma cauſæ agenti, ſed etiam modo efficiendi: ens vero artificiale tantum eſt ſimile in principio agendi, ſcilicet in formatione, vt recte mo- *Diſcrimina inter ens naturale & artificiale.* 1. 2.

do [illegible]

da eſſendi. Verbi gratia leo genitus, quĩ ens naturale eſt, non ſolum eſt ſimilis leoni generanti in forma, ſed etiam eſt materialis, quemadmodum leo generans: domus vero, quę eſt ens artificiale, ſolum eſt ſimilis principio agendi, ſcilicet ideæ, quæ exiſtebat in mente architecti: at non eſt illi ſimilis in modo eſſendi; quia domus eſt materialis, & idea illius immaterialis.
3 Tertio differunt: quia res naturalis ſupponit potentiam naturalem in materia ad recipiendam formam: res vero artificialis tantum ſupponit potentiam obedientialem [illegible]
4 Quarto differunt: quia ens artificiale ſupponit totum compoſitum, ex quo fiat: ens vero naturale ſolam materiam ſupponit.
5. Quinto differunt, quia omnia, quę ſunt in ente naturali, ſunt a natura: omnia tamen, quæ ſunt in ente artificiali, non ſunt ab arte.
6. Sexto differunt: quia ens naturale, ea ex parte, qua naturale eſt, habet in ſe principium motus & quietis: artificiale vero, ea ex parte, qua artificiale eſt, non habet in ſe principium motus, & quietis. Hoc diſcrimen non ſolum proponit Ariſtoteles cap. [illegible] ſed etiam 2. de Anima cap. [illegible]

Explicatur definitio naturæ

Tertia obſeruatio. Naturæ definitio ſic ſe habet: Principium, & cauſa motus, & quietis eius, in quo eſt primo per ſe, & non per accidens. In hac definitione, principium, habet locum generis: per illam particulam, cauſa, ſignificatur, naturam influere in motum. Dicitur etiam eius in quo eſt, ad differentiam cauſæ efficientis extrinſecæ, quæ ab extrinſeco, quæ mouetur. Dicitur per ſe, & non per accidens, ut diſtinguatur a forma accidentaria: forma enim accidentaria [illegible] cauſa motus, eius vel cui ſubiecta eſt, eſt tamen cauſa per accidens.

Ex his manifeſtè deducitur ſenſus quæſtionis: inquirimus enim, an hæc definitio [illegible] recta ſit, & [illegible] nomen natura in 3. ſignificatione, pro principio motus, quod eſt materia & forma. Nam enim materia, & forma partes eſſentialiter conſtituentes ens naturale proprie ſumptum, in ſcilicet ſignificatione a nobis tradita.

IN SECVNDA parte quæſtio eſt primum fundamentum. Principium, & cauſa, ſi proprie ſumantur, ſe habent velut ſuperius, & inferius: quamuis paſſim confundantur, & pro eodem uſurpentur. Principium ergo motus duplex eſt, intrinſecum ſcilicet, & extrinſecum. Extrinſecum eſt, quod non inhæret in re, quæ mouetur, ut eſt pars illius, ut proiiciens lapidem; eſt principium extrinſecum motus lapidis. Principium intrinſecum eſt, quod, vel eſt pars rei, quæ mouetur, vel inſita interius [illegible] eſt pars ut forma leonis, [illegible] ut virtus motrix in corde, vel grauitas in lapide. Deinde principium intrinſecum duplex eſt: aliud paſſiuum, ut materia: aliud actiuum, ut forma. Præterea principium actiuum, aliud eſt primum, ſiue radicale, ut forma ſubſtantialis: aliud proximum, ſiue immediatum, ut [illegible] accidentales [illegible] non eſt de eſſentia rei, quæ mouetur. Præter principium paſſiuum, aliud eſt quod ſe inclinat ad motum, ut materia rei grauis [illegible] principium [illegible]. Intelligitur ergo præſens quæſtio de principio intrinſeco primo, ſiue radicali, ſiue actiuo, ſiue paſſiuo inclinato tamen ad motum naturalem.

IN TERTIA parte quæſtio ſit aſſertio: Definitio naturæ ab Ariſtotele tradita, recta eſt. Probatur primo teſtimonio Ariſtotelis & communi conſenſu philoſophorum. Secundo quia per hanc definitionem ſeparatur ſatis natura a quocumque alio, ut ex argumentorum contrariæ partis ſolutione conſtabit.

IN QVARTA parte quæſtio dices primo: Medicina exiſtens in medico ægroto, eſt principium intrinſecum illius: ergo conuenit illi definitio naturæ. Reſpondemus ſolum eſſe principium per accidens ut de-

vt docuit Ariſto. in contextu. Sed dices. Ars ſaltandi eſt primum principium motus, ſaltationis ſcilicet illius, in quo eſt: ergo, &c. Reſpondemus, artem nō eſſe principium motus & quietis in ſaltatione, ſed eſſe principium ad hoc vt ſaltatio fiat tali modo; pēdet enim ſaltatio quoad ſubſtantiam & ſuum eſſe, à natura, quoad modum vero, ab arte.

Dices ſecundo. Subſtantia non diffinitur recte per extrinſecū: ergo natura quæ eſt ſubſtantia non recte definitur per motum. Reſpondemus concedendo antecedēs in ſubſtantiis completis; & negando illud in incompletis: natura ergo, cū ſit ſubſtantia incompleta, recte definitur per ordinē

1. ad motum. Sed dices. Potentia ad actum accidentalem eſt etiam accidens; ſed natura dicit ordinem ad accidens, ſcilicet ad motum. & eſt potentia, quæ reſpicit accidens, tanquam actum: ergo, &c. Reſpondemus negando maiorem: nam ad hoc, vt ſit vera, requiruntur tres conditiones, quas explicuimus, quæſtio 3. de materia, quæ cōditiones hic minime reperiuntur.

Dices tertio. Nomine motus in definitione naturæ, etiam intelligimus generationem naturalem: ergo priuatio, quæ eſt principium generationis naturalis, etiam erit natura. Reſpondemus negando conſequentiam: quia, etiamſi priuatio ſit principium, tamen nō eſt cauſa generationis na-

1. turalis. Sed dices. Deus eſt principium, & cauſa motus rerum naturaliū: ergo Deus eſt natura. Reſpondemus negando conſequentiam: quia non eſt cauſa intrinſeca re-

2. rum naturalium, quæ mouentur. Sed dices. Anima rationalis eſt principiū, & cauſa intrinſeca motus, & tamen non eſt natura: ergo definitio naturæ propoſita non eſt recta. Prima pars antecedētis à multis probatur ex eo, quod natura, ſiue potentia naturalis determinata eſt ad vnum: anima vero rationalis, & illius potentię ſunt

Naturale ſumitur 5. modis. indifferentes ſunt ad contraria, vt docet Ariſt. 9. Metaph. ca. 2. Pro ſolutione obſerua. Naturale ſumi multis modis. Primo ſumitur, prout idē eſt, ac neceſſariū, qua 1.
ratione diſtinguitur contra id quod electione operatur vt puer naturaliter operatur idest non electione. Secūdo ſumitur 2.
naturale pro eo, quod determinatur neceſſario ad aliquem motū: vt naturale eſt lapidi tendere deorſum: nā lapis iuxta propriam naturam ſolum poteſt moueri deorſum, & non ſurſum, nec in orbem. Tertio 3.
ſumitur pro eo omni, quod nō excedit naturæ limites, & ſic actiones liberæ dicuntur naturales: & naturale hoc modo diſtinguitur contra ſupranaturale. Quarto ſu- 4.
mitur pro eo, quod eſt inclinatum ad motum naturalem, & confert vim ad illum, & hac ratione diſtinguitur contra violentum. Tandem ſumitur naturale pro eo, 5.
quod naturaliter eſt inclinatum ad motū naturalem, qua ratione diſtinguitur contra artificiale: quod enim eſt artificiale, inclinatum eſt ad motum naturalem; tamen non naturaliter, ſed tantum ex potētia obedientiali. Reſpondemus ergo argumento in forma negando antecedens: nam anima rationalis eſt natura, vt quæſt. 3. dicemus. Probationi reſpondemus loco citato ſumpſiſſe Ariſt. naturale pro eo, quod determinatum eſt ad vnū; at natura ſumitur in diffinitione naturæ, vt cōſtituis naturale in quinta ſignificatione: imo loco citato expreſſe docet Ariſt. potentiam naturalem aliam eſſe rei inanimatæ, & hanc eſſe determinatam ad vnum: aliā vero rei animatæ, & hanc non eſſe neceſſario determinatam. Sed dices, natura non poteſt eſſe indifferēs ad oppoſita: ſed motus, & quies ſunt oppoſita: ergo natura non poteſt eſſe indifferens ad motum, & quietem: ergo natura non poteſt eſſe principium motus, & quietis. Reſpondemus primo naturam nō eſſe indifferentem ad oppoſita poſitiua, bene tamen ad oppoſita, quorum vnum eſt poſitiuum, vt motus; & alterum priuatiuum, vt quies. Secundo reſpondent alij quietem aliam eſſe priuatiuam, & hāc eſſe contrariam motui; & aliam eſſe poſitiuā, quæ nihil aliud eſt, quam permanētia mo-

bilis in termino ad quē motus naturalis, docentq. hanc quietem non eſſe contrariā motui, & definitionem naturæ intelligendam eſſe de hac priuatione. Reſpondemus tamen tertio, & melius negādo maiorem: nam anima rationalis eſt natura, vt dicemus quæſt. 3. & nihilominus indifferens eſt ad oppoſita: imo potētiæ animæ rationalis indifferentes ſunt, vt patet in volūtate.

QVAESTIO II.

An materia ſit natura.

Diuiſio quæſt. DIVIDITVR quæſtio in tres partes. Prima, proponemus obſeruationes. Secunda noſtram ſententiam. Tertia, contrariam, contrariiſque argumentis ſatiſfaciemus.

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Formam naturalem eſſe naturam pauci dubitant, quamuis dubitent multi, an quæuis forma naturalis ſit natura. Sed de hac re dicemus quæſt. ſequenti. Modo vero inquirimus, an materia ſit natura, ſumēdo naturam, vt fuit definita ab Ariſt. & vt explicuimus definitionem q. ſuperiori.

Secunda obſeruatio. Nominē motus, in definitione naturæ, non ſolum intelligimus motū proprie dictum, qui eſt ad quātitatem, qualitatem, & vbi; ſed quamuis mutationem promanantem a principio intrinſeco rei, quæ mouetur, dummodo ſit primum principium, & per ſe.

Tertia obſeruatio. Principium motus duplex eſt: aliud paſsiuum; & aliud actiuum; vt quando motu alterationis calefit lignum, ignis calefaciens eſt principium actiuum: lignū vero, quod recipit in ſe calorem, eſt principium paſsiuum.

Quarta obſeruatio. Modo non inquirimus, an definitio naturæ conueniat ſynonyme materiæ, & formæ: nam de hac re dicemus quæſt. 4. Sed ſolum inquirimus, an ratio naturæ intrinſece reperiatur in materia.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit aſſertio. Materia eſt natura. Hæc eſt Ariſt. multis in locis: nam hoc cap. 1. huius 2. lib. poſtquam propoſuit naturæ definitionem, ita ſcribit. *Naturam autem habēt ea omnia, in quibus hoc tale principium ineſt, atq; hæc omnia eſſentiæ uocabulo continentur. Subiectum enim quiddam, & in ſubiecto eſt natura ſemper.* Quæ verba ſic expoſuimus in contextu. Quæ habent principium definitum, habent naturam, & ſūt ſubſtantiæ: nam natura vel eſt materia, vel forma. Et poſtea ita habet. *Ac uno quidē modo natura dicitur prima, quæ cuique ſubiecta eſt materia eorū, quæ in ſe motus, & mutationis principium fontemq; cōtinent. Alio autem modo forma, &c.* (Ex hoc teſtimonio colligitur manifeſte ſecunda obſeruatio; dixit enim Ariſt. *Eorum, quæ in ſe motus, & mutationis, &c.* Et ca. 2. habet quæ ſequuntur. *Quoniam autem natura duobus modis dicitur, & forma, & materia, &c.* Et cap. 8. ita. *Quoniamq; duplex eſt natura, una ut materia, altera ut forma, &c.* Quæ certe teſtimonia manifeſte confirmant, propoſitam aſſertionē conſonam eſſe Ariſt. præſertim ſi perpendantur, quæ antecedunt, & ſubſequuntur propoſita teſtimonia. Eſt etiam fere communis hæc ſentētia inter interpretes græcos. Tenent enim illam Simplicius, Vicomercatus, & alij multi hoc cap. & ex latinis interpretibus D. Thom. Ferrarienſis, Soto, Toletus hic, Pater Pererius 7. Phyſ. cap. 17. & alij permulti. Probaturq. rationibus.

Prima ratio. Potētia paſsiua debet correſpondere potentiæ actiuæ: ſed potentia actiua nempe forma eſt natura: ergo potentia paſsiua, quæ illi correſpondet, ſcilicet materia, debet etiam eſſe natura. 1.

Secunda ratio. Generatio ſubſtantiæ eſt mutatio naturalis; ergo reſpectu alicuius principij, quod ſit natura: ſed non eſt naturalis reſpectu formæ: ergo erit natu- 2.

ralis reſpectu materiæ, & materia erit natura. Vltima conſequentia recta eſt: quia principium intrinſicum ſolum poteſt eſſe vel materia, vel forma. Quod vero illa ſequatur, probatur ita. Si generatio eſſet naturalis reſpectu formæ, vel ergo reſpectu formæ geniti, vel corrupti, vel generantis; ſed nullo ex his modis poteſt dici naturalis; ergo generatio non eſt naturalis reſpectu formæ. Imprimis non reſpectu formæ rei corruptæ: tum quia certum eſt, illā nō eſſe, quando eſt generatio; tum etiam quia, etſi eſſet, non poſſet generatio ſubſtantiæ appellari naturalis reſpectu illius: quia forma rei corruptæ non eſt intrinſeca rei, ſiue ſubſtantiæ, quæ generatur: at natura debet eſſe principium intrinſecū rei, quæ mouetur. Deinde non poteſt eſſe naturalis generatio ſubſtantiæ reſpectu formæ rei genitæ: quod ita probatur. Forma producta per aliquam mutationem, non poteſt eſſe principium, & cauſa illius mutationis ſaltim efficiens: ſed forma rei genitæ producitur per generationem; ergo nō poteſt eſſe principium, & cauſa efficiens generationis. (Dixi efficiens; quia forma, quæ generatur, recte poteſt eſſe cauſa finalis illius mutationis, per quam generatur) diſcurſus eſt legitimus, minor certa, maior probatur. Terminus mutationis, ſemper eſt poſterior tempore, vel ſaltem natura, mutatione per quam producitur: ſed id, quod eſt poſterius, nō poteſt eſſe cauſa, & principium prioris; ergo terminus nō poteſt eſſe principium, & cauſa mutationis; ergo forma producta per mutationem nō poteſt eſſe principium, & cauſa mutationis, cum ſit terminus illius. Tandem nec reſpectu formæ generātis: quia hęc extrinſeca eſt, & non reperitur in re, quæ generatur. Idem argumentum fieri poteſt de corruptione naturali ita. Corruptio totalis ſubſtantiæ eſt naturalis, & tamen non eſt naturalis reſpectu propriæ formæ: ergo dicitur naturalis reſpectu materiæ, quæ ex ſe indifferens eſt, & poteſt quamcumq. formam recipere. Reſpondent permulti, generationem ſubſtantiæ dici naturalem, quia eſt a forma generantis, quę quidē forma eſt natura. Hæc tamen ſolutio non eſt recta: quia, etſi forma illa ſit natura, non tamen eſt natura rei quæ generatur: ſequeretur enim ex ſolutione propoſita, motū, quo lapis ſurſum mouetur a proiiciente, eſſe naturalem: quod certe eſt abſurdum. Hoc vero ſequi, probatur. Proinde, vt cōtraria ſententia docet, generatio ſubſtantiæ dicitur naturalis, quia cauſa efficiens illius, nempe forma generātis, licet extrinſeca ſit, eſt tamen natura: ſed cauſa efficiēs motus lapidis ſurſum etiā eſt natura, nempe forma proiicientis: ergo motus lapidis ſurſum eſſet naturalis.

IN TERTIA parte quæſt. proponenda eſt contraria ſententia. Docet ergo contraria ſententia, materiam non eſſe naturam. Hanc inter alios tenet, & mediocriter probat Valleſius vndecima controuerſia phyſica: illamq. Probat primo ex Ariſt. qui in fine capitis primi huius ſecūdi libri ita ſcribit. *Sed forma & natura dicuntur duobus modis, &c.* Ex quo teſtimonio colligit, illam particulam, *&*, eſſe declaratiuam illius vocis, *forma*, quaſi ſit ſenſus. *Forma quæ eſt natura, &c.* Hincque colligit, formam ſolam eſſe naturam, materiam minime eſſe naturam. Deinde, Ariſt. 4. Metaphyſico cap. 4. docet, eſſentiam rei eſſe proprie naturam: materiā vero eſſe illius ſuſceptiuam. Cum ergo eſſentia rei ſit forma, ex ſententia Ariſto. ſola forma erit natura. Reſpōdemus primo teſtimonio, ex illo non poſſe colligi, materiam non eſſe naturam; ſed potius ex illo inferri, formā, quæ natura eſt, dici dupliciter; primo proprie de forma ipſa, quæ pars eſt compoſiti naturalis: ſecundo vero dici de priuatione, quæ eſt forma & natura improprie & per ſimilitudinem: ex eo ſcilicet, quod eſt in materia, quemadmodum & forma naturalis.

Probat inſuper rationibus ſuam ſententiam. Prima ratio. Definitio naturæ non conuenit materiæ: ergo materia non

eſt natura. Probatur antecedẽs. Materia, licet ſit principium motus, non tamen eſt cauſa, aut cedo, inquit, in quo genere: ergo definitio naturæ non cõuenit materiæ: nam priuatio, quę principium eſt generationis naturalis, excluditur a definitione naturæ, quia non eſt cauſa generationis. Reſpondemus negando antecedens. Probationi ſimiliter. Nam materia eſt cauſa
1. materialis generationis. Sed dices. Materia eſt cauſa materialis generationis naturalis: ergo generatio naturalis non recipitur in toto compoſito, ſed in materia prima. Reſpõdemus negando conſequentiã: quia ſufficit vt generatio naturalis recipiatur in materia prima mediate, & tanquam in prima radice.

Secũda ratio. Natura eſt nomen dignitatis: ergo non poteſt conuenire materiæ, quæ eſt imperfecta. Reſpondemus negando conſequentiam: quia etſi materia ſit quid imperfectum reſpectu formæ, tamen reſpectu rei artificiatę eſt quid perfectum.

Tertia ratio natura & eſſentia cuiuſcumque rei debet eſſe principium, per quod talis res diſtinguatur ab alijs; ſed per materiam non diſtinguuntur res naturales ab alijs; ergo materia nõ eſt natura & eſſentia rei. Reſpondemus negando minorem: nã differentiæ, per quam differunt ſubſtantiæ naturales ab ſpiritualibus, non ſolum deſumitur a forma, verumetiam a materia. imo res naturales differunt inter ſe per mate-
2. riam. Sed dices. Materia ex ſe eſt indifferẽs & indeterminata, & determinatur per formas: ergo res naturales nõ poſſunt differre inter ſe per materiam. Reſpondemus negando conſequentiam: quia res naturales non differunt inter ſe per materiam ſecundum ſe ſumptam, ſed per materiam cũ diuerſo modo intrinſeco ad diſtinctã formam: vt diximus ſatis in quæſtionibus de materia prima, & quæſtione ſecunda de principio indiuiduationis.

Proponuntur aliæ rationes. Præter huiuſmodi rationes aliæ ſunt proponendæ, quæ maiorem inferant vim noſtræ aſſertioni. Dices ergo primo. Natura eſt determinata ad vnum: ſed materia non eſt determinata ad vnum, ſed indifferens ad omnes formas, tam ſubſtantiales, quam accidentarias: ergo materia non eſt natura. Reſpondemus negãdo maiorem: nam, nõ omnis natura eſt determinata ad vnum. Quando enim Ariſt. & alij philoſophi docent, naturam eſſe determinatam ad vnum, naturæ nomine intelligunt formas non viuentium, vt diximus ſuperiori quæſtione.

Dices ſecundo. Reſpectu materiæ datur motus naturalis: ergo reſpectu materiæ datur motus violentus: ſed conſequens eſt abſurdum: ergo & antecedens. Probatur conſequentia ex Ariſt. primo de cœlo, cap. 8. vbi ita habet. *Præterea ſi quis motus violentus ſit, naturalis erit contrarius.* Minor vero probatur. Materia ex ſe eſt indifferens ad quamcumq. formam: ergo, ſi aliquis motus eſt naturalis reſpectu materiæ, abſurdum eſt affirmare, reſpectu illius non eſſe naturalem omnem motum. Reſpondemus negando conſequentiam. Probationi, Ariſt. intelligendum eſſe de corporibus, quæ mouentur motu recto. Sed dices. Motus, quo aqua calefit, eſt na- 2.
turalis reſpectu materiæ; ergo motus lapidis ſurſum etiam erit naturalis. Reſpectu materiæ lapidis: nam, non minus indifferens eſt, materia ad calorem, quam ad motum ſurſum. Reſpondemus diſtinguendo antecedens ita: ſecundũ quid, cõcedimus; ſimpliciter, negamus antecedẽs. Ratio eſt: quia materia primo & per ſe & ſimpliciter dicit propenſionem & capacitatem reſpectu formæ ſubſtantialis, ſecundario vero & ſecundum quid reſpectu formarum accidẽtalium, quæ ſunt diſpoſitiones pro conſeruatione, vel introductione formæ ſubſtantialis: quare negamus conſequentiam: quia motus lapidis ſurſum nec ordinatur ad receptionem formæ ſubſtãtialis, nec ad conſeruationem illius: pro cuius rei intelligentia obſerua, accidentia eſſe in triplici differẽtia; alia enim ſunt neceſſa- *Obſerua.*
ria ad conſeruationem formæ ſubſtantia-

lis.

ne, vt frigiditas in aqua; alia diſponūt materiam ad hoc vt recipiat denuo formam, vt calor in aqua, qui diſponit materiam, quę eſt ſub forma aquæ ad formam ignis: & mutationes, per quas producuntur accidentia illis duobus modis ſumpta, ſunt mutationes naturales ſecundum quid modo explicato. Alia denique ſunt accidentia, quæ nec diſponunt ad receptionem formę ſubſtantialis, nec ſunt pro conſeruatione formæ ſubſtãtialis; vt accidēs illud, quod reſultat ex hoc quod lapis ſit in loco ſuperiori, ſcilicet tale vbi: & mutationes, per quas huiuſmodi accidentia adquiruntur, nõ ſũt naturales ſimpliciter; quia formæ acquiſitæ per illas nõ ſunt ſubſtantiales: nec ſecundum quid; quia nec diſponũt ad receptionem formæ ſubſtantialis, nec con-
2. ducunt ad conſeruationem illius. Sed dices. Ergo motus lapidis deorſum nõ eſt naturalis: quia vbi, quod per talem motũ acquiritur, nec diſponit ad receptionem formæ ſubſtantialis, nec conducit ad conſeruationem illius. Reſpondemus negando conſequentiam: primo, quia motus lapidis deorſum eſt a propria forma tanquã a principio actiuo: deinde quia locus inferior conducit ad conſeruationem formę lapidis, & cuiuſuis rei grauis, cum ſit locus naturalis. Locus enim naturalis neceſſarius eſt ad conſeruationẽ locati, propter ſymbolas qualitates, quæ reperiuntur in loco naturali, & in locante, vt dice-
3. mus lib. 4. in diſputatione de loco. Sed dices; ergo generatio ſubſtantialis non eſt naturalis ſimpliciter, ſed potius ſecundũ quid. Probatur conſequentia: quia ſolum eſt naturalis reſpectu materiæ. Reſpondemus negando conſequentiam. Probationi reſpondemus, mutationem non dici naturalem ſecundum quid, ex eo quod conueniat rei, quæ mutatur ratione materiæ, ſed potius; quia materia non eſt inclinata primo & per ſe ad illam formam, ſed ſecũdario, & materia prima primo & per ſe dicit inclinationem, & potentiam ad formã ſubſtantialem.

Dices vltimo. Naturalia differunt ab artificialibus per naturam; ſed non differunt per materiã: ergo materia non eſt natura. Reſpondemus primo negando maiorem: quia propriè artificialia differunt a naturalibus per formam, non vero per quamuis naturam quæ reperitur in naturalibus. Reſpondemus ſecundo negando minorem: quia naturalia etiam differunt ab artificialibus per materiam: nam materia proxima rerum naturaliũ eſt materia prima: at materia proxima rerum artificialium eſt totum compoſitum ex materia prima, & ex forma.

QVÆSTIO III.

An forma ſit natura, & an omnis forma ſit natura.

HÆC quæſt. duplicem habet partẽ, quarum prima non eſt adeo difficilis; expreſſe enim docet Ariſt. locis q. ſuperiori citatis, & aliis multis formã eſſe naturam: & probatur ratione: quia ſcilicet conuenit formæ definitio naturæ, quam tradit Ariſt.

Sunt tamen aliqui contrariam tuentes ſententiam. Scotus enim in 2. diſtin. 18. q. vnica exiſtimat, ſolum principium paſſiuum eſſe naturam. Nomine tamen principij paſſiui etiam intelligit formam. Docet enim, formam appellari naturam, quatenus obtinet rationem principij paſſiui; prout reddit materiam idoneam ad motũ recipiendum. In hãc ſententiam videntur inclinare Burleus hic, & Simplicius. Sed hæc ſententia ita docet formam eſſe naturam, ac ſi hoc non doceret: nam Ariſt. ſemper docuit, formam eſſe principium actiuum motus naturalis; nõ vero paſſiuum. Superior ſenten. probatur primo. Natura, qua eſt natura, eſt principium intrinſecum eius quod mouetur; ſed principiũ motus non eſt intrinſecum vt actiuum, ſed vt paſſiuũ: ergo forma nõ eſt natura, vt principium actiuũ, ſed vt principium paſſiuũ. Probatur min. ab iſtis Philoſophis quia:

Solum principiũ paſſiuum eſſe naturam.

accidentali quando rei quæ mouetur principium actiuum, vt ægroto accidit ars medica, a qua tanquam a principio intrinſeco actiuo curatur. Reſpondemus negando minorem. Probationi negando, principiũ intrinſecum actiuum accidere rei quæ mouetur, ſi tale principium ſit natura, ſcilicet forma naturalis: nam ars medica, & aliæ huiuſmodi formæ non ſunt naturales.

2. Secunda ratio. Mutatio dicitur naturalis quia eſt a natura: ſed omnis mutatio naturalis eſt a principio paſſiuo tantum: ergo omnis natura eſt tantum principium paſſiuũ. Probatur minor. Illa dicitur mutatio naturalis, qua res mutatur, propter aptitudinem quam habet: ſed hoc non cõuenit ratione principij actiui; nã per principium actiuum res mutat, & non mutatur: ergo omnis mutatio naturalis eſt a principio paſſiuo. Reſpondemus negando minorem. Probationi negando maiorem: nam non ſolum dicitur mutatio naturalis, qua res, quæ mutatur, habet aptitudinem ad illam recipiendã, ſed etiam, quia habet principium intrinſecum actiuũ primum & præcipuum, a quo talis mutatio fiat.

AD SECVNDAM partem quæſtionis accedentes ſit aſſertio. Forma rei naturalis eſt natura. Probatur ex Ariſto. cap. 1. huius lib. 2. in quo multis rationibus probanit, non ſolum formam naturalem eſſe naturam, ſed etiam eſſe præcipue naturam. Quia tamẽ præcipua difficultas eſt de anima proinde ſit.

Secunda aſſertio. Quæuis anima eſt natura. Probatur primo. Ariſt. in Philoſophia naturæ agit de anima: ergo omnis anima eſt natura. Probatur conſequentia. Id omne, de quo Ariſto. agit in Philoſophia naturæ, vel eſt natura, vel ens naturale, vel ens ſecundum naturam: ſed anima nec eſt ens naturale, nec ens ſecundum naturam: ergo, cum diſputet Ariſt. de illa in libris de Anima, anima erit natura. Reſpondet Simplicius, animam eſſe formam, non vero naturam ſed contra. Anima eſt principium, & cauſa motus & quietis eius in quo eſt, &c. ergo eſt natura. Reſpõdet tamen animam non eſſe principiũ motus quia illa particula, *principium*, in definitione naturæ intelligenda eſt de principio paſſiuo. Hæc tamen ſolutio recta non eſt: quia ſequeretur inde, definitionem naturæ non eſſe rectam: cõtineret enim multas particulas ſuperfluas: nam ſi per principium intelligeretur principium paſſiuũ tantum, fruſtra eſſent illæ particulæ definitionis, ſcilicet primo & per ſe, &c. nam, vt omnes exponũt, per illam particulam, *primo & per ſe*, ſeparatur natura a formis accidentarijs, quæ licet ſint principia motus rei, in qua ſunt; tamen non ſunt primo & per ſe principia talis motus, ſed potius per accidens: cum ergo per illam particulam, *principium paſſiuum*, ſufficienter eſſet ſeparata natura a formis accidentarijs, fruſtra adhiberetur in definitione naturę illa particula, *primo & per ſe*. Quare natura non ſolum eſt principium paſſiuum, ſcilicet materia, ſed etiam actiuum, nempe forma naturalis.

In fine quæſtionis ſoluendæ ſunt aliquæ rationes, quæ videntur probare animam nõ eſſe naturam. Dices ergo primo. Natura conſtituit ens naturale: ſed anima non conſtituit ens naturale, ſed ſupponit illud conſtitutum; ergo anima non eſt natura. Probatur minor. Vt diximus quæſtione de obiecto Philoſophiæ, corpus Phyſicum ſiue naturale, & ens naturale idem ſunt; ſed anima non conſtituit corpus phyſicum, ſed ſupponit illud conſtitutum; ergo anima non conſtituit ens naturale, ſed ſupponit illud conſtitutum. Probatur minor. Ex definitione animæ tradita ab Ariſt. li. 2. de Anima ca. 1. quæ ita habet. Actus corporis phyſici organici, &c. Reſpondemus negando minorem. Probationi ſimiliter. Probationi probationis explicando definitionem animæ traditam ab Ariſt. dicitur ergo anima actus corporis phyſici; non quia ſupponatur corpus phyſicum; quia reuera recipitur anima in

materia prima: ſed quia corpus phyſicum vere, & realiter conſtituitur per animam, tanquam per actum formalem phyſicum: quemadmodum definitur lumen, actus lucidi ſiue luminoſi, non quia aliquid ſit luminoſum antequam recipiat lumen; ſed quia per lumē fit lucidū ſiue luminoſum.

Dices ſecundo. Anima eſt indifferēs ad plura: ſed natura debet eſſe determinata: ergo anima non eſt natura. Reſpōdemus, minorem ſolum eſſe veram de natura inanimatorum: animata vero habent naturam indeterminatam ad plures motus, imo, ad huc loquendo de motu ſecundum locum, poſſunt animata moueri verſus ſex differentias poſitionis. Et hoc diſcrimen aperte colligitur ex Ariſt. 9. Metaph. cap. 2. Ibi enim proponens diſcrimen inter potētias rationis participes, & potentias, quæ reperiuntur in aliis rebus, nempe in rebus inanimatis ita ſcribit. Cū autē *talia principia partim ſint in rebus inanimatis & partim in animatis, &c.* Et deinde ſubdit. *Atque omnes potentiæ quæ ſunt participes rationis contrariorum eædē ſunt effectrices, &c.* Ex quo loco facile colligitur hæc noſtra ſententia. Sed dices. Natura debet eſſe principium proximum motus; ſed anima non eſt proximum principium motus; ergo anima non eſt natura. Probatur minor: quia anima mediis potentiis mouet, & non immediate. Reſpondemus negando maiorem: quia in diffinitione naturæ illa particula, *primo*, non ſumitur pro principio proximo & immediato, ſed pro principio præcipuo.

Animam rationalem non eſſe naturam probatur primo ita. Ariſt. ca. 1. huius lib. ita ſcribit. *Subiectum enim quiddam & in ſubiecto eſt natura ſemper*: ergo cum anima rationalis nec ſit ſubiectum, id eſt materia: nec ſit in ſubiecto ſemper, id eſt in materia, cum poſſit ſeparata exiſtere, non erit natura. Reſpondemus animam rationalem, cum non educatur de potentia materiæ, poſſe exiſtere ſeparatam ab illa, nē ſit independenter a corpore; tamen eſt natura: quia dū actu eſt actus corporis, ſemper eſt coniuncta cum materia; ac proinde ſemper eſt in ſubiecto, id eſt in materia, quamuis vere & realiter ſit ſeparabilis. Sed dices. Ariſtot. eodem cap. ita habet. *Quocirca alio modo natura ſit neceſſe eſt eorum, quæ in ſe habent motus principium, forma & ſpecies: quæ ſeparari niſi cogitatione & ratione non poteſt*: ergo ſi anima rationalis ſeparatur reipſa, non erit natura. Reſpondemus animam rationalem duplicem habere ſtatum; alterū in corpore, vt eſt forma actuans materiam, & ſimul cū illa efficiens hominem, & hoc modo eſt natura, & ſola ratione poteſt ſeparari; alterum vero extra corpus, qua ratione actu & realiter eſt a corpore ſeparata; et ſi in hoc ſecundo ſtatu ſumatur anima rationalis, non eſt natura, aut ſaltim non exercet operationes naturæ: & hoc modo intelligendus eſt Ariſt. nam eodem cap. verba faciens de forma, quæ eſt natura, adhibet exemplum in anima rationali, ſiue in homine dicens *Natura autem conſtat ut homo, &c.* Et poſtea ſubdit. *Præterea homo ex homine oritur nō lectica ex lectica. Itaq; cenſent non figuram naturam eſſe ſed lignum: quod ſi germinaret, non lectica, ſed lignum erumperet. Quod ſi ita eſt, & forma ſit natura neceſſe eſt, quandoquidem homo ex homine naſcitur, &c.*

Dices ſecundo. Anima rationalis, vt rationalis duplicando, & ſecūdum actiones in quibus nō pendet a corpore non eſt natura; ergo anima rationalis non eſt natura. Reſpondemus negando conſequentiā: nam et ſi admittamus ſecundum illas operationes, in quibus non pēdet a corpore, non eſſe naturam; tamen non ſequitur inde non eſſe abſolute naturam: quia eadem anima, quæ eſt principium illarum operationum, eſt etiam principium multarum operationum, ſecundum quas eſt natura: vt eſt principium vegetandi, ſentiendi, loco mouendi, & aliarum operationum, quæ omnes corporeæ ſunt, & illarum principium neceſſario debet eſſe natura: cum ſit

1. cauſa motus, & quietis, &c. Sed dices. Omnis forma, quæ eſt natura debet produci ab agente naturali: ſed anima rationalis non producitur ab agente naturali: ergo anima rationalis non eſt natura. Reſpondemus negando maiorem. Satis enim eſt ad hoc, vt aliqua forma ſit natura, attingatur ab agente naturali non quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum, id eſt ſatis eſt, quod agens naturale attingat vnionem illius formæ cum materia ex vi diſpoſitionum, licet non producat entitatem il-
2. lius formæ. Sed dices. Ergo anima rationalis ſaltim ſeparata a corpore, non eſt natura. Reſpondemus negando conſequentiã: quia ſat eſt vt forma ſit cauſa motus, & quietis in potentia, quamuis actu non efficiat illos motus, ex eo quod non eſt cõ-
3. iuncta cũ corpore. Sed dices anima rationalis non habet finem naturalem: ergo nõ eſt natura. Reſpondemus negando antecedens: nam ſecundum operationes corporeas habet finem naturalem, & conſequenter reſpectu illarum eſt natura: quia vero habet peculiares operationes ſpiritales, ordinatur in alium finem etiam ſibi naturalem, per tales operationes conſequendũ ſcilicet in Deum cognitum naturali cognitione, aut dilectum dilectione naturali: cum tamen operationes iſtæ poſsint ab ipſo Deo eleuari aut per gratiam, aut per aliquod peculiare auxilium ſupernaturale; hinc eſt, quod anima rationalis habeat alium finem ſupranaturalem, ſcilicet Deũ clare viſum viſione beatifica medio lumine gloriæ: hoc tamen non impedit, quia anima rationalis ſit natura: licet enim ſũpta hoc vltimo modo anima rationalis, non ſit natura, abſolute tamen eſt natura: quemadmodum licet homo vt homo eſt, reduplicatiue, non ſit ſentiens; ſi tamen abſolute ſumatur, eſt ſentiens.

QVÆSTIO IIII.

An natura dicatur vniuoce, vel analogice de materia, & forma.

DIVIDITVR quæſtio in tres partes: quarum prima proponemus *Diuiſio quæſt.*
obſeruationes. Secunda noſtrã ſententiam. Tertia denique aliorum ſententiam proponemus, tum etiam omnibus argumentis contrariis ſatisfaciemus.

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Materia & forma, quę ſũt ſubſtantiæ incompletæ & partiales, dupliciter poſſunt ſumi: primo ſecundum proprias cauſalitates, quas exercent reſpectu totius compoſiti, nam forma, & materia ſunt cauſæ intrinſecę totius compoſiti: & de materia & forma hoc modo ſumptis diximus ſtatim in quæſtionibus de cauſis: ſecundo ſumi poſſunt materia, & forma vt ſunt principia mutationum naturalium: & iſto modo procedit quæſtio. *Materia & forma ſumuntur dupliciter*

Secũda obſeruatio. Aliud eſt naturam ſuperiorem participari ab aliquo ex inferioribus perfectiori modo; & aliud reperiri in aliquo ex inferioribus coniunctã cum aliqua differentia perfectiori aliis omnibus, quibus reperitur coniuncta in cæteris inferioribus. Nam quãdo natura ſuperior perfectiori modo reperitur in vno ex inferioribus quam in aliis, talis natura non poteſt eſſe ſynonyma reſpectu illorum inferiorum: ſi vero natura ſuperior ex æquo participatur ſecundum ſe ab inferioribus, licet ſit coniuncta in aliquo ex illis, cum perfectiori differentia, tunc natura illa ſynonyma eſt. Sit exemplũ. Ens, quod eſt natura ſuperior ad ſubſtantiam & accidentia, quia reperitur perfectiori modo ſecundum ſe in ſubſtãtia, quã in accidentibus: proinde reſpectu ſubſtantiæ & accidentium eſt analogum: animal vero reſpectu hominis & aliarum ſpecierum animalis eſt natura ſynonyma: quia, hoc quod eſt eſſe ſentiens, per quod conſtituitur animal eſſentialiter, ex æquo participatur ab omnibus animalibus, licet natura hæc ſit coniuncta in homine cum differentia perfectiori cæteris differentiis aliarum ſpecierum animalis: eſt enim natura animalis in homine coniuncta cum ratio- *Obſeruat.*

naliſ.

nalitate, quæ eſt differentia præſtantiſſima omnium conſtituentium naturæ ſpecificas animalis.

Natura conuenit ſynonyme materiæ & formæ.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit aſſertio. Natura dicitur ſynonyme de materia & forma. Probatur primo aſſertio. Quæ ex æquo participant aliquam rationem ſuperiorem, & in illa diſtinguuntur per differentias ſuperadditas, conueniunt in illa ſynonyme: ſed materia & forma ex æquo participant rationem naturæ in cõmuni, & differunt per differentias ſuperadditas; ergo ſynonyme conueniunt in ratione naturæ: ergo natura ſynonyme dicitur de materia & forma. Maior eſt certa; minor probatur; quia hoc quod eſt, eſſe principiũ motus & quietis, &c. ex æquo participatur a materia, & a forma licet ſit coniunctum in forma cum differentia magis præcipua, quam in materia.

Probatur ſecundo. Ratio cauſæ eſt ſynonyma reſpectu materiæ, & formæ: ergo & ratio naturæ. Probatur conſequentia; quia vt ſe habent materia & forma, vt cauſæ ſũt, reſpectu totius compoſiti illud intrinſece & naturaliter cauſando, ita ſe habent materia & forma, vt naturæ ſunt, reſpectu eiuſdem compoſiti illud intrinſece & naturaliter mouendo. Tenent etiam eãdem ſentẽtiam multi ex iunioribus vt, Soto, C. Toletus, & alij, illamque aliis argumentis confirmant.

Cõtraria ſententia.

IN TERTIA parte quæſt. proponenda eſt contraria ſententia, quam multi Philoſophi docuerunt. Docet ergo contraria ſententia, naturam dici analogice de materia & forma. Hanc tuentur Syrianus, quem refert Simplicius in commentariis huius cap. 1. Auerroes eodem cap. & (vt ipſe refert) Eudemus. Albertus magnus 2. Phyſico tract. 1. cap. 3. Ex recentioribus Valleſius controuerſia 1. P. Pererius 7. Phyſico cap. 17. Conimbricenſes 2. Phyſico quæſt. 1. de natura art. 2. & alij. Confirmant hanc ſententiam, primo teſtimoniis Ariſt. qui hoc cap. docuit formam eſſe magis naturam, quam ſit materia. Deinde 5. Metaphy. cap. 4. ita habet. *Ex his igitur quæ naturæ ſunt dicta, ſubſtãtia eorum quæ principiũ in ſe ipſis habent, ut ipſa ſunt, prima eſt proprieque natura pro prieque natura dicitur. Materia namque ex eo natura dicitur, quia eſt huiuſce ſuſceptrix.* Reſpõdemus tamen primo teſtimonio, loco citato, & aliis multis, formam appellari naturam perfectiorem ipſa materia; non quia ratio naturæ non reperiatur ex æquo in materia & forma; ſed quia in forma eſt coniuncta cum perfectiori differentia, quam in materia: hoc tamen nõ deſtruit rationem ſynonymam, vt cõſtat ex ſecunda obſeruatione. Secundo teſtimonio reſpondemus Ariſt. ibi non ſumpſiſſe naturã in ſignificatione, de qua modo diſputamus; ſed nomine naturæ intellexiſſe eſſentiam rei. Dixit vero hanc eſſe formã, non quia ſola forma ſit eſſentia in rebus materialibus; ſed quia in illis eſſentia deſumitur præcipue a forma, cum forma ſit actus ſubiectiuus, vt diximus quæſt. 1. de forma. Alia innumera argumenta, quæ deſumuntur ex teſtimoniis Ariſt. ſoluuntur facile, ſi obſeruentur, quæ docentur in ſecunda obſeruatione, tum etiam ſi obſeruentur ſignificationes naturæ, quas propoſuimus in prima quæſtione.

Probant deinde rationibus ſuam ſententiam. Eſt ergo prima ratio, quæ eſt Patris Pererij. Definitio cuius partes, & definitum dicũtur analogice non poteſt eſſe ſynonyma: ſed diffinitio naturæ dicitur analogice de materia, & forma, ergo, &c. Reſpondemus negãdo minorem. Fit enim petitio principij. Minorem confirmat Pererius ex Ariſt. qui 2. Phyſ. cap. 8. & 9. docet formam eſſe finem materiæ. Reſpondemus id expreſſe docere Ariſt. locis citatis. Inde tamen non ſequi, quod ille intendit: modo enim non diſputamus de materia & forma, vt ſunt cauſæ ſibi inuicem, & reſpectu totius compoſiti: ſed de materia & forma, vt ſũt principia mutationis, & motus naturalis. Quidquod, ex eo, quod vna res ſit finis alterius, non ſequi

tur illæ non conueniret ſynonymè: nã multæ ex ſpecies animalis ordinantur ad hominem tanquam ad finem, & nihilominus homo ſynonymè conuenit in natura animalis cum omnibus ſpeciebus illius.

2. Ratio. Secunda ratio. Natura dicitur analogicè in cœlo, & in rebus ſublunaribus: ergo non dicitur ſynonymè. Probat antecedens Pererius, primo, teſtimonio Ariſto. deinde, quia res corruptibiles nõ poſſunt

Solutio. vno genere phyſico conuenire. Reſpondemus negando antecedens. Probationi reſpondemus, non admittere nos teſtimonium illud: deinde diſtinguendo illã propoſitionem ita. Si ſint ſubſtantiæ completæ & totales concedimus; ſi partiales, negamus: nam anima hominis, & anima leonis ſynonymè conueniunt, & tamen anima leonis eſt corruptibilis, anima verò hominis eſt omnino incorruptibilis, & immortalis.

3. Probatur tertio. (Et hæc ratio adducitur a Conimbricenſibus.) Natura eſt, quid æquiuocum reſpectu materiæ, & formæ, ergo in eodem compoſito ex ipſa con-

Solutio. ſtituunt vnus gradus vniuocus hic. Reſpondemus, hoc eſſe certiſſimum, & nõ eſſe incommodum: nam, cum compoſitum naturale conſtet ex duplici ſubſtantia incompleta, nullum eſt abſurdum illam duplicẽ ſubſtantiam conuenire in aliqua ratione ſuperiori ſynonyma incompleta; imo materia, & forma etiam conueniunt ſynonymè in ratione cauſæ.

Præter huiuſmodi rationes, poſſũt adduci a nobis aliæ efficaciores, quæ videntur aliquo modo horum ſententiam con-

1. firmare. Dices ergo primo. Nullus motus eſt naturalis, aut violentus materiæ niſi ratione formæ; ergo materia nõ eſt intrinſece natura, ſed per ordinem ad formam: & conſequenter natura non dicitur ſynonymè de materia, & forma. Probatur antecedens: quia proinde motus lapidis ſurſum, non eſt naturalis ratione materiæ: quia nec eſt contra formam lapidis, nec diſponit illius materiam ad hoc, vt recipiat aliquam formam ſubſtantialem: tum etiã, proinde calefactio aquæ dicitur naturalis reſpectu aquæ: quia licet ſit contra naturã aquæ, diſponit tamen materiam aquæ ad recipiendam aliam formam ſubſtantialẽ: ergo nullus motus eſt naturalis, aut violentus reſpectu materiæ niſi ratione formæ. Reſpondemus negando antecedens. *Solutio.*

Probationi dicimus, verum eſſe motũ lapidis ſurſum non eſſe naturalem ex eo, quod nec ſit a forma lapidis, nec diſponit illius materiam ad recipiendam aliquam formam ſubſtantialem: tum etiam verum eſſe, calefactionẽ aquæ proinde eſſe naturalem ex parte materiæ; quia diſponit materiam, quæ eſt ſub forma aquæ, ad recipiendam aliquam formam ſubſtantialem: inde tamen non ſequi, materiam non eſſe intrinſece naturam: nam licet ſit natura in ordine ad formam, quam poteſt recipere, intrinſece tamẽ eſt natura: quia huiuſmodi ordo non eſt relatio ſecũdum eſſe in materia, ſed potius eſt relatio ſecũdum dici, & cõſequenter ſupponit in materia aliquid abſolutum, per quod materia conſtituitur in eſſe naturæ: quemadmodum ex eo, quod forma naturalis ſit natura in ordine ad motum naturalem, cuius ipſa forma eſt principium, non ſequitur, formam naturalem non eſſe intrinſece naturam.

Obſeruandum tamen eſt inter materiam, *Obſeruat.* & formam ſequens diſcrimen: quod materia, cum ſit principium paſſiuum, dicitur natura non in ordine ad formam, quam producit, ſed in ordine ad formam ſubſtantialem quam recipit media inclinatione & capacitate propria naturali, per quã conſtituitur in eſſe materiæ primæ: ſiue in ordine ad formam accidentariã, ratione cuius diſponitur ad hoc, vt recipiat formam ſubſtantialem: proindeque, reſpectu mutationis, per quam producitur forma ſubſtantialis, appellatur ſimpliciter & immediatè natura; reſpectu verò mutationis, per quam producitur accidens diſponens materiam ad formam ſubſtantialem, non ita propriè. Ac proinde (vt diximus q. 2.)

muta-

mutatio, per quam fit forma ſubſtantialis, dicitur ſimpliciter naturalis reſpectu materiæ: mutatio vero, per quam producitur forma accidentaria diſponens materiam ad formam ſubſtantialem, dicitur naturalis ſecundum quid. Forma vero naturalis, cum ſit principium aliquum, dicitur natura reſpectu cuiuſuis mutationis, quæ reperitur in eo poſito, in quo eſt talis forma, dummodo ſit talis mutatio ab illa forma, tanquam a principio actiuo. Sed dices.
2. Ergo materia non eſt natura intrinſece & formaliter, ſaltem reſpectu illarum mutationum, per quas diſponitur materia ad
Solutio. receptionem formæ ſubſtantialis. Reſpondemus negando conſequentiam: quia huiuſmodi mutationes dicuntur naturales ſecundum quid, non quia materia non ſit ſimpliciter, intrinſece, & formaliter natura reſpectu illarum; ſed quia materia non ordinatur primo & per ſe ad formas accidentarias, quæ per huiuſmodi mutationes producuntur: ſed primo & per ſe ordinatur ad receptionem formæ ſubſtantialis, & ſecundario ad receptionem formæ accidentariæ, per quam diſponitur ad re-
3. ceptionem formæ ſubſtantialis. Sed dices. Motus rei grauis ſurſum etiam poteſt diſponere ad introductionem formæ ſubſtantialis: ergo motus alicuius rei grauis ſurſum etiam erit naturalis reſpectu materiæ.
Solutio. Reſpondemus diſtinguendo antecedens immediate, & remote concedimus: proxime negamus antecedens: quare negamus conſequentiam: quia ad hoc vt motus vel mutatio ſit naturalis reſpectu materiæ, debet proxime illam diſponere ad receptionem formæ ſubſtantialis, at motus rei grauis ſurſum non diſponit proxime materiam rei grauis ad recipiendam formam ſubſtantialem, ſed remote: quia, ſcilicet, cum ſit, illa res grauis extra locum naturalem, inter illam & corpus continens, reperiuntur qualitates diſsimbolæ, a quarum mutua actione proxime diſponitur illa res grauis ad
4. interitum. Sed dices. Ergo motus lapidis deorſum non erit naturalis. Probatur conſequentia: quia talis motus nec eſt productiuus formæ ſubſtantialis, nec diſponit proxime ad receptionem alicuius formæ
ſubſtantialis. Reſpondemus negando conſequentiam. Probationi dicimus, motum lapidis deorſum eſſe naturalem (vt diximus q. 2.) Tum quia eſt a forma lapidis, tanquam a principio quo: tum etiam quia per illum acquiritur locus, in quo lapis habet ſimbolas qualitates cum locante: ac proinde in illo conſeruatur forma lapidis. *Solutio.*
Dicitur ergo motus naturalis reſpectu materiæ: quia per illum acquiritur, vel conſeruatur forma ſubſtantialis: aut quia per illum diſponitur materia, ad hoc vt formam ſubſtantialem recipiat.

Dices ſecundo. Materia corporis grauis, ſcilicet terræ; & materia corporis leuis, ſcilicet ignis ſunt eiuſdem ſpeciei: ergo ſi materia eſt natura, motus ille, qui erit naturalis reſpectu rei grauis, erit etiam naturalis reſpectu rei leuis: ſed motus ſurſum eſt naturalis reſpectu rei leuis, & motus deorſum eſt naturalis reſpectu rei grauis: ergo motus rei leuis deorſum, & motus rei grauis ſurſum erit etiam naturalis: quod certe eſt abſurdum. Reſpondemus negando antecedens, ſi ſumatur materia vt eſt ſub forma rei grauis & rei leuis; nam materiæ diſtinguuntur ſpecie per ordinem ad diuerſas formas ſpecie, vt diximus q. vltima de materia: ſi vero ſumatur materia ſecundum ſe, concedimus antecedens, & negamus conſequentiam. Ratio eſt quia illi motus non ſunt naturales reſpectu materiæ ſecundum ſe ſumptæ, ſed tantum reſpectu materiæ, vt eſt ſub tali forma: motus enim rei grauis deorſum dicitur naturalis reſpectu materiæ, quia per illum motum adquiſit res grauis locum, in quo propriam formam conſeruat; & ſimiliter res leuis per motum ſurſum. Sed dices. Ergo quiuis motus eſt naturalis reſpectu materiæ. Probatur conſequentia: quia quiuis motus; vel eſt pro conſeruatione formæ, vel diſponit illam ad aliquam formam ſubſtantialem. Reſpondemus negando con- *2. Ratio.* *Solutio.* 2. *Solutio.*

ſequentiam. Probationi negamus omnem motum eſſe pro conſeruatione formæ ſubſtantialis, vel diſponere immediate ad receptionem formæ ſubſtantialis, vt ſuperiore ratione diximus. imo datur motus aliquis, qui nec proxime, nec remote diſponit ad receptionem formæ ſubſtantialis; qualis eſt motus, quo aliquis lapis fertur ab aliquo mouente, ex vno loco infero in alium, & alij huiuſmodi motus.

Dices tertio. Materia & forma conueniunt ſynonyme in ratione naturæ: ergo præter rationes ſuperiores in recta ſerie, habent omnes ſubſtantiæ naturales alias, rationes ſuperiores ſynonymas. Reſpondemus negando conſequentiam: quia illæ rationes ſuperiores non ſunt ſuperiores reſpectu ſubſtantiarum naturalium, ſed reſpectu partium illarum. Quod ex eo conſtat, quia rationes ſuperiores ſynonyme ſemper prædicantur in recto de ſuis inferioribus; at, nec natura in communi, nec materia, nec forma poteſt prædicari in recto de ſubſtantiis naturalibus: hæc enim propoſitio, hic leo eſt natura, vel materia, vel forma, & aliæ huiuſmodi propoſitiones falſæ ſunt. Quare verum eſt, partibus phyſicis dari aliquã, vel multas rationes ſuperiores ſynonymas, quæ non pertinẽt ad rectam ſeriem, directe & per ſe, quemadmodum nec ſubſtantiæ illæ partiales, hoc tamen nullum eſt abſurdum.

QVAESTIO V.

An quæuis natura ſit principium motus & quietis.

Diuiſio quæſt. DIVIDITVR quæſtio in quatuor partes: quarum prima explicabimus titulum. 2. dicemus, quæ certa ſunt, & proponemus quoddam fundamentum. 3. proponemus noſtram ſententiã, & 4. contrariis argum. ſatisfaciemus.

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Non inquirimus, an quæuis natura ſit principium motus, vel quietis, cũ diſiunctione; nam hoc certũ eſt: ſed inquirimus, an quæuis natura ſit principiũ motus & quietis, id eſt, an quæuis res naturalis poſsit moueri, & quieſcere a principio intrinſeco, quod eſt illius natura.

Secunda obſeruatio. Nomine naturæ intelligimus tam principium actiuũ, quã paſsiuum ſcilicet materiam, & formam.

Tertia obſeruatio. Priuatio eſt ceſſatio motus. Nomine vero motus non intelligimus modo motum proprie dictum tantum, ſed etiam mutationem: quia, vt diximus in 1. & 2. q. de natura, nomine motus in definitione naturæ, non ſolum intellexit, Ariſt. motum proprie dictũ; ſed etiam mutationem. Cum ergo ceſſatio motus tribus modis ſumatur, triplex erit quies. Primo ergo ſumitur ceſſatio motus, pro permanentia mobilis in termino ad quem motus, id eſt, cũ permanentia formæ acquiſitæ per motum: & huiuſmodi ceſſatio appellatur quies poſitiua, verbi gratia, permanentia quam habet terra in loco infero. Secundo ſumitur ceſſatio motus pro eo, quod eſt non moueri, in menſura tamẽ, in qua poteſt fieri talis motus: & huiuſmodi ceſſatio appellatur quies priuatiua: vt ſi moueatur lapis a ſuprema aeris regione, & in media regione detineatur per aliquod ſpatium temporis, illud non moueri in illo ſpatio temporis, eſt quies priuatiua. Tertio ſumitur ceſſatio motus negatiue, quę nihil aliud eſt, quam rem non moueri, in mẽſura tamen in qua nõ poterat moueri, nec priuatiue quieſcere: & huiuſmodi ceſſatio motus appellatur quies negatiue: quia tunc res, nec mouetur, nec quieſcit quiete oppoſita priuatiue motui, quo poterat moueri: vt in inſtanti temporis, ceſſatio motus ſecundum locum, eſt quies negatiua: quia in illo inſtanti temporis, cum res non poſsit moueri motu locali, nec poteſt etiam priuatiue quieſcere: cum priuatio ſit carentia in ſubiecto apto ad formam: at nulla res apta eſt moueri motu locali in inſtanti, & conſe-

quen-

quenter in illo nec quieſcere poteſt priua-

1. Cõſect. tiua quiete. Ex hac obſeruatione infero, quietem, quæ opponitur priuatiue motui ſiue mutationi ſucceſsiuæ (dari mutationem proprie dictam ſucceſsiuam, docet Ariſt. 5 lib. Phyſ. cap. 5. & nos ibidem diffuſe dicemus) ſolum eſſe in tempore: quia motus, & mutatio ſucceſsiua nequeũt fieri niſi in tẽpore. Si vero mutatio proprie dicta fiat in inſtanti, quies, quæ illi priuatiue opponitur, non poteſt eſſe niſi in inſtanti.

2. Cõſect. Infero ſecundo quietem negatiuam cuiuſuis mutationis ſucceſsiuæ eſſe in inſtanti, & quietem negatiuam mutationis inſtantaneæ ſemper eſſe in tempore.

3. Cõſect. Infero tertio, Quietem poſitiuã eſſe in tempore, & tamdiu durare, quamdiu mobile habet terminum per motum acquiſitum: & nõ ſolum in tempore, ſed etiam in inſtãti; ſi talis forma ſiue terminus motus acquiratur in inſtanti. Ex his deducitur manifeſte ſenſus quæſtionis: inquirimus enim an, tam materia, quã forma ſit principium & cauſa primo & per ſe tam motus, quã quietis eius rei in qua eſt. Et nomine quietis intelligimus tam quietẽ priuatiuam, quam poſitiuam & negatiuam.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit hoc fundam. Quies priuatiua opponitur motui oppoſitione, quæ reperitur inter habitum & priuationem: quies vero poſitiua non opponitur motui; imo potius eſt perfectio, & finis motus: eo enim fine fit motus, vt per illum acquiratur terminus ad quem, ſiue forma. id enim quod per motum naturalẽ acquiritur eſt perfectio mobilis: quod apertũ eſt, ſi fiat inductio. Nã forma, quæ acquiritur per generationem ſubſtantialem, eſt perfectio rei naturalis, vt locus inferior eſt perfectio rei grauis, & ſic de cæteris. Sed obſerua, motum aliũ eſſe, per quẽ adquiritur perfectio rei, quæ mouetur: & alium per quem non acquiritur perfectio propria rei, quæ mouetur, ſed potius ordinatur ad hoc, vt aliquid aliud perficiatur: verbi gratia, motus cœli, qui non perficit cœlum, ſed potius per illum & peculiares qualitates influit cœlũ in hæc inferiora, illaque perficit & conſeruat.

Primo ergo certum eſt, nullam naturã poſſe eſſe cauſam quietis negatiuæ: quia, cum in illa menſura, in qua eſt quies negatiua, non poſsit natura efficere motũ, nec poterit etiam eſſe cauſa illius quietis. Certum etiam eſt, naturam primo & per ſe nõ eſſe cauſam quietis priuatiuæ: quia nulla priuatio intenditur per ſe a natura. Quare manet dubitatio: an quæuis natura ſit cauſa motus, & quietis poſitiuæ.

IN TERTIA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Quæuis natura in compoſito naturali corruptibili eſt principium motus (de natura corporis Phyſic. incorruptibilis ſcilicet cœli obiter aliqua dicemus q. ſequenti.) Probatur aſſertio. Imprimis de principio paſsiuo, ſcilicet de materia, ita probatur. Quodlibet compoſitum naturale corruptibile poteſt trãſmutari: ergo materia cuiuſuis rei naturalis corruptibilis, eſt principium motus. Probatur conſequentia. Motus, per quem res naturalis diſponitur, ad hoc vt recipiat formã ſubſtantialem, imo & mutatio per quam producitur forma ſubſtantialis, naturalis eſt reſpectu materię, vt ſatis diximus quæſtionibus ſuperioribus: ſed quæuis res naturalis corruptibilis poteſt diſponi ad aliam formam, & in illius materiam poteſt introduci forma ſubſtãtialis: ergo cuiuſuis rei naturalis materia eſt principium motus naturalis: ergo quęuis natura ſumpta pro principio paſsiuo eſt principium motus naturalis. Deinde de principio actiuo, ſcilicet de forma probatur: imprimis in viuentibus in quibus citra controuerſiam certum eſt illarum formas eſſe principium multarum mutationũ naturaliũ. In rebus vero inanimatis breuiter probatur, in grauibus & leuibus eſt aliquod principium actiuum motus; ſed illud non eſt inſtrumentarium tantum: ergo eſt præcipuum. Probatur maior: quia ſi graue detineatur ſurſum & auferatur impedimen-

tum, ſtatim deſcēdit; & irae ſi detinetur, ſtatim eſt aſcendit, ſi ab illa auferatur impedimentum. Quod vero illud principiū non ſit inſtrumentarium, probatur: quia ibi non eſt agens principale extrinſecū.

Solutio. Reſpondetur aliqui mouerī a remouente prohibens: ſolutio tamen nullius eſt momenti: quia, leuia, quæ gignuntur in loco inferiori, ſurſum mouērēr, abſq. eo quod impediantur ante motum, & ſit aliquod remouens prohibens: & grauia, quæ ſurſum generantur; eodem modo inferius mouentur.

2. Secunda aſſer. Quæuis natura eſt principium quietis poſitiuæ. Probatur aſſertio. Motus naturalis eſt propter quietem poſitiuam, tanquam propter perfectionē mobilis; ſed quæuis natura eſt principiū motus naturalis; ergo quæuis natura eſt principium quietis naturalis poſitiuæ. Probatur conſequentia: quia id omne, quod eſt principium naturale viæ, ſiue fluxus, eſt etiam principium naturale termini, ſiue perfectionis acquiſitæ per talem viam, ſiue fluxum.

1. Ratio. IN QVARTA parte quæſt. dices primo. Terra eſt ens naturale; ergo cō ſtat ex naturis: ſed terra non poteſt moueri: ergo non quæuis natura eſt principiū motus naturalis. Probatur minor: quia terra ſemper quieſcit.

Solutio. Reſpondemus negā do minorem. Probationi, negando terrā ſemper quieſcere: nam, eſti non moueatur ad locum, non eſt certum non alterari. Imo, etſi admittamus non moueri actu ſecundum ſe totam, ſufficit quod poſſit moueri, vt certum eſt poſſe, quod ex eo conſtat, quia quæuis eius pars poſita in loco ſuperiori, & non impedita, ſtatim deorſum mouetur.

2. Ratio. Dices ſecundo. Quoduis corpus cæleſte eſt ens naturale, & conſtat ex naturis; ſed nullum corpus cæleſte quieſcit: ergo non omnis natura eſt principium quietis.

Solutio. Reſpondemus negando conſequentiam: quia ad hoc vt quæuis natura ſit principiū quietis, ſatis eſt, quod poſſit quieſcere, id quod ex natura cōſtat: at cæleſtiā corpora poſſūt quieſcere, vt de facto quieſcent poſt diē iudicij: per p. tuo enim decia de quieſcent abſque eo quod vlterius moueantur. Sed dices. Quies eſt cōtraria corporibus cæleſtibus, quia motus eſt naturalis, & quando vnum contrarium conuenit naturaliter, alterum debet conuenire contrarie & violenter: ſed quod contrarium eſt, & violentum, non eſt perpetuū; ergo illa quies non erit perpetua. 2.

Solutio. Reſpondemus negando maiorem: nam quies illa eſt poſitiua, & quies poſitiua, vt diximus in prima parte quæſti: nis, nō opponitur motui, ſed eſt illius perfectio: quare nec eſt contraria motui, nec violenta. Si enim aliquando Ariſto. docet priuationem eſſe motui contrariā, intelligendus eſt de quiete, quę antecedit motum & eſt priuatiua: non vero de illa, quæ illum ſubſequitur, & eſt poſitiua & perfectio motus.

QVÆSTIO VLT.

In qua obiter pertractantur aliquæ dubitationes.

NON ſolum quæſt. quas pertractā uimus; verumetiam aliæ permultæ exagitantur hic aliquantulum importune; de illis tamen nūc obiter aliqua dicemus.

Quæres ergo primo: an materia ſit ſemper principium paſſiuum, & forma actiuum. Reſpondemus, materiam ſemper eſſe principium paſſiuum: ſolum enim dicitur natura, materia, eo quod inclinata eſt ex ſe ad recipiendam quamcumque formā ſubſtantialem: & conſequenter ad quamcumque accidentariam, diſponentem materiam ad formam ſubſtantialem, vel conſeruantem formam in illa. Forma ſemper eſt principium, efficiens quo, quādo ſcilicet motus non eſt a principio extrinſeco actiuo: quādo vero motus eſt a principio extrinſeco actiuo, recte poteſt forma eſſe principium naturale paſſiuum: vt tam materia,

teria, quã formæ cœleſti principiũ paſſi-
uum motus naturalis, quo cœlum fertur
in orbem: quia talis motus recipitur in to
to compoſito, & non diſponit materiam:
imo potius cauſa eſt, vt cœlum influat in
hæc inferiora. Quod certe naturale eſt ipſi
2. cœlo. Sed quæres. Cur ergo motus, quo
aqua verbi gratia, calefit, non dicetur na-
turalis reſpectu formæ? cum talis motus
in toto compoſito recipiatur, & motus
cœli receptus in toto compoſito, dicitur
Solutio. naturalis. Reſpõdemus cauſam eſſe: quia
motus ille circularis, qui recipitur in cœ-
lo, nec repugnat materiæ, nec formæ cœ-
li: ac proinde reſpectu totius compoſiti di
citur naturalis; licet non ſecundum prin-
cipium actiuum, ſed ſolum ſecundum prin
cipium paſſiuum: motus vero, quo aqua
calefit, dicitur naturalis ſolum reſpectu
materiæ: quia ſolum eſt conformis mate-
riæ; cum per illum diſponatur ad receptio
nem formæ ſubſtantialis, ad quam dicit
inclinationem: reſpectu vero formæ aquæ
dicitur violentus: quia forma per illũ mo
tum acquiſita, deſtruit diſpoſitiones ne-
ceſſarias pro conſeruatione formæ aquæ,
& conſequenter corrumpit formã aquæ.
3. Sed dices. Ergo ſi motus aliquis ita reci-
piatur in aqua, vt forma per illum acquiſi
ta, conſeruet formam aquæ, ille motus e-
rit naturalis aquæ reſpectu principij paſ-
ſiui, tam ſecundum materiam, quam ſecun
Solutio. dum formam. Reſpondemus concedendo
conſequentiam: talis motus, quo adquiri-
tur forma, quæ conſeruat formam ſubſtã
tialem in materia, naturalis eſt tam reſpe-
ctu materiæ, quam reſpectu formæ: nam
tam materia, quam forma naturaliter con
currit vt principium paſſiuum. Dicitur
tamen ſemper forma, principium actiuum
naturale motus: quia nũquam poteſt eſſe
motus naturalis ex parte principij actiui,
niſi fiat a forma rei, quæ mouetur. Et di
citur ſemper materia, principiũ paſſiuũ:
quia ſemper concurrit paſſiue: tametſi etiam,
quia cum forma concurrat aliquando paſ-
ſiue, hoc tamẽ ſemper ordinatur ad illud,
vt materia conſeruet formam ſubſtantia-
lem, ad quam dicit naturalem inclinatio-
nem.

Quæres ſecundo. An naturalia differãt 2.
ab artificialibus. Sit Aſſertio. Naturalia
differũt ab artificialibus. Probatur aſſer
tio: quia Ariſt. cap. 1. huius lib. 2. ex di-
ſcrimine inter res naturales, & artificia-
les deduxit, definitionem naturæ. Diſcri-
mina inter naturalia, & artificialia pro-
poſuimus ſatis in quæſt. 1. de natura.

Quæres tertio. An forma rei artificia- 3.
lis diſtinguatur realiter a materia. Sit ob *Obſeruã*
ſeruatio. Dubitatio procedit de rebus ar-
tificialibus, quarum materia eſt compoſi-
tũ naturale: verbi gratia de cathedra, vel
gladio, vel de aliis huiuſmodi. Secũda ob *2. Obſer.*
ſeruatio materia rerum artificialium po-
teſt ſumi dupliciter primo prout dicit id,
quod eſt mere compoſitum naturale, ſci-
licet totum ex materia, & forma ſubſtan-
tiali: ſecũdo prout dicit quantitatem, vel
totum ſimul cum quantitate.

Sit prima aſſertio. Forma rei artificia- *1. Aſſer-*
tæ diſtinguitur realiter a materia, ſi mate *tio.*
ria ſumatur pro cõpoſito naturali ex ma-
teria, & forma. Probatur aſſertio. Forma
rei artificiatæ eſt qualitas ſcilicet figura:
ſed figura eſt idem cum quantitate, & quã
titas diſtinguitur realiter a toto compoſi
to ſubſtantiali: ergo materia rei artificia-
tæ diſtinguitur realiter a forma.

Secũda aſſer. Si materia artis ſumatur, *2. Aſſer.*
vt cõmuniter ſumitur, pro compoſito na-
turali affecto quantitate, in quod introdu-
citur forma artis, non diſtinguitur rea-
liter, ſed ſolum ratione ratiocinata forma
rei artificiatæ a materia. Probatur: quia
forma artificialis eſt figura, & materia
artificialis quantitas: quantitas vero, &
figura ſolum diſtinguuntur ratione ra-
tiocinata.

Quæres vltimo, an motus cœli ſit natu
ralis. Sit prima obſeruatio. Omiſſis va- *1. Obſer.*
riis ſignificationibus huius nominis cœ-
li, ſumitur modo pro quouis ex orbi-
bus cœleſtibus, vt dicunt compoſitum

ex ma-

ex materia & forma rei ſimplicis diſtincta a quatuor elementis: non vero ſumitur prout dicit aggregatum ex huiuſmodi ente naturali, & ex intelligentia, quæ vnicuique orbi cœleſti aſſiſtit: nam de hac re, quemadmodū de eo, quod inquirit dubitatio, diffuſe dicemus in lib. de cœlo. Modo tamen, pertractabimus breuiter hanc dubitationem, ſumpta occaſione ex dictis in quæſtionibus his de natura.

Secūda obſeruatio. Cum cœlum ſit expers accretionis, alterationis, & generationis, & ſolū poſsit moueri motu locali, proinde dubitatio procedit de motu locali, & inquiritur an in cœlo ſit aliquod principium intrinſecum reſpectu cuius, motus localis cœli ſit naturalis. Et non inquirimus modo principium ſiue formam aſsiſtentem, qualis eſt intelligentia: ſed principium intrinſece componens, ſcilicet materiam vel formam naturalem, illam materiam informantem. Eſt ergo ſenſus dubitationis. An motus cœli, qui circularis eſt, ſit a principio intrinſeco vt a parte ipſum cœlum componente, ſiue tale principium ſit actiuum, ſiue paſsiuum.

Sit hoc fundam. Motus localis alius eſt progreſsiuus, qui procedit ex apprehenſione, qua apprehēditur locus conueniens, quem tamen non habet res apprehendens illum: alius eſt non progreſsiuus, qui non fit propter aliquam apprehenſionem loci conuenientis: & hic reperitur in omnibus rebus naturalibus, exceptis animalibus, in quibus reperitur motus progreſsiuus, cum reperiatur etiam anima ſenſitiua, quæ principium eſt illius apprehenſionis. Motus non progreſsiuus duplex eſt; alter ad locum, vt motus elementorū, & alter circa locum, ſiue circularis, vt motus cœli.

Secundū fundamen. Animatum duplex eſt, aliud anima informante, vt animal; & aliud anima ſiue forma aſsiſtente vt cœlū. Differunt tamen, quia id quod habet animam aſsiſtentem, abſq. illa eſt ſuppoſitū totale, cum anima aſsiſtens, aſsiſtat cōpoſito ex materia & forma: ac proinde ex illo, & forma, nō fit vnum ens per ſe: vt ex nauta, & naui. Animatum vero anima informante eſt ens per ſe; quia talis forma recipitur in materia prima. Præterea, quæ habent animam aſsiſtentem; alia ſunt, quæ, tam ante applicationem formæ aſsiſtentis, quam poſtea, ſunt libera ad mouendum, & non mouendum; vt nauta in naui: & alia, quæ, licet ſint libera ante applicationem, poſt illam tamen non poſſunt non moueri: vt cœlum. Supponendum ergo eſt cœlū non eſſe animatum anima informante, ſed aſsiſtente: quod cōſtat, ſi fiat inductio per triplicem animam, ſcilicet per vegetatiuā, ſenſitiuam, & intelligentem.

His poſitis ſit aſſer. Motus circularis cœli tantū eſt naturalis a principio paſsiuo. Omiſsis variis Ariſt. teſt. quibus confirmabimus hāc ſent. probatur modo ita. Omne corpus naturale habet motum naturalem; ſed cœlum eſt corpus naturale: ergo habet motū naturalem: ſed hic motus naturalis, non eſt naturalis reſpectu principij actiui: quia illud eſt extrinſecum, ſcilicet intelligentia: ergo eſt naturalis reſpectu principij paſsiui. Maio. probatur ex Ariſt. 1. lib. de cœlo c. 2. vbi ait cœlo eſſe naturalem motum circularē, quia eſt corpus naturale: & 2. de cœlo c. 2. ponit in cœlo ſex differentias poſitionis, quæ requiruntur ad motum naturalem. Minor etiā eſt certa: quia vt conſtat ex fundam. cœlū eſt compoſitū ex materia, & forma. Deinde, ſecunda minor probatur: quia principium actiuum naturale neceſſario debet eſſe pars eſſentialis rei, quæ naturaliter mouetur.

Sed quæres, Principiū paſsiuū naturalis motus cœli eſt ſola materia. Reſpondemus eſſe materiam & formam: nam ratione formæ ita diſponitur materia, vt fiat totum cœlū capax illius motus, quo perpetuo ab intelligētia mouetur. De hac re ſunt multa egregia, & ſcitu digniſsima, quæ dicentur lib. 2. de cœlo: modo ad multa difficillima explicanda, quæ horum librorum ſunt propria, properemus.

CAP.

CAP. II. QVA RATIONE DIFFERAT PHYSICVS A MATHEMATICO, & an Phyſicus conſideret materiam, & formam.

QVONIAM autē explicatum eſt, &c. Poſtquā Ariſt. ſuperiori ca. propoſuit, quot modis dicatur natura; modo in hoc cap. inquirit primo, an Philoſophus naturalis differat à mathematico, & ab Aſtrologo; ſecundo vero inquirit, an philoſophus naturalis ſpeculetur nō ſolū materiā, ſed etiam formam. Principio ergo quæris, quidnam interſit inter Phyſicum, & Mathematicum; videtur enim inter illos nullū eſſe diſcrimē; quia in corporibus naturalibus, de quibus diſputat phyſicus, reperiuntur longitudines, latitudines, profunditates, & puncta; quæ omnia à Mathematico cōſiderantur. Vbi nomine Mathematici intelligit non ſolū Geometrā, & Arithmeticum: nam Arithmetica, & Geometria ſunt propriæ Mathematicæ; muſica vero, Aſtrologia, & optica non ſūt Mathematicæ puræ, ſed mediæ. commemorauit tamē Ariſto. ea ſolum, quæ propria ſunt Geometriæ, & omiſit quæ pertinēt ad Geometriā; quod certe eſt incommodū, vt recte obſeruat Vicomercatus. *Hæc etiam videndū eſt, &c.* Docet inſuper, ſe explicaturum hoc cap. an Aſtrologia ſit diuerſa à Philoſophia natura, vel an ſit pars illius. Prima ratio dubitandi, quam adfert, eſt hæc; Ad eundem pertinet diſputare de rebus, & de accidentibus, quæ res illas conſequuntur: ſed Philoſophus naturalis diſputat de Sole, & Luna; ergo ad illum pertinet diſputare de accidētibus Solis, & Lunæ; quod certe etiam præſtat Aſtrologus. Secunda ratio eſt: quia experimur Phyſicos diſputātes de natura diſputare etiam de figura Solis & lunæ, de rotunditate terræ & de aliis, quæ etiā ab Aſtrologo conſiderantur. *Ac iis hos quidem uerſatur, &c.* Diluit primam quæſt. dicens Phyſicum diſtingui à Mathematico. Reſpondetq. primæ rationi, conſiderari etiam ea dein à Phyſico, quæ conſiderantur à Mathematico, dum

ſa tamen ratione: nam phyſicus conſiderat ſuperficiem, & alia, vt ſunt coniuncta rebus materialibus; mathematicus vero ea conſiderat, vt ſũt abſtracta ab omni materia nõ re, ſed ratione; neq. proinde inquit decipitur intellectus, aut eſt mendacium in ſeparando; quia hoc præſtat intellectus per ſimplicẽ apprehenſionem, abſque compoſitione, aut diuiſione.

In hoc autem latent peccant q, &c. Reprehendit Platonem, eo quod conſtitueret ideas ſeparatas, docetque à vero erraſſe: nam Plato, & alij Philoſophi, qui ideas conſtituebãt ſeparabant reipſa à materia formas naturales; cum minus poſsint ſeparari, quã formæ mathematicæ; quæ ſolũ poſſunt ſeparari ratione. Hoc eſſe manifeſtum probat primo ex modo, quo definiũtur formæ mathematicæ, & res naturales: nam par, & impar, rectum, & inflexum, præter eã numerus, linea, figura, & aliæ, quæ ſunt formæ mathematicæ, definiuntur abſque motu, & vt ſunt res à materia ſeparatæ; at caro, os, homo, & alia entia naturalia non ita diffiniuntur: nã res naturales definiuntur, vt nares ſimæ; non enim poteſt intelligi ſimitas abſque naribus: formæ vero mathematicæ definiuntur abſtractæ, quemadmodum definitur, rectum: quia eſſe rectũ non conuenit materiæ determinatæ.

Hoc etiã declarant artes ea, &c. Idem probat ſecundo, ſimulque reſpõdet dubitationi de Aſtrologia; docet ergo ea, quæ dicta ſunt manifeſte declarari per mathematicas medias, quæ magis accedunt ad Philoſophiam naturæ; iſtæ vero ſunt perſpectiua; muſica, & Aſtrologia; hæ namque ſũt affectæ ad Geometriam quodammodo contrario, ideſt, Geometria cõſiderat magnitudinem ratione abſtractam à materia; iſtæ vero ſcientiæ mediæ illam applicant materiæ ſenſili, & in illa; illam conſiderant. Vt perſpectiua conſiderat lineas non abſtractas, ſed quæ viſibiles ſunt, & coniunctæ cũ materia ſenſili: muſica numerorum proportionem; cum ſonoritate coniunctam; Aſtrologia cõſiderat rationẽ Geometriæ, & Arithmeticæ applicat ad cœlum, & ad partes eius; ex eo ergo, quod iſtæ ſcientiæ mediæ, quæ nõ modo naturali, ſed vicino quodammodo, (vt ait Auer.) conſideratione naturali contemplantur nõ res abſtractas, ſed potius coniunctas; manifeſte deducit Ariſt. mathema-

ticas

ricasq; puras cōſiderare rerum abſtractas; & Phyſicam conſiderare res cum materia coniunctas; & conſequenter penes diuerſas abſtractiones diſtingui Philoſophiā à mathematicis diſciplinis.

Quoniam autē natura à duobus modis dicitur, &c. Dixit ſuperius ſine dubio Philoſophiam naturæ conſiderare res coniunctas cū materia: ex quo deſumpta occaſione, accedit iam ad ſecundam dubitationē; Inquit ergo quia natura dicitur de materia & forma; proīde in Philoſophia naturę ita debemus nos gerere, vt ſi diffiniremus quid ſimitas ſit: ſimitas enim non poteſt definiri abſtracta à naribus. Subdit hæc verba. *Ita fit, vt nec à materia ſeiuncta, nec ex materia hæc talia expectari exquiriq; debeant, &c.* Quæ verba ita interpretantur. Cū formæ naturales nō cognoſcantur niſi in concreto, non poſſūt cognoſci niſi in materia; materia tamen non eſt ratio cognoſcendi, imo potius forma eſt ratio cognoſcendi. Hincq. docet poſſe aliquem dubitare, cum ſint duæ naturę, ſcilicet materia & forma, an phyſicus conſiderare teneatur vtramq; an vero totū naturale ex illis cōflatum. Et quaſi reſpondens inquit, ſi enim conſiderat totum, debet etiam conſiderare materiam & formam? & hinc ortum habet alia dubitatio. An ſcilicet eiuſdem artis contemplatio materiam & formam, an vero diuerſæ id præſtent.

Et enim qui veteres aſpiciet, &c. Docet ex veterū lectione apertè colligi, phyſicā magis verſari in contemplatione materię, quam formæ; quia Empedocles, & Democritus partem, aut nihil formæ ferè attigerunt.

Quod ſi ars naturā imitatur, &c. Probat iā multis rationibus Philoſophiam naturæ conſiderare materiam & formam. Eſt ergo prima ratio. Ars imitatur naturam; ſed eiuſdē artis eſt conſiderare materiam & formam; vt medici eſt cognoſcere valetudinem, quæ eſt forma, & choleram, & pituitam, in quibus valetudo cernitur; tum etiam architecti eſt conſiderare formam domus, & materiam, ſcilicet lateres, ligna, &c. & idem iudicium eſt in cæteris artibus; ergo ad Philoſophiam naturæ pertinebit conſiderare vtramque naturā, ſcilicet materiam, & formam: quia ſanitas conſiſtit in optima temperie quatuor humorum, qui proportione quadam correſpondent quatuor elemētis: hi vero humores ſunt ſan-

guis, pituita, ſuccus melancholicus, & bilis; proinde Ariſt. docuit materiã ſanitatis eſſe hos humores: tantũ vero adduxit duos, ſcilicet pituitam, & bilẽ; quia ſuo inſtituto ſat erat illos adducere.

Præterea id cuius cauſa, &c. Secunda ratio. Ad eandem ſcientiam pertinet conſiderare finem, & media omnia, quæ referuntur ad finem: ſed forma eſt finis, cum ad illius introductionem tendat generatio naturalis; & materia eſt propter formam, & medium ad illam, cum diſponatur, vt formam ſuſcipiat; ergo ad eandem ſcientiam naturalẽ pertinet diſputare de materia & forma. Subdit præterea quędam verba difficillima, quibus minorem confirmat, illorum tamen hic eſt ſenſus. Vltimum mutationis continuæ, ad quod omnia referuntur, eſt finis: ſed ad formam, tanquam ad vltimum referũtur omnia, quæ ſunt in mutatione continua, ſcilicet in generatione; ergo forma eſt finis. Dixit in mutatione continua, nõ quia generatio ſit mutatio continua, ſed quia non interrũpitur quiete: hincque reprehẽdit quendam Poetã, quod mortem vocauerit finem. Dixit enim Poeta hic de quodã homine, qui mortuus fuerat, habet finem propter quem natus erat: mors enim non poteſt eſſe finis hominis, quia nec eſt quid optimum, nec ad mortem omnia quæ ſunt in homine, referuntur. ſi ergo mutatio interrumpatur quiete, illud vltimum nõ eſt finis mutationis: vt ſi alicuius curatio interrũpatur quiete, illud vltimum nõ eſt finis mutationis, tale enim extremum non erit finis curationis; quia finis curationis eſt ſanitas. Sed obſerua textum hunc faciliorem eſſe iuxta verſionem Argiropili, quæ facilior eſt.

Præterea artes materiam conficiunt, &c. In hoc textu, quod difficillimum ab omnibus iudicatur, has proponit Ariſt. artium diuiſiones. Artes aliæ ſunt principes & reginæ, & aliæ miniſtræ. Miniſtræ ſunt, quæ circa materiam verſantur; ſed hæ ſunt in duplici differentia: aliæ, quæ materiam conficiunt, vt ædificatoria lateres, medicina medicamẽta, figulina lutum, mixtos colores pictura; aliæ vero, quę materiam præparãt, & ad opus, & formæ receptionem idoneam conficiunt; vt ſtatuaria æs, & marmor. Docetque nos his omnibus vti: quia illarum artiũ finis duplex eſt, ſcilicet opus artis; & nos, qui

tali vtimur opere. Sed quæres quorſum hæc propoſuit Ariſtot. Reſpondemus cum Philopono, hoc propoſuiſſe vt probaret Philoſophiã non cõſiderare materiam, & formam ſimul; cum aliæ ſint artes, quæ circa materiam verſantur; & aliæ quæ circa formam; reſpondemus tamen, Philoſophum circa materiã & formam verſari; quia longe diſpar eſt ratio: nam Philoſophia naturę neque conficit materiam rerum naturalium, neque accipit illam confectam ab alia arte.

Præterea materia in his eſt, &c. Tertia ratio. Relata pertinēt ad eandem ſcientiam: ſed materia & forma ſunt relata, ergo pertinet ad Philoſophum naturalem diſputare non ſolum de materia, ſed etiam de forma.

Quouſque igitur Phyſicum in cognitione formæ progrediendum eſt, &c. In fine cap. inquirit, quomodo pertineat ad Philoſophum naturalē diſputare de forma, dubitatq. quouſque progrediendum ſit Philoſopho naturali in cognitione formarum. Reſpondet, formas eſſe conſiderandas a Philoſopho naturali vſq. ad certum terminum: quemadmodum neruus conſideratur a medico, & ęs ab ſtatuario. Vt enim medicus conſiderat neruum, vt eſt ſubiectum ſanitatis; & ſtatuarius ęs, vt eſt principiũ ſtatuæ: ita Philoſophus naturalis debet conſiderare formas, vt formę ſunt naturę, & vt ſola ratione poſſunt ſeparari; nam formę ſeparabiles, aut ſubſtantię ſeparatę pertinent ad primam Philoſophiã, ſcilicet ad Metaphyſicã. Hic eſt huius textus ſenſus; quãuis obſcure ſatis propoſitus ſit, & ambigue, vt obſeruat Vicomercatus.

CAP. III. DE CAVSIS.

HIS autem cõſtitutis quæ cauſæ, &c. Proponit in principio capitis ſuum inſtitutum dicens. Quoniam ad ſcientiam rerum naturaliũ pertinet diſputatio de cauſis; cum tunc exiſtimemus nos ſcire, cũ rē per cauſã cognoſcimus; proinde videndum eſt, quæ ſint cauſæ, & quot numero, vt cuiuſuis ortus, & interitus naturalis cognitionem conemur à cauſis deducere.

Vno quidem modo cauſa dicitur, &c. Quãuis fere omnis Ariſt. inter-

interpretẽs exiſtimẽt, modo diſputare ſolum Ariſt. de cauſis rerum naturalium: credimus tamen multo rectius ſenſiſſe C. Toletum & Vicomercatũ: qui docent de omnibus cauſis in communi ſumptis diſputare, idq. facile colligi, ſi perpendantur multa exempla, quibus Ariſt. vtitur: proponit ergo quatuor genera cauſarum. Primo ergo definitur cauſa id, ex quo cum inſit & promaneat, res fit. Per hãc deſcriptionem deſcribit materiam: vt æs, eſt materia ſtatuæ, & alia eiuſdem generis.

Sed obſerua, non dixiſſe, ex materia fieri rẽ primo & per ſe; quemadmodum dixit c. 9. 1. lib. quia tunc diſputabat de materia prima tãtum: modo vero de materia prima & de ſecunda, de naturali & de artificiali. Secũdum genus cauſæ eſt forma, & exemplar, id eſt (vt ipſe Ariſt. exponit) ratio & diffinitio naturæ cuiuſcumque: dicitur enim diffinitio ipſa forma: nõ, quia ſit tota diffinitio; ſed quia eſt pars magis precipua vt diximus ſuperiori lib. quæſ. 1. de forma. Explicat hoc genus cauſæ exemplo quodã muſico; ſed à nobis explicetur hoc: anima hominis eſt forma ipſius: dicitur exẽplar forma ipſa; non quia Ariſto. conſtituat exemplaria illa ſeparata, & ideas, quas conſtituebat Plato; ſed propriam rei formam in re exiſtentem exemplar appellat. Omiſsis tamen interpretationibus D. Thom. Vicom. Alexã. & aliorũ exiſtimamus cũ Philopono, & Themiſtio formam appellari rationem, vt cõſtituit rem in certa ſpecie; appellari vero exemplar, vt eſt principium producẽdi aliam rem ſimilem. Tertium genus cauſæ, inquit Ariſt. eſt cauſa efficiens, definiturque id, vnde primum principium motus & quietis dicitur: vt qui conſiliũ dat, eſt cauſa efficiens, & pater cauſa efficiens filij; & vt vno verbo dicã, id, quod efficit vel mouet, eſt cauſa efficiens: ſed hæc diffinitio cauſæ efficientis ſolum conuenit cauſis præcipuis, & nõ inſtrumẽtariis, vt in quæſtionibus dicemus. Quartum genus cauſæ eſt finis, id cuius gratia aliquid fit, vt valetudo; quia illius gratia fit deambulatio poſt cœnam; inter efficiens enim & finem multa ſunt interiecta; quorum aliqua ſunt inſtrumenta, & alia opera cõcludit ergo dicens. Cauſæ ergo tot modis dicuntur, ideſt cauſæ omnes, ſub quatuor generibus connumeratis continentur.

Fit autem interdum, &c. Proponit iam tria theorẽmata, vt magis explicet naturã cauſarum.

ſarum. Primum theoremma eiuſdem effectus poſſunt eſſe multæ cauſæ per ſe diuerſi generis; vt ſtatuæ eſt cauſa efficiēs per ſe, ſtatuarius, æs cauſa materialis per ſe.

Nam vero quædā entia ſunt, &c. Secundum theoremma cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ, vt labor eſt cauſa firmæ conſtitutionis, & firma cōſtitutio eſt cauſa laboris.

Idem etiam cauſa eſt contrariorum, &c. Tertiū theoremma. Ab eadem cauſa poſſunt promanare contrarij effectus: vt nauta ſua præſentia, cauſa eſt conſeruationis nauis; ſuā vero abſentia cauſa eſt ſubmerſionis eiuſdē. Sol etiam liquefacit ceram, & indurat lutū.

Omnes autem cauſæ quæ modo, &c. Repetit quod dixerat, quatuor ſcilicet eſſe genera cauſarum, idque proinde forſan præſtitit Ariſt. quia in ſuperioribus non determinate dixit, quatuor eſſe genera cauſarum. Dixit enim *cauſæ ergo tot fere modis dicuntur, &c.* Explicat ergo quatuor genera cauſarū propoſitis variis exēplis, quæ in textu facillima ſunt; & poſtea docet finē eſſe bonum, ad quod omnia referuntur, ſiue ſit bonum verū, ſiue ſit bonum apparens.

Cauſarum ergo tot, ac talia, &c. Quatuor genera cauſarū propoſita, docet multos ac varios modos habere; eſſe tamē illos pauciores, ſi ſummatim proponantur. Proponit itaque varias cauſarū diuiſiones. Prima diuiſio. Cauſa alia eſt proxima, vt ſtatuarius eſt cauſa proxima ſtatuæ; & alia remota, vt artifex eſt cauſa remota ſtatuæ. Secunda diuiſio. Cauſa alia eſt per ſe, vt ſtatuarius eſt cauſa per ſe ſtatuæ; & alia per accidēs, vt Policletus eſt cauſa per accidēs ſtatuæ: quia accidit, vt ſtatuarius, qui conficit ſtatuam Polictus nominetur: tum etiā homo, & animal ſunt cauſæ per accidēs ſtatuæ. Tertia diuiſio. Cauſa alia eſt actu; illa ſcilicet, quę actu cauſat, vt Architectus qui actu ædificat: & alia in potentia, quæ actu nō cauſat, ſed poteſt cauſare, vt ædificator, quando non ædificat. Has cauſæ diuiſiones ad hanc breuem orationem reduxi; quia ab Ariſto. difficili quodammodo proponuntur.

Idem etiam quod expoſitum eſt, &c. Cū cauſa, & effectus ſint relata, docet idem iudicium eſſe de effectibus: id etiam exemplis explicat.

Hoc autem tantū differunt, &c. Inter cauſam actu, & cauſam in potentia, collocat ſequens diſcrimen. Cauſa actu, & effectus ſunt ſimul: vt ædificans

 actu,

actu, & ædificium curãs actu & quod curatur: at cauſa in potentia, & effectus non ſemper ſunt ſimul.

Sed extrema cuiuſque rei cauſa, &c. Tria proponit documenta in fine capitis. Primũ eſt. Sẽper inquirẽda eſt extrema cauſa, ideſt cauſa prima, à qua, tanquã a radice promanat effectus: vt ſi quærat aliquis, cur homo ædificat? Reſpõdemus, quia architectus: Si rurſus inquirat, cur architectus ædificat? Reſpõdemus quia præditus eſt architectura; & ibi tanquã in prima cauſa ſiſtemus. Secundum documentum. Cauſa in communi, habet effectum in communi, vt ſtatuarius in communi eſt cauſa ſtatuæ in cõmuni; cauſa vero in particulari, habet effectum particularẽ; vt hic ſtatuarius eſt cauſa huius ſtatuæ. Tertium documentum, Cauſa actu, habet effectum actu; & cauſa in potentia, habet effectum in potentia.

CAP. IIII. DE CASV, ET FORTVNA.

FORTVNA autem & caſus, &c. Proponit in principio capitis ſuum inſtitutum in diſputatione de caſu, & fortuna dicens, quia caſus, & fortuna cauſæ dicuntur; cũ multa dicantur fieri caſu, & fortuna; proinde videndum eſt, quem locum habeant in cauſis cõnumeratis caſus, & fortuna: tum etiã an caſus, & fortuna ſint vnum & idem, vel potius diſtinguantur; ac tandem videndum eſt quid ſit caſus, & fortuna. In hoc itaque capite videtur tractare in vtramque partem, an ſit caſus & fortuna.

Nonnulli enim ſit, necne ſit, &c. Docet aliquos dubitare, an ſit caſus, & fortuna, ductos hac ratione. Eorum omnium quæ dicimus fieri forte, aut temere, ſiue caſu, datur cauſa certa; ergo non datur caſus, & fortuna. Rationem explicat hoc exemplo. Proficiſcatur aliquis in forum cauſa alicuius rei emendæ, & ſe id non cogitante inueniat amicum, aiunt cauſam inuentionis huius eſſe determinatã, ſcilicet volontatem veniendi, vt emeret: idem cõtingit in aliis effectibus, qui videntur fortuiti, & caſuales; habent enim omnes ſuas cauſas particula-

res determinatas, quare non datur fortuna.

Nam fortuna ſi aliquid ſit, &c. Secunda ratio deſumitur ex veterum Philoſophorum teſtimonio; cũ enim nullus ex veteribus explicãs principia ortus & interitus rerum, fecerit mẽſionem caſus, & fortunę, videtur abſurdũ, caſum & fortunam conſtituere.

Quamquam hoc etiam mirum eſt, &c. Retorquet primam rationem ita. Quamuis omnia quæ caſu, & fortuna eueniũt, reducant veteres ad cauſam certam, tamen omnes concedunt aliqua ex his quæ fiunt, fieri caſu & fortuna, & alia minime: quare, inquit, miror certe quomodo negent caſum & fortunam; ab eis enim debuiſſet mẽſio fieri caſus & fortunæ.

Nec vero illorum quidquam, &c. Retorquet ſecundam rationem docẽs, multos ex veteribus philoſophis mentionem feciſſe caſus, & fortunæ: nam Empedocles (vt 1. lib. retulimus) exiſtimauit aerẽ occupaſſe iſtum locum ſuperũ caſu & fortuna; ait etiam, non ſemper aera ſurſum diſsipari, ſed prout res tulerit: imo loquens de mũdi origine, ſic loquitur. Sæpe alias aliter; ſed tunc, ſic forte cucurrit: exiſtimauit etiam, multas animantium partes fieri caſu, & fortuna.

Sunt autem quidam, &c. Proponit ſecundam ſententiam aliorum, qui dixerunt, caſum & fortunam eſſe cauſam cœli, & cur mũdus tali modo fuerit diſpoſitus: vt enim voluit philoponus, & Themiſtius, Democritus in ea fuit opinione, vt exiſtimaret infinitos mundos factos fuiſſe ex athomis. Si vero aliquis inquirebat, cur hic mundus fuit hic poſitus, & alter alibi; dicebat id caſu ex motu athomorum contigiſſe; tribuebat etiam caſui, prius fuiſſe facta corpora cæleſtia, deinde elementa; & ex elementis, alia prius; & alia poſterius: conſtituebat ergo caſum, ſolum in præcipuis mundi partibus.

Et certe hoc admiratione dignũ eſt, &c. Captus quadam admiratione, merito horũ opinionem impugnat ita. Si animalia, & plantę, quæ ſunt partes mundi, minus præcipue, quã cæleſtia corpora, & elementa, non fiunt caſu & fortuna; ſed potius ex ſemine, & à cauſa determinata: ergo multo magis corpora cęleſtia, & elementa, cũ magis perfecta appareant, non erũt facta caſu, & fortuna; ſed à cauſa determinata.

At qui ſi ita eſt, &c. Obſeruat

uat modo, deſumpta occaſione ex hoc, quia impugnauit ſententiam, oportere, vt inquiratur huius rei veritas. Nam quamuis abſurda ſit horum ſententia, abſurdius tamẽ eſt, affirmare in his rebus inferioribus nihil fieri caſu & fortuna; & in corporibus cęleſtibus multa ſic fieri; cum experientia ſenſuum cõprobemus, multa in his rebus inferioribus caſu fieri; in cæleſtibus vero corporibus talia fieri non conſtet.

Sunt etiam quibus fortuna, &c. Tandem docet, dixiſſe quoſdam, fortunam eſſe cauſam; illã tamen humano intellectui incognitã, in eaque quid diuinitatis latere: proinde concludit. Quapropter videndũ eſt, quid ſint caſus, & fortuna, & an ſint idem; & quomodo referãtur ad cauſas expoſitas.

CAP. V. QVID SINT CASVS, ET FORTVNA, ET QVOmodo conueniant.

primum quidem quoniam, &c. Proponit tres diuiſiones, quibus probat caſum & fortunam eſſe. Prima diuiſio. Quæ fiunt, alia fiunt ſemper & eodem modo, vt corpora cæleſtia ſemper mouẽtur eodem modo; & alia fiunt plerumq. vt hominem naſci cum quinq. digitis in quauis manu; & alia, quæ raro fiunt. Ex his, inquit, fiunt caſu, & fortuna quæ fiunt tertio modo: quæ vero primo, & ſecundo minime. Quæ enim fiũt raro, dicuntur fieri caſu & fortuna; & quæ fiunt caſu & fortuna, dicuntur fieri raro.

Eorum quæ fiunt partim, &c. Secunda diuiſio. Quæ fiunt. Alia fiunt propter finẽ; & alia non fiunt propter finem.

Alia vero animi iudicio, &c. Tertia diuiſio, quæ proprie eſt ſubdiuiſio. Quæ fiunt propter finem, alia fiunt deliberatione; & alia abſq. deliberatione. Hinc colligit Ariſt. (vt illius mentem cum Villalpandeo interpretemur) caſum, & fortunam reperiri in his, quæ fiũt propter finem: eam quæ nec fiũt ſemper, nec plerumq: ſed aliquando, etiam fiũt propter aliquem finem. Hoc ita probat. Caſus & fortuna reperiuntur in his, quæ

non

non fiunt neceſſario, aut magna ex parte: ſed caſus, & fortuna ſunt in his, quæ fiũt propter finem; ergo quę non fiũt neceſſario, aut plerumq; fiũt propter finem.

Vt enim etiã alia per ſe, &c. Antequam Ariſt. doceat in quibus ſit caſus & fortuna, hanc proponit diuiſionem. Quemadmodũ effectus alij ſũt per ſe, & alij per accidens: ita cauſæ aliæ ſunt per ſe, & aliæ per accidẽs. Sed hic docte obſeruat Simplicius, nomine cauſæ per accidens nõ ſolum intelligere illam, quæ coniungitur cauſæ per ſe, vt docuit c. 3. ſed etiam illam, à qua inopinate proficiſcitur effectus: quare eadẽ cauſa erit per ſe reſpectu effectus opinati; & per accidẽs reſpectu effectus inopinati. Concludit dicens cauſam per ſe, eſſe certam & determinatã; cauſã vero per accidẽs minime. Permultæ enim ſunt, & fere infinitæ cauſæ, quæ accidere poſsũt cauſę per ſe. Præterea, quia ſimul verba fecerat de caſu & fortuna, ne aliquis exiſtimaret eandem eſſe vtriuſq; naturã; proinde pollicetur proponere diſcrimen poſtea, ideſt capite ſequenti; nunc vero ſatis eſſe intelligere, caſum & fortunam verſari in his, quæ fiũt propter finem, idq; quodam manifeſto exemplo illuſtrat.

Definitio fortunæ.

Perſpicuum eſt igitur, &c. Ex dictis colligit hanc definitionẽ fortunæ: Cauſa per accidens, quæ verſatur in rebus, quæ fiunt propter finẽ cõſilio, & deliberatione. Dicitur cauſa per accidens, vt ſuperius expoſuimus, non quia accidat cauſæ per ſe; ſed propter effectum inopinatum, qui accidit præter inſtitutum operãtis: dicitur verſari in rebus quæ fiũt propter finem, quia ſemper eſt coniuncta cum rebus, quæ fiũt propter finem; vel, vt alij volũt, quia effectus ille, qui eſt à fortuna, poteſt proponi vt finis in cauſa per ſe, vt recuperatio pecuniæ, quæ fit fortuna, poteſt eſſe effectus cauſæ per ſe: poteſt enim aliquis proficiſci in forũ vt à debitore debitas pecunias poſsit recuperare. Dicitur etiam cũ conſilio & deliberatione; quia ſẽper eſt coniuncta cũ rebus, quæ fiunt deliberatione; vel quia eſt rei, quæ per ſe poteſt fieri conſilio, & deliberatione: per hãc partẽ differt fortuna à caſu. Hinc manifeſte ſoluitur commune argumentũ, quo ſic diſputant multi. Quæ fiunt fortuito, non fiunt propter finẽ, & cũ deliberatione: ſed quæ fiunt fortuna, fiunt fortuito; ergo nõ fiunt propter finem,

& cum deliberatione. Reſpódemus, verum eſſe, quæ fiunt fortuna, non fieri propter finem, & cum deliberatione; eſſe tamē ſemper coniuncta cum his, quæ ita fiunt; vel eſſe de rebus quæ ita poſſunt fieri. Colligit præterea ex definitione fortunæ, mentem & fortunam verſari circa eaſdē res: quia quæ conſilio, & deliberatione fiunt, ſolum poſſunt fieri ab agente prædito intellectu.

Cauſæ ergo incertæ ſunt, &c. Inſuper obſeruat, cauſas per ſe cū quibus eſt cōiuncta fortuna, poſſe eſſe multas; hincquē colligit, rectam eſſe fortunæ definitionem, cū ipſius naturā accurate explanare videatur, eſt enim fortuna rei incertæ & homini obſcuræ. Incertæ rei; quia eſt coniuncta cū cauſa per ſe, quæ poteſt eſſe multiplex; & propter eandem rationē dicitur homini ignota, & ob eādē rationē videtur fortuna nullius rei cauſa, cum ſit adeò incerta. Quare recte hæc omnia dicuntur de fortuna, cum illius naturę conſentanea ſint: eſt namquē fortuna cōnumeranda inter cauſas per accidens, cum per ſe nullius rei ſit cauſa, vt architectus eſt cauſa per ſe domus; tibicē vero eſt cauſa per accidens. Præterea infinitæ ſunt cauſæ, quibus aliquis dici poteſt, vt ſe inopinante recuperet pecunias ſibi debitas. Recte etiam fortuna appellatur præter rationē, quia ratio ſemper eſt in his, quæ ſunt ſemper, vel plerumq. Cū enim cauſæ, cū quibus eſt cōiuncta fortuna, ſint incertæ, etiam fortuna incerta eſt.

In quibuſdam tamen ambigunt, &c. Cum cauſæ, cum quibus eſt cōiuncta fortuna, aliæ ſint proximiores; & aliæ magis remotæ, docet dubium eſſe, cū quibus cauſis ſit cōiuncta fortuna. Reſpondent interpretes ſemper eſſe coniunctam cum cauſa magis proxima.

Proſpera autem fortuna dicitur, &c. Explicat in fine capitis, quid ſint fortuna proſpera, & aduerſa; & qui dicātur fortunati, & infortunati. Fortuna proſpera eſt, quando accidit aliquid boni; & aduerſa, quando accidit aliquid mali: quando autem reperitur magnitudo, ideſt, quādo accidit aliquod magnum malum, vel aliquod magnum bonū, tunc fortuna dicitur maximè proſpera, vel maximè aduerſa: cū enim aliquis liberatus eſt ab aliqua maxima calamitate, cui proximus erat; tūc appellatur proſpere fortunatus: cum verò aliquis proximus eſt, vt magnum bonum

conſequatur; illud vero homi-
ne aſſequitur, appellatur in-
fortunatus: quia intellectus
ita de his rebus iudicat, ac ſi
illas homo fuiſſet aſſequutus,
nam res, cuius euentus parum
diſtat, ac ſi eueniſſet, iudica-
tur. Dicitur etiam proſpera
fortuna inſtabilis eſſe, & in-
conſtans: dominatur enim illa
fortuna, inconſtans ipſa, quæ
talis quæ fortuna ſit, nec ſem-
per, nec plerumque poſſit e-
uenire.

CAP. VI. QVA RATIONE differant caſus, & fortuna.

Eſt igitur vtrumque vt dixi, &c. Antequã tradat diſcrimen, quod reperitur inter caſum & fortunam, proponit hãc definitionem vtriq. communem. Cauſæ per accidens illarum rerũ, quæ neq. ſemper, neque plerumq. eueniunt; fiunt tamen propter aliquem finem.

Hoc autem differunt, &c. Proponit iam inter caſum, & fortunã ſequens diſcrimen. Omne quod fit fortuna, fit etiam caſu; non tamen cõtra. Quod ex eo probat; quia fortuna, & id, quod fortuito fit, id eſt quod à fortuna proficiſcitur (ſic enim & rectius quidẽ vertit Vicomercatus) ſemper ſunt coniuncta cum his, in quibus eſt proſpera fortuna, & actio, id eſt conſilium, & delibera-tio: nomine enim actionis intelligunt interpretes conſilium, & deliberationem ſiue delectum, vt interpretantur Conimbricenſes, qui hic obiter obſeruat caſum ſumi dupliciter. Primo lata ſignificatione, & ſic cõfunditur cum fortuna. Secundo propriè & ſtrictè, & in hac ſignificatione diſtinguitur contra fortunam; & definitur caſus; cauſa per accidens in his, quæ ſine delectu agunt; fortuna vero, cauſa per accidens in his, quæ agunt cum delectu.

Idq. hinc fieri poteſt, &c. Fortunam tantum eſſe eorum, quæ deliberatione fiunt probat; quia fortuna ſolum cõuenit iis, quibus contingit proſpera fortuna, quæ videtur eſſe fœlicitas, aut maximè propinqua fœlicitati: fœlicitas vero eſt actio quædã præclara. Sed obſerua, ſolũ actiones illas, quæ ſũt ex rationis imperio, & deliberatione, appellarã propriè actiones: nam cætera agẽtia, quæ deliberatione v-

vtuntur, magis proprie aguntur, quam agant. Hinc colligit, nullam rem ratione & delectu carentem poſſe habere effectum fortunatum: quare nec habent effectus à fortuna res inanimatæ, beſtiæ, aut pueri eo quod iudicio rationis carent: nec in iis eſt fortuna proſpera aut aduerſa, niſi ſumatur nomen fortunæ improprie, & per ſimilitudinē; in qua ſignificatione ſumebat Protarchus nomen fortunæ, quando dicebat eſſe fortunatos lapides illos, quibus aræ & templa ſtruebantur; eo quod illis tribueretur honos qui aliis, qui pedibus calcabantur, denegabatur, & eodē modo dicuntur multa impropriè fortunam pati. Caſus tamen reperitur in multis animalibus rationis expertibus, & in multis rebus inanimatis id ſatis explicat exemplis; & deinde concludit; quare perſpicuū eſt, caſum eſſe in iis, quæ in ſuis operationibus carēt deliberatione; fortunam vero eſſe in iis, quæ cum deliberatione agunt.

Quid hinc ſciri poteſt, &c. Probat argumento deſumpto à ſignificatione nominis græci, caſum debere fieri præter finem. Argumentum ergo ita habet. Caſus græcè ſignificatur voce ſignificāte idē quod fruſtra: ſed quod fit fruſtra, fit præter finē: ergo caſus debet fieri præter finem.

Maxime autem id quod fortunæ &c. Reperit diſcrimen, quod reperitur inter caſum, & fortunam dicens, fortunam non reperiri in rebus, quæ fiunt à natura, in quibus reperitur caſus; nam monſtra non fiunt fortuna; ſed caſu; quamuis, ſi proprie loquamur, nec caſu fiunt monſtra, cū fiant à principio intrinſeco. Concludit dicens dictum eſt, quid ſit caſus, & quid fortuna, & qua ratione differant.

Vtrumq; autem eorum, &c. Statuit tandem in fine capitis caſum, & fortunā pertinere ad genus cauſæ efficientis. Hoc probat, quia quæ fiunt caſu & fortuna vel fiunt mēte, vel fiunt natura; cui maiori addimus nos minorem, ſed quæ fiunt mente, & natura pertinent ad genus cauſæ efficientis; ergo caſus & fortuna pertinent ad genus cauſæ efficientis. Numerus tamen eorum, quæ ita fiũt, incertus eſt. Quoniam autem caſus, & fortuna ſunt cauſæ per accidens eorum, quæ fiunt à natura, vel à mente: vt effectus fortuiti, & contingentes; & iſti effectus poſteriores ſint illis, qui fiũt primo, & per ſe: proinde mēs & natura prius efficiunt effe-

ctus per ſe, quã iſtos effectus per accidens. Hinc reprehendit Democritum aſcribentem mundi ortum caſui, & fortunæ: nam ſi cœlum factũ fuiſſet caſu, neceſſe fuiſſet, vt illius productionem præiuiſſet alterius rei productio, quod eſt abſurdum.

CAP. VII. IN QVO PROPONVNTVR DVO THEOREMATA ad cauſas pertinentia.

TERTIUM autem perſpicuum eſt, &c. Proponit hoc cap. Ariſt. 2. Theoremata ad cauſarũ diſputationem pertinentia. Eſt ergo 1. Theorema, q. tantũ ſunt 4. cauſarum genera, ſcilicet genus cauſæ materialis, formalis, efficientis & finalis. Id probat hac ratione. Genera cauſarũ tot ſunt, quot ſunt ea, quæ quæruntur; ſed hæc ſunt 4. cũ ſemper quæſtio reducatur ad vnam ex 4. cauſis; ergo 4. tantũ ſunt cauſarũ genera. Probationem maioris ſubiicit; minorem verò ſirmat inductione. In rebus immobilibus, id eſt Mathematicis, vtimur pro cauſa definitione, quæ vim habet formæ. Præterea fit reductio ad cauſam efficientem, & ad cauſam finalem, & ad materialem, vt ipſe exemplis explicat. Quare concludit, quatuor tantũ eſſe cauſarum genera.

Quoniam autem quatuor ſunt, &c. Secundum theorema. Ad Philoſophum naturalem pertinet, cognoſcere omnia cauſarum genera, & per ea poſſe probare, differendo. Vt id probet, duo, quæ ſequuntur, aſſumit.

Sed plerumque tria genera, &c. Aſſumit ergo primo, ex cauſis, quæ ad generationem ſubſtantiæ concurrunt, tres ſæpe coincidere; ſcilicet formam, efficientem, & finem; cum diſcrimine tamen: nam forma rei genitæ & finis generationis ſunt idem numero; forma verò rei generantis, quæ eſt cauſa efficiens generationis, eſt eadem ſpecie cum forma rei, quæ generatur, vt videre eſt in generatione ſubſtantiali rebus, (nam exemplum quod affert Ariſtot. de homine forſan non eſt accommodatum) & in aliis, quæ dum

mo-

mouent, mouentur, quæ non ita ſe habent, vt agētia æquiuoca, verbi gratia Sol, qui nō generat ſolem, &c. non pertinent ita ad Phyſicam conſiderationem.

Itaq; tres ſunt, &c. Aſſumit ſecundo, tria eſſe genera mouentium ſcilicet quæ non mouētur, vt Deus, & Intelligentiæ; quæ mouentur, ſunt tamē interitus expertia, vt corpora cæleſtia; & quæ mouentur, & interitui ſūt ſubiecta, vt aliæ res naturales. Ex his tractatio immobiliū pertinet ad Metaphyſicum; aliorū diſputatio negotij eſt Phyſici.

Itaſit vt quæſtio, &c. His poſitis ita probat, pertinere ad Phyſicā cōſiderationem omnes quatuor cauſas. Eiuſdem ſcientiæ eſt cognoſcere generationē, & generationis cauſas, ſed ad Phyſicum pertinet cognoſcere generationē; ergo & cauſas generationis; cũ ergo quatuor ſint cauſæ, quæ reperiuntur in quauis generatione; nam ſemper reperitur id, cuius gratia, ideſt, finis; id quod fit, ideſt forma; id quod patitur, ideſt materia; & id quod efficit, ideſt cauſa efficiens; proinde ad Phyſicū pertinet quatuor cauſas cognoſcere.

Duo autē genera ſunt, &c. Docuit conſiderationem cauſarum, quæ ita mouent, vt ſint immobiles, nō eſſe Phyſicam; quia poterat aliquis ſibi ſuadere hoc non eſſe ita, ex eo, quod omnes illæ cauſæ mouēt naturaliter, ideſt vi, ac facultate propriæ naturæ; proinde huic tacitæ obiectioni ſatisfaciens Ariſt. docet non pertinere ad conſiderationē Phyſicam, niſi illa, quę ita mouēt, vt in ſe ipſis habeāt principium, à quo ipſa moueantur; quod certè longe abeſt à primo motore, ſcilicet à Deo in quo, cũ ſimplicisſimus actus ſit, nulla poteſt inueniri mutatio. Obſeruat etiam formā vt finis eſt, mouere & nō moueri, nihilominus pertinere ad Phyſicū eius tractationē. Quia cũ agens naturale operetur intendēs introducere formā quæ finis eſt, nemo exacte cognoſcet naturā, niſi finem agnouerit. Tandem concludit caput docens Phyſicum conſiderare ſiue demōſtrare per omne genus cauſæ; cauſam efficientem indicat illis verbis *ex hoc illud neceſſario fit*, materialem illis *vt propoſitionibus concluſio*, formalem, & materialem ſimul illis verbis *itemq; quid hoc ipſum eſt in quo nata eſt eſſentia, eſt autem carnis*, nam per eſſentiam intelligit formam & per id in quo recipitur, materiam; ac tandem finalem

nalem illis verbis, *& quia hoc modo melius ſit:* nam bonitas & præſtãtia deſumitur ex fine: cum finis ſit id, cuius gratia aliquid efficitur.

DISPVTATIO DE CAVSIS.

HANC diſputationem de cauſis diſtribuimus in quatuor partes: quarum prima dicemus quid ſit cauſa, & quotuplex; ſecunda, diſputabimus de quouis genere cauſę in particulari; tertia aliquas tractabimus quæſtiones de cauſis in communi, quarum quæſtionum cognitio non parum pendet ex cuiuſuis cauſæ definitione; ac tandem, in quarta parte ſermo erit de caſu, & fortuna. Prima ergo diſputationis pars diuiditur in duas quæſtiones, quarum prima inquiremus quid ſit cauſa; ſecunda vero numerum cauſarum conabimur inueſtigare.

✠ PRIMA PARS DISPVTATIONIS DE CAVSIS.

Quæſtio I. Quid ſit cauſa.

IMMERITO quidem, multi Ariſt. reprehenſione dignum eſſe cẽſent, eo quod in philoſophia naturæ accuratam ſuſceperit de cauſis diſputationem, cum diſputare de illis, munus ſit primæ Philoſophiæ. Nam, etſi diſputare de cauſis in communi ſecundum generalia & communia principia, incumbat ex officio Metaphyſicæ; res tamẽ eſt Philoſophiæ naturæ, de cauſis naturalibus diſputare. Ex cauſarum namq. naturalium cognitione ita naturæ Philoſophia pendet, vt hij qui naturalium cauſarum cognitione deſtituũtur, vix poſsint res naturales contemplari, illarumq. aliquam aſſequi cognitionem. Immerito etiam hac eodẽ, huius erroris nota afficiuntur multi recentiores interpretes, eo ſcilicet, quod diffuſam & accuratam cauſarum tractationem hoc loco proponãt: eſt enim cauſarum tractatio præcipui momenti in Philoſophia naturæ; nõ ſolum quia naturales cauſæ ſunt veluti vberrimi, & perennes fontes, vnde exiſtunt omnia, quæcũq. natura rerum continet; ſed etiam: quia ex naturalium cauſarum ignoratione naturæ archanorum admiratio ortum habuit, a qua duxiſſe initium Philoſophiã teſta-

cut Ariſt. 1. Metaphyſico cap. 2. his verbis. *Ob admirationes enim homines & nũc & primo Philoſophari cœperunt principio quidem facilia mirabilium admirãtes, deinde paulatim ſic procedentes, & de maioribus dubitantes, ut de Lunæ ac Solis affectibus, de ſtellis, de ortu etiam uniuerſi. Qui uero dubitat & admiratur, &c.* Duxit ergo originem philoſophia ab admiratione, & ex cauſarum ignorantia. Cenſetur tamen abſoluta, cum depoſita admiratione, media cauſarum notitia, naturæ archana luce meridiana clariora proponit inſpicienda. Hinc quas egregius Poeta Heſiodus in libro qui inſcribitur opera & dies dixit, fœlix qui potuit rerũ cognoſcere cauſas. Cum ergo compertum ſit, cauſarũ diſputationem merito hoc loco pertractari, proinde ad illam enodandam fœlicibus auſpiciis accedamus.

Diuiſio quæſt. Diuiditur præſens quæſtio in tres partes; prima proponemus obſeruationes; ſecũda varias cauſæ definitiones; tertia rationes contra exactam cauſæ definitionem diſſoluemus.

IN PRIMA parte quæſ. ſit prima obſerua. Cauſa & principium ſe habẽt ve ſuti ſuperius & inferius, vt ſepe diximus: principium enim ſolũ dicit ordinem prioritatis ad principiatum; verbi gratia priuatio: cauſa vero inſuper addit influxum in effectum.

Cauſa ſumitur tripliciter. Secunda obſeruatio. Cauſa multis modis ſumitur: primo lata ſignificatione, prout complectitur quodcũque principium; & in hac ſignificatione ſumitur ab Ariſt. 12. Met. cap. 2. cum ait. *Tres igitur ſunt cauſæ, triaq́ principia rerũ ortus: duo quidem contraria, quorum alterum eſt ratio atque forma, alterum eſt priuatio: tertium eſt materies ipſa.* Priuationẽ enim appellat cauſam. Secundo ſumitur nimis ſtricte prout dicit ordinem ad effectum, & effectus dicitur ab efficiendo: & in hac ſignificatione ſumpſit D. Auguſtinus cauſam lib. 83. quæſt. 28. dum dixit, omnem cauſam eſſe efficientem. Tertio ſumitur, communiter cauſa pro id omne, a quo aliquid habet eſſe, cum influxu tamen & dependentia: & hæc eſt propria cauſæ ſignificatio, & quæ ab omnibus circũfertur: & in hac ſignificatione diſputamus modo de cauſis.

Tertia obſeruatio. Nullibi propoſuit Ariſt. definitionem cauſæ in communi. Illam tamen varie colligunt eius interpretes, ex his quæ docuit cap. 3. huius lib.

Cauſæ definitiones. IN SECVNDA parte quæſtionis proponendæ ſunt variæ definitiones cauſæ ſumptæ in communi. Cauſa in communi a peripateticis ita crebro definitur. Id ad cuius eſſe aliquid ſequitur. Hãc amplectitur D. Thomas 2. Phyſico lectione decima in fine; laudat etiam illam Soto quæſt. 3. huius 2. lib. docetq. hanc a multis citari ex libro de cauſis Ariſt. (quamuis Fonſeca loco inferius citãdo aſſerat, propoſitam definitionem non fuiſſe traditam ab Ariſt. in libro de cauſis) & ſubdit, hæc definitio, ſi ſano modo intelligatur, omne genus cauſæ complectitur.

Valleſius. Valleſius tamen controuerſia decima tertia non admittit hanc cauſæ definitionem, quia inquit, cõuenit etiam omnibus principiis. Refert enim quã propoſuimus definitionem, & ita ſcribit. *Dicunt quidã, cauſa eſt id, ad quod aliud ſequitur, monẽtq́ iubentq́ id intelligi ſano modo. Hæc ut audio, ſuſpicor definitionem ægrotare; atque ita eſt profecto.* Poſtea vero hanc proponit cauſæ definitionem. Illud, quod commode reſpondetur interroganti, cur ſiat, aut factum ſit hoc. Vt ſi quæras, quare effectus hic productus, eſt homo. Reſpondemus per cauſam efficientem; quia factus eſt ab homine: per materialem; quia ex ſemine humano: per formalem: quia in talẽ materiã introducta eſt anima rationalis: per finalem, vt præeſſet aliis animalibus. Sed hæc definitio, licet explicet naturam cauſæ, non tamen ſatis recte: quia eſt aliquantulum obſcura, & traditur per aliquid poſterius.

P. Fonſe. Pater Fonſeca primo Metaphyſico, capite ſeptimo, quæſtione prima ſectione 3.

ita

ita definit cauſam. Id, a quo aliud per ſe pendet. Dicitur, *id a quo aliud*, vt intelligamus effectum debere eſſe aliud a cauſa, & differre ſaltim numero ſecundum eſſentiam ab illo: nam ſi effectus ab alio pendet, neceſſario debet differre ab illo ſaltim numero. Additur particula, *per ſe*, vt reiiciantur cauſæ per accidens. Obſeruet tamen obiter, & recte quidem, quod cum D. Auguſtinus lib. 83. quæſtionum, quæſt. 16. ſcribit Deum ſuæ ſempiternæ ſapientiæ cauſam eſſe ſempiternam, non ſumpſit nomen, *cauſa*, proprie: ſed more Græcorũ, pro principio ſcilicet: hic enim loquendi modus aliquando apud ſanctos inuenitur. Quare obſeruandum eſt, illos modo explicato eſſe intelligendos, & hunc loquendi modum, modo nõ admitti. Hæc tamen definitio, ſi recte perpendatur, non videtur ſatis exacta: nã ignoro certe, qua ratione poſsit cauſis intrinſecis conuenire.

Conimbr. Conimbricenſes 2. Phyſic. cap. 7. q. 1. art. 1. varias proponunt cauſæ definitiones & inter alias, illam ſeligunt definitionem adductam à Fonſeca.

Alij multi ex iunioribus ita definiunt cauſam. Id quod poſitiue, & per ſe dat eſſe diſtinctũ ab ipſo eſſe cauſæ. Exiſtimamus tamen rectam non eſſe: quia cauſa intrinſeca non dat eſſe diſtinctum: cum dictum ſit a nobis, totum non diſtingui realiter a ſuis partibus; immo nullam partem realiter diſtingui a ſuo toto.

Definitio cauſæ, ex ſentent. Auctoris Sed quidquid ſit de propoſitis definitionibus, hæc eſt legitima, & breuis definitio. Principium influẽs. Per particulã, *principium*, denotamus rem incipere a ſua cauſa: per particulam *influens*, ſignificamus effectum habere eſſe mendicatum, & pendens e cauſa. Vnde in diuinis, ſi inter ſe compararentur, non reperitur cauſalitas, ſed principium: quia nulla ex tribus perſonis habet eſſe mendicatum ab alia, ſed proprium, & a ſeipſa. Dixi ſi inter ſe comparentur; quia reſpectu creaturarum reperitur in diuinis cauſalitas; cũ vere & realiter influunt, & cauſent omnes creaturas. Semper enim requiritur prioritas naturæ in cauſa, reſpectu effectus. Imo prioritas naturæ nihil aliud eſt, quam aliquam rem eſſe alterius cauſam: proinde enim dicitur effectus poſterior natura: quia pẽdet a ſua cauſa.

IN TERTIA parte quæſt. dices primo. Punctum eſt cauſa lineæ: ſed punctum non eſt principium influens: ergo nõ recte diffinitur cauſa principium influẽs. Reſpondemus negando maiorem. 1.

Dices ſecundo. Cauſa & effectus ſunt relata: ſed relata ſunt ſimul natura; ergo cauſa, & effectus ſunt ſimul natura: ergo non recte diximus cauſam eſſe priorem natura ſuo effectu. Reſpondemus concedendo primam conſequentiam: quia ſolũ concludit cauſam, & effectum eſſe ſimul natura ea ex parte, qua relata ſunt: negamus tamen ſecundam conſequentiam, quia inde non ſequitur cauſam non eſſe priorem natura ſuo effectu: poteſt enim cauſa ſumi tribus modis. Primo pro re, quæ eſt cauſa, ſiue pro ſubſtantia eius, quæ eſt cauſa, & ſic nõ ſolũ poteſt eſſe prior natura, ſed etiam tẽpore: vt patet in patre, qui vt res quædam eſt, prior eſt tẽpore ſuo filio. Secundo ſumi poteſt cauſa relatiue, & hac ratione eſt ſimul natura cũ ſuo effectu. Tertio ſumi poteſt, quatenus effectus pendet a cauſa, & ſic cauſa neceſſario debet eſſe prior natura: & in hac tertia acceptione ſumitur cauſa vere & proprie, & eſt prior natura ſuo effectu, & de illa modo diſputamus. 2.

Dices tertio principium, & cauſa idem ſũt: ergo in definitione cauſæ a nobis propoſita committitur nugatio. Probatur antecedens ex Ariſt. 4. Metaph. cap. 2. vbi ita ait. Atque id quod eſt, ac vnum ipſum et eadem ſunt, atq. vna natura; quia mutuo ſe conſequuntur vt principium, atq; cauſa; ergo ex ſententia Ariſto. idem ſunt principium & cauſa. Reſpondemus negando antecedens. Probatio: ad Ariſtot. ſumpſiſſe nomen cauſa loco citato lata quadã 3.

ſignificatione, prout cõplectitur quoduis principium, in qua ſignificatione ſumpſit etiam nomen cauſa duodecimo Metaphyſico, cap. 2. vt diximus in prima obſeruatione: in definitione vero cauſæ ſumitur principium proprie, prout dicit rationem ſuperiorem: & additur illa particula influens ad differentiam principiorum, quæ non influunt, & conſequenter non ſunt cauſæ.

QVAESTIO II.

An ſint tantum quatuor cauſarũ genera.

SVPPONIMVS cum Ariſtot. cap. 3. huius lib. 2. & cum communi philoſophorum conſenſu quatuor eſſe cauſarum genera; & inquirimus an ſint tãtum quatuor cauſarum genera, vel potius plura. Ortum habet hæc quæſtio ex opinione Platonis, & aliorum exiſtimantium præter hęc quatuor genera cauſarũ, conſtituendum eſſe genus cauſæ exemplaris ſeu inſtrumentariam, quia docent alij cauſam inſtrumentariam diſtinctam eſſe a materia, forma, efficiente, & fine.

Diuiſio quæſt. Diuiditur quæſt. in tres partes. Quarum prima proponemus quaſdam obſeruationes. Secunda aſſertionem. Et tertia ſoluemus contrarias rationes.

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Generatio duplex eſt: alia ſimpliciter, quæ eſt generatio ſubſtantiæ; & alia ſecundum quid, quæ eſt productio accidentis. Rurſus generatio accidentis, alia eſt naturalis per quam a cauſa naturali producitur accidens; & alia artificialis, per quam producitur forma artificialis. Cauſa ergo exemplaris ſolum reperitur in agente artificiali: agens namque artificiale, præter habitum practicum, quo cõſtituitur in eſſe formali artificis, habet etiam in mente aliam formam, quæ etiam eſt principium operandi in artifice:

Exẽplar quid. huiuſmodi vero forma eſt ratio, ſimilitudo, vel idea repræſentans rem illam, quæ debet effici ab artifice: vt imago domus, quæ eſt in mente architecti. Dicitur vero hæc imago, ſiue ſimilitudo, cauſa exemplaris: quia artifex proponit ſibi tanquã exemplum imitandum huiuſmodi formã, inſtar cuius producat effectum. Quare cauſa exemplaris, ſi proprie loquamur ſolum reperitur in agẽte artificiali; & conſequẽter in Deo reperitur cauſa exemplaris (vt docet D. Th. 1. p. q. 15. ar. 1.) reſpectu creaturarum: habet enim Deus, cum ex electione agat, ideas omnium creaturarũ, ad quarum inſtar creaturas omnes creauit. Infertur etiam, in agente naturali non reperiri proprie exemplarẽ quia agens naturale, non ex electione, ſed ductu naturæ operatur. Nihilominus multoties in agẽte naturali reperitur ratio exẽplaris improprie: quia effectus productus ab agente naturali ſæpe numero ſimilis eſt agenti naturali, vt patet in leone genito, cuius forma ſimilis eſt formæ leonis generãtis; imo eiuſdem ſpeciei cũ illa: ſed adhuc hæc ratio exemplaris impropria non ſe tenet ex parte effectus producti, vt falſo exiſtimauit Simplicius lib. 2. cap. 7. quia ratio exemplaris tam in ſententia Platonis, quã Ariſt. ſemper importat cauſalitatem: cum ergo forma producta ſit effectus, ratio exẽplaris non poteſt ſe tenere ex parte effectus. Deinde quia in rebus arte factis, in quibus exemplaris ratio proprie inuenitur, exemplaris ratio non ſe tenet ex parte rei productæ, ſed potius ex parte producentis: ergo eodem modo in naturalibus.

In artifice duplex actio. Secunda obſeruatio. In agente artificiali duplex reperitur actio, nempe immanens, & tranſiens. Actio immanens eſt intellectio, qua media artifex in mente diſponit qualiter debeat res effici: per quam intellectionem producitur verbum mentis, quod, in quantum terminus intellectionis eſt ratio intelligendi; & reſpectu effectus producendi eſt principium agendi, cum

ſit ratio ſiue imago in qua agens artificiale effectum a ſe producendum intuetur: & huiuſmodi verbum mentis, vt eſt principium operandi, eſt exemplaris ratio.

Tertia obſeruatio. Cauſa duplex eſt: alia per ſe quæ vt talis producit effectum, vt leo cauſa eſt per ſe leonis geniti: & alia per accidens, quæ coniungitur cauſæ per ſe, vt album eſt cauſa per accidens leonis geniti; quia accidit leoni generanti, vt ſit albus.

Genera cauſarum quatuor.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit aſſertio. Quatuor tantũ ſunt cauſarum genera, ſcilicet genus cauſæ materialis, formalis, efficientis, & finalis. Hanc docuit Ariſt. 1 Metaph. cap. 7. & hoc 2. lib. Phyſic. ca. 7. ex varietate quæſt. quibus quæritur propter quid ſit aliquid, numerum hunc quaternarium cauſarum deduxit, & confirmauit; docuit enim, quatuor eſſe quæſitiuum genera: nam aut quærimus id cuius gratia res fit, & eſt finis; aut a quo fit, & eſt efficiens; aut id ex quo res fit, & eſt materia; aut id per quod fit, & determinatur, & eſt forma: quare concludit quatuor eſſe genera quæſtionum, & conſequẽter etiam quatuor eſſe cauſarum genera.

S. Thom. 2. Phyſ. lect. 10. in fine propoſitum numerum cauſarum ſufficiens ita colligit. *Neceſſe eſt autẽ quatuor eſſe cauſas, quia cum cauſa ſit, ad quam ſequitur eſſe alterius, eſſe eius quod habet cauſã poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo abſolute, & ſic cauſa eſſendi eſt forma, per quam aliquid eſt in actu: alio modo ſecũdum quod de potentia ente fit actu ens: &, quia omne quod eſt in potẽtia reducitur ad actum, per id quod eſt actu ens, ex hoc neceſſe eſt eſſe alias duas cauſas, ſcilicet materiam, & agens quod reducit materiam de potentia in actum. Actio autem agentis ad aliquod determinatum tendit, ſicut ab aliquo determinato principio procedit. Nam omne agens agit, quod eſt ſibi conueniens. Id autem ad quod intendit actio agentis dicitur cauſa finalis. Sic igitur neceſſe eſt, eſſe cauſas quatuor.*

Colligit etiam Simplicius eundem numerum cauſarum hoc lib. 2. cap. 7. textu 68. & tandem probatur rationibus. Prima ratio. Quo res ſunt compoſitiores, eo pluribus cauſis indigent, ſed res naturales ſunt cõpoſitiores; ergo res naturales egẽt pluribus cauſis: ſed res naturales ſolum indigent quatuor cauſis; ergo quatuor tantũ ſũt cauſarũ genera. Probatur minor: quia ſolum indigent materia, ex qua fiant; forma, per quam perficiantur, & determinentur ad certam ſpeciem, eamque per actum ſubiectiuum; efficiente, a quo forma inducatur; & fine, cuius gratia agens ad agẽdum moueatur: poſitis enim huiuſmodi cauſis, nõ poteſt nõ eſſe res naturalis: quare in rebus naturalibus quatuor tantum cauſæ deſiderantur.

Secunda ratio. Cauſa dicit ordinem ad effectum: ergo vel intrinſecum, vel extrinſecum: ſi intrinſecum, vel perfectibilis & eſt materia; vel perficientis, & eſt forma: ſi extrinſecum: vel tanquam id a quo procedit, & eſt efficiens; vel tanquam ad id ad quod refertur, & eſt finis: ergo quatuor tantum ſunt cauſarum genera. Hic fere rationibus noſtram aſſertionem confirmãt P. Fonſ. 5. Metaph. cap. 7. quæſt. 1. ſect. 4. Pere. 8. Phyſico cap. 1. Soto lib. 2. q. 3. Conimbri. 2. Phyſico cap. 7. q. 2. art. 1. quibus locis citant alios permultos philoſophos huius ſententiæ.

IN TERTIA parte quæſt. dices primo. Inſtrumentum eſt cauſa; ſed inſtrumentum non continetur ſub aliquo ex generibus aſsignatis: ergo plura ſunt cauſarum genera. Reſpondemus negando minorem: nam inſtrumentum cõtinetur ſub cauſa efficiente. Sed dices. Cauſa efficiens 1.
definitur ab Ariſto. 2. Phyſico cap. 3. ita: id vnde primum mutationis, aut quietis principium ducitur; ſed hæc definitio nõ conuenit inſtrumento; ergo inſtrumentũ non continetur ſub definitione cauſæ efficientis tradita ab Ariſt. ergo inſtrumentum non eſt cauſa efficiens. Reſpondemus negando vltimam conſequentiam: nam

Ariſt. loco citato ſolum propoſuit diffinitionem cauſæ efficientis præcipuæ, ad quam reducitur inſtrumentum, quod eſt cauſa efficiens minus præcipua & inſtrumentaria.

Dices ſecundo. Cauſa exemplaris non continetur ſub aliquo ex his quatuor generibus cauſarum: ergo genera cauſarum plura ſunt quatuor. Reſpondemus negando antecedens. Sub quo tamen genere cõtineatur dicemus in tertia parte diſputationis: quia tunc, iam ex ſecunda parte dubitationis conſtabit quid ſit quæuis cauſa, & in quo eius cauſalitas conſiſtat.

Dices tertio. Actus pendent per ſe ab obiectis, in quæ feruntur, in aliquo genere cauſæ, ſed non in aliquo ex aſsignatis: ergo ſunt plura genera cauſarum. Probatur minor. Imprimis non in genere cauſæ materialis, aut formalis: quia quod extrinſecum eſt rei, vt ſunt obiecta reſpectu actuum, non poteſt eſſe cauſa materialis aut formalis illius. Deinde nec in genere cauſæ efficientis, aut finalis: quia actus ſumunt ſpeciem & rationem eſſentialem ab obiectis, at eſſentia rei non poteſt deſumi, a cauſa extrinſeca qualis eſt efficiens aut finis: ergo nõ pendẽt actus ab obiectis in aliquo genere cauſæ ex aſsignatis: quare plura ſunt cauſarum genera. Reſpõdemus negando minorem. Probationi reſpondemus, obiecta pertinere ad cauſam formalem: nam obiecta tribuunt eſſentiam actibus, non componẽdo illos intrinſece, ſed extrinſece determinãdo: vt docuit D.T. 1.2.q.1.art 3. Quod vero non conueniat obiectis definitio formæ tradita ab Ariſt. 2. phyſico. cap. 3. nullius eſt momẽti: quia illa eſt diffinitio formæ intrinſece inhærẽtis & componentis, non vero formæ extrinſece determinantis, quæ tamen reducitur ad genus cauſæ formalis.

Dices quarto. Album eſt cauſa ſaltem per accidens ædificij: quia accidit ædificatori, qui cauſa eſt per ſe ædificij, vt ſit albus, & tamen non continetur ſub aliquo ex quatuor generibus cauſarũ: ergo plura ſunt cauſarum genera. Reſpondemus, cauſam per accidens ſemper reduci ad cauſam per ſe cui accidit: quare, albũ eſt cauſa efficiens, licet per accidẽs, ædificij. Sed dices. Abſentia Nautæ eſt vera cauſa & 1o. per ſe ſubmerſionis Nauis; ſed non continetur ſub aliquo ex generibus cauſarum aſsignatis: ergo ſunt plura. Reſpõdemus negando minorem: nam cõtinetur ſub genere cauſæ efficientis. Sed dices. Efficien- 2o. tia cauſæ efficientis fundatur in exiſtentia & actu poſitiuo: ſed abſentia nautæ dicit carentiam iſtorum: ergo, &c. Reſpondemus diſtinguendo maiorem: ſi efficientia poſitiua, concedimus: ſi negatiua, aut priuatiua, negamus maiorem: nam ad effectũ priuatiuum ſufficit, vt aliquid concurrat per modum etiam priuatiui: effectus enim debet eſſe ſimilis cauſæ: quod ſit manifeſtum hoc exemplo. In motu claudicationis ſunt duo, ſcilicet illa actio poſitiua deambulandi, quæ eſt aliquid poſitiuum, & defectus rectæ deambulationis. In tybia etiam curua, quæ cauſa eſt illius defectuoſæ deambulationis duo itidem reperiuntur, ſcilicet virtus motrix ſecundum locum, quæ quid poſitiuum eſt, & cauſa per ſe deambulationis, vt eſt actio poſitiua: reperitur etiam defectus rectitudinis, ſiue reperitur defectus alicuius diſpoſitionis, vel partis naturalis ipſius tybiæ, a quo defectu pendet per ſe claudicatio, vt dicit carentiam debitæ & rectæ deambulationis. Eodem modo ob defectum præſentiæ ipſius nautæ ſequitur per ſe ſubmerſio nauis, non pro actione qua ſubmergitur; nã hoc fit a rapidiſsimis ventorum flatibus, vel ab alia cauſa poſitiua: ſed prout ſubmerſio dicit defectum conſeruationis nauis. Sed dices. Vt diximus in 1. q. de ra- 3o. tione cauſæ eſt influere: ergo quod nõ poteſt influere nõ poteſt eſſe cauſa: ſed quod ſe habet per modum priuatiui non poteſt influere: ergo nõ poteſt eſſe cauſa: ſed nauta, vt abſens eſt, ſe habet per modum priuatiui: ergo non poteſt influere: & conſequenter non poteſt eſſe cauſa. Reſponde-

mus

mus concedendo enthymema, & negando primam maiorem: nam, quod ſe habet per modũ priuatiui, rectè poteſt influere. Sed
4. dices. Vt diximus in 1. p. 1. q. priuatio, licet ſit principium tamen non eſt cauſa rei naturalis; quia non influit: ergo quod ſe habet per modum priuatiui nõ poteſt influere. Reſpondemus concedendo antecedens, & negando conſequentiam; nam ex eo quod priuatio, quæ principium eſt generationis naturalis, non influat, non ſequitur nullam priuationem influere. Sed vt hoc intelligatur obſeruandum eſt, priuationes dici exiſtere ante intellectũ, non tamen poſitiua exiſtentia, quia hoc repugnat illis: ſed potius negatiua, efficiendo ſcilicet vt non exiſtant habitus oppoſiti: ita etiam dicuntur influere influentia tamen priuatiua: quia ſcilicet media priuatione actus poſitiuus non influit, ſicut influere tenebatur: vt in ſuperiori exẽplo, defectus in tybia efficit per ſe, vt virtus motrix ſecundum locum non poſsit efficere deambulationem rectam, quam tenebatur efficere, ſed potius claudicationem: ita, abſentiam nautæ influere in ſubmerſionem nauis, nihil aliud eſt, quam præſentiam nautæ non influere in conſeruationem nauis, nauim gubernando, vt tenebatur. Ex quo infero, ſolam illam abſentiã nautæ dici proprie, & per ſe cauſam ſubmerſionis, quæ eſt abſentia nautæ, cui ex officio incumbebat clauum tenendo nauim gubernare, & tempore quo id præſtare tenebatur.

Dices vltimo. Qui conſulit, aut imperat eſt cauſa; ſed nõ cõtinetur ſub aliquo ex generibus cauſarum aſſignatis: ergo plura ſunt cauſarum genera. Reſpondemus negando minorem: nam Ariſto. ca. 3. huius lib. 2. proponens genus cauſæ efficientis inquit. *Præterea id vnde primũ mutationis, aut quietis principium ducitur: veluti is qui conſilium dedit, aut cœpit, &c.*
1. Sed dices. Cauſa efficiens debet producere effectum; ſed qui conſulit aut imperat, non producit effectũ: ergo qui conſulit, aut imperat non eſt cauſa efficiens. Pro ſolutione obſerua: cauſam duplicem eſſe, aliam phyſicam, & aliam moralem. Nomine cauſæ phyſicæ non intelligimus modo tantum cauſam naturalem, ſed omnem illam, quæ ſua met actione attingit effectum: qua ratione Deus, & Angeli dicuntur cauſæ phyſicæ voluntar; præterea quæ cauſa libera eſt, etiam phyſica appellatur. Cauſa moralis eſt illa, quæ ſua propria actione non attingit effectum, ſed mouet cauſam phyſicam, ad hoc vt efficiat: vt is qui conſilium præbet, vel incitat vt aliquis vindictam ſumat de inimico, illũ occidendo. Qui enim hoc conſilium dat, eſt cauſa moralis; qui vero inimicũ occidit, cauſa phyſica eſt occiſionis. Hoc poſito. Reſpondemus argumento, negando maiorem: nam cauſa moralis producit effectũ, non immediate; ſed media cauſa phyſi-
2. ca. Sed dices. Multoties poſita cauſa morali non ſequitur effectus: quia non operatur cauſa phyſica: ergo cauſa moralis multoties non eſt cauſa efficiens. Reſpondemus negando conſequentiam: quia cauſa ſolum dicitur cauſa actu, reſpectu effectus actu: vt docuit Ariſt. in fine cap. 3. his verbis. *Sed præter eas omnes, quæ & ſua vi & aliena cauſæ ſunt, aliæ quia poſſint facere: aliæ quia efficiant, in cauſis habentur &c.* Quare, quando actu non ſequitur effectus, cauſa moralis eſt cauſa in potentia tantum: at non eſt neceſſe vt poſita cauſa in potentia ipſa aliquid efficiat, & effectũ producat.

Sed pro intelligentia horum, quæ diximus perpendenda ſunt duo diſcrimina, quæ inter cauſam phyſicam & moralẽ inueniuntur. Differunt ergo primo: quia po- *1. Diſcri.*
ſita cauſa phyſica, & eius actione, non poteſt non ſequi effectus, ſiue cauſa phyſica ſit neceſſaria, ſiue libera: vt poſita calefactione, quæ actio eſt cauſæ phyſicæ neceſſariæ, non poteſt non ſequi calor, aut poſita frigefactione, nõ poteſt non ſequi frigiditas, quæ eſt terminus frigefactionis: tum etiam ſi ponatur aliquo actio volũta-
quæ

quæ eſt actio voluntatis, quæ cauſa phyſica eſt, & libera, non poteſt nõ ſequi volitio: poſita etiam deambulatione, non poteſt non ſequi vbi, ſiue locus per deambulationem acquiſitus. Poſita vero cauſa morali, & ſua actione poteſt non ſequi effectus: vt poſito conſilio de homine occidendo, poteſt non ſequi mors, ſiue occiſio hominis. Huius diſcriminis ratio eſt: quia actio cauſæ phyſicæ ſe ſola eſt ſufficiens & immediata productio effectus; & repugnat, vt poſita productione, & via non ponatur terminus, qui effectus eſt talis productionis. Actio vero cauſæ moralis non eſt ſufficiens & immediata productio effectus, cum moralis cauſa, abſque cauſa phyſica, ſuum effectum valeat conſequi: verbi gratia, qui conſilium dat alicui vt hominẽ occidat, nequit, ſolo conſilio hominem occidere, niſi mediet actio cauſæ phyſicæ. Ex hoc diſcrimine ortum habet

2\. *Diſcri.* ſecundum, quod eſt huiuſmodi. Inter cauſam phyſicam immediatam, & effectũ, nec mediat cauſa eiuſdem ordinis, ideſt phyſica; nec alterius, ideſt moralis; at inter cauſam moralẽ immediatam, & effectum, mediat cauſa alterius ordinis, ſcilicet phyſica.

Sed dices. Cauſa moralis ſua actione immediate attingit effectum: ergo eſt phyſica. Probatur antecedens: quia qui conſilium dat, ſua actione immediate attingit conſilium, quod eſt effectus immediatus. Reſpondemus, quod omnis cauſa moralis ſimul eſt cauſa phyſica reſpectu diuerſorum effectuum, & aliquando reſpectu eiuſdem: vt qui conſilium dat occidẽdi hominem, eſt cauſa phyſica conſilii; quia cõſilium immediate procedit ab illo, qui cõſilium dat: & eſt cauſa moralis occiſionis; quia ſecundum ſuam entitatem non pendet ab illo, qui cõſilium dedit, ſed potius ab eo qui occidit. Effectus enim omnes ſecundum ſuam entitatẽ ſunt a cauſa phyſica, & eliciti; reſpectu vero cauſæ moralis ſunt imperati. Dixi, & aliquando reſpectu eiuſdem: quia eadem cauſa reſpectu eiuſdem effectus poteſt eſſe ſimul moralis, & phyſica: vt Chriſtus Dominus, fuit cauſa moralis noſtræ iuſtificationis, patrem æternum pro noſtra iuſtificatione deprecando: fuit etiam idẽ Chriſtus Dominus cauſa phyſica noſtræ iuſtificationis; quia erat verus Deus, & homo: & Deus cauſa phyſica eſt noſtræ iuſtificationis, & cuiuſuis alterius effectus. Sed de his copioſe diſputant Theologi cum D. Tho. 3. p. in materia de Sacramentis variis in locis.

Ex dictis infero, Deum poſſe eſſe cauſam moralem alicuius effectus, conſulẽdo vel imperando, &c. tamen non poſſe eſſe pure moralem; ſed ſimul, adhuc reſpectu illius effectus, reſpectu cuius eſt cauſa moralis, eſt etiã cauſa phyſica: reſpectu enim cuiuſcunque effectus neceſſario debet eſſe Deus cauſa phyſica. Ratio eſt; quia nullus poteſt eſſe effectus, quem Deus non attingat immediate ſua actione, cum concurrat cum quauis cauſa ſecunda immediate, tã immediatione virtutis, quam immediatione ſuppoſiti, vt in 3. p. diſputationis latius dicemus.

SECVNDA PARS DISPVTATIONIS.

Quæſtio I. In quo conſiſtat cauſalitas materiæ.

Diuiſio quæſt. DIVIDITVR quæſt. in quatuor partes: prima explicabimus q. titulum: ſecũda, proponemus quædam fundamenta: tertia, noſtram ſententiam: & quarta ſatisfaciẽmus cõtrariis argumentis.

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Materia triplex eſt: alia

circa

Materia triplex. circa quam; vt obiectum reſpectu potentiæ, ſiue reſpectu ſcientiæ: & de materia ſumpta hoc modo non procedit quæſtio: quia hæc materia potius habet rationem cauſæ formalis, cū ab illa deſumatur ſpecies potentiæ, ſiue ſcientiæ, licet extrinſecæ. Alia eſt materia ex qua res fit, & ſic ſumitur materia reſpectu totius compoſiti, cuius eſt altera pars: vt ferrum eſt materia ex qua gladij. Et alia eſt materia in qua aliquid recipitur; & dicitur materia in ordine ad formam, quam recipit: vt materia prima leonis eſt materia, in qua recipitur forma leonis. Ruſſus hæc, alia eſt ex qua, ſiue ex cuius potētia educitur forma; vt materia prima inferiorū in ordine ad quamuis formā naturalē, excepta anima rationis participe: & alia, ex cuius potentia non educitur forma, licet in materia recipiatur: vt eadem materia prima reſpectu animæ rationis participis: & de materia ſumpta his modis procedit quæſtio.

Definitio materiæ. Secunda obſeruatio Ariſto. 2. phyſic. cap. 3. *hanc* propoſuit materiæ definitionem. *Id ex quo aliquid ita conficitur, ut in re ipſa inſit ac permaneat*: quæ definitio competit tam materiæ primæ, quam ſecūdæ tam naturali, quam artificiali. Totum enim compoſitum reſpectu accidentium etiam eſt, id ex quo aliquid ita conficitur, &c. quidquid dicat Pater Pererius lib. 6. cap. 2. nam etſi forma accidentaria non fiat ex toto compoſito tanquam ex parte componente, educitur tamen de potentia illius, in illoque recipitur: & hoc ſufficit, ad hoc vt definitio propoſita materiæ competat toti cōpoſito reſpectu formæ accidentariæ: ſin minus, nec conueniet materiæ primæ; cum forma naturalis non fiat ex materia prima tanquā ex parte componente. Modo ergo non ſolum diſputamus de cauſalitate materiæ primæ tantum, ſed de cauſalitate cuiuſuis materiæ.

Cauſa, cauſalitas & cauſatio differunt. Tertia obſeruatio. Cauſa, cauſalitas, & cauſatio differunt inter ſe: cauſa enim, vt diximus, eſt principium influens; cauſalitas vero eſt modus cauſādi ſiue influēdi, quo cauſat; cauſatio vero eſt ipſa actio ſiue efficiētia, quæ ſolum reperitur in cauſa efficiente. Eſt ergo cauſatio modus cauſandi cauſæ efficientis, vt in ſequentibus dicemus. Ex his manifeſtus eſt quæſtionis ſenſus. Inquirimus enim, in quo conſiſtat peculiaris modus cauſandi cuiuſuis materiæ.

IN SECVNDA parte quæſtionis ſit primum fundamentum. Materia & forma poſſunt dupliciter ſumi: primo reſpectu totius compoſiti, quod cauſant & componunt vt partes: ſecūdo inter ſe, vt ſcilicet materia tribuit aliquod eſſe formæ illam recipiendo; & vt forma recepta tribuit etiam materiæ aliquod eſſe: tamē nec materia dicitur pars formæ, nec forma pars materiæ: cum quælibet illarum ſit ſubſtantia ſimplex nullam admittens compoſitionem phyſicam. Dicitur tamen vna cauſa alterius propter rationem aſſignatam. Procedit ergo quæſtio de cauſalitate materiæ, tam reſpectu totius, quam reſpectu formæ: & inquirit in quo conſiſtat eius cauſalitas.

Secundum fundamentum. Cauſalitas materiæ modo magis præcipuo reperitur in materia prima reſpectu formæ ſubſtantialis, quam in aliis materiis: nihilominus omnes aliæ materiæ conuenient cū illa proportione quadam, quare de omnibus in communi dicemus. Sed cum formæ ſubſtantiales, quædam ſint, quæ de potentia materiæ educuntur: quædam vero, quæ non educuntur, vt anima rationalis, & formæ corporum cæleſtiū, quæ in prima mundi conſtitutione fuerunt a Deo cō creatæ ad compoſitorū, quorum ſunt formæ, creationem: proinde aliqua obiter dicemus in particulari de cauſalitate materiæ primæ reſpectu eductionis formarū.

Cauſalitas materiæ reſpectu totius. IN TERTIA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Cauſalitas materiæ reſpectu totius compoſiti conſiſtit in hoc, quod eſt dare eſſe toti compoſito ſuſtentando illius formam.

Cauſalitas materiæ reſpectu formæ

Secunda aſſertio. Reſpectu formæ conſiſtit in hoc, quod eſt dare quodd㪠eſſe formæ illam ſuſtentando per modum ſubiecti. Probatur vtraq. aſſertio. Materia reſpectu totius compoſiti, tum etiam & reſpectu formæ, eſt cauſa; quia influit in totum compoſitum, & in formam, illis tribuendo aliquod eſſe: ſed eius cauſalitas nõ conſiſtit in actiua productione; quia hoc proprium eſt cauſæ efficientis, & materia, vt diximus lib. 1 in ſecunda parte diſput. de principiis, eſt nullius actiuitatis: neq. conſiſtit in communicatione eſſe completi & determinati; quia hoc conuenit formæ: neq. in hoc, quod eſt ſua propria bonitate mouere agens ad operandum; cum hoc cõueniat cauſæ finali: ergo, a ſufficienti diuiſione, conſiſtit in hoc, quod eſt, ſuſtentando formam, tribuere illi aliquod eſſe, tum etiam & toti compoſito. Neq. eſt alicuius momenti ſolutio illorum, qui tenent, cauſalitatem materiæ conſiſtere in hoc, quod ex ipſa fiat aliquid per tranſmutationem, vt vult C. Toletus 2. phyſico q. 7. quia materia prima, quæ eſt in homine, vere & proprie eſt cauſa materialis hominis, & tamen ex ipſa non fit forma hominis per tranſmutationem: tum etiam materia corporum cœleſtium vere eſt cauſa materialis, & tamẽ ex illa non ſunt facta cœleſtia corpora per tranſmutationẽ. Probatur ſecundo. Quæuis materia, vt eſt materia, eſt principium paſsiuum: ergo ſolũ poteſt eſſe cauſa materialis recipiendo: ergo cauſalitas materiæ, tam reſpectu formæ, quam reſpectu totius compoſiti, conſiſtit in hoc, quod eſt, ſuſtẽtando formam, tribuere aliquod eſſe formæ, & toti compoſito.

Cauſalitas materiæ eadem ſecundum rem.

Tertia aſſertio Cauſalitas materiæ, reſpectu totius cõpoſiti, & reſpectu formæ, eadem eſt ſecundum rem, diſtincta tamen ratione. Probatur prima pars: quia reſpectu vtriuſq. conſiſtit in hoc quod eſt ſuſtẽtare formam per modum ſubiecti & recipientis. Secunda pars probatur: quia reſpectu totius compoſiti tribuit illi eſſe vt quid extrinſecũ: quod manifeſtum fit inductione: nam materia prima quid extrinſecum eſt reſpectu formæ ſubſtantialis: cũ tam materia, quã forma ſit ſubſtantia ſimplex, nullam admittens compoſitionem phyſicam, vt diximus in primo fundamento. Deinde reſpectu cuiuſuis formæ accidentariæ, naturalis, cum materia ſit ſubſtantia, & quæuis forma accidentaria ſit accidens. Tandem reſpectu formæ artificialis, accidentariæ, propter eandem rationem.

Dubitatio

Sed quæres. Qua ergo ratione concurrit materia ad actionem illam, per quam educitur forma de potentia materiæ. Reſpondemus, concurrere vt principiũ paſsiuum: eſt enim materia id, ex cuius potentia educit agens naturale formam: quia tamen hæc eductio formæ, eſt generatio, ſiue ſimpliciter, ſiue ſecundum quid: proinde adhuc in eductione formæ cõcurrit materia recipiendo formam: quia in generatione concurrit materia formam recipiendo. Hoc enim obſeruandum eſt diſcrimen inter cauſalitatem materiæ reſpectu formarum, quæ de potentia materiæ educuntur; & reſpectu formarum, quæ non educuntur de potentia materiæ: quod hæ ſolum pendent a materia in conſeruari ſub certo eſſe, in quo illas ſuſtentet: illæ vero, in conſeruari & fieri: pẽdent enim, adhuc ſecũdum ſuam eductionem a materia. Vnde infero: quod ſi Deus crearet animam, verbi gratia leonis, & illã infunderet in materiam, tunc anima leonis ſolum penderet a materia in conſeruari. Idem iudiciũ eſſet de aliis formis, quæ educuntur de potentia materiæ, ſi fierent a Deo per creationem.

IN QVARTA parte quæſt. dices primo. Materia non eſt cauſa: ergo eius cauſalitas non cõſiſtit in ſuſtẽtatione formæ. Probatur antecedens: Omnis cauſa efficit ſuum effectum; ſed materia, cum nullius ſit actiuitatis, nihil efficit; ergo materia non eſt cauſa. Reſpõdemus negãdo antecedens. Probationi reſpondemus,

efficas

efficere dupliciter ſumi: primo media vera actione & ſic ſola cauſa efficiens efficit. ſecundo ſumitur efficere lata ſignificatione prout idem eſt ac influere, ſiue cauſare, & ſi efficere ſumatur in hac ſignificatione, concedimus maiorem, & negamus minorem: nam ad hoc vt materia efficiat, id eſt, cauſet vel influat, non requiritur quod ſit

1. alicuius actiuitatis. Sed dices. Omnis cauſa, quādo cauſat, debet eſſe in actu: ſed materia prima non eſt in actu, cum ſecundū eſſentiam ſit pura potentia: ergo materia prima non poteſt eſſe cauſa. Reſpōdemus negando maiorem: quia cū cauſalitas materiæ conſiſtat in receptione formę, debet neceſſario materia, ad hoc vt cauſet, eſſe in potentia, non obiectiua ſed ſubiectiua: quia vt diximus in quæſt. de materia prima, materia prima actu eſt ens, eſt tamen ſi ſecundum ſe ſumatur, pura potentia ſubiectiua.

2. Sed dices. Materia quando cauſat, debet eſſe in potentia ſubiectiua, ex eo quod eius cauſalitas conſiſtit in receptione ſiue ſuſtentatione formæ: ergo non eſt cauſa reſpectu illius quod non recipit: ſed non recipit totum compoſitum ſed ſolum formā: ergo materia non eſt cauſa reſpectu totius compoſiti; ſed reſpectu formæ tantum: quare falſa eſt prima aſſertio. Reſpōdemus negando conſequentiā: quia materiæ cauſalitas conſiſtit in receptione & ſuſtentatione, non quia ſolū ſit cauſa reſpectu illius quod ſuſtentat; ſed quia reſpectu cuiuſuis eſt cauſa ſuſtentādo formam: quare reſpectu totius compoſiti vere & proprie eſt cauſa; quia ſuſtentando formam intrinſecum tribuit eſſe toti compoſito. imo cauſalitas materiæ magis pręcipue eſt reſpectu totius compoſiti, quamuis prior natura ſit reſpectu formæ: nam proinde materia in ſuo genere cauſat formam, vt ex forma & materia fiat totum compoſitum.

Dices ſecundo. Cauſalitas ſiue modus cauſandi materiæ conſiſtit in receptione formæ: ergo anima rationalis, quæ vere eſt forma corporis humani, pendet a materia trāſmutabili. quod certe videtur manifeſte pugnare cū animæ immortalitate. Reſpondemus concedendo conſequentiā, & negando pugnare cum animæ rationalis immortalitate: quia formæ, aliæ ſunt, quæ pendent a materia quoad entitatem; quia ſcilicet illarum entitas fuit facta dependenter a materia: & huiuſmodi ſunt omnes formæ, quæ educūtur de potentia materiæ ſiue ſint ſubſtantiales; ſiue accidentariæ naturales, aut artificiales. Aliæ vero ſunt formæ, quæ non pendent a materia quoad entitatem, ſed ſolum quoad modū realem: quia ſcilicet, eo quod a materia ſuſtentantur, accipiūt quendam modum realem non tamen realiter diſtinctū, vt ſatis abunde diximus lib. 1. in quæſt. de materia & forma. Anima ergo rationalis pendet a materia, cum ſit forma quæ non educitur de potentia materiæ, non ſecundum ſuam entitatem, ſed ſolum ſecundum modum realē, quo actu eſt forma corporis: quod certe nullo modo pugnat cū animæ rationalis immortalitate. *Anima rationalis pendet a materia, quoad certum modū*

Dices tertio. Cauſalitas materiæ reſpectu totius compoſiti conſiſtit in compoſitione per modum partis perfectibilis: ergo non in receptione formæ. Reſpondemus negando conſequentiā: quia concurrit vt pars perfectibilis formam recipiendo & ſuſtentando.

Dices vlt. Cauſalitas materiæ reſpectu formæ, & totius compoſiti eſt eadem ſecundum rem, & diſtincta ratione, vt docet tertia aſſertio: ergo aut cauſarum genera ſūt plura quatuor, aut pauciora. Probatur conſequentia: quia ad multitudinem & diſtinctionem cauſarum requiritur diſtinctio realis, aut rationis: ſi realis: ergo ſunt pauciora quatuor: cum forma finis & efficiens ſæpe coincidant vt docet Ariſt. 7. c. huius lib. 2. (idem argumentum fieri poteſt in aliis generibus cauſarum) ſi ſufficit diſtinctio rationis: ergo ſūt plura cauſarum genera: cum cauſalitas materiæ reſpectu formæ diſtinguatur ratione a cauſalitate ipſiuſmet materiæ reſpectu totius

compoſiti. Reſpondemus negando conſequentiã. probationi reſpondemus, ad diſtinctionem cauſarum ſufficere diſtinctionem rationis: non tamen quamuis: ſed illam tantum quæ eſt diſtincta ratio formalis cauſandi. Quare, licet cauſalitas materiæ reſpectu formæ diſtinguatur ratione a ſeipſa reſpectu totius compoſiti, iſtæ tamen cauſalitates non conſtituunt diſtinctum genus cauſæ, quia non diſtinguuntur formaliter in ratione cauſãdi: quemadmodum enim, vt diximus in diſputatione de principiis 1. p. q. 1. materia vt eſt principium generationis diſtinguitur formaliter a ſeipſa, vt eſt principium rei genitæ & tamẽ materia, iſtis duobus modis ſumpta, non cõſtituit duo principia; quia illa diſtinctio formalis nõ eſt in ratione principiãdi: quia tam reſpectu generationis, quam rei genitæ eſt principiũ vt ſubiectũ: ita cauſalitas materiæ reſpectu formæ, & totius cõpoſiti eadem ſemper eſt: quia nõ diſtinguitur in ratione cauſandi: cum reſpectu vtriuſque cauſet materia formã recipiendo & ſuſtentando.

Quæ diſtinctio rationis requiratur ad diſtinctionem cauſarum.

QVAESTIO II.

In quo cõſiſtat cauſalitas formæ.

Diuiſio quæſt.

DIVIDITVR quæſt. in tres partes: quarum prima quaſdam proponemus obſeruationes: ſecunda, aſſertiones: tertia ſatiſfaciemus contrariis rationibus.

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Omiſſis variis formæ acceptionibus, quas adduximus lib. 1. in 3. parte diſputationis de principiis q. 1. nomine formæ intelligimus modo formam informantem tam ſubſtantialem, quam accidentalem, tam naturalem, quam artificialem. Forma hæc definitur. Quæ immediate dat eſſe per realem cõiunctionem cũ ſubiecto. Dixi immediate; quia cauſa efficiens dat eſſe effectui non tamen immediate, ſed media forma a ſe producta. Dixi per realem coniunctionem; quia exemplaris cauſa dat eſſe non tamẽ per realem coniunctionem: item etiam præſtant obiecta reſpectu actuum, & ſcientiarum.

Secunda obſeruatio. Forma habet plures effectus tam in compoſito, quã in materia. Vbi obſeruandum eſt nomine compoſiti intelligere nos modo ſubiectum ſimul cum forma, ſiue tale ſubiectum ſit materia prima, quale eſt ſubiectum formarũ ſubſtantialium, ſiue ſit totum compoſitũ vt ſubiectum formarum accidentalium, tam naturalium, quam artificialium; verbi gratia lignum reſpectu caloris, ſiue æs reſpectu figuræ mercurij. Primum ergo dat forma tam materiæ, quam toti compoſito eſſe ſpecificum completum, & modo quo explicuimus in q. de forma, & materia. Deinde forma cauſa eſt exiſtentiæ materiæ, & totius compoſiti: vt enim ſæpe diximus in q. de materia prima, forma ſubſtantialis tribuit materiæ primæ exiſtentiam realem, ſola tamen ratione diſtinctã ab exiſtentia, quam ex ſe habet materia prima; tribuit etiam exiſtentiam partialem toti compoſito: quia per exiſtentiam materiæ, & formæ exiſtit totum compoſitum; imo, vt diximus q. 4. de materia, totum compoſitum non habet exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia materiæ, & formæ. Præterea habet forma determinare in differentiam materiæ: cum ergo hæc omnia præſtet forma, inquirimus in quonam eius cauſalitas conſiſtat.

Forma habet plures effectus.

Tertia obſeruatio. Vt ſe habet forma ſubſtantialis reſpectu materiæ primæ, & reſpectu totius compoſiti naturalis, ita ſe habet forma accidentaria reſpectu materiæ ſecundæ, quæ eſt totum compoſitum naturale, & reſpectu totius accidentarij: vt enim forma ſubſtantialis, verbigratia forma leonis, tribuit primo materiæ primæ, & leoni eſſe eſſentiæ, & conſequenter eſſe exiſtentiæ modo explicato, determinat etiam materiã primam ita ad hoc eſſe, vt non ad aliud; eodem modo forma acci-

dentaria

dentaria prædio eſſe quoddam eſſentiale, & conſequenter quoddam eſſe exiſtentiæ, determinatque materiam. Sed dicet. Qua ratione poteſt forma accidentaria tribuere toti compoſito naturali, quod ſubſtantia eſt, eſſe eſſentiale. Reſpondemus, totum compoſitum poſſe ſumi dupliciter. Primo ſecundum ſe, & hac ratione accidit illi quæuis forma accidentaria. Secundo poteſt ſumi vt eſt ſub hac forma accidentaria, & hac ratione eſſentialis eſt illi talis compoſito modus quidam, quem habet in ordine ad formam accidentariam: quemadmodum materiæ primæ ſecundum ſe ſum per accidit inclinatio; & potentia proxima ad formam leonis; hæc vero eadem potentia eſſentialis eſt illi, ſi ſumatur vt eſt materia huius leonis: ex forma enim accidentaria, & ex ſubiecto ſubſtantiali fit vnum ens per ſe, & eſſentiale; licet non ſubſtantiale; dummodo ſumatur ſubiectum non ſecundum propriam rationem, ſed vt dicit potentiam ad illam formam, vt diximus in ſecunda parte diſp. de principiis, quæſt. ſecunda, obſeruatio 3. Sed obſeruandum eſt, formam accidentariam determinare materiam, non tamen eo modo, quo forma ſubſtantialis: nam forma ſubſtantialis ita determinat materiam, vt ſolum poſſit eſſe ſub vna forma ſubſtantiali: at vero poteſt eſſe materia ſub multis formis accidentariis ſimul pertinentibus ad diuerſas ſpecies.

Quarta obſeruatio. Effectus formæ duplex eſt: alter primarius, qui eſt eſſe eſſentiæ: & alter ſecundarius, qui eſt eſſe exiſtentiæ.

IN SECVNDA parte quæſtionis ſit aſſertio. Cauſalitas formæ conſiſtit in hoc, quod eſt dare immediate eſſe eſſentiæ ſpecificum, & determinatum tam materiæ, quam toti compoſito per realem coniunctionem cum materia. Explicatur aſſertio. Dixi immediate, ad differentiam cauſæ efficientis, quæ dat etiam eſſe eſſentiæ media tamen forma. Dixi, per realem coniunctionem, ad differentiam formæ exemplaris, & cuiuſcumq. rei extrinſece determinantis, & tribuentis ſpeciem: exemplaris enim ratio intrinſeca non determinatur, ad quod tamen genus cauſæ pertineat, dicemus tertia parte huius diſputationis.

Probatur aſſertio. Forma cauſat intrinſece; ergo dando eſſe intrinſecum primo & immediate: ſed tale eſſe eſt eſſe eſſentiæ: ergo cauſat dando eſſe eſſentiæ: ergo eius cauſalitas conſiſtit in hoc, quod eſt dare eſſe eſſentiæ. Deinde, huiuſmodi eſſe eſſentiæ eſſe ſpecificum determinatum conſtat; quia materia indifferens eſt ad quamcumq. formam; vt conſtat ſatis ex quæſtionibus ſecundæ partis diſputationis de principiis. Tribuere vero tale eſſe toti compoſito & materiæ, probatur. Imprimis toti compoſito: quia hic leo, verbi gratia, non pertinet ad certam ſpeciem animalis per materiam, quam habet, ſed per formam, a qua deſumitur differentia ſpecifica: nam illamet materia ſecundum rem, quæ eſt in hoc leone, manet, corrupto hoc leone, ſub forma cadaueris, cum, idem ſubiectum manere ſub vtroque termino generationis & corruptionis, demonſtratum ſit a nobis ſæpe in diſputatione de principiis: & doceat communis philoſophorum conſenſus cum Ariſt. Deinde materiæ; nam a forma, qua informatur, habet materia, quod eſſentialiter ſit talis & pars intrinſeca rei, cuius eſt materia: nam de ratione materiæ eſt potentia, & ordo ad quamcumq. formam: accidit vero illi, ordo ad formam determinatam: qui tamen ordo eſſentialis eſt illi, ſi ſumatur vt materia eſt talis compoſiti: verbi gratia, materia, quæ eſt ſub forma huius leonis, ſi ſumatur ſecundum ſe, & vt eſt materia, eſſentialiter illi conuenit ordo ad quamcumq. formam: accidit tamen illi ordo ad formam huius leonis, ſed hic ordo eſſentialis eſt illi, ſi ſumatur vt eſt materia huius leonis, & altera pars eſſentialis illius.

Secunda aſſertio. Forma dando eſſe eſſentiæ, dat etiam ſecundario & conſequenter eſſe exiſtentiæ toti compoſito, & ma-

Forma accidentaria tribuit eſſe eſſentiale toti compoſito.

Effectus primarius & ſecundarius.

tetiæ, determinatque materiæ indifferen-
tiam. Hæc aſſertio manifeſta eſt ex dictis ſu-
pra, vt diximus in ſolutione vltimi argu-
menti ſuperioris q. vt materia eadem cau-
ſalitate dat eſſe toti compoſito, & formæ;
&, ſub eadem ratione principiandi, eſt
principium generationis, & rei genitæ: ita
forma, eadẽ cauſalitate, tribuit primo &
immediate eſſe eſſentiæ determinatum to-
ti compoſito, & materiæ; ſecundario vero
eſſe exiſtentiæ, & determinationem mate-
riæ. Quare, primarius effectus formæ eſt
determinatum eſſe eſſentiæ totius compo-
ſiti & materiæ: eſſe vero exiſtentiæ & de-
terminatio materiæ ſunt etiã effectus for-
males, licet ſecundario. Hæc enim omnia
præſtat forma per eandẽ cauſalitatẽ ſecun-
dũ rem, & formaliter in ratione cauſandi.

IN TERTIA parte quæſt. dices
primo. Cauſalitas formæ cõſiſtit in hoc,
quod eſt dare eſſe eſſentiæ, & exiſtentiæ
toti compoſito: ſed idem præſtat materia:
ergo materia, & forma, cum habeant ean-
dem cauſalitatẽ, non diſtinguuntur in ra-
tione cauſandi. Reſpõdemus negando ma-
iorem: nam forma cauſat dando eſſe eſſen-
tiæ determinatum, licet incõpletum, tam
materiæ, quam toti compoſito: quod non
præſtat materia, quæ tribuit eſſe eſſentiæ
& exiſtentiæ toti compoſito, & formæ, in-
1. determinatũ tamen. Sed dices. Eſſe eſſen-
tiæ, & exiſtentiæ totius compoſiti eſt par-
tim a materia, & partim a forma, vt dixi-
mus in ſecũda parte diſputationis de prin-
cipiis q. 4. in 3. & 4. parte quæſt. ergo ma-
teria & forma non conſtituunt diuerſas
cauſas completas, ſed potius ex vtraque
fit vna cauſa completa totius compoſiti.
Reſpondemus negando conſequentiam:
nam, etſi quæuis tribuat eſſe partiale, ni-
hilominus quæuis eſt cauſa totalis in ſuo
genere: nam forma tribuit eſſe eſſentiæ &
exiſtentiæ toti compoſito illud determi-
nando ſub certa ſpecie completa: at mate-
ria tribuit etiam toti compoſito eſſe eſſen-
tiæ, & exiſtentiæ ſuſtentãdo formam, per
quã determinatur, & pertinet reductiue,
& vt pars ad certam ſpeciẽ completam,
ſcilicet ad ſpeciem totius, cuius eſt mate-
ria. Sed dices. Materia non determinatur 2.
per formã: ergo falſa eſt ſolutio: tum etiã
& 2. aſſertio. Probatur antecedens. Si
poſſet determinari vel immediate; vel per
diſpoſitiones, vt per inſtrumenta formæ:
ſed neutro modo: ergo, &c. Probatur mi-
nor. Imprimis nõ immediate: quia forma
ſubſtantialis eget certis diſpoſitionibus,
ad hoc vt introducatur. Deinde nec per di-
ſpoſitiones, vt per inſtrumenta: quia, ha-
bere inſtrumenta proprium eſt ſolius cau-
ſæ efficientis: ergo, &c. Reſpondemus ne-
gando antecedens. Probationi negando
minorem: nã determinatur mediis diſpoſi-
tionibus, quæ tamen non concurrunt vt
inſtrumenta, vt falſo aſſumit argumentũ:
ſed potius reducuntur ad genus cauſæ ma-
terialis: cum præparent materiam ad for-
mæ receptionem, auferendo a materia im-
pedimentum, id eſt, diſpoſitiones contra-
rias formæ recipiẽdæ. Forma ergo deter-
minat materiam mediis diſpoſitionibus
in genere cauſæ materialis; & immediate,
& ſeipſa, in genere cauſæ formalis, tribuẽ-
do eſſe ſpecificum determinatum: eget e-
nim forma, ad hoc vt introducatur, vt ma-
teria ſit diſpoſita certis diſpoſitionibus.
Sed dices. Omnis forma ex ſe eſt determi- 3.
nata & finita: ergo non eget determinatio-
ne materiæ. Reſpondemus, omnem formã
ex ſe eſſe determinatam, id eſt nõ infinitã,
ſed finitam; quæ determinatio appellatur
determinatio ſimpliciter: eſt tamẽ alia de-
terminatio ſecundum quid intra eandem
ſpeciem, quæ nihil aliud eſt, quam partici-
patio rationis ſpecificæ in gradu determi-
nato; verbi gratia, albedo vt 4. dicitur
forma determinata; quia participat gra-
dum determinatum & certum intra ſpeciẽ
albedinis. Omnes ergo formæ ſubſtãtia-
les egent diſpoſitionibus in materia, ad
hoc vt determinentur ſecundum quid, id
eſt, ad hoc vt habeant certum gradum in-
tra talem ſpeciem; verbi gratia forma hu-
ius leonis mediis diſpoſitionibus in ma-

Determinatio ſimpliciter & ſecundum quid.

teria

teriæ ſit forma huius leonis, & participat certam differentiam indiuidualem determinatam. Indiuidua enim, vt talia ſunt, eſſentiam habent ſpecificæ eſſentiæ ſuperadditam, vt diximus q. 1. de principio indiuiduationis in 2. parte q. & in Logica cap. de ſubſiſtentia, q. 5.

Dices ſecundo. Dare eſſe eſſentiæ conuenit cauſæ efficienti: ergo non conuenit formæ. Reſpondemus diſtinguendo antecedens ita: mediate concedimus: immediate, negamus antecedens: efficiens enim tribuit eſſe eſſentiæ media forma a ſe producta; forma vero immediate, & ſeipſa tri-

1. buit eſſe eſſentiæ. Sed dices. Cauſalitas formæ, de qua loquimur, complectitur etiam cauſalitatem formæ accidentariæ, tam naturalis, quam artificialis: ergo non poteſt conſiſtere in hoc, quod eſt dare eſſe eſſentiæ. Probatur conſequentia: quia accidentaria forma, cum accidat rei, non poteſt illi tribuere eſſe eſſentiæ. Reſpondemus negando conſequentiam. Probationi reſpondemus ex 3. obſeruatione, formam accidentariam accidere materiæ, in qua recipitur, ſi ſumatur talis materia ſecundum ſuam propriam rationem: eſſe vero illi eſſentialem, ſi ſumatur, vt eſt in potentia ad illam. Albedo enim accidit homini: eſſentialis

2. tamen eſt albo. Sed dices. Effectus formalis non poteſt ſuppleri a Deo: ſed exiſtentia materiæ, & totius compoſiti poteſt ſuppleri a Deo; ergo exiſtentia materiæ, & totius compoſiti nõ eſt effectus formalis. Probatur minor: quia materia prima poteſt exiſtere abſq. forma, vt diximus in 2. parte diſputationis de principiis q. 5. & Chriſtus Dominus, qui verus homo eſt, habet exiſtentiam, non tamen a forma & propriam, iuxta opinionem D. Tho. Reſpondemus primo. Effectus primarius, qua- *Effectus primarius formæ nõ poteſt ſuppleri a Deo.* lis eſt eſſe eſſentiæ, concedimus maiorem: exiſtentia vero, vt cõſtat ex dictis, eſt effectus ſecundarius formæ. Reſpondemus ſecundo negando, humanitatem in Chriſto nõ habere propriam exiſtentiam: licet enim humanitas in Chriſto non habeat propriam ſubſiſtentiam, habet tamen propriam exiſtentiam, vt docet Durandus 3 ſenten. diſtinct. 6. q. 2. & alij Theologi. Sed di- 3.
ces. Effectus primarius formæ non poteſt ſuppleri a Deo: ergo eſſe eſſentiæ materiæ non eſt primarius effectus formæ. Probatur conſequentia. Eſſe exiſtentiæ ſupponit eſſe eſſentiæ: ſed materia prima poteſt habere eſſe exiſtentiæ abſque forma, ergo & eſſe eſſentiæ: ergo eſſe eſſentiæ materiæ non eſt primarius effectus formæ. Reſpondemus negando conſequentiam. Probationi diſtinguendo minorem ita. Eſſe exiſtentiæ materiæ ſecundum ſe concedimus: eſſe exiſtentiæ talis materiæ negamus minorem: forma enim ſolum tribuit materiæ eſſe eſſentiæ, & exiſtentiæ determinatum: ex ſe vero habet materia eſſe tam eſſentiæ, quam exiſtentiæ, vt diximus in 2. parte diſputationis de principiis q. 4. Sed di- 4.
ces. Forma non ſolum præſtat quos retulimus effectus, ſed etiam formam expellit, in quo ergo genere cauſæ id præſtat? Dubitatio hæc modo erat pertractanda: quia tamen illius ſolutio pendet ex cognitione cauſalitatum omnium cauſarum, proinde illam pertractabimus aut in fine huius ſecundæ partis aut in 3. parte huius diſputationis.

QVAESTIO III.

In quo conſiſtat cauſalitas cauſæ efficientis.

PRÆSENS quæſtio diuiditur in 4. partes: quarum prima explicabimus cauſæ efficientis diffinitionem, & proponemus quaſdam cauſæ efficientis diuiſiones: ſecunda quaſdam obſeruationes, & quædam fundamenta: tertia noſtram ſententiam: quarta contrariis rationibus ſatisfaciemus. *Diuiſio quæſt.*

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Ariſt. 2. Phyſico. cap 3. hanc propo-

propoſuit cauſæ efficientis definitionem. *Id unde primũ mutationis aut quietis principium ducitur.* Pro intelligentia definitionis obſeruandum eſt, per particulam, primum principium, excludi cauſas, quæ nõ ſunt præcipuæ, ſed inſtrumẽtariæ. Per particulam, mutationis aut quietis, &c. excluduntur principia, quæ non influũt, tametſi ſunt cauſa materialis, formalis, & finalis: materialis, & formalis; quia vt ex duabus ſuperioribus quæſtionibus conſtat, materia & forma non cauſant medio motu ſiue mutatione, ſed ſe ipſis dãdo eſſe intrinſece, & immediate. Vt vero intelligamus qua ratione differat efficiẽs a fine per propoſitam definitionem, obſeruandum eſt, motum ſumi dupliciter; vno modo metaphorice, qualis eſt motio cauſæ finalis, & appellatur a multis motus in intentione: & alio modo phyſice, qualis eſt generatio, motus ad quantitatem, qualitatem, & vbi: & motus iſto ſecundo modo ſumptus appellari ſolet motus in executione: quia ille motus, qui eſt a fine non mouet agens ad operandum, niſi per apprehenſionem & deſiderium: qui vero eſt phyſicus, mouet per veram & realem motionem. Deinde, quæ agunt medio motu phyſico, alia per veram mutationem, vt ignis calefaciendo lignum, leo generando leonem, &c. & alia per ſimplicem emanationem: vt ea, quæ fiunt a Deo per creationem & proprietates, quę eſſentiam rei cõſequuntur. Creatio enim eſt productio rei per ſimplicem emanationem, nõ vero per veram mutationem: nam, vt ſæpe dictum eſt, de ratione veræ mutationis eſt, vt ſupponatur ſubiectum ſub vtroque termino, quod aliter ſe habeat nũc, ac prius; in creatione vero, quæ eſt productio ex nihilo, non ſupponitur ſubiectum. Differt ergo efficiens a fine per vltimam particulã definitionis propoſitæ, quæ intelligi debet de mutatione phyſica, quæ in fine non reperitur. Sed quæres, an propoſita definitio conueniat cuicumque cauſæ efficienti phyſicæ. Reſpõdemus, ſi per mutationem intelligit Ariſt. mutationem propriè, ſolum conuenit cauſæ efficienti, quæ efficit medio mutatione, quæ propriè mutatio eſt: ſi vero nomine mutationis intelligat etiam ſimplicem emanationem, conuenit propoſita definitio cuicumq. cauſæ efficienti.

Explicatur definitio efficientis.

Motus metaphorice, & proprie.

Vera mutatio & ſimplex emanatio.

Prima diuiſio. Cauſa efficiens duplex eſt, ſcilicet phyſica, & moralis, vt diximus 1.p. huius diſp. q. 2. in fine. Rurſus phyſica alia eſt naturalis, quæ ſuamet natura operatur, vt Deus, Angeli, & omnia entia naturalia cum liberat... homo in actionibus, quæ pendent a voluntate: quam neceſſaria: vt ignis, leo, &c. & alia artificialis, quæ operatur media forma, quæ eſt ars, vt principio effectiuo immediato; verbi gratia architectus.

Cauſa efficiens alia phyſica & alia moralis.

Secũda diuiſio. *Cauſa efficiens alia eſt* præcipua, quæ agit propria virtute, id eſt media quadam forma permanente exiſtente in illa, & proportionata effectui: verbi gratia ignis reſpectu calefactionis: quia ad producendum calorem media calefactione habet in ſe calorem, qui eſt forma proportionata calefactioni: quare agens omne principale, excepto Deo, eget concurſu alterius ad operandum, ſcilicet concurſu ipſius Dei; tamen nullam eget eleuatione; quia proportionatum eſt ad operãdũ: & alia inſtrumentaria, quæ non habet in ſe virtutem permanentem proportionatã, ſed eleuatur virtute agentis præcipui ad actionem inſtrumentariam efficiendam; nam reſpectu illius non habet in ſe virtutem permanentem proportionatam; verbi gratia ferra, reſpectu actionis artificioſæ, nõ habet in ſe formam proportionatam, quæ eſt ars, ſed eleuatur actio ferræ ab agente, quod eſt forma exiſtens in artifice, qui eſt agens artificiale proportionatum. Eleuatur ergo inſtrumentum reſpectu actionis inſtrumentariæ, non vero reſpectu propriç. In inſtrumẽto enim duplex actio reperitur: alia propria, quæ eſt a propria virtute; & alia inſtrumentaria, quæ eſt per virtutem a cauſa propria cõmunicatam.

Præcipua cauſa.

Inſtrumentaria.

Sed

Actio propria duplex.

Sed adhuc actio propria duplex eſt: alia, quę diſtinguitur realiter ab actione inſtrumentaria: & alia, quæ ſola ratione: verbi gratia ſciſsio in ſerra eſt actio propria ſerræ; vt vero eadē ſciſsio ſerræ tendit ad efficiendam rem artificialem, eſt actio inſtrumētaria, & eleuata ſola ratione diſtincta. Productio vero caloris, e calore ignis eſt actio propria caloris, & diſtincta realiter a productione, per quam idem calor vt inſtrumentum ignis, producit ignem. Deinde inſtrumentum diuiditur in coniunctum, quod eſt in ſuppoſito, quod eſt agens præcipuū: vt frigiditas in niue, ſiue calor natiuus reſpectu nutritionis; & aliud ſeparatum ita, vt ſit diſtinctum ſuppoſitū a præcipuo agēte, vel in ſuppoſito diſtincto: vt ſerra reſpectu ſciſsionis. Inſuper inſtrumētum ſeparatum aliud eſt, quod non eget actuali motione præcipui agentis, & tale inſtrumentum poteſt operari non ſolum abſente præcipuo agente, ſed etiam corrupto: verbi gratia ſemen: & aliud quod nō poteſt operari abſq. actuali motione præcipui agentis, ſed neceſſario debet illi cōiungi, & eſſe ſimul cum illo ſiue duratione, ſiue loco. Sed hoc melius intelligetur propoſita ſequenti diuiſione.

Cauſa efficiens mediata, & immediata.

Tertia diuiſio. Cauſa efficiens alia eſt immediata, inter quam, & effectum nihil mediat: vt calor producens calorē eſt cauſa immediata illius inſtrumentaria tamē, & ignis producens eſt etiam cauſa immediata præcipua tamen: & alia mediata, inter quam, & effectum mediat aliquid: ſed hęc mediatio poteſt eſſe aut ſecundū locū ita, quod inter effectum, & cauſam mediat localiter aliud corpus: vt quando agens, & paſſum non ſunt cōtigua: verbi gratia quando ignis producit in ligno calorem, & mediat aer: aut in ratione cauſandi ita: quod inter cauſam mediatam, & effectum alia mediat cauſa efficiens vel eiuſdem ordinis, vel diuerſi. Immediatio etiam, cum tollat mediationem, duplex etiam eſt: alia ſecundum locum: vt quādo agens, & paſſum ſunt contigua, & alia [illegible]

fandi, quando ſcilicet inter cauſam, & effectum nulla cauſa media reperitur.

Synonyma & æquiuoca.

Quarta diuiſio. Cauſa efficiens alia eſt ſynonyma, quæ producit effectū eiuſdem ſpeciei: vt leo generans, & producens leonem, qui eſt eiuſdem ſpeciei: & alia æquiuoca, quæ producit effectum diuerſę ſpeciei: vt ſol eſt cauſa æquiuoca hominis. Rurſus cauſa æquiuoca alia eſt magis pręcipua: vt Deus; & alia minus præcipua, verbi gratia reſpectu hominis geniti, Deus eſt cauſa æquiuoca magis præcipua, & ſol minus præcipua; hæc tamen ſub diuiſio non poteſt accommodari cauſæ ſynonymæ.

Cauſa uniuerſa & particularis.

Quinta diuiſio. Cauſa efficiēs alia vniuerſa, quæ poteſt producere plures effectus ſubſtātiales ſpecie diuerſos: vt Deus, ſol, &c. & alia particularis, quæ tantum poteſt efficere vnum effectum ſubſtantialem ſecundum ſpeciem: vt homo, leo, &c. Cauſa enim particularis poteſt producere plures effectus accidentarios ſpecie diſtinctos, non tamen ſubſtātiales: vt ignis, qui eſt cauſa efficiens particularis, poteſt indurare lutum, & liquefacere ceram. Inter cauſas vniuerſas Deus eſt cauſa omniū vniuerſaliſsima, & magis præcipua, & appellatur cauſa prima: quia omnes illi ſunt inferiores, & ſubordinatæ: Deus vero nulli cauſæ; aliæ enim cauſæ ita cauſæ ſunt, vt reſpectu alterius ſint etiam effectus: Deus vero ita cæterorum cauſa exiſtit, vt ipſe nullius cauſæ ſit effectus; ac proinde merito prima cauſa appellatur. Omnes vero aliæ cauſæ tā vniuerſæ, quā particulares, cauſæ ſecundæ nominantur.

Cauſa totalis, & partialis.

Sexta diuiſio. Cauſa efficiens alia totalis, quæ non indiget alia eiuſdem generis & ordinis ad producēdum effectum: vt ignis eſt cauſa totalis alterius ignis: quia ſi ſolo, abſq. altera cauſa eiuſdem generis & ordinis, ignem producit: nam licet concurrant etiam ad productionem ignis materia, & cauſæ vniuerſæ, illæ tamen in diuerſo genere, & iſtæ in diuerſo ordine. & alia partialis, quæ ad productionem effec-

ctũ æget adminiculo alterius cauſæ eiuſdem generis, & ordinis: vt ſi multi homines ferant aliquod magnum corpus, quiuis horũ hominum cõcurrit vt partialis.

Septima diuiſio. Cauſa efficiẽs alia eſt, a qua effectus pendet in fieri, & non in cõſeruari: vt ſunt omnes cauſæ ſynonymæ: & alia, aqua pẽdent effectus in fieri, & cõſeruari: vt ſunt multæ cauſæ æquiuocæ. Dixi multæ; quia architectus eſt cauſa efficiens æquiuoca domus, & tamen domus non pendet in cõſeruari ab artifice, ſed in fieri tantum.

Dubitatio. Sed quæres. Cur omnes effectus cauſæ ſynonymæ ſolum pendent a cauſa in fieri; & multi effectes cauſæ æquiuocæ pẽdent etiam in conſeruari. Reſpondemus cauſas ſynonymas communicare ſuis effectibus æqualem perfectionẽ ac ipſæ in ſe habent: ac proinde, cum effectes ſint æqualis perfectionis cum ſuis cauſis, non ægent illis ad hoc, vt cõſeruentur. Cauſæ vero æquiuocæ, nõ tribuunt æqualem perfectionẽ: ac proinde multi effectus pendent etiã ab illis in conſeruari. Quæres iterum quænã cauſæ æquiuocæ neceſſariæ ſint ad conſeruationem effectuũ, quæ vero minime?

Solutio. Reſpõdemus, de hac re non poſſe præſcribi regulam certam: interim tamen certum eſt, omnes cauſas vniuerſas neceſſarias eſſe ad conſeruationem ſuorum effectuum: vt ſol, qui cauſa vniuerſa eſt, non ſolum eſt neceſſarius ad productionem hominis: ſed etiam ad cõſeruationem. Deus etiam, qui cauſa vniuerſaliſsima eſt, non ſolum omnia producit, ſed etiam omnia conſeruat ita, vt ſi concurſum abſtrahat, ſtatim omnia in nihil redigantur, ſit neceſſe. Cauſæ etiam particulares æquiuocæ indifferentes ſe habent: nam quædam ſunt, a quibus pendet effectus in conſeruari; quando ſcilicet producunt accidens non connaturale ſubiecto, in quo illud producũt: verbi gratia quãdo ignis producit calorẽ in aqua: vt enim in illa calor cõſeruetur, neceſſaria eſt præſentia ignis: quædam vero, a quibus tantũ pendẽt, in fieri: vt patet in multis agentibus artificialibus.

Octaua diuiſio. Cauſa efficientis aliæ ſunt ordinatæ: vt Deus, & homo; ſub ordinatur enim homo in omnibus ſuis actionibus Deo: & aliæ non ſubordinatæ, illæ ſcilicet, quæ producunt diuerſo effectus abſque aliqua ſubordinatione inter ſe: vt homo generans, & leo generans. Deinde cauſæ ſubordinatæ aliæ per ſe in ratione cauſandi, illæ ſcilicet, quarũ ſimultaneus concurſus requiritur ad producendũ effectum, ita, vt vna nequeat operari abſque alterius concurſu: vt ſol, & homo; quia neque homo poteſt generare hominem abſq. ſole, neque ſol abſque homine: & aliæ per accidens, & quoad ſubſtantiam: vt patet & filius reſpectu alicuius effectus ab illis producti. *Cauſæ ordinatæ.*

Nona diuiſio. Cauſa efficiens alia per ſe, a qua per ſe pendet effectus: vt architectus eſt cauſa efficiens per ſe domus; & alia per accidens, quæ accidit cauſæ per ſe: vt albumina accidit architecto, vt ſit albus.

Vltima diuiſio Efficiens aliud quo: & aliud quod. Efficiẽs quod eſt ſuppoſitum quod operatur: vt ignis producens calorẽ. Efficiens quo eſt actio, ſiue forma, qua media efficiens quod operatur: vt calor ignis, vel forma ſubſtantialis ipſius.

IN SECVNDA parte quæſtio. ſit prima obſeruatio. Quæſtio præcipue procedit de cauſa efficiente vt quod: cum cauſa efficiens quo ſit id, quo medio cauſat agens, & ſuppoſitum: quemadmodum enim actiones ſunt ſuppoſitorum, ita & cauſalitas.

Secunda obſeruatio. In cauſa efficienti reperitur forma, quæ eſt ratio operandi: vt in igne calor faciente calor: & certum eſt hanc non eſſe cauſalitatem cauſæ efficientis: ratio enim operandi nõ poteſt eſſe cauſalitas. Reperitur etiam relatio cauſæ ad effectum, in qua non conſiſtere cauſalitatem fere omnes exiſtimant. Reperitur inſuper in multis cauſis efficientibus, actio, & efficiẽtia propria. Inquirimus ergo in

go in quonã exiſtit duobus conſiſtat cauſalitas cauſæ efficientis.

Efficientia ſolum in efficiente.

Sit primum fundamentum. Efficientia ſolum reperitur in cauſa efficiente, ſiue operetur per ſimplicem emanationem, ſiue per veram actionem, & mutationem: aliæ vero cauſæ vel cauſant ſeipſis immediate, & intrinſece componendo: vt materia, & forma; vel medio motu metaphorico: vt finis. De materia, & forma conſtat ex ſuperioribus quæſt. de fine dicemus in his, quæ ſequuntur.

Secundum fundamentum. Duobus modis dicitur aliquid mutabile (vt cõſtat ex D. T. 1. p. q. 9. art. 2. in corpore, quod certe aureum eſt, & marguaritis doctrinæ fulget) primo per potentiam in alio repertam, ſcilicet in Deo; & hac ratione omnes creaturæ ſecundum ſuum eſſe, ſunt mutabiles in quantum potuerunt, a Deo ex nihilo produci ad eſſe, & ex eſſe poſſunt reduci ad non eſſe: conſeruat namque Deus omnia dando ſemper eis eſſe; vnde ſi ſuam actionem eis ſubſtraheret, ſtatim omnia in nihil redigerẽtur: vt docet D. Auguſtinus 4. ſuper geneſim ad literam cap. 22. ſecundo dicitur aliquid mutabile per potentiã in ſeipſo repertam, & ſic non omnes ſubſtantiæ creatæ ſunt mutabiles ſecundum eſſe ſubſtantiale, ſed ſolum ſubſtantiæ corporeæ ſublunares: quia ſcilicet in illarum materia reperitur potentia ad hoc, vt deſtituantur formis, quibus informantur, & aliis denuo informẽtur. In corporibus vero cæleſtibus talis potẽtia minime reperitur, cum illorũ materia non habeat annexam priuationem alicuius formæ ſubſtãtialis. In Angelis itidem non reperitur talis potentia; cum non admittant compoſitionem ex materia & forma; ſed potius ſint formæ ſubſiſtẽtes. Vt enim docet D. Dionyſius 4. ca. de diuinis nominibus ſtatim in principio, mũdæ ſunt a generatione, & ab omni variatione; poſſunt tamen mutari ſecũdum perfectionẽ in hoc, quod eſt aſſequi ſuũ finem. Inſuper cæleſtia corpora ſunt mutabilia ſecundum locũ; quia

Mutabile a potentia intrinſeca

ſubiectum patitur ſecum priuationem huius, vel alterius partis loci. Deus vero omnino eſt immutabilis tam ab extrinſeco, quam ab intrinſeco.

Conſectã.

Ex dictis infero, illa ſolum proprie mutari, in quorũ productione reperitur ſubiectum cõmune, ſub vtroq. termino, quod poſſit aliter ſe habere nunc, quam prius: quare quæ fiunt a Deo per creationem, nõ fiunt per veram mutationem, & conſequẽter horum productio ſolũ erit relatio importans habitudinem cauſæ efficientis, & hoc eſt maxime obſeruandũ. Vt enim docent omnes Philoſophi; & D. Thom. 1. p. q. 41. art. 1. ad 2. actio importat originẽ motus: nam ſicut motus, vt eſt in mobili, dicitur paſſio; ita, vt eſt a mouente, dicitur actio: ſunt enim eadem entitas, motus, actio, & paſſio. quare, inquit, remoto motu, actio nihil aliud importat quam ordinem originis, ſecundum quod a cauſa aliqua, vel principio procedit, &c. & eadem 1. p. q. 45. art. 2. ad 2. docet creationem nõ eſſe mutationem niſi ſecundum modum intelligendi tantum: nam de ratione mutationis eſt, quod aliquid idem ſe habeat aliter nunc, & prius: nam quãdoq. idem ens in actu ſe habet idem nunc, ac prius: vt in motu ad quantitatem, qualitatem, & vbi; & quandoque idem ens in potentia tantũ ſicut in generatione ſubſtantiali: actio enim, & paſſio, ſubdit, conueniunt in ſubſtantia motus, ideſt ſunt idem ſecundum rem cum motu. Sed obſerua nomine motus intelligere D. Thom. tam motum proprie dictum, qui eſt ad quantitatem, qualitatem, & vbi; quam mutationem, ſiue productionem ſubſtantiæ, in qua tamen ſupponitur ſubiectum.

IN TERTIA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Cauſalitas efficientis cõſiſtit in hoc, quod eſt dare eſſe effectiue non ſeipſum immediate vniendo effectui, ſed aliã formam diſtinctam, & emanãtem communicando effectui. Probatur aſſertio. Vt ſe habet forma dando eſſe intrinſecum ſeipſa tamen, & immediate, ita efficiens dando

do eſſe intrinſecum non tamen ſeipſo, ſed alia forma a ſe producta, ſed cauſalitas formæ conſiſtit in illa communicatione eſſe: ergo cauſalitas efficientis conſiſtit in hac. Probatur ſecundo. Illud eſt cauſalitas efficientis, quo poſito ponitur cauſa efficiens actu, & exercens ſuum officium; ſed poſita huiuſmodi cõmunicatione, ponitur cauſa efficiens actu exercens ſuum officium: ergo cauſalitas efficientis conſiſtit in huiuſmodi communicatione.

7 Secunda aſſertio. In cauſis efficientibus per veram mutationẽ, cauſalitas conſiſtit in eadem communicatione, cauſatio vero in actione. Probatur aſſertio: quia cauſæ, quæ per veram mutationem producunt, tribuunt effectui eſſe illud extrinſecũ media forma a ſe ipſis producta, id vero præſtãt per actionem: quare cum media actione tale eſſe communicent & cauſent, talis actio erit cauſatio, vt diximus in 2. parte huius diſputationis, quæſt. 2.

8 IN QVARTA parte quæſt. dices primo. Illa eſt cauſalitas efficientis, qua poſita efficiens actu exercet ſuum officium: ſed poſita actione exercet ſuum officium; ergo, &c. Reſpondemus negando minorem: nã multæ ſunt cauſæ efficientes quæ ſuam cauſalitatẽ exercent abſque actione, vt conſtat in Deo reſpectu rerum, quas ex nihilo producit. Sed dices. Deus non producit media actione: ergo Deus nõ eſt cauſa efficiens, ſed principiũ tantum. Reſpondemus negando conſequentiã: nam de ratione cauſæ efficientis non eſt vt cauſet media actione proprie, ſed ſufficit cauſet per ſimplicem emanationem.

9 Dices ſecũdo. Cauſa conſeruans eſt vera cauſa efficiens: ſed non dat eſſe rei, quã conſeruat ſaltem de nouo; ergo cauſalitas efficientis non conſiſtit in hoc quod eſt, dare eſſe de nouo. Reſpõdemus negando minorem: nã licet non ita clare reluceat cauſalitas efficientis in cauſa conſeruante, ac in illa, quæ de nouo producit, tribuit tamẽ effectui communicat eſſe ſemper de nouo, licet non illi tribuat nouum eſſe. conſeruatio enim nihil aliud eſt, quam continuatio actionis, ſiue productionis: quod certe fit manifeſtum in igne, qui produxit calorem vt 4. & deinde continuata actione illum conſeruat. Patet etiam inductione in aliis cauſis: materia enim, & forma conſeruant per continuatam cauſalitatem, dando ſcilicet eſſe eſſentiæ, & exiſtentiæ modo explicato. Sed dices. Cauſæ efficientes 10
conſeruantes concurrunt in genere cauſæ efficientis: ergo vel media mutatione, vel abſq. illa: ſed neutro modo; ergo, &c. Probatur minor. Imprimis non media mutatione: quia vt dictum eſt, in hac eadem q. mutari eſt aliquid idem aliter ſe habere nunc, ac prius: at id, quod conſeruatur nõ ſe habet aliter nunc, ac prius: imo potius rem cõſeruari eſt rem ſe habere eodem modo: deinde neque abſque mutatione: quia ſubſtantiæ creatæ nequeunt aliquid extra ſe efficere, niſi per veram mutationem. Reſpondemus negando minorem, probationi reſpondemus cauſas conſeruãtes diſcriminatim ſe habere: nã ſi productio rei fuit mutatio, ſicut eſt generatio, conſeruatio erit continuata generatio: ſi productio ſit motus, qualis eſt productio caloris, conſeruatio erit continuatio illius motus: ſi vero productio ſit ſimplex emanatio, conſeruatio erit continuatio ſimplicis emanationis. Quare cauſæ conſeruantes rem productam per veram mutationem, conſeruãt media mutatione: definitio enim illa, qua definitur mutari res. Idem aliter ſe habere nunc, ac prius, intelligi debet de mutatione, per quam res de nouo producitur, non vero de illa, per quam conſeruatur. Aut ſi mauis. Reſpondere, (& forſan melius) de- *Obſerua.*
finitionem mutationis ita eſſe intelligendam. Mutari eſt, idẽ aliter ſe habere nũc, ac prius idest ſubiectum aliter ſe habere in termino ad quem, ac ſe habebat nõ immediate antea, ſed in termino a quo, a quo cœpit mutatio, prout cõplectitur productionem de nouo, & conſeruationẽ. Quare id, quod conſeruatur, verbi gratia aqua, in ſua frigiditate aliter ſe habet nũc, ac prius.

quia.

quia ſu termino a quo frigefactionis erat aqua ſub calore: quando vero cõſeruatur in illa frigiditas, eſt ſub frigiditate.

QVAESTIO IIII.

In quo conſiſtat cauſalitas finis.

HÆC quæſt. ſupponit ex his, quæ diximus in 1. q. huius diſputationis, finem eſſe cauſam, & inquirit in quonam eius cauſalitas conſiſtat. Contra id, quod ſupponit quæſtio, ſunt aliquæ non leues rationes, quas in vltima parte huius quæſt. diluemus.

Diuiſio quæſt. Diuiditur quæſt. in tres partes. Prima proponemus obſeruationes pro intelligẽtia tituli quæſt. 2. noſtram ſententiam, 3. ſatisfaciemus rationibus contrariis, tum etiam & illis, quæ videntur probare finẽ non eſſe cauſam.

Finis ſumitur tripliciter. IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Finis poteſt ſumi multis modis. Primo pro extremo, ſiue termino: ſic vt punctum dicitur finis lineæ, nox finis diei, mors finis vitæ: & non diſputamus de fine ſumpto hoc modo. Secũdo ſumitur finis prout eſt effectus cauſæ efficiẽtis, qua etiam ratione non poteſt habere naturam cauſæ finalis: cum finis ſit cuius gratia aliquid fit, & nihil fiat gratia illius quod iam exiſtit: tum etiã, quia cum finis ſit prima cauſa, eius cauſalitas præcedit actionem, & effectum cauſæ efficientis. Tertio poteſt ſumi vt eſt cauſa, & hoc modo dupliciter: primo vt cauſa extrinſece determinans, & tribuens ſpeciem, qua ratione pertinet ad genus cauſæ formalis extrinſece determinãtis: quemadmodum, & obiectum reſpectu ſcientiarum, vt diximus in 2. q. ſecũdæ partis huius diſputationis. Secundo vt cauſa mouens agens ad eliciẽdum actum quoad ſuam ſubſtantiam, & entitatem, & de fine hoc modo ſumpto procedit quæſtio. Solet enim finis hoc vltimo modo ſumptus dici cauſa quoad exercitiũ: vt vero eſt forma extrinſece determinans, appellatur cauſa quoad ſpecificationem.

In fine reperiuntur quatuor. Secunda obſeruatio. Vt Caietanus docet p. 2. q. 1. art. 1. quemadmodum in cauſa efficiente, verbi gratia in igne calefaciẽte reperitur agẽs, quod eſt ignis ipſe: nam actiones ſunt ſuppoſitorum, vt docet Ariſt. 1. Metaphy. reperitur etiam ratio agendi, qua media efficiẽs operatur, hæc vero ratio eſt forma, vt dicemus tertia parte huius diſputationis: & tandem reperitur conditio ſine qua non, verbi gratia in exemplo propoſito approximatio: ita in fine hæc tria reperiuntur: nam reperitur id, quod metaphorice mouet agens ad operandum, reperitur inſuper ratio, qua mouet, & tandem reperitur conditio ſine qua non: inquirimus ergo in quonam ex iſtis conſiſtat cauſalitas finis. Sed diuiſioni adductæ a Caietano addimus nos quartum membrum: nam præter illa tria a Caietano connumerata, reperitur inſuper in cauſa efficiente cauſalitas, quæ, vt ex ſuperiori q. conſtat, diſtincta eſt ab illis tribus: ita etiam in fine, præter tria connumerata, reperitur inſuper cauſalitas ab illis forſan diſtincta, vt ſtatim dicemus, & hoc eſt fundamentum, cui noſtra opinio innitetur.

Finis pro re, & pro conſecutione. Tertia obſeruatio. Finis ſumitur dupliciter: primo pro re, quam aſſequi intendimus. Secundo pro conſecutione talis rei; verbi gratia pecunia eſt finis auari primo modo: conſecutio vero illius eſt finis ſecũdo modo: ex his autem duobus modis, finis integratur, & perficitur vna perfecta ratio finis. Vt docet S. Thom.

Deinde finis ſumptus primo modo, pro re ſcilicet duplex eſt: alter præexiſtens ante actionem agentis, & applicationem mediorum, & reſpectu huius finis tantum applicantur media, vt cõſequatur, verbi gratia, pecunia reſpectu auari: & alter nõ præexiſtens, ſed factus ſecundum eſſe reale, & actuale ab efficiente, præexiſtens tamen ſecundum intentionẽ in mente agentis. Vbi obſeruandum occurrit omnia agentia agere propter finẽ præcognitum vel ab illis,

ſi ſint cognitione præditæ; vel ab auctore naturæ, ſi ſint agentia naturalia; vel ab alia cauſa ſuperioris ordinis, qualiter operantur propter finem cognitum multa artis inſtrumenta; tum etiam multa, quæ alterius imperio ſubduntur. inquirimus ergo an finis ſit cauſa ſecundum eſſe reale; vel potius ſecundum eſſe cognitum; & in quo eius cauſalitas conſiſtat.

Quarta obſeruatio. Cauſalitas, vt conſtat ex 1. q. huius 2. p. eſt peculiaris modus cauſandi cauſæ. Quare ex dictis manifeſtus eſt q. ſenſus: inquirimus enim non ſolum in quo cõſiſtat cauſalitas finis, ſed etiam quæ ſit ratio cauſandi in fine quemadmodum in cauſa efficiente eſt forma, & quid ſit in fine conditio ſine qua non.

IN SECVNDA parte quæſtionis ſit prima aſſertio. Ratio formalis mouendi, ſiue cauſandi in fine, eſt eſſe reale ipſius; apprehenſio vero eſt cõditio ſine qua non. Hæc aſſertio eſt contra Auicennam 6. ſuæ Metaphyſi. cap. 5. & contra Paulum Sonzinatem 5. Metaphy. q. 3. tenent vero illam Scotus in 2. diſtinct. 25. q. vnica Caietanus 1. 2. q. 1. art. 1. ibidem Cõradus, & alij Soto 2. Phy. q. 6. Pererius 8. Phyſi. cap. 4. probaturq. prima pars illius, primo ita. Finis, bonum, & appetibile idem ſunt: ſed bonum, & appetibile nõ mouent ſecundum eſſe apprehenſum, ſiue intentionale, ſed ſecundum eſſe reale; ergo & finis. Probatur minor; quia ſi illa mouerent ſecundum eſſe intentionale, illis apprehẽſis ceſſaret actio agentis, quod aperte eſt falſum. Probatur ſecũdo. Illud eſt ratio mouendi in fine, quo comparato ceſſat actio agentis, & mediorum applicatio: ſed comparato eſſe reali ceſſat ipſa actio agentis, & applicatio mediorum, & non ceſſat comparato eſſe intentionali; ergo ratio mouendi in fine eſt eſſe reale, & nullo modo eſſe intentionale. Probatur 3. Illud eſt ratio mouendi in fine, quod eſt perfectio agentis: ſed perfectio agentis eſt eſſe reale finis, & non eſſe cognitum; ergo, &c. Probatur minor; quia agens etiã poteſt cognoſcere cõtrarium finis, & per realem cognitionem eodem modo perficitur, ac ſi finẽ cognoſceret. Probatur quarto: quia ſi eſſe cognitum eſſet ratio finis, ſemper agens ſuum finem conſequeretur; quod eſt abſurdum. Probatur vltimo, & efficacius. Finis mouet immotus, vt docet Ariſto. 3. de Anima, cap. 10. his verbis. *Quoniamq; tria ſunt quorum unũ eſt quod mouet, alterum id quo illud in mouendo vtitur, tertium id quod mouetur: quoniamq; id quod mouet duplex eſt quorũ unum immobile eſt, alterum mouet & mouetur; bonum quidem quod agendum eſt immobile permanet.* Ideſt finis mouet immotus: ſed eſſe apprehenſum mouet motum; quia eſſe apprehenſum mouetur ab eſſe reali futuro; ergo ratio finis non eſt, eſſe apprehenſum, ſiue cognitum, ſed potius eſſe reale futurum.

Secunda pars aſſertionis probatur a ſufficienti diuiſione ſic. In fine apprehenſio non eſt id, quod mouet neque eſt ratio mouendi, vt conſtat ex dictis; neq. eſt cauſalitas, vt conſtabit ex vltima aſſertione; ergo a ſufficienti diuiſione debet eſſe conditio ſine qua non: nam, vt conſtat ex ſecunda obſeruatione, ſolum hæc 4. poſſunt in fine conſiderari.

Secunda aſſertio. Eſſe in executione nõ eſt ratio finis. Probatur primo: quia finis mouet immotus, at prout eſt in executione eſt motus, & cauſatus a cauſa efficiẽte. Probatur ſecũdo: quia eſſe finis in executione ſupponit actionem agentis: finis vero, vt cauſa eſt, debet neceſſario antecedere rationem cauſæ efficientis.

Tertia aſſertio. Ratio finis eſt eſſe reale, futurum tamen. Probatur aſſertio. Ratio finis eſt eſſe reale; ſed non eſſe reale actu, vt conſtat ex ſuperiori aſſertione; ergo eſſe reale futurum: nam eſſe finis vel eſt actu, vel futurum.

Vltima aſſertio. Cauſalitas finis conſiſtit in hoc quod eſt mouere agens ad operandum motione metaphorica. Hæc aſſertio manifeſta eſt ex dictis, & conſtabit ſatis ex vltimo argumẽt. huius quæſtionis.

IN

IN TERTIA parte quæſt. dices primo. Agentia naturalia agunt propter finem, & tamen non cognoſcunt finem: ergo eſſe cognitum non eſt cōditio ſine qua non. Reſpondemus primo, agentia intellectu, & voluntate deſtituta non ſe dirigere in finem, ſed dirigi ab auctore naturæ, a quo cognoſcitur finis, nō ergo eſt neceſſe, vt agētia naturalia finem cognoſcant, ſed ſufficit, vt cognoſcatur finis ab illo, a quo agentia in finem diriguntur. Quod enim ſeipſum mouet in finem, debet cognoſcere finem; quod vero mouetur in finē, ſufficit, vt moueatur in finem, cognitum ab illo, a quo mouetur. Reſpondemus ſecūdo, Cum Soto, & Pererio locis citatis in a-

Obſerua. gentibus cognitione, & voluntate deſtitutis eſſe naturalem inclinationem, & propenſionem in finem, quæ habet vicem cōditionis ſine qua non: quemadmodum enim cognoſcens ſcopum, dirigit in illum ſagittam imprimendo ſagittę virtutem, & impetum, quo in ſcopum feratur: ita conditor naturę Deus ex intētione verbi gratia fructuum, impreſsit plantæ virtutem quandam germinandi, qua planta mouetur in finem pro cuius conſecutione ger-

1\. minando fructus producit. Sed dices. Bruta animantia deſtituūtur intellectu, & voluntate: ſed bruta animantia cognoſcunt finem; ergo quæ deſtituuntur voluntate, & intellectu cognoſcunt finem: ergo nulla eſt prima ſolutio. Reſpōdemus diſtinguēdo minorem ita materialiter concedimus,

Cognitio finis materialiter & forma. formaliter negamus minorem. Cognoſcere finem materialiter eſt cognoſcere rem, quæ eſt finis: cognoſcere vero finem formaliter, eſt cognoſcere rem, quæ eſt finis cum habitudine ad media, quæ pro finis conſecutione ſunt neceſſaria: bruta ergo animantia cognoſcunt rem, quæ eſt finis; ignorant tamen mediorum ad finem habitudinem. Hæc enim differentia reperitur inter bruta animātia, & agentia media cognitione intellectus, & media voluntate ſumentia inter agentia omni cognitione deſtituta, quod agentia per intellectum, & voluntatem, cum cognoſcant finem materialiter, & formaliter, ſe dirigūt in finem præcognitum ſemper materialiter, & formaliter: bruta vero animantia, cum cognoſcant materialiter finem, ſe dirigunt in rem, quæ eſt finis illam præcognoſcendo; diriguntur tamen in finem formaliter cognitum ab auctore naturæ: tandem agentia naturalia cognitione deſtituta, cum dirigantur in finem incognitum ab ipſis tā materialiter, quam formaliter, nec præ requiritur in illis cognitio finis materialiter ſumpti, nec cognitio finis ſumpti formaliter; ſed ſat eſt, vt finis vtroq. modo ſumptus præcognoſcatur ab illo, a quo in finem diriguntur: nihilominus tamen in omnibus, quotquot ſunt agentibus propter finem, cognitio finis, ſiue finis in intentione prærequiritur, vt conditio ſine qua non ratio eſt; quia quādo cauſæ ſunt ſubordinatæ, adhoc, vt inferiores dicantur agere propter finem præcognitū, ſufficit, vt agens præcipuū, cui cætera ſubor-

dinantur, habeat finis præcognitionem. 2.

Cū ergo Deus, qui prima cauſa eſt, a qua cæteræ omnes mouentur, præcognoſcat finem; proinde agentia omnia propter finem, prærequirunt finis cognitionem, ratione cuius naturæ auctor illis conceſsit appetitū, & naturalē inclinationē in finē.

Dices ſecundo. Illud eſt ratio mouendi in fine, quod eſt præſens quandiu durat actio cauſæ efficientis: ſed eſſe apprehenſum, ſiue cognitum durat quandiu durat actio efficientis: ergo, &c. Reſp. negando maio. nā potius illud eſſe poſsibile & futurum eſt ratio mouendi in fine. Pro quo

obſerua, in agentibus volūtate & intelle- *Obſerua.*

ctu duplicem reperiri actum, quemadmodū & in agente naturali: in homine enim, verbi gratia, reperitur actus deſiderij, quo fertur in finē: & actus delectationis, ſiue fruitionis; quo in fine conſecuto cōquieſcit: quemadmodū reperitur in lapide, v. g. tendentia in centrū, & quies in illo: actus ergo deſiderij ſe habet vt tendentia in centrum: actus vero delectationis, vt quies

lapidis

lapidis in centro. Quare ſicut lapis moueretur in centrum nec præſens, nec poſſeſſum, ſed conſequendum; ſic etiam agens per voluntatē fertur in eſſe finis non præſens, ſed futurum; & ſicut lapis quieſcit in centro iam conſecuto, ita agens per voluntatē de bono poſſeſſo delectatur. Quare ad hoc, vt finis moueat tam agens naturale, quam agens per voluntatem, non eſt neceſſe habeat eſſe præſens, & actu, ſed ſufficit habeat eſſe futurum.

Dices tertio. Ratio appetibilis eadem eſt cum ratione boni, & finis: ſed ratio appetibilis non mouet ſed terminat; ergo ratio finis non mouet ſed terminat. Reſpondemus negando minorem: nam ratio appetibilis per diuerſas habitudines mouet appetitum, & terminat illius actionem. Sed
1. dices. Realitas finis tantum eſt, quādo fi-
nis eſt in executione: ergo realitas finis futura nō poteſt eſſe ratio mouendi in fine.
Reſpondemus negando antecedens: nam realitas finis abſtrahit ab eſſe in intentio-
2. ne, & ab eſſe in executione. Sed dices. Idē
ſecundū idem non poteſt eſſe cauſa, & effectus eiuſdem: ſed finis ſecūdum eſſe reale, eſt effectus efficientis; ergo finis ſecūdum eſſe reale non poteſt eſſe cauſa mouens ad operandum. Reſpondemus diſtinguendo maiorem ita: ſecundū eundem ſtatum, concedimus: ſecundum diuerſos ſtatus, negamus maiorem: finis ergo in intentione eſt cauſa: in executione vero eſt effectus cau-
3. ſæ efficientis. Sed dices. Ratio & cauſalitas finis proxime, & immediate fundatur in bonitate; bonitas autem eſt radix appetibilitatis, & fundatur in perfectione; perfectio vero in actualitate, actualitas in eſſe; quare prima radix cauſæ finalis eſt eſſe. Hæc doctrina colligitur ex D. Tho. 1. p. q. 5. per varios articulos. Sit ergo argumentum. Prima radix in cauſa finali eſt actualitas, & eſſe reale: ergo id, quod eſt impoſſibile, vt eſt impoſſibile, nequit mouere agens, cum non habeat rationem boni: ſed aliquis finis ſecundum eſſe reale eſt impoſſibilis: ergo finis non mouet ſecundū eſſe reale, ſed ſecundum eſſe cognitū & apprehenſum. Reſpondemus diſtinguendo minorem ita, ſecundum eſſe reale a parte rei, concedimus, ſecundum eſſe reale apprehenſum, negamus minorem: imo voluntas nonquam eſt impoſſibilium, vt omnes Philoſophi docent: quod certe intelligendum eſt de impoſſibilibus ſecundum eſſe reale cognitum: nam multa deſideramus quæ impoſſibilia ſunt, apparent tamen poſſibilia. Mouet ergo finis ſecundum eſſe reale futurum a parte rei, aut futurum in apprehenſione.

Dices quarto. Finis mouet ſecundū illud eſſe, ſecundum quod tribuit ſpeciem actioni agentis: ſed tribuit ſecundum eſſe cognitum, & apprehenſum; nam apprehenſio per ſe tribuit ſpeciem: ergo mouet ſecundum eſſe apprehenſum. Probatur minor: quia ſi aliquis apprehendat dare operam literis eſſe malum, & nihilominus det operam literis, talis actio reſpectu apprehenſionis erit mala. Reſpondemus finem poſſe ſumi quoad exercitium, & quo ad ſpecificationē, vt diximus in 1. par. quæſtionis, argumentum ergo tantum probat de fine quo ad ſpecificationem, & quæſtio procedit de motione finis quo ad exerci-
tium. Sed dices. Vt conſtat ex Ariſt. c. 3. 1.
huius ſecundi libri, finis debet eſſe quid optimum vel reuera, vel apparenter adhoc, vt moueat ſecūdum exercitium: ergo adhuc ſecundum exercitium mouet, & cauſat per eſſe apprehenſum. Reſpondemus negando conſequentiam; quia ex antecedēte tantum infertur non cauſare finem ſemper ſecundum eſſe exiſtens; cauſat tamen ſemper ſecūdum eſſe reale, ſiue tale eſſe ſit futurū a parte rei, ſiue ſit poſſibile; quia vt poſſibile apprehenditur.

Modo iam ſoluēdæ ſunt aliquæ rationes, quæ videntur probare finem non eſſe cauſam realem. Dices ergo. Id quod nō eſt, non poteſt eſſe cauſa realis: ſed finis quando dicitur cauſare non eſt, exiſtentia enim finis ſubſequitur actionē cauſæ efficientis; ergo finis non eſt cauſa realis. Reſponde-

ponſdemus negando maiorem: nam licet illa vera ſit in cauſa efficiente, quæ operatur per motionem phyſicam; non tamen eſt vera in cauſa finali, quæ mouet per motū metaphoricum. Vel reſpondemus ſecūdo, cauſam, quæ operatur immediate, debere exiſtere quando operatur: quæ vero mediate operatur, nō eſt neceſſe exiſtat actu, quando operatur, præſertim, ſi operatur per inſtrumentum ſeparatum vt diximus in 2. diuiſione, verbi gratia leo generat leonem media virtute manente in ſemine, & tamen non eſt neceſſe vt exiſtat leo generans in inſtanti generationis. Finis ergo non mouet immediate, ſed mouet agēs per cognitionem, & voluntatē, verbi gratia hominem media ſpecie intelligibili repræſentante bonitatem, & præſtantiam finis: mouet etiam mera naturalia media naturali quadam inclinatione illis indita ab auctore naturæ pro finis cōſecutione. Sed dices. Inter cauſam realem, & effectū debet eſſe relatio realis; ſed inter finem, & media, vel inter finem, & agens non datur relatio realis; ergo cauſa finalis nō eſt realis. Probatur minor: quia extrema relationis realis debent ſimul exiſtere, finis vero poſterior eſt actione agētis, & applicatione mediorum. Reſpondemus negando maiorem. Sed dices. Vel finis eſt cauſa reſpectu mediorum; vel reſpectu agentis; ſed neutro modo: ergo non eſt cauſa. Reſpondemus negando minorem: nam eſt cauſa agentis, vt mouet ſua bonitate agēs ad operandum; & eſt cauſa mediorum, vt tribuit illis quandam appetibilitatem, vt patet in potione amara, quæ appetitur ab ægroto, vt medium neceſſarium pro conſecutione ſalutis.

Ex dictis infero, finē efficere in ſuo genere cauſæ omnia, quæ ſunt ab actione primi, quod mouetur, vſq. ad aſſecutionē finis, ſi talia ſint ſubordinata. Colligo etiam, abſolute loquendo, finem priorem eſſe inter cauſas, ſiquidem eſt, quæ primo mouet. De ordine tamē prioritatis inter cauſas diximus in 3. p. diſputationis.

Dices tādem in vltimam aſſertionem, Motio metaphorica finis reſpectu voluntatis ſolum conſiſtit in hoc, quod eſt finē apprehendi ſub ratione boni, & conuenientis: ſed poteſt eſſe talis apprehenſio abſq. actu voluntatis; ergo poteſt eſſe motio metaphorica abſq. actu voluntatis; ergo cauſalitas finis non cōſiſtit in hac motione. Reſpondemus, diſtinguēdo maiorem ita. Motio metaphorica in actu primo, & reſpectu finis, concedimus: in actu vero ſecundo, & reſpectu ipſius voluntatis, negamus maiorē: quia potius conſiſtit in hoc, quod per illam bonitatem, & conuenientiam finis, actu moueatur voluntas; & ſic eſt intelligenda vltima aſſertio. Vt enim cauſalitas formæ cōſiſtit in hoc, quod eſt dare eſſe eſſentiæ ſpecificum, & determinatum; id tamen præſtat forma ſeipſa: ad hoc vero vt actu exerceat ſuam cauſalitatem, eget actuali coniunctione cum materia, vt patet in anima rationali, quæ ſeparata, non eſt cauſa formalis hominis in actu ſecundo: ita cauſalitas finis cōſiſtit in hoc quod eſt ſua bonitate mouere voluntatem ad operandum: tamen nō reperitur in actu ſecundo, quouſq. ſit actualis motio ipſius voluntatis.

Ex dictis infero, cauſalitatem finis nō dari proprie reſpectu Dei: in Deo enim nihil eſt cauſatum; cum Deus non poſſit habere veram cauſam: voluntas namq. diuina eſt ipſemet Deus. Sed dices. Ergo Deus non vere operatur propter finem. Reſpō. negādo ſimpliciter conſeq. quia aliud eſt loqui de fine; & aliud de cauſa finali. Finis enim tantum dicit rationem extremi, ad quod actio ordinatur: cauſa vero finalis proprie, mouet agens ad operandum. Quamuis ergo reſpectu Dei, finis non habeat proprie cauſalitatē; Deus tamen perfectiſſimo modo, & ſublatis omnibus imperfectionibus operatur propter finem. 1. Cōſect.

Infero ſecundo, in agentibus intellectu deſtitutis non ita proprie reperiri cauſam finalem, cum non cognoſcant finem formaliter: quare potius mouentur in finem. 2. Cōſect.

TERTIA PARS DISPVTATIONIS DE CAVSIS.

IN ſecũda parte huius diſputationis ſolum explicuimus ſingulas ſingularum cauſarum cauſalitates: in hac tertia parte primo diſputabimus aliqua de omnibus cauſarum generibus; deinde de ſingulis generibus cauſarum aliqua dicemus.

Quæſtio I. An cauſæ ſecundæ aliquid efficiant.

Diuiſio quæſt. QVÆSTIONEM hanc diuidimus in quinq. partes. Prima adducemus obſeruationes pro explicatione tituli quæſt. 2. quædam fundamenta 3. proponemus nonnullas opiniones 4. reſpondebimus quæſtioni, & 5. ſoluemus contrarias rationes.

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Cauſa particularis, vt cõſtat ex quæſt. 3. 2. partis huius diſputationis diuiſione 5. eſt illa, quæ ſolum poteſt producere vnum effectum ſubſtantialẽ ſecundum ſpeciem. Sunt enim cauſæ particulares cauſæ ſublunares: ſunt vero cauſę vniuerſales omnia corpora cæleſtia, Angeli, & Deus. De cauſis vniuerſis ſecundis non procedit quæſtio: nam certum eſt, illas aliquid efficere, ſed procedit de cauſis particularibus; inquiritque an leo, verbi gratia, generando leonem aliquid efficiat.

Secunda obſeruatio. Per efficere intelligimus efficientiam propriam, quæ ſolũ reperitur in cauſis efficientibus: nam de efficientia impropria, quę in aliis cauſarũ generibus reperitur, nõ procedit quæſtio: quia certũ eſt, alias cauſas particulares aliquid efficere, id eſt cauſare; imo materia, & forma, cum ſint cauſæ intrinſecę, & eſſentiales, ita vnaquæq; in ſuo genere cauſat, vt in tali genere non poſsint cauſæ vniuerſæ eſſe cauſæ particularium rerum, verbi gratia hic leo, in genere cauſæ materialis aut formalis non pendet a cauſis vniuerſis: quare cauſę particulares materiales, & formales ita efficiunt, id eſt cauſant ſuos effectus, vt illi in illis generibus cauſarum nullo modo poſsint eſſe a cauſis vniuerſis.

Ex his deducitur ſenſus quæſt. inquirit ergo, an cauſæ efficientes particulares aliquid efficiant per veram efficientiam.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit primum fundamentũ. Cum res poſsit fieri tripliciter primo ſecũdum totam ſuam entitatem, qua ratione res naturales fiũt ſecundum materiam & formam 2. ſecundum formam tantum præſuppoſita materia, qua ratione fit leo per generationem 3. ſecundum accidentia præuia, & diſponẽtia materiam ad receptionem formæ ſubſtantialis, ſiue conſeruantia illam, certum eſt res non poſſe fieri ſecũdum materiam, & formam a cauſis particularibus; ratio eſt clara: quia ſcilicet materia prima, cum ſit primum ſubiectum, non fit ex præſuppoſito ſubiecto, & conſequenter ſolũ poteſt fieri a Deo per creationem: ac proinde nulla cauſa præter Deum poteſt attingere materiæ primæ productionem, & eum *Res poteſt fieri triplicit*

ad

ad creandum requiratur infinita virtus, quæ in ſolo Deo reperitur. Manet ergo dubitatio. An cauſæ particulares poſſint efficere formas ſubſtantiales, vel accidentia. In qua re certũ etiam eſt, animam rationalem non poſſe fieri a cauſa particulari: quia eſt ſpiritalis, & quæ ſpiritalia ſũt, ſolum poſſunt fieri a Deo per creationẽ: procedit ergo quæſtio de aliis formis ſubſtantialibus, & de accidentariis.

Cauſa particularis, libera, & neceſſaria. Secundum fundamentum. Cauſæ particulares aliæ ſunt neceſſariæ vt ignis: aliæ, liberæ vt homo reſpectu actionum, quæ ſũt a libero arbitrio: inter huiuſmodi cauſas hoc eſt diſcrimen, quod neceſſariæ cauſæ mouentur per ſe a corporibus cæleſtibus, vt docet D Thom. 1. p. q. 115. art. 3. at agentia libera non mouentur per ſe a corporibus cæleſtibus: intellectus enim, cum ſit potẽtia ſpiritalis, ſolum ſubditur corporibus cæleſtibus per accidẽs, ex eo ſcilicet, quod dum eſt in corpore eget cõuerſione ad phantaſmata ad hoc, vt intelligat: voluntas vero, quæ potentia libera eſt, & incorporea, cum operetur medio intellectu proponente, nullo modo mouetur a corporibus cæleſtibus, vt docet D. Thom. eadem q. art. 5.

1. Senten. IN TERTIA parte quæſtio. nõnullæ ſententiæ ſunt proponendæ. Prima ſententia eſt quorundam, vt refert S. Thom. 1. p. q. 105. art. 5. & 3. contra gentes cap. 69. aſſerentium, cauſas particulares nihil efficere: imo neq. cauſas vniuerſas ſecundas, ſed ſolum Deum operari ad præſentiam illarum omnia, quæ cauſæ ſecundæ videntur præſtare, hos commemorat Albertus Magnus hoc libro tractatu 2. cap. 3. in hanc etiam ſententiam iam ab ſcholis eiectam videtur inclinare Gabriel in 4. diſtinct. 2. q. 1. & 3. Impugnat egregie propoſitam ſententiam S. Tho. locis citatis, & Durandus in 2. diſtinct. 1. q. 5. nos etiam in ſequenti parte quæſt. illam refellemus: argumenta vero, quibus videtur cõfirmari, ſoluentur in 5. parte huius quæſt.

2. Senten. Secunda ſententia fuit Auicebron, qui in tractatu de materia, & forma, quem librum fontis vitæ inſcripſit, ſimul cum aliis multis Philoſophis ex arabum diſciplina, fuit arbitratus, hæc inferiora corpora nihil operari, ſed actiones omnes fieri a ſubſtantia quadam, & virtute ſpiritali omnia corpora penetrante. Hanc ſententiam exiſtimat D. Thom. 1. p. q. 115. art. 1. in corpore duxiſſe initium a Platone & illam impugnat.

3. Senten. Tertia ſententia eſt Auicennæ, vt refert S. Thom. 1. p. q. 105. art. 1. qui exiſtimauit agentia hæc inferiora solũ efficere diſponendo materiam: ſubſtantialem vero formam produci a principio immateriali. Eãdem ſententiam refert Vallesius controuerſia 14. phyſica, & poſtea ſuam, quã impugnabimus etiam in 5. parte quæſt.

Cauſæ particulares vere efficiunt. IN QVARTA parte quæſtio. ſit aſſertio. Cauſæ particulares habent verã, & propriã efficientiam: concurrunt enim effectiue in productione effectuum. Hæc aſſertio, ſi intelligatur de actionibus liberis, de quibus mentionem fecimus in 2. fundamento, eſt de fide: nam Concil. Tridẽtinũ ſic habet ſectione 6. Canone 4. *Siquis dixerit, liberũ hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiẽdo Deo excitanti, atq; uocanti, quod ad optinendam iuſtificationis gratiam ſe diſponat: ac præparet, neque poſſe diſſentire ſi uelit: ſed ueluti inanime quoddam nihil omnino agere; mereq; paßiue ſe habere: anathema ſit.* *Concil. Trident.*

Confirmatur inſuper: quia contraria ſententia non ſolum in morali Philoſophia, ſed etiam in fide labem pernicioſã erroris continet: nam actus liberi alij ſunt meritorij; alij demeritorij; alij continent rationem virtutis: & alij rationem vitij: cum ergo id, quod tãtum recipit actionẽ, & non elicit actiones, nequaquam libere agat, qui negant veram efficientiam in nobis ſecundum actiones liberas, tollunt liberum arbitrium, & conſequenter omnẽ virtutis, & vitij, meriti, & demeriti ratio-

nem funditus euertunt.

Deinde, ſi aſſertio intelligatur de cauſis particularibus neceſſariis, negare propoſitam aſſertionem, non ſolum eſt temerarium, ſed etiam erroneum; temerarium quidem, quia eſt contra communem ſcholaſticorum, & patrum ſententiam. ſ. enim patres multis in locis cauſis ſecundis particularibus veram efficientiã attribuunt, vt D. Auguſt. 7. de ciuitate Dei, cap. 30. D. Damaſcenus 3. fidei Orthodoxæ c. 15. D. Anſelmus lib. de cõcordia præſcientiæ, & liberi arbitrij D. Baſilius homilia 9. hexameron, & alij, quos longum eſſet recenſere. Eſſe vero erroneam, conuincunt varia ſacræ Scripturæ teſtimonia. Imprimis illud geneſeos, cap. 1. *Germinet terra herbam uirentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum, &c.* Et ſtatim, *& protulit terra herbam uirentem, &c.* Et Paulo poſt, *producant aquæ reptile animæ uiuentis, &c.* Imo expreſſe in illo cap. tribuit Deus efficiẽtiam omnibus illis rebus, quas illis ſex diebus condidit. Confirmat etiam idem illud D. Lucæ, c. 21. *Videte ficulneam, & omnes arbores: cũ producunt iam ex ſe fructum, &c.* Et illud D. Marci, cap. 4. *Et ſemẽ germinet & creſcat dũ neſcit ille. Vltro enim terra fructificat, primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumẽtum in ſpica.* Sunt etiam innumera Scripturæ ſacræ teſtimonia, quæ cauſis particularibus veram efficientiam concedunt.

Prob. aſſ. Teſtimo. ſancto. & ſcripturæ teſtimon.

Tandem confirmatur aſſertio Ariſt. teſtimonio, & rationibus Philoſophicis. Ariſt. enim multis in locis, præcipue tamen in hoc libro, expreſſe concedit efficiẽtiã cauſis particularibus: quemadmodũ, & vniuerſis: inquit enim cap. 2. *Homo enim & ſol hominem generant.* Probatur iã rationibus. Prima ratio eſt de actionibus immanẽtibus, & ita habet. De ratione actionis immanentis eſt quod fiat ab agente, in quo manet, ſed in cauſis particularibus ſunt multæ actiones immanentes; ergo iſtæ actiones fiunt a cauſis particularibus: quare in illis reperitur vera efficientia. idem argumẽtum fieri poteſt de actionibus vitalibus: nam de ratione actionis vitalis eſt, vt fiat a principio vitali rei, in qua reperitur: cum ergo in cauſis particularibus reperiãtur multæ actiones vitales neceſſario aſſerendum eſt, cauſas particulares habere veram, & propriam efficientiam.

Secunda ratio Ariſt. 2. de cœlo, cap. 3. ita ſcribit *Vnumquodq; eorum, quorum opus eſt, operis eſt gratia.* Ex quo teſtimonio ſic diſputo. Vnumquodq. eſt propter ſuam operationem; ergo res iſtæ inferiores ſunt propter ſuam operationem; ergo non eſt, cur illis denegemus efficientiam propriam: fruſtra enim eſſent in mundo, & abſque cauſa naturæ auctor eis tantam potentiarum varietatem, & tot organorum apparatum, & partium diſtinctionẽ tribuiſſet: cetera enim animantium, & plantarum partes, mixtorum, & ſimpliciũ virtutes doctores ſunt eruditiſſimi non ſolũ doctis, ſed etiam imperitis hanc veritatẽ mirifice demonſtrantes. Addunt etiam aliqui quandam congruentiam dicentes, decere Deum, qui ſummum bonum eſt nõ ſolum communicare creaturis eſſe; verumetiã virtutẽ ad operãdum, vt poſsint ſimilia producere, & alios effectus præſtare.

Tertia ratio. Scientiæ procedunt demonſtrando effectus procedentes a cauſis particularibus efficientibus; (particularibus in cauſando, licet ſint vniuerſæ in prædicando) ergo, ſi cauſæ particulares non haberent veram efficientiam, non eſſet de rebus naturalibus ſcientia per cauſam efficientem, quod certe eſt abſurdum.

Probatur rationibus.

Quarta ratio, in effectibus naturalibus contingunt multi defectus, vt patet: ſi ed defectus in effectu contingit propter ignorãtiam, aut defectum virtutis in cauſa efficiẽte: ergo in cauſa effectuum naturalium reperitur aliquando ignorantia, aut defectus virtutis: ſed iſte defectus non poteſt eſſe in cauſa prima, & vniuerſa; ergo neceſſario conſtituendæ ſunt cauſæ particu-

lares.

lares habentes veram efficientiam. Confirmatur etiam: quia, ſi cauſæ particulares nihil efficerent, ſed mere paſſiue ſe haberent, non eſſet maior ratio, cur Deus ad præſentiam ignis produceret calorem, & ad præſentiam niuis frigiditatem; quam e contra. Reſpondent tamen, negando conſequentiam: nam illi effectus ita fiunt: quia ita pepigit Deus cũ cauſis ſecundis ab illarum prima productione, & natiuitate. Quare ignis producit calorem, & nix frigiditatem; non, quia nix, & ignis aliquid efficiant; ſed quia, ratione pacti, quo Deus cum illis pepigit in prima productione, ad præſentiam ignis producit calorem, & ad præſentiam niuis frigiditatem. Ægregia quidem ſolutio: deſtruunt enim hac ſua reſponſione naturam, & pro illa conſtituunt pactum Dei: breuis certe Philoſophia, & vnica ſolutione omnes dubitationes diſſoluens: ſi enim ita eſſet, cuiuſuis effectus hæc poſſet reddi cauſa: quia ita Deus pepigit cum cauſis ſecũdis. Si reſpondeas vt alij reſpondent, hoc non eſſe propter pactum ſolum; ſed propter potentiã paſſiuam paſſi. Contra, vel huic potentiæ paſſiuæ correſpondet potentia actiua naturalis, & ſic habeo quod probare intendo; vel correſpondet ſola potẽtia diuina, et ſi hoc dicas, manet eadẽ difficultas: quia reſpectu Dei non eſt minor potentia impaſſo ad vnam formam, quam ad aliam: quare non eſt cur cauſis ſecundis particularibus efficientibus veram efficientiam denegemus.

Dubitatio Sed quæres An cauſæ particulares producant compoſita naturalia, vel ſolũ formas illorum. Communis eſt philoſophorum conſenſus agentia particularia non ſolum efficere formas ſubſtantiales; ſed etiam compoſita naturalia, quorum ſunt formæ. Nos vero ſatisfaciemus dubitationi hac propoſita obſeruatione. Duobus modis poteſt intelligi, compoſita naturalia fieri a cauſis particularibus. Primo ita vt fiant ſecundum totam entitatẽ, & hoc modo ſolum fiunt a Deo; nam productio compoſiti naturalis ſecundum totam ſuam entitatem, creatio eſt: ſecundo modo poteſt intelligi ita; vt totum compoſitum fiat, non ſecundum totam entitatem, ſed ſecundum modum realem in tota entitate, & hac ratione cauſæ particulares producunt compoſita naturalia: quia ratione actionis cauſæ particularis ita diſponitur materia, vt in ſe recipiat formã, & fiat de nouo totum compoſitum, quod quidem antea non exiſtebat in quo compoſito tam materia, quam forma habent diſtinctum modum ſubſtantialem, vt conſtat ſatis ex dictis in diſputatione de principijs multis in locis. Eſt tamẽ hoc diſcrimen inter productionem hominis, & aliorum compoſitorum naturalium; quod in productione hominis, homo generans ſolum attingit diſpoſitionem materiæ, per quam materia habet nouum modum, & vnionem animæ rationalis cum materia: at vero in generatione aliarum rerum naturalium, cauſa particularis generans nõ ſolum attingit diſpoſitionem materiæ, & vnionem formæ cum materia; ſed etiam formam de nouo producit, illam educendo ex vi tranſmutationis de potentia materiæ. Nihilominus tamen, etſi hoc diſcrimẽ reperiatur, tam homo, quam quodcũque aliud compoſitum naturale dicitur generare totum: quia ad minus agens naturale attingit vnionem formæ cum materia, ratione cuius vnionis ſemper forma, ſiue producatur ab agente particulari: vt forma leonis geniti a leone generante; ſiue fiat a ſolo Deo per creationem, vt anima rationalis, ſemper tamen forma, ratione prædictæ vnionis, habet nouum modum in ordine ad materiam, & materia in ordine ad formam, qui modus ſufficit ad hoc, vt compoſitum naturale dicatur fieri a generante particulari: quemadmodum artifex, qui conficit Cathedram, dicitur conficere totam Cathedram, non quia efficiat aliquam entitatẽ diſtinctam realiter a ligno; ſed quia tribuit ligno diſtinctum modum realem, nõ tamẽ realiter

diſtinctum a quãtitate ligni: formæ enim ſeium artificialium non diſtinguũtur realiter a quantitate materiæ vt diximus in diſputatione de natura q. vltima dubitatione.

IN QVINTA parte quæſt. dices primo, pro prima ſententia. Fruſtra fiunt per plura, quę fieri poſſunt per pauciora: ſed Deus ſe ſolo poteſt producere omnia, quæ producit mediis cauſis particularibus efficientibus; ergo fruſtra tribuitur efficientia cauſis particularibus efficientibus. Reſpondemus, maiorem eſſe veram, ſi fiãt æque bene; licet ergo ex parte Dei, æque bene fiant res à ſolo Deo, ac ſi fiãt a Deo mediis cauſis particularibus; ex parte tamen creaturarum, non fiunt æque bene; quia creaturæ non eſſent ita perfectæ; cũm nõ haberent virtutem ad operandũ. Tum etiam, ſi creaturæ non haberent virtutem ad efficiendum, non ita clare manifeſtaretur in creaturis omnipotẽtia Dei.

1. Sed dices. Deo conuenit perfectiſſimus modus agendi: ſed perfectius eſt, cauſam efficere effectum ſe ſola, quam alterius adminiculo: quia illud manifeſtat virtutem independentem in cauſa efficiente; hoc vero imbecillitatem, & depẽdentiã; ergo Deus non operatur mediis cauſis ſecundis. Reſpondemus, negãdo minorem: quia Deus non agit mediis cauſis ſecundis efficientibus; quia ſe ſolo non poſſet efficere: illis enim nõ eget ad operandũ: decreuit tamẽ mediis illis operari, vt illæ in ſe hanc dignitatem, & perfectionẽ obtinerent. Cauſam enim operari medio alio, cuius adminiculo neceſſario egeat, eſt imperfectio in cauſa: cauſam vero operari medio aliquo, non quia illius egeat adminiculo; ſed potius, vt illi communicet perfectionem, nõ eſt imperfectio in cauſa.

Dices ſecundo. Cauſæ particulares efficiunt effectus: ergo efficiunt formas. Reſpondemus, concedendo conſequẽtiam in aliis agentibus naturalibus, excepto homine. Sed dices. Agentia naturalia efficiunt formas; ergo formæ creãtur ab agentibus naturalibus, quod certe non eſt admittendum. Conſequentia probatur. Omnis productio rei ex nihilo eſt creatio: ſed agentia naturalia producunt formas ex nihilo; ergo productio formarum ab agẽtibus naturalibus eſt creatio. Minor probatur. Nihil formæ ſupponitur ante productionem illius; neque forma fit ex aliquo; ergo fiunt ex nihilo; ergo creantur. Reſpondemus, negando conſequentiam. Probationi negando minorem. Probationi minoris, negando antecedens: nam, quando in definitione creationis dicimus creationem eſſe productionem ex nihilo, particula ex non ſolum negat habitudinẽ partis componentis; verumetiam habitudinem termini a quo, & ſubiecti, ex cuius potentia res educatur; formæ ergo non creãtur: quia licet nihil formarum lateat actu in materia; tamen fiunt ex potentia materiæ, & ſupponitur materia priuata vt terminus, & ſubiectum.

Confirmant inſuper contrariam ſentẽtiam teſtimoniis ſcripturæ ſacræ. Imprimis ex illo Apoſtoli, cap. 12. Epiſt. 1. ad Corinthy. *Et nemo poteſt dicere Dominus Ieſus niſi in Spiritu ſancto.* Et ſtatim, *idem uero Deus qui operatur omnia in omnibus.* Et ex illo cap. 3. Epiſt. 2. ad Corint. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra a Deo eſt.* Reſpõdemus, tamen non negare, cauſas ſecũdas habere efficientiã: ſed docet nihil eas valere abſque diuino concurſu; & peculiari modo in operibus gratiæ, in quibus ſpecialis Dei concurſus deſideratur.

Valleſius controuerſia 14. phyſica ſuperiores ſententias temperauit, ſed non ſatis. Docet enim, inanimata non ſolum attingere præuias diſpoſitiones ad introductionem formæ ſubſtantialis; ſed etiam attingere productionem formarum ſubſtantialium: res vero animatas ſolum efficere diſpoſitiones; non vero formas ſubſtantiales, ſed iſtas fieri ab ipſo Deo abſq. miniſterio cauſarum particularium. Obiicis *Sentent. Valleſij.*

1. mine. Sed dices. Agentia naturalia efficiunt formas; ergo formæ creãtur ab ag-

vero

vero ſibi ipſi;ergo res inanimatę ſunt perfectiores rebus animatis: cũ illæ poſsint facere formas ſibi ſimiles; animatæ verò res, minime. Reſpondet tamen, negando conſequẽtiam, & reddit inſtantiam in homine, qui præſtãtior eſt aliis animalibus, & tamen non producit formam hominis a ſe geniti. Hæc tamen inſtãtia non eſt accommodata: nam proinde anima rationalis non fit ab homine generante: quia eſt mere ſpiritalis, & ſuperioris ordinis, & conſequenter non poteſt attingi ab agente corporeo, nempe ab homine; aliorum vero animalium animæ non ita ſe habẽt.

Obiicit vero ſibi ipſi poſtea. Animæ brutorũ non fiunt a generante; ergo creãtur a Deo: quemadmodũ anima rationalis. Reſpõdet, negando conſequentiã. Primo: quia productio animę rationalis non attingitur a cauſa corporea vniuerſa, ſcilicet a cœlo: at productio animæ brutorũ attingitur ab agente corporeo, ſcilicet a cœlo; ac proinde non eſt creatio. Secũdo: quia animæ brutorum, etſi a Deo fiant, fiunt tamen dependenter a materia, quod certe ſufficit ad hoc, vt non dicantur creari in rigore: vt patet inquit in Adamo, qui ſi loquamur in rigore, fuit factus a Deo abſque adminiculo cauſæ particularis generantis, & non dicitur creatus. Hæc tamen ratio Valleſij nullius eſt momenti, quod ita oſtendo. Agens naturale non ſolũ attingit præuia accidẽtia, ſed attingit etiam ſubſtantiam compoſiti modo ſuperius explicato, ratione cuius verum eſt dicere, hominem generare hominem, & leonem generare leonem; ergo animata nõ ſolum attingunt præuia accidentia, ſed etiã ſubſtantiam compoſiti. Reſpondet, bruta animantia attingere ſubſtantiam compoſitorum, quæ generant: quia attingunt vnionem formæ cũ materia; non vero; quia producant formam. Sed contra. In omnibus viuentibus, excepto homine, anima comproducitur: ſed non viuentia attingunt productionem compoſitorum; ergo & comproductionem formarum: ergo producunt etiam formas. Si reſpondeas etiã materiam comproduci, & tamen materiã non fieri ab agentibus naturalibus, ſolutio eſt nulla: quia, quæ comproducuntur ad productionem alterius, niſi ſupponantur ſecundum realem entitatem, fiunt de nouo per actionẽ, & per cauſam, per quã illud tale producitur: at materia in productione compoſitorũ ſupponitur ſecũdum ſuam entitatem; ac proinde nõ fit ab agẽtibus naturalibus: at vero formæ brutorum non ſupponuntur ſecundum entitatem; ac proinde fiunt ab agentibus naturalibus, a quibus fiunt compoſita, quorũ ſunt formæ.

Dices vltimo, pro ſententia Valleſij. Viuentia agunt per virtutem derelictam in ſemine; ſed talis virtus eſt accidens; ergo ſolum poſſunt producere accidens: ergo non formam ſubſtantialem. Probatur prima conſequentia: quia accidens nõ poteſt producere ſubſtantiam. Reſpondemus virtutem proximam ſeminis eſſe accidẽs; remotam vero ſubſtantiam, ratione cuius ſemen producit formam ſubſtantialem: accidens enim virtute propria ſolum attingit productionem accidentię; vt inſtrumentum vero attingit productionem ſubſtantię, vt magis conſtabit quæſt. ſequenti.

QVAESTIO II.

An accidentia poſſint producere ſubſtantiam, & accidens.

DIXIMVS ſuperiori quæſt. cauſas particulares habere veram efficientiam: cum vero id præſtent mediis accidentibus, inquirimus modo, an accidentia poſsint producere accidentia, & ſubſtantiam.

Diuiditur quæſt. in quatuor partes. Prima proponemus obſeruationes. 2. aſſertiones. 3. duas exterorum ſententias, illarumq. rationibus ſatisfaciemus. 4. tandem. *Diuiſio quæſt.*

denique quarta aliqua dicemus de accidente ſeparato.

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Accidens producere ſubſtantiam, aut accidens, nihil aliud eſt, quã virtute in ſeipſo reperta efficere ſubſtantiam, aut accidens; & quia talis virtus poteſt eſſe propria, permanens, & proportionata eſſectui, qualis reperitur in cauſa præcipua; & poteſt etiam eſſe talis virtus cauſata a cauſa præcipua, qualis eſt, quæ reperitur in inſtrumẽto; proinde quæſtio duplicem reddit ſenſum. Primus eſt, an accidens poſsit producere ſubſtantiam, & accidens vt cauſa præcipua, & per propriam virtutem. Secundus ſenſus eſt, an accidens vt cauſa inſtrumentaria, & per virtutem communicatam a cauſa præcipua, ſcilicet a ſubſtantia, poſsit producere ſubſtantiam, aut accidens.

Secunda obſeruatio. Accidentia alia ſunt operatiua, & alicuius actiuitatis; vt quatuor primæ qualitates, & aliæ huiuſmodi: alia vero nullius ſunt actiuitatis. Præſens igitur quæſtio procedit de accidentibus operatiuis. Ex dictis manifeſtus eſt quæſt. ſenſus.

IN SECVNDA parte quæſtionis quibuſdã aſſertionibus proponemus noſtram ſententiam in hac re, quam tenẽt S. Tho. multis in locis præſertim 3. p. q. 77. in 4. ſenten. d. 12. q. 1. & 1. p. q. 77. ar. 1. & iiſdem locis multi Thomiſtæ, Card. Toletus hic. Soto. q. 4. huius 2. lib.

Accidens virtute propria non attingit ſubſtã tiam.

Sit igitur prima aſſertio. Accidens virtute propria, & vt cauſa præcipua nõ poteſt producere ſubſtantiam. Probatur aſſertio, Omnis cauſa præcipua debet eſſe perfectior ſuo effectu, aut ſaltem æque perfecta cum illo: ſed accidens non eſt æque perfectum cum ſubſtantia; ergo nõ poteſt eſſe cauſa præcipua ſubſtantiæ. Reſpondet tamen Pererius 8 phyſ. cap. 13. accidens poſſe comparari cum ſubſtantia in ratione entis, & ſic clarum eſſe, accidens eſſe ignobilius ſubſtantia: ſecundo in ratione productiui, et ſi ita accipiãtur, inter ſubſtantiam & accidens eſt proportio: nã ſicut accidens naturaliter eſt productiuũ ſubſtantiæ; ita ſubſtantia eſt productibilis ab accidente, quare reperitur æqualitas. Sed in hac ſolutione committitur petitio principij in reſpondendo, & ſolutio nullius eſt momenti, quod ita oſtendo. Ratio productiui eſt entitas cuiuſq. productiua, & tanto magis aliquid eſt actiuum, quanto magis habet de entitate. ſed ſubſtãtia eſt perfectior in ratione entis: ergo in ratione productiui: nõ enim poteſt præſcindi ratio entis a ratione productiui in accidente: nam quemadmodum, ſi præſcindamus rationem principij a corde, cor nõ manet principium: ita ſi præſcindamus rationem entis in accidente productiuo, nõ manebit ens, ſed nihil: quare accidens ea ratione, qua nihil eſt, eſſet principium productiuum. Reſpondet ſecundo Pererius multo prius docens, duplicem eſſe effectum agentis: vnum intrinſecum actui agẽtis, qui per ſiue actionem attingitur; & alterum externum, qui ſequitur naturali quadam ſequela. In productione ergo ignis, inquit, calor ignis genitus eſt terminus per ſe: ignis vero genitus fit naturali quadã ſequela a calore ignis generãtis. Hæc tamen ſolutio non euget impugnationem: nã tota naturę philoſophia proclamat ſubſtantiam fieri per ſe, accidentia vero, quæ naturam ſubſtantiæ conſequuntur, comproduci, & fieri naturali quadam ſequela.

Accidens virtute ſubſtantiæ attingit ſubſtantiã.

Secunda aſſertio. Accidens vt cauſa inſtrumentaria, & in virtute ſubſtantiæ, attingit productionem ſubſtantiæ. Probatur primo variis experientiis. Primo, in generatione viuentium, in qua generans non eſt præſens; & nihilominus generat ſubſtantiam per virtutem in ſemine derelictam, quæ quidem accidens eſt. Secundo conſtat in nutritione viuentium, cuius terminus eſt ſubſtantia partialis, & fit a calore natiuo. Tertio quia radij ſolares in concauo ſpeculi per refractionem producunt ſubſtantiam ignis in ſtupa, ibi tamẽ

non adeſt præſens ſubſtantia ſolis, ſed eius virtus, nimirum ſcilicet calor; vel alia virtus occulta.

Probatur ſecundo ratione. Subſtantia non eſt immediate producens ſubſtantiã; ſed medio aliquo accidente: ergo accidẽs attingit productionem ſubſtantiæ; ſed nõ virtute propria, & vt cauſa præcipua, vt eſt probatum; ergo vt inſtrumentum. Probatur antecedens. In rebus creatis ſimpliciter, & immediate eſſe; & ſimpliciter, & immediate operari diſtinguũtur realiter; ergo immediatũ principiũ eſſendi, & operandi abſolute, & ſimpliciter, debẽt realiter diſtingui: ſed ſubſtantia in rebus naturalibus eſt immediatum principium eſſendi: ergo non poteſt eſſe immediatum principiũ operandi, niſi medio accidente. Sed dices. Subſtantia non eſt immediatũ principium operandi: ergo datur proceſſus in infinitum. Probatur conſequentia: quia accidens illud, quo medio ſubſtantia operatur fuit productum a ſubſtantia; ergo medio alio, & rurſus illud medio alio; & ſic in infinitum. Reſpondemus negando conſequentiam: nam accidentia quædam ſunt quæ naturali ſequela, & abſq; vera tranſmutatione fiunt a ſubſtantia, & hæc immediate producuntur: quia reſpectu horum non dicitur ſubſtantia operari: alia vero ſunt, quæ fiunt a ſubſtantia media mutatione, & operatione: quemadmodũ etiam fit ab ipſa, ſubſtãtia denuo genita: quare non datur proceſſus in infinitum: quia accidentia, quæ fiunt a ſubſtãtia per operationem, fiunt mediis accidentibus productis a ſubſtantia naturali quadam ſequela: hæc vero accidentia fiunt immediate.

Dubitatio Sed quæres. Quare accidentia, quæ fiunt naturali ſequela, fiãt immediate a ſubſtantia: illa vero, quæ fiunt media operatione, debeant fieri mediate: præſertim cũ
I. exiſtiment multi philoſophi proprietates non fieri a ſubſtantia rei per ſimplicem emanationem, & naturali quadam ſequela; ſed per proprias mutationes.
Solutio. Reſpondemus cauſam eſſe; quia principiũ immediatum eſſendi debet etiam eſſe immediatum principiandi eorum, quæ tale principium conſequuntur, vt coadiuuantia illud ad operandum. Quare vt ſubſtantia habeat aliquid, quo medio eius operatio incipiat, debent neceſſario eſſe aliqua hęc accidentia immediate producta a ſubſtantia; ſiue fiãt per ſimplicem emanationem, ſiue per veram mutationem, & operationem: alias enim eſſet proceſſus in infinitũ: mediis vero iſtis accidentibus producit ſubſtantia per operationes alia accidẽtia, tum etiam & ſubſtantiam. Hoc idem fit manifeſtũ in receptione accidentium: debet enim ſubſtantia immediate recipere aliquod accidens, & medio illo alia accidentia: vt ſubſtantia corporea recipit immediate quantitatem, ſcilicet trinam dimenſionem, & media illa cætera accidentia corporea. Sed dices. Eadem forma ac- I.
cidentaria eſt principium immediatũ eſſendi, & operandi: vt calor eſt principium immediatum, quo ignis formaliter eſt calidus, & producit calorem; ergo ſimiliter ſubſtantia poterit eſſe immediatum principium eſſendi, & operandi. Probatur cõſequentia: quia, quemadmodum in ſubſtãtia eſſe eſt primus actus, & operatio eſt actus ſecundus, ita in accidente. Reſpondemus negando conſequentiam. Pro cuius intelligentia obſerua, formas in duplici *Obſerua.*
eſſe differentia: aliæ enim ſunt factæ a natura primario vt ſint principium eſſendi, & ad hoc etiam primario ordinantur; ad operationem vero ordinantur ſecũdario, prout ſcilicet operatio conducit ad hoc vt tales res ſuum eſſe conſeruent: & huiuſmodi ſunt formæ ſubſtantiales. Aliæ vero ſunt formæ, quæ primario ordinantur ad operandum, ſecundario vero ad eſſe: quia ſcilicet, ad hoc vt operentur, requiritur vt ſint: & huiuſmodi ſunt formæ accidentariæ, quibus mediis ſubſtantia operatur. Eget enim ſubſtantia, verbi gratia ignis, calore primo & per ſe vt producat medio illo calorem, ſecundario

vero vt ſit calidus: quia non poteſt medio calore operari, niſi ſit calidus. Hoc ſit manifeſtũ in rebus naturalibus, in quibus, ſolum reperitur forma accidẽtaria operatiua in illis, quæ tali forma agent ad operandum. Lapis enim non habet virtutem ad generandum alium lapidem; quia non eſt cur lapis alium lapidem generet: leo vero, vel ignis habent virtutem generandi; quia leo debet generare leonem, & ignis ignem. Quare reſpondemus argumento in forma, negando conſequẽtiam: quia accidẽtaria forma operatiua eſt immediatum principium operandi, primo & per ſe: ſecundario vero immediatum principium eſſendi, non ſimpliciter, ſed ſecundũ accidens: forma vero ſubſtantialis eſt immediatum principium eſſẽdi ſimpliciter, & ſubſtantialiter, & mediatum operandi. Quare ſubſtantia eſt immediatum principium eſſe ſimpliciter, quod eſt ſubſtantiale; & mediatum operandi: accidens vero eſt immediatum principium operandi primo & per ſe, & immediatum eſſe accidentarij, quod eſt eſſe ſecundarium: mediatũ tamen eſſe ſubſtantialis, cum accidens virtute ſubſtantiæ producat ſubſtantiam.

Accidens producit accidens.

Tertia aſſertio. Accidens poteſt producere accidens vt cauſa præcipua. Probatur aſſertio a definitione. Cauſa proportionata cum effectu eſt præcipua, & agit virtute propria; ſed accidens producens, verbi gratia calor, producens calorem eſt forma proportionata; ergo poteſt producere calorem vt cauſa præcipua, & virtute propria.

Cur formæ & materiæ ut cauſent non debent eſſe perfectiores.

Sed quæres. Cur adhoc, vt cauſent materia, & forma vt cauſæ præcipuæ, non requiritur vt ſint perfectiores ſuo effectu, aut ſaltem æque perfectæ cum illo: adhoc vero, vt cauſa efficiẽs cauſet vt cauſa præcipua, requiritur, vt ſit perfectior ſuo effectu, vel ſaltem æque perfecta cum illo. Reſpõdemus hoc prouenire ex diuerſo modo cauſandi nam materia, & forma cauſant intrinſece componendo, vt partes; ac proinde nec materia, nec forma poteſt eſſe perfectior aut æque perfecta cum ſuo effectu; quia, cum effectus ſit totum compoſitũ, ſemper præter perfectionem materiæ includit perfectionẽ formæ, & præter perfectionem formæ includit perfectionẽ materiæ. Cauſa vero efficiens cauſat dando eſſe extrinſece; ac proinde vt cauſet virtute propria, & vt cauſa præcipua, debet habere virtutem ſaltem æque perfectam cum effectu producendo; cum media illa effectum producat.

IN TERTIA parte quæſt. proponendæ ſunt duæ extremæ ſententiæ; quarum prima eſt patris Pererij 8. phyſ. cap. 3. aſſerentis accidens virtute propria attingere productionem ſubſtantiæ ita, vt cum ignis generat ignem, tota ignis productio intrinſece, & effectiue procedat a calore, & forma ſubſtantialis ignis nullo modo concurrat efficienter.

Probatur primo. Calor eſt accidens, & ignis ſubſtantia: ſed calor propria virtute poteſt producere ignem; ergo accidẽs propria virtute poteſt producere ſubſtantiam. Probatur minor. Quod poteſt propria virtute attingere vltimã diſpoſitionem ad formam ignis, poteſt etiã propria virtute attingere formam ignis: ſed calor propria virtute poteſt attingere vltimam diſpoſitionẽ formæ ignis, nempe calorem vt 8. ergo, &c. Probatur minor. Vt ſe habet calor vt duo ad calorem vt duo; ita ſe habet calor vt 8. ad calorẽ vt 8. ſed calor vt duo poteſt producere calorẽ vt duo; ergo calor vt 8. poteſt producere calorẽ vt 8. Reſpondemus negando maiorem. Probationi reſpondemus, negando maiorem: nã hæc eſt falſa ſi vniuerſaliter ſumatur, vt ſunt aliqua, quæ attingũt vltimam diſpoſitionẽ, & tamen non principaliter, ſed inſtrumentaliter attingunt productionem formæ, vt patet in hominis generatione. Sed dices. Poſita in ſubiecto vltima diſpoſitione ad formam ignis, nempe poſito calore vt 8. niſi Deus ſuſpendat quamcunque actionẽ, non poteſt non ſequi forma ignis; ergo illa non poteſt fieri a calore vt a cau-

ſa.

ſa præcipua. Cum ſupponamus tunc tan
tum ſolum manere actionem caloris vt
eſt cauſa præcipua. Probatur antecedens:
quia poſito calore vt 8. deſtruitur forma
aquæ; cũ tollatur eius vltima diſpoſitio,
& conſequenter debet neceſſario introdu
ci in materiam illam aliqua forma ſubſtã
tialis, vt materia non exiſtat abſque for-
ma: talis vero forma debet eſſe forma ig-
nis; cum ad illam ſit materia vltimo diſ-
poſita. Reſpõdemus negando antecedẽs.
Probationi dicimus, poſito calore vt 8.
deſtrui neceſſario formam aquæ, ſi agen-
tia ſuæ naturæ relinquentur; in caſu ve-
ro propoſito poſſet forma aquæ conſer-
uari a Deo, ſub calore vt 8. nam, vt dixi-
mus lib. 1. cap. 3. quæſt. 7. de maximo, &
minimo, quemadmodũ Deus poteſt con-
ſeruare quamuis formam ſubſtantialẽ ab
ſque accidente, poteſt etiam illam conſer-
uare ſub quouis accidente quouis modo
extenſo: quare in caſu propoſito liberè
Deus aut conſeruaret formam aquæ, aut
produceret formam de nouo, aut materiã
2. abſque forma ſuſtentaret. Sed dices. Non
eſt neceſſe vt id, quod principaliter attin-
git vltimam diſpoſitionem, attingat etiã
vt cauſa præcipua formam ſubſtãtialem;
ergo accidens nullo modo attingit produ
ctionem ſubſtantiæ. Probatur conſequen
tia. Accidens ideo inſtrumentaliter attin
git ſubſtantiam; quia principaliter attin-
git vltimam diſpoſitionem: ſed vltima di
ſpoſitio, & formæ ſubſtantialis non fiunt
eadem actione; ergo ex eo, quod attingat
vltimam diſpoſitionẽ vt cauſa præcipua,
non ſequitur attingere formam ſubſtan-
tialẽ vt eſt cauſa inſtrumẽtaria. Probatur
conſequentia; quia, quæ fiunt diuerſis a-
ctionibus, requirunt diuerſa agentia. Re-
ſpondemus, negando conſequẽtiam. Pro-
bationi reſpondemus ſimiliter. Probatio
ni probationis dicimus, illa fieri diuerſis
actionibus præcipuis, ſunt tamen ita in-
ter ſe connexæ iſtæ actiones, vt vna iuxta
naturę ordinem neceſſario, & inſeparabi-
liter alteram conſequatur: quare agens at

tingẽs vt cauſa præcipua vltimam diſpo
ſitionem, attingit formam ſubſtantialem
vt inſtrumentarium. Sed dices. Hæc natura- 3.
lis connexio ſufficit, vt accidens produ-
cens vt cauſa propria vltimam diſpoſitio
nem, producat inſtrumentaliter ſubſtan-
tiam: ergo etiam ſufficit ad hoc, vt pro-
ducat ſubſtantiam principaliter. Reſpon-
demus, negando cõſequentiam. Ratio eſt,
quia inter ſubſtantiam, & accidens num-
quam reperitur proportio, quę reperitur
inter accidẽs, & vltimam diſpoſitionem,
quæ etiam eſt accidens: ſubſtantia namq;
eſt ordinis ſuperioris. Sed dices. Nihil po 4.
teſt operari vltra virtutem in ſe repertã:
ſed accidens numquam in ſe habet virtu-
tem ſufficientem ad producendam ſubſtã
tiam: ergo adhuc vt inſtrumentum, nõ po
teſt producere ſubſtantiam. Reſpõdemus
negando minorem ita. Propriam concedi
mus; communicatã a ſubſtantia, cuius eſt
inſtrumentum, negamus minorem. Sed di
ces. Inſtrumentum tantum recipit virtu- 5.
tem a præcipuo agente medio motu loca
li, quo aſſumitur, & eleuatur ab agente
præcipuo: ſed accidẽs, verbi gratia calor,
non eſt ſubiectum aptum ad recipiendum
motum localem; ergo accidens non poteſt
recipere virtutem ab agẽte præcipuo. Re
ſpondemus, negando maiorem; quia tan-
tum eſt vera in inſtrumẽto ſeparato; dum
modo ſit ſuppoſitum, & non poſſit opera
ri abſq. actuali motione pręcipui agẽtis:
vt eſt ſerra; non vero in inſtrumẽto, quod
eſt forma: vt calor: aut in inſtrumento
quod ſeparatum poteſt operari abſque
actuali motione præcipui agentis, verbi
gratia ſemen.

Dices ſecundo. Ex Ariſt. in paruis na
turalibus lib. de ſenſu, & ſenſili. ignis nõ
agit vt ignis eſt, ſed vt calidus: ergo ca-
lor per ſe producit ſubſtantiam 2. etiam
de generatione ſtatim in principio ita ha
bet. *Simile non agit in ſimile*: ergo ex ſen-
tentia Ariſto. ignis non producit ignem,
ſed potius calor virtute propria produ-
cit ignem. Reſpondemus, negando vtraſq.

conſequentiam: quia in primo teſtimonio tãtum vult docere Ariſt. ignem non producere ignem ſe ſolo, ſed medio calore; ſecundo vero teſtimonio docet, actionem qualitatum non eſſe inter qualitates ſimiles, ſed inter diſsimiles: ſimilitudo enim, & diſsimilitudo ſolũ reperitur inter qualitates; non vero inter ſubſtantiam, & accidens, vt argumentum aſſumit. Vbi obiter obſerua, recte nos docuiſſe in Logica, q. 7. dubit. 2. de relatione, inter duas qualitates eiuſdem ſpeciei, in diuerſis tamen gradibus, reperiri relationem diſsimilitudinis: quia inter illas reperitur actio. Sed

I. dices. In productione ignis ab igne ſolus calor ignis producentis ſufficiens eſt ad producendum ignem: ergo ſolutio eſt nulla. Probatur antecedens. Quod poteſt ſe ſolo corrumpere formam ſubſtantialem, poteſt etiam ſe ſolo, & virtute propria, producere formam ſubſtantialem; ſed accidens ſe ſolo, & propria virtute poteſt corrumpere formam ſubſtantialem; ergo, &c. Reſpondemus negando antecedens. Probationi negando minorem: nam calor virtute propria ſolum poteſt corrumpere diſpoſitiones alicuius formæ, ad quarum diſpoſitionum corruptionem fit etiã corruptio ſubſtantiæ ab ipſo calore, vt eſt inſtrumentum ſubſtantiæ: ac conſequẽter eodem modo attingit vltimam diſpoſitionem formæ ſubſtantialis vt cauſa præcipua, & productionem formæ ſubſtantialis vt inſtrumentum: quia iſtæ duæ actiones conſequenter ſe habent, & inſeparabiliter iuxta naturæ ordinem, vt in ſuperioribus diximus.

Sent. Scoti Durandi &c.

Secunda ſententia extrema eſt Scoti in 1. Diſtinct. 37. q. vnica, & in 4. Diſtinct. 12. quæſt. 1. Durandi in 2. diſtin. 1 quæſt. 4. Valleſij controuerſia 14. & aliorum, qui omnes docẽt accidẽs nec virtute propria, nec vt inſtrumentum, attingere productionem ſubſtantiæ; ſed tantum diſponere materiam primam ad formæ ſubſtantialis receptionem. Probatur primo. Nullum agens poteſt operari vltra propriam virtutem: ſed ſubſtantia eſt vltra ſpeciem, & virtutem accidentis: ergo accidens non poteſt producere ſubſtantiam. Reſpondemus cum S. Thom. 3. contra gentes, cap. 21. & de vno, quæſt. 27. arti. 4. diſtinguendo maiorem ita. Vt cauſa propria, concedimus: vt inſtrumentum, negamus maiorem. Sed dices. Accidens non recipit I.

virtutem a ſubſtantia; ergo non producit ſubſtantiam vt inſtrumentum, media virtute accepta a ſubſtantia. Probatur antecedens. Si reciperet virtutem, vel illa eſſet ſubſtantia, vel accidens; ſed neutrum: ergo, &c. Probatur minor. imprimis nõ eſt ſubſtantia; tum: quia ſubſtantia non recipitur in accidente; tum etiam: quia omnis ſubſtantia vel eſt materia, vel forma, vel totum compoſitum: at illa virtus nec eſt materia, nec forma, nec totum compoſitum; ergo, &c. Deinde neque eſt accidens: quia manet certe eadem difficultas; ergo, &c. Reſpondemus diſtinguendo antecedens ita. Non recipit virtutem a ſubſtantia, quæ ſit entitas de nouo, concedimus antecedens, vt egregie probat argumentum: non recipit virtutem a ſubſtantia, id eſt non eſt virtus ſubſtantiæ, negamus antecedẽs. vt vero intelligamus quid ſit, accidens eſſe virtutem ſubſtantiæ, (nã in hoc certe tota cõſiſtit difficultas.) Obſerua, accidens, calorẽ verbi gratia, poſſe dupliciter ſumi. Primo ſecundum ſe, & abſolute, prout abſtrahit a ſubiecto vitali, & non vitali, tam ſimplici, quam mixto: et ſi hoc modo ſumatur, nec eſt virtus ſubſtãtiæ, nec aliquo modo ſufficiens producere ſubſtantiam: ſed ſolum poteſt producere accidens, cum quo eſt proportionatum. Secundo ſumi poteſt calor, prout dimanat a determinato ſubiecto, cuius eſt forma operatiua, & hac ratione ſumptus, eſt virtus ſubſtantiæ: calor enim, prout dimanat a viuente, cuius eſt potentia nutritiæ, eſt virtus ſubſtantiæ viuẽtis, & prout dimanat ab igne, cuius eſt potentia operatiua eſt etiam virtus ignis: dicitur ergo accidens, virtus ſubſtantiæ, prout a

Accidens ſumitur dupliciter

ſubſtantia determinata dimanat, ratione cuius dimanationis habet illa realitas, quæ accidens eſt, vt poſsit producere ſubſtantiam: quia eſt potentia operatiua ſubſtantiæ, & proportionata cum ſubſtantia producta, ratione ſubſtantiæ, a qua dimanat; & a qua aſſumitur vt cooperans ſub-
1. ſtantiæ productionem. Quod certe explicant ſatis naturales productiones: nam calor, vt dimanat ab igne, producit ignem; vt dimanat ab animali, carnem; vt a planta, partem plantæ, & ſic de cæteris. Explicatur etiam in moralibus: nam ſatellites poſſunt, vt miniſtri regis, præſtare id, quod minime poterant ſecluſo tali miniſterio; non tamen per realitatem aliquam ſuperadditam. Hinc manifeſte deducitur, qua ratione phantaſma poſsit producere ſpeciem in intellectu patibili nõ virtute propria, ſed communicata ab intellectu agente: quia ſcilicet naturaliter habet, vt ſit virtus, media qua intellectus agẽs vt cauſa præcipua, producit ſpecies intelligibiles. Hoc etiam obſeruandum eſt pro diſputatione de ſacramentis, & pro aliis multis diſputationibus moralibus: aqua enim baptiſmi, verbi gratia, ſecundum ſe ſumpta, tantum habet virtutem abluendi corpus; vt vero aſſumitur a Deo vt cooperans, habet producere gratiã vt inſtru-
2. mentum. Scd̃ dices. Calor ex ſua natura habet, quod dimanet ex tali ſubiecto: ergo ex ſua natura habet, vt producat ſubſtantiam; cum ex ſua natura ſit virtus ſubſtantiæ. Reſpondemus, negãdo maiorem: nam calor ex ſua natura ſolum habet id, quod comitatur calorem in quocumque ſubiecto: at, id, quod eſt poſſe producere hoc, vel illud, non comitatur calorem, niſi prout a tali ſubiecto dimanat. Idem iudicium eſt in aliis accidentibus. Sed dices. Omne accidens eſſentialiter conſtituitur per ordinem ad ſubiectum, quod eſt ſubſtantia: ergo quocunque modo ſumatur eſt virtus ſubſtantiæ. Reſpondemus negando conſequen. quia aliud eſt habere eſſe per ordinem ad ſubſtantiam, & aliud promanare a tali ſubſtantia.

Actio ſumitur duplex.

Probatur ſecundo. Accidentia vt inſtrumenta, poſſunt producere ſubſtantiã: verbi gratia calor poteſt producere ignẽ: ergo vel ille calor, qui eſt in agente; vel qui eſt in paſſo. ſed neuter; ergo, &c. Probatur minor. Imprimis non calor, qui eſt in paſſo: quia nullum eſſet diſcrimen inter generationem viuentium, & non viuẽtium. Deinde, neque calor, qui eſt in agente: quia, vel id præſtat media calefactione, vel media alia actione; ſed non media calefactione: quia per calefactionem tantum producitur calor; neque media alia actione: quia calor, præter calefactionem nullam aliam poteſt habere actionem; ergo calor, qui eſt in agente, non poteſt vt inſtrumentum, producere ſubſtantiam. Reſpondemus, negãdo minorem: nam calor, qui eſt in agente, vt inſtrumentum producit ſubſtantiam. Probationi dicimus, calorem, præter calefactionem, habere aliã actionem, nempe generationem ſubſtantiæ: talis vero actio nõ eſt propria illius, ſed communicata, & vt eſt inſtrumẽtum,
& virtus ſubſtantiæ. Sed dices. Calor, qui 1.
eſt in agente, poteſt producere calorem, & ignem in paſſo: ergo calor, qui eſt in paſſo, poterit etiam in illo idem præſtare. Probatur conſequentia. Agens naturale magis poteſt operari circa materiam magis proximam, quã circa materiã magis remotam: ſed calor agentis poteſt producere calorem, & ignem in paſſo: ergo idem poterit præſtare calor, qui eſt in paſſo: cum talis materia ſit illi magis proxima. Reſpondemus, negando conſequentiam. Probationi reſpondemus, concedẽdo maiorẽ, ſi cætera ſint paria: at hic cætera non ſunt paria: quia nullum agẽs poteſt operari circa aliquam materiam, quæ iam eſt in actu, qui per tale agens poteſt produci: at quando eſt calor productus in paſſo, reſpectu talis caloris nõ eſt paſſum in potentia reſpectu illius caloris: cũ illum iam habeat; neque poteſt ille calor alium

producere & hoc nõ poteſt præſtare: quia nec poteſt producere minorem nec æqualem; cum reſpectu illarum iam ſit paſſum in actu: neque maiorem; quia naturale agens non poteſt operari vltra propriam virtutem. Deinde adhuc reſpectu ſubſtantiæ calor iſte non poteſt eſſe cauſa producens inſtrumentaria: quia omne inſtrumentum debet habere actionem præuiam circa illam partem materiæ, in quam debet introduci forma: ſed talis calor nullã habet præuiam in materia, in qua eſt; ergo, &c. Probatur minor. Præuia actio ignis eſt calefactio: ſed non poteſt calefacere; ergo non poteſt habere præuiam actionem. Probatur min. Quia vel produceret per calefactionem ſeipſum; vel alium calorẽ: ſed neutrum: ergo, &c. Probatur minor. Imprimis non ſeipſum: quia implicat, eundem calorem eſſe principium producens, & terminum actionis, per quam producitur. Deinde neq. diuerſum propter rationem ſuperius aſsignatam; quia ſcilicet, ſi eſſet maior, calor ageret vltra propriæ vires, ſi minor, vel æqualis, iã materia reſpectu illius eſt in actu, & implicat, vt, in eodem, ſimul, & reſpectu eiuſdem, reperiatur actus formalis, & potentia formalis. Nec valet ſolutio illorum, qui aſſerunt, calorem hunc, producere calorem illum, qui ſequitur in igne genito: quia efficiens debet exiſtere quãdo producitur effectus: at quãdo generatur ignis, & illius calor, iam eſt corruptus calor præexiſtens, qui erat diſpoſitio ignem ad generationem ignis ſupponatur alterius ſubſtantiæ corruptio, in qua ſemper fit reſolutio vſque ad materiam primam.

Dubitatio de acciden te ſeparato. IN VLTIMA parte quæſtio. eſt dubitatio de accidente ſeparato, an ſcilicet poſsit producere ſubſtantiam. Diximus q. 3. ſecũdæ partis huius diſputationis inſtrumentum ſeparatum, vel eſſe ſuppoſitum, vt ſemen; vel eſſe in diſtincto ſuppoſito: vt calor in aqua productus ab igne, quo medio ignis vt inſtrumento ſeparato aliquid efficit. In hac re ſunt qui exiſtiment, inſtrumentum ſeparatum poſitũ in ſuppoſito diſtincto, quod quidem non eſt ſubiectum connaturale, nullo modo poſſe attingere productionem ſubſtantiæ: verbi gratia calorem in aqua numquam poſſe vt inſtrumentum attingere productionem ſubſtantiæ; hæc tamen ſententia non eſt admittenda; cum experientia contrarium doceat: nam aer calefactus ab igne medio calore multa corrũpit, & alia de nouo generat. Idem præſtat aqua, & alia multa mediis accidentibus, quæ non ſunt connaturalia.

Inſtrumentũ vero ſeparatum, ſi ſit pars decisſa a generante vt ſemẽ, poteſt medio accidente in ſe reperto tanquam inſtrumẽto præcipui generantis, producere ſubſtãtiam ſimilem præcipuo generanti, vt patet in ſemine ab animali deciſo. Sed dices. Vt inſtrumentum operetur vt virtute cauſæ præcipuæ, debet eſſe præſens cauſa præcipua: ergo inſtrumentum ſeparatum non poteſt producere ſubſtantiam vt virtute cauſæ præcipuæ: nã ſæpe numero quando eſt talis actio, non ſit præſens cauſa præcipua. Reſpondemus antecedens non eſſe ſemper verum, ſed intelligendum eſſe eo modo, quo diximus q. vlt. citata.

QVAESTIO III.

Vtrum Deus concurrat immediate cum cauſis ſecundis.

DIXIMVS ſuperiori quæſt. cauſas particulares aliquid efficere, cũ illis tamẽ ſemper cõcurrere cauſas vniuerſas; &, cum inter cauſas vniuerſas Deus ſit perfectiſsima omnium, & prima, proinde inquirimus, an Deus concurrat immediate cum cauſis ſecundis.

Diuiditur quæſt. in 5. partes. Prima *Diuiſio* proponemus quaſdam obſeruationes, & *quæſt.* ſententiam Durandi 2. quædam fundamẽta 3. ſatisfaciemus quæſt. 4. diluemus argumen-

gumenta pro ſententia Durandi, & alia aduerſus aſſertiones habentia vim ſ. quandam dubitationes breuiter pertractabimus.

Res concurrit ad producendum 4. modis.

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Res aliqua dicitur concurrere ad producendum effectum alterius 4. modis. Primo; quia dat illi virtutem ſufficientem ad operandum, ſicut dat leo ſemini a ſe deciſſo ad hoc, vt ſemen poſſit generare leonem. Secundo quia conſeruat actionem agentis, ſicut aliqua medicamenta conſeruantia viſum, dicuntur cauſæ viſionis. Tertio: quia applicat virtutem agentis ad agendum, vt qui applicat niuem ad hoc, vt frigefaciat aquã. Quarto: quia actualiter concurrit ad operandum ita, quod eadẽ operatio ab vtroq. ſimul naſcatur; ſicut faber lignarius reſpectu ſerræ. De tribus primis modis non eſt dubium, Deum concurrere cum cauſis ſecundis ad operandũ: dat enim Deus rebus omnibus virtutem ad operandum, illam in illis cõſeruat, & conſeruatam applicat; quare manet dubitatio de 4. modo.

Durã ſingularis ſententiã.

In qua re Durandus in 1. diſtinct. 37. quæſt. vnica, & in 2. d. 1. q. 5. ſingularem certe, & nullo modo admittendam tenet ſententiã docens, ea, quæ fiunt a Deo mediis cauſis ſecundis, non fieri a Deo immediate. Hanc ſententiam confirmat quibuſdam rationibus, quas proponemus, & ſoluemus in principio vltimæ partis huius quæſt.

Suppoſitum & virtus.

Secunda obſeruatio. In cauſa efficiente reperitur ſuppoſitum, quod operatur, & virtus, qua media operatur: quare aliqua res poteſt operari immediate, immediatione virtutis; vel immediatione ſuppoſiti. Immediatio virtutis dupliciter explicatur primo ita. Concurrere immediate ſecundum virtutem eſt producere effectũ per virtutem independentem ab alio; & ſic reperitur immediatio virtutis in ſolo Deo: quia ſolius Dei virtus independens eſt; creaturarũ vero virtutes pendent a Deo, a quo habent eſſe. Secundo, concurrere immediate ſecundum virtutem eſt, virtutem agentis immediate, & ſeipſa attingere effectum, ſiue talis virtus ſit dependens, ſiue independens, & hæc virtutis immediatio poteſt etiam in creaturis reperiri, vt caloris virtus, & actiuitas immediate attingit productionẽ caloris, ita Soto q. 4. huius lib. 2. concurrere immediate immediatione ſuppoſiti eſt, quando inter efficiens, & effectum non mediat aliud ſuppoſitum; ſed hæc ſuppoſiti immediatio poteſt intelligi aut ſecundum locum ita, quod localiter non mediat aliud ſuppoſitum; aut, in actione agendi, quando ſcilicet inter agens, & effectum mediat aliud agens ita, vt primum nõ attingat ſuo ſuppoſito effectum productum: verbi gratia ignis immediatione ſuppoſiti producit ignem; pictor vero attingit picturam mediate mediatione ſuppoſiti, ſcilicet medio penicillo.

Ex dictis facillimũ eſt colligere, quid ſit concurrere mediate ſecundum ſuppoſitum, & ſecundũ virtutem. Senſus quæſt. manifeſtus eſt ex dictis.

Res corporea ſunt in loco per quantitatem.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit primum fundamentum. Res corporeæ ſũt in loco per quantitatem molis; vnde illa corpora ſunt immediata ſecũdum locum; quorum quantitates ſe mutuo tangũt per vltima, id eſt corpora contigua ſunt immediata ſecundum locum: vt manus mea, & manus, qua ambitur. Res vero ſpirituales ſunt in loco per actionem tranſeuntem, quam habent circa rem: quare res ſpiritualis dicitur immediata alteri ſecundum locum, quando in illa immediate operatur; dicitur vero eſſe in aliqua re mediate ſecundum locum, quando operatur in illa mediante alia re mota: verbi gratia ſi Angelus moueat meam manum, & ego mea manu lapidẽ, Angelus eſt immediate in mea manu tanquam in loco: mediate vero in lapide. Ex quo infero, in agentibus ſpiritualibus nõ reperiri diſcrimen inter mediationem ſuppoſiti in ratione loci, & in ratione cauſandi.

Spirituales per actionem tranſeuntem.

Secun-

Deus eſt in omnibus rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam.

Secundum fundamentum. Vt docet D. Thom. 1. p. q. 8. ar. 3. Deus eſt in omnibus rebus per eſſentiam, potentiam, & præſentiam. Per potentiam: quia omnia diuinæ potentiæ ſubduntur. Per præſentiam quia omnia ſunt nuda, & aperta oculis eius. Per eſſentiam quia diuina eſſentia, & ſubſtantia eſt productiua omnium rerum ſecundum omnes gradus entis. Quare cum Deus ſit in loco per ſuam operationē, & virtutem productiuam, vt multoties docet D. Thom. quæſt. citata, ſicut operatio hæc Dei tranſcendit omnia, ita & ſiue eſſentia tranſcendit omnia loca, & omnes ea; & ſic dicitur immenſus, & vbiq. exiſtit: quia vbiq. agit, & operatur. Ita hæc certa ſunt, vt D. Thom. art. citato reiiciat tres errores contra hunc triplicem modū eſſendi Dei in omnibus rebus.

IN TERTIA parte quæſ. ſit prima aſſertio contra Durandum. Deus concurrit immediate cum cauſis ſecundis in omnibus ſuis actionibus. Hæc aſſertio adeo certa eſt, vt contraria erroris nota ſere ab omnibus afficiatur: quia manifeſte videtur pugnare ſacræ Scripturæ. Probatur ergo aſſertio, primo authoritatibus ſacræ Scripturæ. Imprimis ex illo Iob. cap. 10. *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum, &c.* Et Latius c. 38. variis in locis. Deinde Pſal. 146. *Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum. Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Sapien. 8. *Attingit ergo a fine uſq. ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* Et Iſaiæ, cap. 26. *Omnia enim opera, noſtra operatus eſt nobis.* Ioannis cap. 1. *Omnia per ipſū facta ſunt, &c.* Et 15. *Quia ſine me nihil poteſtis facere.* Actor. 17. *In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus.* Ad Philippenſes 2. *Deus eſt enim qui operatur in nobis & uelle, & perficere, &c.* Et ex aliis mille ſacræ Scripturæ locis.

Conſtat etiam eadem concluſio ex illo, quod commune eſt apud Theologos, & retulimus ex D. Thom. ſcilicet Deum eſſe in omnibus rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam. Colligitur etiam ex D. Auguſ. 9. ſuper Geneſin ad literam cap. 15. Imo Ariſt. id expreſſe docet multis in locis, tum 8. phyſ. tum in libris de cœlo, & præſertim in Metaphy.

Probatur inſuper ratione D. Thom. quæ ſic habet. Vniuerſaliſſimus effectus debet tribui cauſæ vniuerſaliſſimæ: ſed vniuerſaliſſimus effectus eſt eſſe, ſiue ens: ergo debet tribui Deo tanquam cauſæ vniuerſaliſſimæ: ſed nullus producitur effectus, qui non ſit ens; ergo nullus producitur effectus, qui non ſit a Deo. 1.

Probatur ſecundo. Secundum Durandum omnis creatura pendet a Deo in eſſe, fieri, & conſeruari: ſed omnis operatio cauſarum ſecundarum eſt creatura; ergo omnis operatio cauſarum ſecundarum pendet a Deo immediate in eſſe, fieri, & conſeruari. 2.

Probatur tertio. Opus naturæ dicitur opus intelligentiæ: quia dirigitur immediate ab aliquo intellectu non errante; nā ipſa natura cæca eſt; cum inter creaturas, homo ſolum, & Angelus cognoſcant finem ſub ratione finis, & ſe in finem dirigant: ſed talis intellectus eſt intellectus diuinus; ergo omnia diriguntur ab intellectu diuino: ergo Deus immediate operatur cum omnibus creaturis. 3.

Opus naturæ eſt opus intelligentiæ.

Probatur quar. Deus intelligit omnes effectus cauſarum ſecundarum ſecūdum omnes rationes illorum, & eos vult: alias enim eſſet aliquid poſſibile præter, aut contra voluntatem, & cognitionem Dei, quod impium eſt: ſed in Deo idem ſunt velle, & intelligere, & facere iuxta illud Pſal. 148. *Quia ipſe dixit & facta ſunt, &c.* Quia Deus eſt agēs per intellectum, & voluntatem: ergo Deus efficit omnes effectus cauſarum ſecundarumq; ac immediate cum omnibus illis concurrit in omnibus illarum operationibus. Si enim in Deo omnia cognoſcente non tam late pateret potentia factiua, quā cognoſcitiua, potentia factiua nō eſſet omnipotentia. Imo S. Thom. 1. p. quæſt. 14. art. 5. probat, Deum omnia cognoſcere: 4.

quia

quia omnia efficit.

Deus concurrit immediatione virtutis cum cauſis ſecundis.

Secunda aſſertio. Deus concurrit immediate ſecundum virtutem in omnibus actionibus cauſarum ſecundarū. Si aſſertio intelligatur de immediatione virtutis primo modo, manifeſta eſt: quia virtus Dei a nullo depēdet. Imo hæc immediatio in ſolo Deo poteſt reperiri. Si vero aſſertio intelligatur de immediatione virtus ſecundo modo, eſt etiam manifeſta, & probatur ita. Deus eſt in omnibus rebus immediate præſens per potentiam: ergo immediate in omnibus illarum actionibus operatur immediatione virtutis: quia eius potētia eſt virtus productiua.

Deus concurrit immediatione ſuppoſiti.

Tertia aſſertio. Deus concurrit cū omnibus creaturis immediatione ſuppoſiti. Probatur primo: quia Deus immediate præſens eſt omnibus effectibus creaturarum ſecundum eſſentiam: at eſſentia diuina eſt ſuppoſitum diuinum. Probatur ſecundo: quia virtus in Deo non diſtinguitur a ſuppoſito. Probatur tertio: quando ſuppoſitum agens ita præſens eſt effectui, vt non mediet aliud ſuppoſitum ſecūdum locum, tunc agens immediate attingit effectum immediatione ſuppoſiti: ſed ſuppoſitum diuinum ita præſens eſt cuicumque effectui, vt nō mediet aliud ſuppoſitum ſecūdum locum: ergo immediate attingit quemuis effectum immediatione ſuppoſiti. Probatur minor: quia Deus immediate præſens eſt omnibus rebus per eſſentiā, præſentiam, & potentiam.

IN QVARTA parte quæſt. eſt prima ratio Durandi. Si Deus ageret immediate cum cauſa ſecunda: ergo vel eadē actione, vel diuerſa: ſed non eadem, nec diuerſa: ergo, &c. Probatur minor. Imprimis non eadem: quia talem actionem poteſt habere ſola creatura ſine ſpeciali concurſu Dei (ſuppoſita conſeruatione ſuæ virtutis, & ſuæ naturæ) cum talis actio non excedat virtutem creaturæ. Secūdo: quia impoſsibile eſt, actionem eandem numero, eſſe a pluribus agentibus ita, quod a quolibet ſit immediate, & perfecte, niſi in illis ſit eadē virtus numero: at in Deo & creatura non poteſt eadem numero virtus reperiri. Reſpondemus, negando minorem: quia Deus, & cauſa ſecunda concurrunt eadem actione: ſicut pictor, & penicillus eadem actione. Primæ parti probationis reſpondemus, ſolū probare: creaturam non indigere concurſu alterius eiuſdem generis, & ordinis ad producendū effectum æqualis virtutis. Secundæ parti reſpondemus, negando eſſe impoſsibile: ſi quod aſſumit: quia actio nō ſumit vnitatem a principio productiuo, ſed a ſubiecto, cui inhæret. Sed obiicit. Ergo effectus partim fit a Deo, & partim a cauſa ſecunda. Reſpondemus negando conſequentiam: ſed totus fit a Deo, & totus a cauſa ſecunda in diuerſo tamen ordine: ſicut tota pictura fit a pictore & tota a penicillo. Sed dices. Tam cauſa prima, quam ſecunda producit totū effectum: ergo altera ex illis eſt ſuperflua. Reſpondemus negando conſequentiam: quia tantum eſſet ſuperflua aliqua cauſa, ſi altera eiuſdem generis, & ordinis produceret totum effectū: quando vero cauſæ ſubordinantur non ita res ſe habet.

Secunda ratio Durandi. Ordo agentiū correſpondet ordini finium: ſed vnius rei non poſſunt eſſe duo fines immediati: ergo neque duo agentia. Reſpondemus, negando maiorem, ſi intelligatur quantum ad immediationem: nā eiuſdem finis poſſunt eſſe multa agentia immediata, ſubordinata tamē, eiuſdem vero agentis poſſunt eſſe multi fines, etſi non immediati, ſaltem ſubordinati.

Poſſumus etiam, & aliis rationibus cōfirmare ſententiam Durandi. Dices ergo. Deus concurrit immediate cum omnibus cauſis ſecundis in omnibus illarum actionibus: ergo cum homine in actionibus voluntatis: ergo voluntas non vult libere, ſed neceſſario. Reſpondemus, concedendo primam, & ſecundam conſequentiam, & negando tertiam: quia etſi voluntas non moueatur ad operandum niſi mo-

ta a Deo: ſemper tamen ita a Deo mouetur, vt poſitis omnibus requiſitis ad operandum poſsit voluntas operari, vel non operari; & hoc ſufficit, vt actio voluntatis libera dicatur. Non enim appellatur aliqua cauſa libera ex eo, quod nõ egeat alio ad operandũ, & nulli ſubdatur: quia hac libertate ſolus Deus liber eſt: ſed quia poſitis requiſitis nõ operatur neceſſario, ſed poteſt operari, vel nõ operari. Dices. Poſito concurſu Dei non poteſt volũtas non operari, & illo remoto non poteſt operari; ergo voluntas eſt omnino neceſſaria. Secunda pars antecedentis manifeſta eſt, prima probatur. Concurſus Dei non eſt aliqua qualitas præcedens actionẽ voluntatis, ſed ipſamet actio volũtatis, prout exit a Deo: ſed poſita actione noſtræ voluntatis, vt exit a Deo, non poteſt non ſieri actio, vt exit a nobis; ergo poſito concurſu Dei non poteſt voluntas non operari. Reſpondemus, diſtinguendo antecedẽs ita. in ſenſu cõpoſito, concedimus: in ſenſu diuiſo, negamus antecedens. Vt enim voluntas poſita actione, vt exit a ſe, non poteſt non operari in ſenſu compoſito, id eſt permanẽte tali ſuppoſitione: poteſt tamen non operari in ſenſu diuiſo, quia poteſt talis ſuppoſitio tolli, & talis actio minime elici: ita etiam poſita actione noſtræ voluntatis, vt exit a Deo, non poteſt voluntas non operari in ſenſu compoſito, id eſt permanẽte tali ſuppoſitione; cum ſit eadem numero actio, & non qualitas ſuperaddita, vt recte probat argumentum; poteſt tamen abſolute loquendo, voluntas non operari in ſenſu diuiſo: quia pro voluntatis arbitrio poteſt poni, aut non poni talis ſuppoſitio, & operatio. Quare negamus conſequentiam: quia Deus ita ſuauiter omnia diſponit, vt cuilibet cauſæ ſecundæ det cõcurſum iuxta modum, & indigentiam naturæ talis cauſæ ita, vt generalis cõcurſus limitetur a cauſa ſecũda, neceſſaria neceſſario, a contingenti cõtingenter, a libera libere: eſt ergo voluntas ſemper libera: quia ſi vult operari, tribuit illi Deus cõcurſum; et ſi vult ceſſare ab operatione, non tribuit illi concurſum ad operandum. Sed dices, Vnum ex requiſitis ad hoc, vt voluntas poſsit operari, eſt concurſus Dei: ſed poſito concurſu Dei, non poteſt nõ operari: ergo poſitis omnibus requiſitis ad operãdum nõ poteſt nõ operari: ergo nõ recte diximus in prima ſolutione ideo eſſe liberam, quia poſitis omnibus requiſitis poteſt operari, vel non operari. Reſpondemus, diſtinguendo minorem ita. Poſito cõcurſu Dei in actu primo, & veluti in habitu; quia ſcilicet Deus eſt paratus ad concurrendum cum voluntate, negamus: poſito vero in actu ſecundo, & actuali cooperatione, cõcedimus minorem. at prima ſolutio a nobis adducta intelligi debet de cõcurſu habituali, & in actu primo: illo enim poſito poteſt voluntas operari, vel ceſſare ab operatione.

Dices in ſecundã aſſert. Solus Deus concurrit immediate immediatione virtutis, id eſt per virtutem non communicatã; ergo omnes cauſæ creatæ ſunt cauſæ inſtrumentariæ. Reſpondemus, negando cõſequentiam: nam aliud eſt operari in virtute alterius, & hoc eſt proprium inſtrumenti; & aliud operari per virtutem propriam dependentem tamen ab alio, & hoc reperitur in omnibus cauſis ſecundis.

Dices vltimo. Deus concurrit mediis cauſis ſecundis; ergo non concurrit immediate vtraque immediatione. Reſpondemus, diſtinguendo antecedens ita. Mediis cauſis ſecundis, id eſt, quia etiam cauſæ ſecundæ concurrunt, concedimus: mediis illis, id eſt, quia virtus diuina, & ſuppoſitum diuinũ non attingant immediate effectus cauſarum ſecũdarum, vt diximus in prima parte quæſt. negamus antecedens.

IN VLTIMA parte quæſt. quæres primo. An cauſæ ſecundæ vniuerſæ materiales concurrant immediate cum his inferioribus. Reſpondemus, corpora cæleſtia non habere concurſum cum cauſis particularibus, quæ procedunt ab ani

ma ra-

mo rationali abſque organo corporeo, vt in ſuperioribus retulimus ex D. Thom. In actionibus vero corporeis cauſarum particularium concurrunt cæleſtia corpora immediate ſecundum virtutem, & mediate ſecundum ſuppoſitum, quod certe colligitur ex Ariſt. multis in locis, præſertim cap. 2. huius lib. vbi docet, quod Sol, & homo generant hominem, & 1. Meteoro. cap. 2. inquit oportere, hunc mundum contiguum eſſe ſuperioribus lationibus, vt omnis eius virtus inde regatur, & gubernetur, & 2. de Genera. cap. 10. ſcribit, motum vniformem ſolis cauſam eſſe generationis omnium rerum.

An Angeli cauſent hæc inferiora.

Quæres 2. An Angeli poſsint etiam eſſe cauſæ actionum harum rerum inferiorum. Reſpondemus, Angelos ſuo imperio poſſe mouere omnia corpora inferiora quantumuis grauia, & magna. Vt enim anima rationalis dominium habet ſupra partes corporis humani, quod informat, atq. ita poteſt illud mouere: ſic, quia cuilibet intelligentiæ ſubordinantur omnia corpora, poteſtq. eius intelligentia ſuo imperio mouere localiter omnia corpora. Eſt tamen diſcrimen: nam anima rationalis ita mouet corpus humanum, vt tale corpus concurrat etiam actiue ad motum media potentia motrice ſecundum locum. Vnde quando ex parte corporis eſt defectus, non ſufficit animæ imperium ad motum localem efficiendum, vt patet in claudis. Angeli vero ita mouent corpora, vt illa mere paſsiue ſe habeant; ac proinde nec obſtat illorum grauitas, nec magnitudo: ſolum enim circa hæc inferiora poſſunt Angeli efficere motus locales; generationē vero, alterationem, aut accretionem ſolum poſſunt efficere applicando actiua paſsiuis. Ratio eſt: quia in Angelis nec reperitur formaliter, nec eminenter materia, quæ aliquo ex his duobus modis neceſſario requiritur ad hoc, vt aliquid poſsit generare, alterare, aut efficere accretionem.

Sed dices. Qua ergo ratione Ariſtot. multis in locis in lib. de Cælo, & in Metaphy. docet, intelligentias cauſas eſſe, cur hæ res inferiores ſint. Reſpondemus, loqui de intelligentiis motricibus cælorum, quæ huiuſmodi effectus præſtant, nō immediate, ſed mouendo cæleſtes orbes.

Cauſæ vniuerſales pendēt etiam a particularibus.

Quæres 3. An cauſæ vniuerſales pendeant etiam a particularibus. Reſpondemus, etiam cauſas vniuerſales ſecundas in ſuis actionibus naturalibus dependere a cauſis particularibus. Probatur: quia vniuerſalis cauſa abſque determinatione cauſæ particularis in indiuiduo, nihil poteſt producere: ſol enim ſua actione nō poteſt producere hominem, niſi determinetur per actionē ſingularis hominis. Diuerſimode tamen pendent, nam particulares cauſæ pendent ab vniuerſali, vt a determinabili, & indifferenti: vniuerſalis vero a particulari, vt a modificante, & determināte.

Sed dices. Ergo Deus, qui etiam eſt cauſa vniuerſa, determinatur a cauſis particularibus. Reſpondemus negando conſequentiam: quia cum Deus libere operetur, libere ſe determinat, abſque eo quod determinetur ab aliqua cauſa particulari tam efficiente, quam materiali. Abſque efficiente: quia cum libere operetur, a nulla cauſa ſecūda mouetur: abſque materiali quia cum habeat virtutem infinitam, non requirit neceſſario materiam, ſed poteſt producere rem ex nihilo abſque eo, quod ad productionem illius ſupponatur materia, quæ concurrat in genere cauſæ materialis.

Quæres vltimo. An ſubſtantiæ materiales inferiores operentur immediate ſecundum ſuppoſitum, & virtutem. Reſpondemus, ſubſtantiam ſemper concurrere immediate ſecundum virtutem, tam in productione ſubſtantiæ, quam accidentis, excepta productione proprietatum, quæ cū fiant ab eſſentia naturali quadam ſequela, immediate fiunt: ſemper tamen concurrit in actionibus naturalibus immediate immediatione ſuppoſiti: cum inter ſubſtantiam inferiorem efficientem, & operantē

naturaliter, & effectum nullum aliud ſuppoſitum mallet.

QVÆSTIO IIII.

An idem effectus numero poſſit eſſe a multis cauſis.

Diuiſio quæſt. DIVIDITVR quæſtio in 3. partes. Prima explicabimus quæſt. titulum. 2. proponemus aſſertiones, & 3. ſatiſfaciemus argumentis contrariis.

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Quæſtio non procedit de cauſis diuerſi generis: quia cuiuſuis effectus naturalis ſunt 4. cauſæ. Nec procedit de materia aut forma: quia cũ iſtæ intrinſece cauſent, impoſſibile eſt multiplicari cauſas internas, quin multiplicetur effectus. Præterea certum eſt, eiuſdem effectus non poſſe eſſe plures cauſas finales totales, & non ſubordinatas: quare procedit quæſt. de cauſis efficientibus, & non de ſubordinatis: quia Deus, Sol, & homo generãt hominem, nec de non ſubordinatis partialibus tamen: quia ſi multi homines ferant lapidem, quiuis illorum erit cauſa partialis immediata, inadæquata tamen. Eſt ergo ſenſus quæſt. an eiuſdem effectus poſſint eſſe multæ cauſæ efficientes totales, & non ſubordinatæ.

Secunda obſeruatio, quæſt. poteſt intelligi de productione effectus de nouo, aut de conſeruatione illius; tametsi am poteſt intelligi ita, vt multæ cauſæ producãt eundem effectũ aut ſimul, aut ſucceſſiue. In hac ergo re certum eſt, eundem numero effectum poſſe pendere a multis cauſis ſucceſſiue ita, vt ab vna fiat, & ab aliis cõſeruetur. Probatur: quia eadem numero ſpecies ſenſilis, quæ cauſatur in oculo ab obiecto oculi, conſeruatur ab ipſo oculo. Secundo: quia calor, qui fuit productus in aqua ab vno igne, poteſt conſeruari ab alio: hunc vero calorem eſſe vnum, & eundem numero, probat vnitas ſubiecti. Quare manet dubitatio, an multæ cauſæ efficientes totales, & non ſubordinatæ, poſſint ſimul duratione producere eundem effectum: ſed adhuc in hoc ſenſu poteſt intelligi quæſt. aut de potentia naturali, aut de potentia abſoluta.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit prima aſſertio. De potentia naturali non poteſt idem numero effectus eſſe a pluribus cauſis. *De potentia naturali idem effectus non habet plures cauſas* Hæc eſt D. Thom. 1. p. q. 52. art. 3. in corpore Caietani ibidem Soncin. 5. Meta. q. 6. & multorum Thomiſtarum. Probantq. illam primo: quia ſequeretur in contraria aſſertione, aliquem effectũ non poſſe reduci in cauſam per ſe, & determinatam; quod eſt abſurdum. Secundo: quia ſi duæ eſſent cauſæ eiuſdem effectus, altera neceſſario eſſet ſuperflua; in natura vero nihil eſt ſuperfluum. Tertio quia actio eſſentialiter pendet ab agente; ergo vna actio ab vno agente: at vnus & idem effectus vnica tantum actione producitur; ergo vnus effectus tantum poteſt eſſe ab vna cauſa efficiente. Iſtis, & aliis ſimilibus rationibus confirmarunt ſuam ſententiam; ſed fere nullius ſunt momenti: quia probare intendunt, plus quam oportet, cum etiam probent, de potentia abſoluta non poſſe eundem effectum promanare a multis cauſis, quod certe falſum eſt, vt dicemus ſequenti aſſertione. Confirmatur ergo propoſita aſſertio ita. *Probatur aſſertio.* Non poſſunt duo agentia producere eundem numero effectum, niſi æqualiter diſtent a qualibet parte paſſi: ſed nõ poſſunt æqualiter diſtare, niſi per penetrationẽ dimenſionum; ergo non poſſunt producere eundem effectum, niſi per penetrationem dimenſionum: ſed non poteſt eſſe penetratio dimenſionum naturaliter loquendo; ergo naturaliter loquendo non poſſunt multæ cauſæ producere eundem numero effectũ.

Secunda aſſertio. De potentia abſoluta poteſt idẽ numero effectus eſſe a multis cauſis. *Quid de potentia abſoluta.* Hanc tenet Caietanus loco citato, & alii multi Theol. & probatur primo. Poteſt Deus ponere duo corpora, quæ ſe penetrent per dimenſiones, quod certiſſi-

ſiſteſt. Ponat ergo Deus duos ignes qui ſecundum dimenſiones ſe penetrent, & intra ſphæram actiuitatis conſtituat lignum, iſti ignes producent in ligno vnum numero effectum, ſcilicet vnum ignem: ergo ille ignis erit ab vtroq; vt a cauſa totali. Probatur conſequentia: quia, cum quilibet illorum ſit ſufficiens producere ignem, non eſt, cur ſit ignis productus ab vno, & nō ab altero: neq; poteſt dici, partim eſſe ab vno, & partim ab altero: quia ſubſtantialis forma ligni in indiuiſibili conſiſtit.

IN TERTIA parte quæſt. dices primo. Terminus diuerſarum actionū nō poteſt eſſe vnus, & idem: ergo nō recte diximus in 2. obſer. eundem effectum numero poſſe ab vna cauſa produci, & ab alia conſeruari: cum productio ab vna cauſa, & conſeruatio ab alia ſint diſtinctæ actiones. Reſpondemus, negando antecedens: quia idem homo numero poteſt fieri ſucceſſiue per diuerſas actiones, (non tamen poteſt fieri per actionem ſucceſſiuam) ſcilicet per generationem, & reſurrectionem, vt patet ex illo Iob. *Ego ipſe & nō alius reſurrecturus ſum, & in carne mea uidebo* &c. Dices 2. effectus, qui totaliter eſt ab vna cauſa, non poteſt eſſe ſecundū aliquid ſui, aut ſecundum ſe totum, ab alia: ergo ſi totaliter eſt a pluribus cauſis, eſt a nulla illarū, ſequela probatur: quia, ſi eſt totaliter ab hoc leone, verbi gratia, non eſt ab illo ſecūdum aliquid ſui: ergo ſi eſt totaliter etiam ab illo, non ab hoc. Reſpondemus De potentia naturali, cōcedimus: de abſoluta, negamus antecedens, hoc enim non repugnat. Quemadmodū enim repugnat naturaliter duo corpora eſſe in eodem loco, & idem corpus eſſe album, & nigrum: tamen non repugnat de potentia abſoluta: ita etiam eundē effectū eſſe a pluribus cauſis.

Dices 3. Multi ſacerdotes, ſi ſimul abſoluant verba conſecrationis, poſſunt eandem hoſtiam conſeruare: ergo idē effectus poteſt produci a multis cauſis. Reſpondemus, quæſtionem procedere de cauſis efficientibus præcipuis, & naturalibus, vt naturale dicit aut compoſitū ex materia, & forma, aut affectionem, & accidens illius: ſacerdotes vero concurrunt vt inſtrumentalia: an etiam nō eſt certum inter Theologos, an ſacramenta, & illorū miniſtri ſint cauſæ phyſicæ, vel morales. Sed de hac re diſputant Theologi cum D. Tho. 3. p. in quæſtionibus de Sacramentis in genere. Quare de his ſufficiant.

QVÆSTIO VLT.

In qua multæ dubitationes pertractantur.

QVÆRES ergo primo; Quodnā genus cauſæ ſit prius aliis. Reſpōdetur cauſas quadruplicem eſſe ordinem, ſecundū quod quadrupliciter poſſunt inter ſe comparari. Primus ordo eſt ex parte effectus: ſecundus ex parte intentionis: tertius ex parte executionis: quartus ex parte rationis agendi. Ex parte effectus, materia prior eſt, deinde forma, poſtea efficiens, poſtremo finis: nā in effectu cauſæ intrinſecæ debēt eſſe priores; materia vero, quia eſt ſubiectū generationis, debet eſſe prior forma, quæ eſt terminus illius: ſubſequitur efficiēs, a quo effectus procedit, & tādem finis. Ex parte intentionis, finis eſt prior: quia primo intenditur, eſt deinde efficiens: nam mouetur a fine. 3. ſequitur forma, quam introducere intendit agens, & 4. materia, in quam forma debet introduci. Ex parte executionis, efficiens eſt prius, deinde materia, circa quam exercet ſuam actionem, 3. forma per actionem producta 4. finis: quia, quod eſt primum in intentione, eſt vltimum in executione. Ex parte rationis agendi, forma, quæ a ſe habet eſſe rationem agendi, eſt prior: deinde efficiens, cum agat media forma 3. finis: quia magis aſſimilatur formæ, quam materiæ: ac tandem materia, quæ nullius eſt actiuitatis.

QVÆRES 2. An ratio cauſæ in communi ſit ſynonyma. Sit obſeruatio: Cauſa poteſt ſumi pro re, quæ eſt cauſa, & pro relatione, quam dicit ad effectum

Soto 1. Phyſ. q. 3. in ſolutione 2. ergu. docet, vix cõſtitui poſſe vnam rationem, in qua omnes cauſæ conueniant: & nihilo minus cauſam in communi, eſſe ſynonymam. Sed hæc ſententia falſa eſt, ſiue intelligatur de cauſa pro re, ſiue pro relatione. Probatur ita. Id quod complectitur ſubſtantiam, & accidens, ſubſtantiam creatam, & increatam, non poteſt eſſe ſynonymum: ſed ratio cauſæ in communi, ſi ſumatur pro re, complectitur ſubſtantiã & accidens, ſubſtantiam creatam, & increatam, ſcilicet Deum, & creaturas; ergo, &c. Probatur altera pars. Relatio, quæ complectitur relationem realem, & rationis, nõ poteſt eſſe ſynonyma: ſed cauſa, ſi ſumatur pro relatione, complectitur relationem rei & rationis; ergo nõ poteſt eſſe ſynonyma. Sed quæres, an quodois genus cauſę ſit ſynonymum. Reſpõdemus cauſam efficientem, & finalem non poſſe habere rationem ſynonymam propter rationes ſuperius adductas: materiam vero & formam, ſi ſumantur in tota ſua latitudine, etiam dicere rationes analogas. Si vero ſumantur prout dicunt materiam, & formam phyſicam, ſynonyme conuenire: nam conueniunt materia & forma in hoc quod eſt, dare eſſe eſſentiæ compoſito naturali: differũt vero, quia materia dat eſſe recipiendo formam, & illam ſuſtentã do; forma vero dat eſſe eſſentiæ ſpecificũ & completum determinatum. Nulla enim vrget ratio, quæ nos cogat cõtrarium aſſerere.

Quæres 3. An vna cauſa poſsit eſſe cauſa alterius. Reſpondemus, id expreſſe docuiſſe Ariſt. in cõtextu: nihilominus propoſitio indefinita eſt: nam nõ quæuis cauſa eſt effectus alterius cauſæ in diuerſo genere: vt ſanitas cauſa eſt potionis amaræ in genere cauſæ finalis, & potio amara cauſa eſt efficiens ſanitatis. Imo hoc non ſolum debet intelligi de cauſis ſecundum rem; ſed etiam ſecundum cauſalitatem. De cauſis ſecundũ rem quia pater verbi gratia, cauſa eſt filii ſecũdum rem, qui filius eſt etiam cauſa efficiens alterius. Secundũ vero cauſalitatem; quia cauſa finalis cauſa eſt cauſalitatis ipſius cauſæ efficientis.

Quæres 4. in quo genere cauſæ forma formam expellat. Sit obſeruatio. Dubitatio poteſt intelligi de forma accidentaria reſpectu formæ accidentariæ, & reſpectu formæ ſubſtãtialis: imo etiam de forma ſubſtantiali reſpectu formæ ſubſtantialis. Sed hoc dupliciter: aut de forma generantis; aut de forma rei, quę generatur, verbi gratia ſi expellitur forma embrionis, & introducitur forma leonis, an expellatur forma embrionis a forma leonis generantis, vel a forma leonis geniti; & in quo genere cauſæ. Et quando a ligno frigido expellitur frigiditas, an expellatur a calore, qui introducitur; vel potius a calore ignis introducentis.

Communis eſt Philoſophorum ſententia, formam expellere formam in genere cauſæ formalis, idque intelligunt de forma denuo introducta; illorum tamen ſententia non eſt recta. Probatur primo. Id, quod cauſat aliquid in genere cauſæ formalis, cauſat illud media cauſalitate cauſæ formalis: ſed cauſalitas cauſæ formalis conſiſtit in hoc, quod eſt, dare eſſe eſſentiæ; ergo quod cauſat in genere cauſæ formalis, cauſat dando eſſe eſſentiæ: ſed dando eſſe eſſentiæ forma introducta non expellit formam; ergo forma introducta nõ expellit in genere cauſæ formalis. Probatur minor. Cauſa formalis eſt prior natura ſaltim, ſuo effectu; ergo prius eſt, cauſam formalem dare eſſe eſſentiæ, quam ſit effectus cauſæ formalis: ſed dare eſſe eſſentiæ eſt quid poſterius expulſione formæ: ergo expulſio formæ non eſt effectus formalis formæ introductæ. Probatur minor. Quãdo forma introducta dat eſſe eſſentiæ iã eſt expulſa alia forma; ergo expulſio alterius formæ prior eſt ſaltim natura, quam formam introductam dare eſſe eſſentiæ: nam omnis via natura ſaltim antecedit ſuum terminum. Probatur 2. & efficacius. Id quod tempore, vel ſecundũ

Formam expellere formam.

inſtans

inſtans temporis antecedit aliud, non eſt effectus illius: ſed expulſio formæ antecedit ſecundum inſtans temporis formam introductam; ergo non eſt effectus illius in genere cauſæ formalis. Minor hæc erit manifeſta. 6. Phyſi. vbi docebimus, corruptionem vnius, non ſolum ſecundū inſtans naturæ: ſed etiam ſecundū inſtans temporis, alterius generationem præcedere.

Forma ex pellit formā in genere cauſa finalis. Hac reiecta ſententia, reſpondemus dubitationi 2. aſſertionibus. Prima aſſertio. Forma introducta in ſubiecto, a quo alia expellitur, illam aliam expellit in genere cauſæ finalis. Hæc manifeſta eſt ex dictis q. 4. 2. partis huius diſputationis. nam ſi agens ſit præditum intellectu, per cognitionem formæ introducendæ conatur expellere aliam formam a ſubiecto: ſi vero agens ſit intellectu deſtitutum, mouetur etiam ad introducendam formam de nouo, ad quam actionem pendentem a forma introducenda in genere cauſæ finalis ſe habet inclinatio naturalis, vt conditio ſine qua non, vt diximus loco citato.

Secunda aſſertio. Forma generantis expellit formam rei, quæ corrumpitur in genere cauſæ efficientis. Probatur. Illud, quo medio efficiens operatur, concurrit vt efficiens quo: ſed generans expellit formam media propria forma: ergo forma generantis expellit formam rei, quæ corrūpitur, vt efficiens quo.

Quæres 5. An forma ſit totalis ratio operandi in compoſito naturali.

Prima obſeruatio. Omnis forma reſpectu effectus poteſt comparari ad actum primum, & ſic eſt cauſa formalis, & ad actum ſecūdum, & hoc modo eſt cauſa efficiens: inquirimuſq. an ſit totale principiū operandi: nam eſſe principium operandi certum eſt.

Secunda obſeruatio. Forma comparata ad actum primum ſemper tribuit eſſe ſubiecto in quo eſt: comparata vero ad actum ſecundum, ſemper tribuit eſſe ſubiecto extrinſeco niſi per accidens res in ſeipſam agat, vt contingit in actionibus immanentibus.

Tertia obſeruatio. Ex parte agentis requiruntur duo ad actionem, ſcilicet id quod agit, & hoc eſt ſuppoſitum: & id quo medio operatur, & hoc eſt forma. ſuppoſitum eſſe quod operatur docuit Ariſt. & omnes Philoſophi, & probatur: quia ita ſe habet res ad operari, ſicut ad eſſe: ſed totum eſt quod eſt, ergo ſolū eſt quod operatur. Probatur ſecundo. Id quod eſt per ſe terminus generationis, eſt quod operatur; ſed totum compoſitum eſt terminus per ſe generationis: ergo, &c.

Prima aſſertio. Forma ſubſtantialis cuiuſque rei, eſt principium primum operādi in actionibus ſubſtantialibus. Hæc cōmunis eſt, & probatur. Primo. Quia primum principiū eſſendi ſubſtantialiter, eſt primum principiū operandi ſubſtantialiter. Secundo: quia illud eſt primum principium operandi in quo agens aſſimilat ſibi effectum.

Secunda aſſertio. Forma ſubſtantialis eſt primum principium operandi in actionibus, quas exercet totum medijs accidētibus connaturalibus; non vero in actionibus quas elicit medijs accidētibus violentis, verbi gratia, aquę forma ſubſtantialis eſt principium frigefactionis, quam efficit aqua media frigiditate; quæ accidens connaturale eſt aquæ: tamen non eſt primum principiū, reſpectu calefactionis, quam efficit aqua medio calore accepto ab igne: quia tale accidens eſt violentum aquæ. Probatur prima pars aſſertionis. Quia omnes cauſę vniuerſales concurrūt actiue ad operationes cauſarum particularium, eo quod illis ſubordināntur; ergo cum accidentia connaturalia ſubordinentur formæ ſubſtantiali, forma ſubſtātialis etiam erit primum principium actionum illorum. Secunda pars aſſertionis probatur primo. Quia forma aquæ, verbi gratia, non concurrit ad calorem: ergo neque ad actionem caloris. Secundo: quia in motu lapidis ſurſum, cum ſit contra la-

pidis

pidis naturam forma lapidis non concurrit vt principium actiuum ſed ſola virtus impreſſa ſa; idi a proijciente, quę eſt accidens violentum in lapide.

Tertia aſſertio Forma ſubſtantialis eſt totalis ratio agendi in cōpoſito naturali. Intelligenda eſt aſſertio de actionibus vt fiunt a compoſito naturali, non vero de actionibus quæ fiunt ab ipſa mediis accidentibus: quia ſic concurrunt etiam accidentia vt principia in ſuo genere. Probatur ergo aſſertio. Agere & pati ſunt duæ rationes diuerſæ, conuenientes toti compoſito: ergo debent habere diuerſa principia ratione quorum conueniant: ſed pati conuenit ratione materiæ; ergo agere ratione formæ, ergo forma eſt totalis ratio agendi in compoſito naturali.

Sed dices. Manente eadem forma ob denſitatem materiæ creſcit actiuitas; ergo non ſola forma eſt principiū agendi. Probatur antecedens: quia calor, vt 4 in ſtupa non producet calorem adeo intenſum, ac calor, vt 4. in ferro Reſpondemus negando antecedens Probationi reſpondemus verum eſſe, calorem in ferro citius producere calorem, propter denſitatem materiæ; non tamen intenſiorem. Sed dices. Denſitas materię eſt ſufficiēs, ad hoc vt citius producatur effectus: ergo materia eſt alicuius actiuitatis. Reſpondemus negando conſequentiam; quia proinde ſi materia eſt denſior citius producitur effectus; quia ſunt plures partes materiæ, & conſequenter plures partes formæ: quare ſola forma eſt principium agendi.

QVÆRES 5. Ad quod genus cauſæ pertineat exemplar. Reſpondemus exemplar pertinere ad genus cauſæ formalis extrinſece determinantis. Hanc tenent Durandus in 1. diſt. 41 q. 2. Caietanus 1. p. q 6. art. 4 & q. 44. art. 3 & alii multi. Et probatur concluſio: quia exemplar eſt id a quo ſumit ſpeciē, licet extrinſece, res quæ fit ſecundum illud, quod certe ſufficit ad rationem cauſæ formalis, vt cōſtat ex dictis in 2. parte huius diſputationis.

Qui plura deſiderant pro confirmatione huius ſententiæ, & pro impugnatione cōtrariæ, conſulant inter alios Conimbricenſes, hic q. 4. art. 1. vbi multa de hac re docent, & multos citant de hac re diſputantes.

QVÆRES vltimò. Quarum cauſarum vices poteſt ſupplere Deus. Prima obſeruatio. Licet potētia diuina in ſe ſit vna & ſimpliciſsima: quia diuina potētia eſt diuina eſſentia; tamen vt comparatur rebus efficiendis diuiditur in ordinariam qua Deus concurrit cum rebus iuxta illarum naturas, & abſolutam quæ eſt potentia diuina abſque limitatione ſpectata vt ſcilicet poteſt facere omnia quæ factibilia ſunt vt videre eſt apud D. Thom. 1. p. q. 25. art. 5. Scotum in 1. diſtin. 44. q. vnica, Capreolum eodē 1. diſtin. 24. q. 1. & alios. Hac poſita diſtinctione certū eſt multa poſſe Deum de potentia abſoluta quæ non poteſt de ordinaria: nam de potentia ordinaria ſi ignis applicetur homini non poteſt Deus non agere in illum, id tamen poteſt de abſoluta præſtare vt patet in 3. illis pueris hebræis quos in fornace chaldeorum incolumes ſeruauit. Hinque D. Thom. 1. p. q. 105. art 6. docet Deum nō eſſe ſubordinatum ordini ſecundarū cauſarum ſed talem ordinē Deo ſubiici: quia ab eo procedit, nō per neceſsitatem naturæ, ſed per arbitrium volūtatis: potuiſſet enim & alium ordinem rebus præſcribere: vnde poteſt agere præter naturæ eum ordinem producendo ſe ſolo tam cauſarum ſecūdarum effectus, quam alia multa quæ creaturæ pertingere nequeunt. Hanc doctrinam deſumpſit D. Thom, ex D. Auguſt. lib. 26. contra Fauſtum cap. 3. vt ipſe refert in argumento ſed contra eiuſdem articuli. Cū ergo Deus ſe ſolo poſsit multos effectus cauſarum ſecundarum præſtare proinde inquirimus quinam iſti ſint hoc enim eſt inquirere quarum cauſarum vices poſsit Deus ſupplere.

In hac re certum eſt, Deum poſſe efficere omnia, quæ contradictionē non implicant; *Quæ implicant non*

Quæ ſint ſufficit. tantum implicant vero contradictionem illa, quæ ſi coniungantur inuoluunt contradictionis repugnantiam: repugnantia vero contradictionis eſt, rem eſſe & non eſſe: vt implicat contradictionem hominem eſſe, & non eſſe animal rationale: quia eſſet, & non eſſet; cum homo eſſentialiter ſit animal rationale. Hæc eſt communis philoſophorum, & Theologorum ſententia, probaturq. egregie a D. Th. 1.p. q.25.ar.3. quia eſſe diuinum ſupra quod ratio diuinæ potentiæ fundatur eſt eſſe infinitum, habens in ſe perfectionē totius eſſe: quare quidquid poteſt habere eſſe comprehēditur ſub poſsibilibus reſpectu diuinæ potentiæ abſolutæ: rationi autem entis tantum opponitur non ens, vel quod ſimul inuoluit eſſe & non eſſe: quare concludit dicens. Quæcumque igitur contradictionem non implicant, ſub illis poſsibilibus cōtinentur, reſpectu quorū dicitur Deus omnipotens; quæ vero contradictionem implicant ſub diuina omnipotentia non

Obſerua. continentur; quia non poſſunt habere rationem poſsibilium: vnde conuenientius dicitur, quod ea non poſſunt fieri, quam quod Deus non poſsit facere. Confirmatur etiam: quia quando extrema non includunt repugnantiam contradictionis, quantum eſt ex parte ipſorum, apta ſunt, vt per aliquam potentiam cōiungantur, niſi ex parte potentiæ ſit defectus: talis vero defectus ex parte Dei nullo modo poteſt reperiri; cū Deus ſit omnipotens, potens facere poſsibilia omnia. Interim qui plura de hac re deſiderant conſulant D. Tho. loco citato & 2. contra gentes cap. 25. Albertum Mag. in 1. diſtin. 42. art. 4. & 6. & Durādum in 1. diſtin. 42. per omnes quæſt.

Forma informans & extrinſece determinans. Secūda obſeruatio. Forma alia eſt informās; alia vero extrinſece determinās. Materia etiam alia eſt, quæ recipit formā ſubſtantialem, nempe materia prima; & alia, quæ eſt totum compoſitum, & recipit accidentia.

His poſitis facile eſt quæſt. ſatisfacere.

Dico ergo primo. Certū eſt Deum poſſe ſupplere de potētia abſoluta omnem cauſam naturalem efficientē & finalem; quia iſtæ extrinſecæ ſunt. In hac eā conueniūt omnes.

Dico ſecundo. Deus nec poteſt ſupplere cauſalitatem formæ eſſentialiter & intrinſece componentis, nec materiæ. Probatur: quia iſtæ cauſæ cauſant immediate, & ſeipſis dādo eſſe eſſentiale: quare, ſi Deus harū cauſarum vices ſuppleret. Deus intrinſece & eſſentialiter componeret creaturam: quod nō eſt aſſerendum. In hac aſſertione omnes conueniunt.

Dico tertio. Neq. poteſt Deus ſupplere vices cauſæ materialis ſuſtentādo accidentia in genere cauſæ materialis; poteſt tamen ſuſtentare illa in genere cauſæ efficientis. Prima pars probatur: quia ſequeretur inde, Deum eſſe ſubiectum, & accidentia illi inhærere: ſecunda pars probatur, in Sanctiſsimo Altaris Sacramento, in quo ſuſtentat Deus accidentia abſque ſubiecto: id tamen præſtat in genere cauſæ efficientis.

Dico quarto. Deus non poteſt ſupplere vices cauſæ formalis extrinſece determinantis, in genere cauſæ formalis. Probatur aſſertio; quia quæuis res determinata per formam extrinſecam, ita dicit eſſentialiter ordinem ad illam, vt non ad aliam. Poteſt tamen Deus eſſe cauſa formalis extrinſece determinans, quod ita oſtendo. Obiecta potentiarum & ſcientiarum cōcurrunt in genere cauſæ formalis extrinſece determinantis: ſed Deus eſt obiectū ſcientiarum, & potentiarum: ergo Deus poteſt eſſe cauſa formalis extrinſece determinās. Maior certa eſt; minor probatur: quia Deus eſt obiectum intellectus, cum ſit ens: eſt etiam obiectum Theologiæ, & Metaphyſicæ.

Dices tamen. Potentia Dei eſt infinita: ergo poteſt facere tam quæ implicant quam quæ non implicant: ergo poteſt ſupplere cauſalitates materiæ, & formæ. Reſpondemus negando conſequentiā; quia

ad hoc vt potentia diuina ſit infinita, tantum requiritur, illã poſſe efficere omnia factibilia, iſta vero ſunt quæ cõtradictionem nõ implicant; vt retulimus ſuperius ex D. Tho. & ex D. Auguſt. Deum enim non poſſe aliquid efficere defectus eſt ex parte rei, quæ nequit fieri: ac proinde obſeruat D. Thom. congruentius dici, illa non eſſe talia, vt poſſint fieri: quam quod Deus non poſſit illa facere. Oculus certe non dicitur imbecillis, eo quod nõ poſſit percipere ſonos: nec auditus dicetur infirmus eo quod colores nõ audiat: quia nec ſoni continentur ſub obiecto potentiæ viſiuæ; nec colores ſub obiecto potentiæ auditus. Ita Deus non dicetur potentiæ finitæ, eo quod nequeat facere, quę contradictionem implicant: quia illa non continentur ſub obiecto omnipotentiæ.

Tandem obſerua, Cum inquirimus, quæ nã diuina potentia fieri poſsint, non eſſe temere iudicãdum; aut ex intellectus noſtri mẽſura: quia multa poteſt Deus facere, quæ hominis mens comprehendere nequit: qualia ſunt fidei myſteria, verbi gratia incarnatio verbi diuini, ſuſtentatio accidentium abſq. ſubiecto in Sacramento Euchariſtiæ, & alia huiuſmodi, quæ certe humanus intellectus negaret, ſi lumine fidei diuinę eſſet deſtitutus: quia huiuſmodi ſunt non cõtra, ſed ſupra humanæ rationis leges. Ac proinde D. Auguſt. in illa verba ad Corinthy. cap. 1. *Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi?* ita habet: fecit Deus ſtultam ſapientiam huius mundi, faciendo ac declarando id eſſe poſsibile, quod ipſa iudicabat impoſsibile.

QVARTA PARS DISPV-TATIONIS DE CAVSIS.

Quæſtio I. An ſint caſus & fortuna.

Diuiſio quæſt. QVÆSTIO diuiditur in quatuor partes. Prima proponemus definitiones caſus & fortunæ, & docebimus in rebus reperiri 2. An ſit fortuna vel caſus reſpectu cœli 3. an ſit reſpectu Dei 4. alias proponemus ſententias.

Definitio fortunæ. IN PRIMA parte quæſt. proponendæ ſunt definitiones caſus & fortunæ. Fortuna ita definitur ab Ariſt. cap. 5 huius libri. Cauſa per accidens in his, quæ fiunt propter finem conſilio & deliberatione. *Definitio caſus.* Caſus definitur Cauſa per accidẽs in his, quæ ſine delectu agunt. Has definitiones explicuimus ſatis in explicatione contextus. *Cauſa per accidens duplex.* Interim tamen obſeruandum eſt: cauſam per accidens, aliam eſſe per accidens ex parte cauſæ, aliam vero per accidens ex parte effectus. Dicitur cauſa per accidens ex parte cauſæ illa, quæ ob id dicitur cauſa effectus, quia ineſt cauſæ per ſe: qua ratione album dicitur cauſa per accidens ſtatuæ, ſi accidat ſtatuarium eſſe album. Cauſa per accidens ex parte effectus eſt illa, quæ ob id dicitur cauſa per accidens, quia talis effectus coniungitur cum effectu per ſe: vt foſsio terræ eſt cauſa per accidens inuentionis Theſauri, quia inuentio Theſauri coniungitur cum effectu per ſe foſsione terræ. Caſus ergo, & fortuna ſunt cauſæ per accidens ex parte effectus.

Sit aſſertio. Sunt caſus, & fortuna in his rebus inferioribus. *In rebus inferioribus datur caſus & fortuna.* Hæc aſſertio ſatis confirmata fuit ab Ariſt. cap. 5. & 6. huius libri, & eſt omnium fere expoſitorum Ariſt. locis citatis, & præcipue D. Tho. 1. p. q. 116 per totam, & probatur commu-

alia-

ſideratione: quia ſcilicet manifeſtũ eſt quotidie, multos euenire effectus præter inſtinctum agentis, tam in his, quæ agunt mediante cognitione: quam in agentibus omni cognitione deſtitutis.

IN SECVNDA parte quæſt. inquirimus iam, an in his inferioribus reperiantur effectus fortuiti reſpectu cœli. In qua re certũ eſt in actionibus intellectus, & voluntatis non reperiri in nobis effectus fortuitos reſpectu cœli: quia, vt multoties diximus in ſuperioribus, huiuſmodi effectus non pendent a corporibus cœleſtibus. Manet ergo dubitatio de motibus, ſiue effectibus corporeis.

Effectus fortuitus tripliciter

Reſpondemus igitur 3. modis dici effectum fortuitum: primo ratione concurſus duarum cauſarum non ſubordinatarum, quarum vna impedit effectum alterius: & hoc modo nõ reperitur effectus fortuitus in his rebus inferioribus reſpectu cœli: quia omnia inferiora ſubduntur cœlo 2. ratione debilitatis agentis, non potentis attingere productionem effectus: & ſic non reperitur effectus fortuitus reſpectu cœli: quia virtus cœli ſufficiens eſt ad producendum id omne, ad quod naturaliter ordinatur 3. poteſt eſſe effectus fortuitus propter indiſpoſitionem materiæ: & ſic contingunt multa monſtra, & multi effectus fortuiti in his inferioribus reſpectu cœli.

Reſpectu Dei nõ da tur caſus.

IN TERTIA parte quæſt. videndũ eſt an reſpectu Dei ſint aliqui effectus fortuiti. Sit aſſertio. Reſpectu Dei nihil poteſt euenire caſu, aut fortuito eſt D. Auguſt. 3. de Trinitate, capite 4. his verbis. *Nihil in iſta totius creaturæ ampliſſima quadam, immenſaq́ republica eſt, quod nõ de interiori, atque intelligibili aula ſummi Imperatoris aut iubeatur, aut permittatur.* Et proba. ab eodem li. 83. quæſtionũ q. 24. ita. Quidquid fit caſu, fit temere: & quidquid fit temere, fit abſque prouidentia: cum ergo nihil accidat extra diuinæ prouidentiæ regulam: nihil temere, aut vt de fortuito poteſt accidere reſpectu Dei. Probatur ſecundo: quia effectus fortuitus ſemper eſt præter cognitionem agentis: ſed nihil poteſt præter Dei cognitionẽ euenire: ergo reſpectu Dei non datur effectus fortuitus. Id etiam docet Boetius de conſolatione lib. 5. metro 2. his verbis.

Haud ſic magni conditor orbis
Nulla terræ mole reſiſtunt,
Non nox atris nubibus obſtat:
Quæ ſint, quæ fuerint, veniantq́
Vno mentis cernit in ictu
Quem, quia reſpicit omnia ſolus,
Verum poſſes dicere ſolem.

IN QVARTA parte quæſt. proponẽdæ ſunt variæ ſententiæ de fortuna. Veteres ergo ſuerũt arbitrati fortunam eſſe numen quoddam diuinum, & occultum: & hoc videtur inſinuare Ariſt. ca. 4. huius lib. his verbis. *Sunt etiam, quibus fortuna illa quidem cauſa eſſe videtur, ſed obſcura humanæ mẽti quoniam res diuinitus ſit quædam:* circa quæ verba conſulatur Simplicius multa de hac re docens. Exiſtimarũt igitur Ethnici, fortunã eſſe deam quandã. Imo alij multi ex veteribus philoſophis, Deum illam appellarunt, in hũc errorem ducti, eo quod viderent inopinatos quoſdam euentus, quorum cum cauſam ignorarent, eſſe quoddam diuinum & occultum numẽ, a quo fierent, ſtatuerũt.

Opinio veterum de fortuna.

Alij præterea ex veteribus philoſophis finxerũt, fortunam cæcam eſſe, ſimilẽ furenti, volubili ſaxo pendentem. Quo pictura ſimulacro ſignificare volebant, nihil fortunam ratione & delectu, ſed omnia temere, furenti impulſu, cæco & præcipiti impetu gubernare, humanos euentus hinc illinc q. deferre, malis proſperam, bonis aduerſam eſſe, ac denique vagam, verſatilem cito a cœptis deficientem, & in ſola factorum variatione, & leuitate conſtantem. Quæ omnia non obſcure ſignificauit Boetius, lib. 2. de conſolatione proſa. 2. loquens nomine fortunæ his verbis *An ego ſola meũ ius exercere prohibeor? Licet*

Boetius de Conſolatione.

cælo proferre lucidos dies: eoſdemq; tenebroſis noctibus concedere. Licet anno terræ vultum nunc floribus frugibuſq; redimere: nunc nimbis frigoribuſq; cōfundere. Ius eſt mari nunc ſtrato æquore blandiri: nunc procellis ac fluctibus inhorreſcere. Nos ad conſtantiam noſtris moribus alienam inexpleta hominum cupiditas alligabit? Hæc noſtra uis eſt: hunc continuum ludum ludimus Rotā uolubili orbe verſamus: infima ſummis ſumma infimis mutare gaudemus.

Inuehitur D. Aug. in opinionem de fortuna.

Sed hāc ita abſurdam de fortunæ præſtantia, & imperio ſententiam redarguit præter alios D. Auguſt. lib. 4. de Ciuitate Dei, cap. 18. & Lactantius Firmianus lib. 3. cap. 28. & 29. Plinius etiam lib. 2. cap. 7. elegantiſsimis & lepidiſsimis verbis inſanam hanc de numine fortunæ opinionem eludit dicens. *Inuenit tamen inter has utraſq; ſententias mediū ſibi ipſa mortalitas numē, quominus etiā plana de Deo coniectatio eſſet, toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibuſq; horis, omnium uocibus fortuna ſola inuocatur, una nominatur una accuſatur, una agitur rea, una cogitatur. ſola laudatur ſola arguitur & cum conuiciis colitur uolubilis, à pleriſq; uero & cæca etiam exiſtimata, uaga, inconſtans, incerta, uaria, indignorum fautrix, &c.* Qui plura deſiderant de fortuna legant patrem Pererium, lib. 9. Phyſi. per varia capita præſertim, cap. 5. vbi refert quot, & quæ Templa Romani conſtruxerint fortunæ; & alia multa ſcitu digna.

QVAESTIO II.

Quid ſit fatum.

Diuiſio quæſt.

DIVIDITVR quæſtio in 3. partes. Prima proponemus quoſdam errores. 2. dicemus quid ſit fatū. 3. ſatisfaciemus quibuſdam rationibus.

Definitiones fati ex antiquis.

IN PRIMA parte quæſt. primus error fuit quorundam Stoicorum ſic definientium fatum. Series & ordo cauſarum naturaliū, qui ineuitabili neceſsitate effectus operatur. Quare iſti philoſophi ita exiſtimarunt, effectus omnes neceſſario euenire; nec eſſe potentiam aliquam, quæ poſſit cōnexionem cauſarum impedire. Sed hæc ſententia abſurda eſt; quia multum detrahit a diuina prouidentia, & ab humana libertate.

Error Ciceronis.

Secundus error fuit Ciceronis, lib. de Natura Deorum, qui, cum videret, cauſas talem pati neceſsitatem, prouenire ab ordinatione Dei, exiſtimauit, ne hāc neceſsitatem poneret, in rebus non eſſe fatum in hoc ſenſu: ſed Deum non præcognoſcere futura contingentia. Hūc tamen errorem impugnauit D. Auguſt. 5. de Ciuitate Dei. cap. 9. dicēs Cicero volens arbitrium hominis facere liberum fecit ſacrilegum.

IN SECVNDA parte quæſ. vt, quæ catholici cenſent de fato, tradamus, proponēda eſt definitio fati, quam refert D. Thom. 1. p. q. 116. ar. 2. & eſt deſumpta ex Boetio de cōſolatione, quæ ita habet.

Definitio fati.

Inhærens mobilibus diſpoſitio, ſecūdum quam diuina prouidentia ſuis quæq; nectit ordinibus. Pro cuius intelligentia obſerua cum D. Thom. loco citato, quod ordinatio effectuū poteſt duobus modis cōſiderari; primo ſecundum quod eſt in ipſo Deo, & ſic vocatur prouidentia; 2. vt cōſideratur in cauſis a Deo ordinatis ad hos effectus producēdos, & appellatur fatum: & hoc denotat illa particula definitionis, inhærens rebus mobilibus.

Fatum reſpectu dei eſt effectus, tamē eſt cauſa.

Ex propoſita definitione ſequitur primo, reſpectu Dei, fatum habere rationem effectus: reſpectu tamen effectuum, qui ſequuntur ex naturalibus cauſis ſic ordinatis, habere rationem cauſæ, & vere appellari fatum. Sequitur 2. per definitionem propoſitam excludi adductos errores: nā per illam particulam *ſecundum quam diuina prouidentia* excluditur error Ciceronis dicentis, Deum non habere præſcientiam futurorum cōtingentium. Per illam vero particulam *ſuis quæq; nectit ordinibus* excluditur error, dicentiū, fatū ineuitabile.

2.

tabili neceſsitate effectus operari, & Deũ habita ab æterno cognitione futurorum inferre neceſsitatem cauſis ipſis producentibus. Nam ſi ſuis quæque nectit ordinibus, id eſt, ſi diſponit vnamquamque cauſam iuxta cauſæ naturam, & indigentiam, fit inde nullam inferre cauſis neceſsitatẽ.

3. Sequitur 3. fatum & fortunam conuenire primo, quia tam fatum, quam fortuna eſt cauſa incognita 2. quia vtrumque reperitur in operantibus cũ electione: illa enim particula definitionis ſcilicet *mobilibus* denotat, cauſas ſecundas, in quibus fatũ reperitur, eſſe, ſi in ſe ſpectentur, mutationi obnoxias, & in hanc vel illam partem cadere poſſe: differunt tamẽ, eo quod fortuna eſt cauſa per accidẽs effectus non intentionalis, fatum vero eſt cauſa inclinans directe & primo in effectum, quæ tamen cau-
4. ſa poteſt impediri. Sequitur 4. in his, quæ immediate pendent a Deo, nõ eſſe fatum.
5. Sequitur 5. actiones noſtras liberas non eſſe ſubiectas fato, ſicut neq. ſubiectæ ſũt fortunæ: eo quod noſtræ actiones liberæ non ſubiiciuntur cauſis naturalibus, ſed pendẽt immediate a ſolo Deo nobiſcum
6. in illis concurrente. Vnde ſequitur vltimo, fruſtra Aſtrologos ex planetarũ virtute, & aſtrorum vi, varijſq; cœlorum influxibus noſtri liberi arbitrij actus prænũciare: hos enim Aſtrologos redarguit ſatis D. Gregorius loco inferius citando.

Qua ratione admittatur, & reiiciatur fatum.

Ex dictis deducitur manifeſte qua ratione fatum admittatur a Catholicis & ſanctis, & qua ratione reprobetur. Admittitur enim fatum ſumptũ pro ordine cauſarum ſecundarum præſcito & ordinato a Deo, ita tamen, vt ex illa ordinatione, abſque mutatione decreti diuini, poſsint multi effectus contingenter euenire. Reprobatur vero fatũ a ſanctis, ſi ſumatur pro neceſſario & ineuitabili cauſarũ ordine: quia ſic effectus omnes naturaliter euenirẽt, & ſic liberi arbitrij libertas neceſſario deſtrueretur: vel certe, ſi rerum ordo nõ eſt a Deo præcognitus, vt alter error docebat, derogatur diuinæ prouidentiæ, & præſcientiæ: quare in hoc ſecundo ſenſu adducti ſancti non admittunt fatum præſertim D. Ambr. hom. 1. Epiph. Domini, (quæ, inter homilias in diuerſas Euangelij lectiones, eſt nume. 10. & habetur tomo 3.) loquẽs de ſtella, quæ Magos duxit ad Chriſtum natum, multa certe egregia docet, & poſtea ſubdit. *Sed a fidelium cordibus abſit ut aliquid eſſe fatum dicant, vitam quippe hominum, ſolus hanc conditor qui creauit adminiſtrat. Neq; enim propter ſtellas homo, ſed ſtellæ propter hominem factæ ſunt.* Subdit præterea alia multa circa eandem rem & tandem cõcludit. *Hæc de ſtella breuiter diximus, ne mathematicorum ſtultitiam indiſcuſſam præteriſſe videamur.*

IN VLTIMA parte quæſt. dices primo. Fatum eſt cauſa ergo non eſt ordo: quia ordo relatio eſt, & relatio nullã poſſidet efficiendi vim. Reſpondemus, fatum formaliter ſumptum eſſe ordinem; non vero cauſam efficientem: dici tamẽ cauſam efficientem, ſi ſumatur pro cauſis ordinatis.

Dices ſecundo. D. Auguſt. in Ioannẽ tractatu 17. & 5. de Ciuitate Dei, cap. 9. & alij ſancti docent, fatuos eſſe eos, qui putant fatum aliquid eſſe: ergo non debet admitti. Reſpondemus, intelligendos eſſe de fato in ſenſu, quo explicuimus in ſuperioribus non eſſe admittendum: imo hoc idem oſtendimus ex D. Gregorio.

Dices vltimo. Ordo iſte, qui dicitur fatũ, eſt præcognitus a Deo: ergo, cum ſcientia Dei ſit certa & immutabilis, effectus, qui fiunt fato, debẽt eſſe neceſſarij, & immutabiles. Reſpõdemus diſtinguendo cõſequens ita: debẽt eſſe neceſſarij, & immutabiles, quantum pendent a Deo & ratione præſcientiæ diuinæ, concedimus; ſecundario, & vt pendent a cauſis ſecundis, negamus conſequentiam: quia præſcientia Dei non imponit neceſsitatem futuris contingentibus, vt diximus in Logica in diſputatione de verbo mentis & docẽt Theologi.

CAP. VIII. AN NATVRA OPERETVR PROPTER finem.

DICENDVM eſt autem prim. ũ, &c. Dixit Ariſtote. ſuperiori capite formam, & finem coincidere,& eſſe idẽ; cum ergo natura, omnia ad formæ productionem referat, hinc occaſione ſumpta, duplicem proponit quæſtionem pertractandam. Prima eſt. An natura operetur propter finem in rebus,quas effi cit. Secunda eſt Quænam ſit ratio,& cauſa neceſsitatis in rebus naturalibus. Veteres enim Philoſophi,vt etiã con ſtat ex his, quæ Ariſt. docuit 2.lib. de ortu,tantã vim huic neceſsitati tribuerunt, vt in eam omnia contulerint. Dicebant enim,ea,quæ ſunt frigida,vel calida, &c. neceſſario eſſe talia;etſi ſuapte natu ra talia ſint. Ac licet aliqui ex illis alias cognouerint cau ſas; nam Anaxagoras dixit, mentem eſſe cauſam,& Empedocles docuit,litẽ,& amicitiam in cauſis contineri:itã dem omnes affirmarunt,neceſsitatem eſſe rerum omnium cauſam.

Sed exiſtit quæſtio,&c. Propo-nit iam quandam veterũ rationem,quæ ita habet. Ex ſola neceſsitate naturæ poteſt reddi cauſa,cur ita eueniant effectus naturales; ergo non eſt aſſerendum naturam operari, vt aliquid melius ſe habeat;vel propter aliquem finem.

Quod ergo impedimento eſt,&c. Superiorem rationem, quã in contextu illuſtrauit exẽplis in pluuia, proſequitur adhibitis exemplis in partibus animalis,ſcilicet in dentibus,& aliis.

Hæc autem ita eſſe non poſſunt, &c. Coarguit veterum ſentẽtiam multis rationibus. Prima eſt. Quæ fiunt a natura, aut fiunt ſemper, aut plerũque; ergo non fiunt caſu,aut fortuito,ſed potius propter finem; tempore enim hyemis non pluit caſu, & fortui to; ſed ſi Sol eſt ſub Leone. Quare, cum omnia fiant aut caſu,aut propter finem,cum res naturales non fiant caſu, aſſerendum eſt,fieri propter finem.

Præterea in quibus,&c. Omiſſis variis interpretationibus

huius

Huius loci, quæ adducuntur a Simplicio, Philopono, & aliis, exiſtimamus Ariſtot. hoc textu ſuum proſequi inſtitutum, & illud ſecundo probare hac ratione. Quæ operantur propter finem, finis gratia efficiunt omnia, quæ ſunt a prima operatione vſque ad finis aſſecutionem; ergo ex rebus naturalibus quæuis propter finem operatur, vt patitur talis rei natura; niſi aliquid obſtet. Quare omne quod fit in natura, fit propter finem, ad quem res naturalis ordinatur: ſi enim domus fieret a natura, fieret propter finem, propter quẽ modo fit ab arte; & ſi quæ fiunt a natura, fierent ab arte, fierent propter finẽ, propter quem fiunt modo a natura.

Omnino que ars, &c. Confirmat ſuperiorem rationẽ dicens. Artium aliæ ſunt, quæ perficiũt opus naturæ, vt ars medica perficiẽs ſanitatem, quę ſolis naturę viribus multoties aſſequi nequit; & aliæ quæ naturam imitantur: ergo ſicut ea, quæ fiunt arte, fiunt propter finem; ita quæ fiunt a natura: nam eandem rationem habent finis, & id quod operatur propter finẽ ſiue media in arte, & in natura.

Hoc autem in beſtiis, &c. Tertia ratio. Beſtię nec arte, nec inueſtigatione, nec deliberatione operantur; & nihilominus tam admirandos pręſtãt effectus, vt dubitent multi, an araneæ, formicę, & alia id genus animalia medio intellectu operentur. Inſuper hirundo ductu naturæ, & alicuius gratia nidum conſtruit: aranea quaſi rete telam: plãtæ, vt fructus tegant folia fe runt, & deorſum radices mittunt, vt ſuccum & alimẽtum trahant: ergo res naturales proculdubio propter finem operantur.

Quoniamq. duplex eſt natura, &c. Quia natura duplex eſt, ſcilicet materia, & forma; proinde docet, formam eſſe id, propter quod naturale agens operatur: naturale enim agẽs intẽdit formæ productionem, quamuis alii etiã ſint fines; cum finis generationis ſit forma rei genitæ, & finis rei genitæ ſit ipſius operatio.

Error autem in iis, &c. Occurrens cuidam tacitę obiectioni, quæ poterat aduerſus ſuã ſententiam fieri, ſimul confirmat quæ huc vſq. docuit. Eſt igitur ratio. In rebus arte factis contingunt peccata, & defectus; & nihilominus artifex dicitur operari propter

propter finem:ergo etiam ſi ſint peccata,& mõſtra in naturalibus,nihilominus natura agit propter finem. Fuerunt enim prodigioſi quidã effectus, nempe ſemiboues, vt voluit Empedocles, Huiuſmodi vero monſtra extitiſſe,fabuloſum eſt,vt ſtatim docebit.

Præterea ſemen primo exerceat, &c. Demonſtrat Empedoclis monſtra nõ extitiſſe primo: quia non poterant gigni niſi paulatim ex ſemine, quod extitiſſe manifeſte eſt falſũ. Deinde,quia idem accidiſſet in plantis, in quibus natura minus videtur operari propter finem; quod certe non dum euenit. Tandem, quia modo non reperiuntur talia animalia;quod certe ſignum eſt nunquam extitiſſe.Quare ſemper naturalium rerũ generatio fit propter aliquem finem.

Omnino autem qui hac, &c. Docet Ariſt. illos, qui aſſerunt naturã non operari propter finem,tollere e medio naturam,& res natura conſtãtes; natura enim inquit, ea efficit,quæ a determinato principio fiunt,& in finem determinatum tẽdunt;neque omnia ad eundem, ſed quoduis naturale ad determinatũ finem tendit,niſi impediatur.

At vero id enim cauſa ſit, &c. Exponit inſuper finem,& id quod fit propter finem,poſſe fieri fortuito: verbi gratia hoſpes dicitur veniſſe forte, & caſu eũ abiiſſe poſtquã ablutus eſt; ac ſi ablutionis cauſa veniſſet:cũ reuera non venerit hac de cauſa, ſed id contigit fortuito. Fortuna namque, vt dictũ eſt, in cauſis eſt aduẽtitiis & fortuitis: cũ vero res aliqua ſæpe, aut plerumque fit, talis nõ dicitur fortuito, aut caſu euenire.

Illud etiam abſurdum eſt, &c. Docet inſuper Ariſt. abſurdum eſſe, aliquẽ exiſtimare, id ſolum fieri propter finẽ, quod ſit media deliberatione;ac proinde naturam, quæ non agit deliberatione, non operari propter finem: quia aliquando ars nec conſultat, nec deliberat, & nihilominus operatur propter finẽ. Etenim inquit Ariſtoles, ſi in ligno eſſet ars conficiendi nauim, ars illa eodem modo ac natura operaretur: ſi ergo ars operatur propter finem, etiam natura,quod certe perſpicuum eſt in ægroto medico, qui ſeipſum curat. Quare cõcludit. ſenſendum eſt, naturã operari propter finem.

CAP.

CAP. VIIII. VNDE SVMATVR NECESSITAS IN rebus naturalibus.

NECESSITAS *autem, &c.* Determinauit cap. ſuperiori naturã propter finẽ operari: nunc inquirit, quę ſit in rebus naturalibus neceſsitas, an neceſsitas ſimpliciter; an vero ſecundum quid. Per neceſsitatem ſimpliciter, intelligit illam, quæ promanat ex materia. Per neceſsitatem ſecundum quid, illã, quę eſt pro finis cõſecutione. Veteres ergo ad neceſsitatem materiæ omnia referebant; vt ſi quis crederet, domum non eſſe ita conſtructã propter finem, vt ſcilicet nos ab iniuriis cæli incolumes ſeruaret; ſed potius ex neceſsitate materiæ, nempe quia lapides propter ſuam grauitatem locum inferum occuparunt; ligna vero propter leuitatem locum ſuperiorem. Hos ergo errare docet, ſtatuens duplicem neceſsitatẽ reperiri in reb. naturalibus: quemadmodum etiam ſerra ob duplicẽ cauſam dura eſt: quia ſcilicet ex ferro, & quia inſtrumẽtum ad ſcindẽdum, & ſubdit materiæ neceſsitatem deſumi a forma, quæ finis eſt generationis.

Neceßitatis autem vis & ratio, &c. Docet rerum naturaliũ neceſsitatem ſimilem eſſe neceſsitati, quæ in diſciplinis reperitur; non tamen omnino, ſed partim eſſe ſimilem, & partim diſsimilem: quia in ſcientiis ſi præmiſſæ ſunt veræ, concluſio debet eſſe vera: nã ex veris ſemper ſequitur verum; non tamen e contra, ſi concluſio eſt vera, pręmiſſæ ſemper ſunt veræ; cũ verum interdum ex falſo ſequatur. Tandem ſi concluſio eſt falſa, præmiſſæ debẽt eſſe falſę: quia falſum ſemper ſequitur ex falſo; in his vero, quæ ſunt propter finem, aliter res ſe habet: nam ſi ponitur finis, neceſſario debẽt poni media. Quare in hoc quod diximus, reperitur diſcrimẽ. Conueniunt tamen diſciplinæ, & quæ propter finem operantur. quod in his, quæ ſunt propter finem, finis habet rationẽ principii, quod ſimile eſt principio diſciplinarum, hoc illuſtrat Ariſtot.

exẽplo mathematico, in quo explicādo nõ parum diſſentiunt interpretes; res tamen eſt parum vtilis. Qui illā deſiderat, cõſulat inter alios Philoponum, & Vicomercatum. *At vtraque quidem, &c.* Admonet, Phyſicum debere conſiderare materiam, & finem; ſed præcipue finem, ad quē vt ad cauſam refertur materia; præſertim cum materia non ſit cauſa finis: finis vero ſit cauſa materię. Tum etiam quia in definitione magis vtimur forma, quæ finis eſt, quā materia. Hoc explicat in rebus arte factis, & in naturalibus.

In definitione enim neceſſitas cernitur, &c. Docet tandē neceſsitatem, id eſt materiā adhibendam etiam eſſe in definitione: vt in definitione ſerræ debet poni ferrum. Materia appellatur ab Ariſto. neceſsitas: quia veteres crediderunt, neceſsitatem in rebus naturalibus à materia promanare.

QVAESTIO I.

Vtrum omnē agens naturale operetur propter finem.

FACILIS eſt huius quæſt. ſolutio ex dictis in tertia parte diſputationis quæſt. 4.

Sit ergo prima obſeruatio. Agere propter finem dupliciter fit. Primo dirigē do ſe in finem ex ſui amore, & præcognitione. 2. ita, vt agens dirigatur in finem ab alio, a quo finis præcognoſcitur.

Secunda Obſeruatio. Actiones, quæ fiunt ab homine in duplici ſunt differentia, aliæ enim ſunt humanæ, illæ ſcilicet, quę pendent ab homine vt homo eſt, id eſt quæ pendent ab homine ex deliberatione rationis; aliæ vero ſunt actiones, quæ non dicuntur humanæ, ſed hominis: quia non eliciuntur ab illo ex imperio rationis, ſed ſunt mere naturales; vt accretio, nutritio, &c.

Tertia obſer. Finis ſumitur materialiter, & formaliter, vt diximus loco citato.

1. Sit prima Aſſertio. Homo in actionibus humanis agit propter finem ita, vt ſe in finem dirigat: quia præcognoſcit finē, & habitudinem mediorum cum fine.

Secunda aſſertio. Homo in actionibus hominis agit propter finem, non quia ſe in illū dirigat; ſed quia ab auctore naturæ dirigatur.

3. Tertia aſſertio. Bruta animantia agunt propter finem ita tamen, vt in illum materialiter ſumptum ſe dirigant; dirigantur vero in eundem formaliter ſumptū ab auctore naturæ.

Vltima Aſſertio. Omnia alia agentia naturalia agunt propter finem, in quem tam materialiter, quā formaliter ſumptū diriguntur ab auctore naturæ media naturali inclinatione illis agentibus ab auctore naturæ conceſſa. Quæ hic ſolent tractari de induſtria, dicemus in lib. de Ortu.

Finis ſecundi libri.

COMMENTARII IN TERTIVM LIBRVM PHYSICORVM ARIST.

CAPVT PRIMVM IN QVO PROPONIT Ariſt. ſuum inſtitutum.

QVONIAM natura, &c. Initio capit. proponit Ariſt. ſuum inſtitutũ dicẽs, quia natura eſt principiũ motus, & quietis, & ſcientia hæc eſt de natura; proinde videdum eſt, quid ſit motus. Ignorata enim motus ratione ignoratur etiam natura. Explicata motus diſputatione, dicemus poſtea de aliis entis naturalis affectionibus. Cũ vero motus ſit quid continuũ, & quod cõtinuum eſt, ſoleat definiri per infinitum; proinde de infinito ſtatim ſuſcipiẽda eſt diſputatio poſt diſputationem de Motu. Definitur enim continuum: Id, quod diuidi poteſt in infinitum. Præterea, quoniam motus nequit fieri abſque loco, inani, & tẽpore; (præſertim ex veterum ſententia qui crediderunt motũ fieri per inane, & ex horũ ſententia modo loquitur) proinde de his omnibus, tanquã de affectionibus generalibus deinceps eſt diſputandum: communiũ namque affectionum diſputatio ſolet anteire diſputationem illarũ, quæ propriæ ſunt; prius tamen, vt dictum eſt, de motu diſſeramus.

Eſt igitur aliquid, &c. Motus natura inueſtigaturus, cõſtituit quatuor diuiſiones, ſiue hypotheſes. Prima eſt, eorũ quæ ſunt, aliud eſt actu tantum; aliud vero actu, & potẽtia ſimul; & hoc vel eſt ſubſtantia, vel quãtitas, vel qualitas, vel aliquid aliud pertinens ad aliam categoriam. Hunc locum varie exponũt interpretes. Porphyrius, & D. Tho. dicunt ita eſſe legendum. Eorum quæ ſunt, aliud eſt actu, & aliud poteſtate; & quod eſt actu, vel eſt ſubſtantia, vel quantitas, &c. tamen non eſt recta expoſitio; quia in primo mẽbro diuiſionis

inquit Ariſt. *Aliud eſt quod reuera eſt tantum*. Ideſt, quod tantum eſt actu. Quare ſecundū membrum ſic debet accipi. Et aliud non ſolum actu, ſed etiam in potentia: tum etiam quia decē genera, in quæ diuiditur ſecundum membrū, diuiduntur in actum, & potentiam. Quare recte in principio expoſuimus Ariſt. locū cum Simplicio, Themiſtio, & Philopono. Per id vero, quod tantum eſt actu, nō recte docent intellexiſſe Ariſt. Deum, & intelligentias: quia intelligentiæ etiam ſub decē generibus continētur. Quare exiſtimamus per id, quod eſt actu tantum, intellexiſſe Deū; & per id, quod eſt actu, & potētia ſimul, intellexiſſe entia ad decem rerum genera pertinentia.

In iis autem, &c. 2. hypotheſis. Motus non eſt preter res, ad quas eſt motus. Græci interpretes volunt his verbis ſignificare Ariſt. motum, aut eſſe in rebus mobilibus, aut in mouentibus. Alii motum verſari circa res pertinentes ad categorias, quarum paulo antea meminerat. Alii aliter. Quid tamen ſentiendum ſit dicemus in quæſt. abſoluto cap. 3. hypotheſim probat Ariſt. quia quod mouetur, vel mutat eſſentiam, vel quantitatē, vel qualitatem, vel locum, præter quæ nihil commune reperitur. Quare fit inde, vt nec motus, nec mutatio reperiatur niſi in rebus connumeratis; cum præter illas nulla alia reperiatur.

Vnumquodque autem eorū, &c. 4. hypotheſis. In vnoquoque eorū, ad quæ eſt motus, duo ſunt oppoſita: vt in ſubſtantia forma, & priuatio: in qualitate album verbi gratia, & nigrum: in quātitate maior, & minor quantitas: in loco locus ſuperior, & inferior, ſiue corpus graue, & leue. Quare concludit tot eſſe genera motus, quot ſunt genera rerum. Ad formam enim ſubſtantialem datur generatio, ad priuationem corruptio, ad album, & nigrum intentio, & remiſſio, ad locum ſuperum, & inferum, motus ſurſum & deorſum.

CAPVT II. QVID SIT MOTVS.

Quo-

QVONIAM *autem, &c.* Vt proponat motus definitionẽ, aſſumit primam hypotheſim ſuperiori cap. adductam dicens, vnumquodq; genus diuiditur in actum, & potentiam; vnde colligit motus definitionem, quæ ita habet. Actus entis in potentia
Definitio motus. quatenus in potentia: actus eius, quod poteſt alterari, eſt alteratio; & actus eius, quod poteſt accreſcere aut minui, eſt accretio, aut decretio: actus eius, quod poteſt oriri, & interire, eſt generatio, & corruptio: actus eius, quod poteſt mutare locum, eſt loci mutatio. Probat deinde propoſitã definitionẽ: quia quãdo aliquis ædificator ædificat, & fit actu ædificatio, dicimus illum eſſe in actu; quã do aliquis curatur ſimiliter, & ſic de aliis.

Sed quoniam quædam, &c. Explicat alteram partem definitionis; hoc tamen præmittit fundamentum. Idem poteſt eſſe actu, & potẽtia; ſed non reſpectu eiuſdem: vel ſi reſpectu eiuſdem, nõ ſimul; vt idẽ poteſt eſſe ſimul, actu frigidum, & potentia calidũ, & poteſt eſſe diuerſis temporibus calidum in potẽtia, & calidum actu. Vnde infert, in rebus naturalibus ineſſe potentiam agendi, & patiendi; & omnes poſſe mouere, & moueri. Vtrum autem omne mouẽs poſſit etiam moueri, vt multi crediderũt, inquit, ex aliis intelligetur. Eſt enim aliquid, quod mouet, & non poteſt moueri. Id eſt, 8. Phyſ. dicemus, nõ omne quod mouet, poſſe moueri; cum Deus omnia moueat, & nullo modo moueri queat.

Sinus autem quod eſſe poteſt, &c. Infert ex dictis, motum eſſe actum, non illum, per quem res quæ mouetur eſt, & exiſtit; ſed illum potius, qui conuenit per mutationem rei, quæ mouetur: verbi gratia, æs eſt actu æs, & ſtatua in potentia. Motus ergo non eſt actus, per quem æs actu eſt ęs; ſed potius eſt actus, per quẽ æs acquirit ſtatuæ figuram. nam ſequeretur inde, idem eſſe formaliter ęs, & motum.

At non eadem eſt, &c. Oſtendit argumento a contrariis non eſſe idem ſecundum rationem, ſubiectum talis eſſe naturæ, & eſſe hoc, aut illud in potentia: quod ita oſtendit. Sumatur aliquod ſubiectum poteſtate ęgrum. Si idẽ ſunt ſecundum rationẽ ſubiectum talis eſſe naturæ, & eſſe hoc, aut illud in potẽtia, ſequitur inde contraria idẽ eſſe ratione. Quod ita pro-

bat. Sumatur aliquod ſubiectum poteſtate ægrum: ſi idem ſunt ratione ſubiectum hoc, & eſſe ægrum in potentia; ergo ſimiliter idem erũt ratione tale ſubiectũ, & eſſe in potentia ſanum: ergo eſſe potentia ſanum, & eſſe potẽtia ægrum idem erunt ratione; quia quæ ſunt idem vni tertio ſunt idem inter ſe: cũ ergo hoc conſtare nequeat, aſſerendum eſt, non eſſe idẽ ratione, ſubiectum eſſe talis naturæ, & eſſe potentia tale. Quare motus erit actus eius quod moueri poteſt, vt poteſt moueri.

Ac illud quidem perſpicuũ eſt, &c. Probat inſuper, definitionem adductam, eſſe rectã ita. Cũ talis actus eſt, res mouetur, & non antea, aut poſtea: ergo talis actus eſt motus. Hoc illuſtrat quodam exemplo.

Verum autem eſſe, &c. Commendat etiam propoſitã motus definitionem ex his, quæ alii tradiderunt de motu: tũ etiam, quia non eſt facile aliter definire motũ. Nam nec motus, nec mutatio pertinẽt ad aliud genus; nec ſententia illorũ, qui de illo aliter diſſeruerunt, vera eſt. Quidam enim motum appellabant diuerſitatem ex eo, quod id, quod mouetur, ſemper aliter, atque aliter ſe habet. Alii inæqualitatem: quia dum res mouetur, non poteſt habere formã in gradu æquali. Alii non ens: quia ſemper ſupereſt in motu aliquid formæ acquirẽdum, quod certe non dũ eſt. Refellit ergo has opiniones ex eo: quia ſi veræ eſſent, quidquid haberet diuerſitatem, vel inæqualitatẽ; vel eſſet nõ ens, moueretur, quod a vero lõge abeſt: cum tam ad hęc, quam ad contraria ſæpe ſit motus.

Quod autem incertum eſt, &c. Philoſophi, qui prędictæ ſententię autores extiſtere, duos conſtituebant rerũ ordines, & in ſecundo ordine conſtituebant ea, quæ ipſi indefinita dicebant; eo quod eſſent priuantia, vel imperfecta; ordines vero ſunt

Primus ordo.	*Secundus ordo.*
Finitum.	Infinitum.
Impar.	Par.
Vnum.	Multitudo.
Dextrum.	Siniſtrum.
Mas.	Fœmina.
Quies.	Motus.
Rectum.	Curuum.
Lumen.	Tenebræ.
Bonum.	Malum.
Quadratum.	Altera parte longius.

Do-

Docet ergo hoc loco Ariſ. numeraſſe illos motum inter principia ſecundi ordinis: quia perſuaſum habuerũt, motum indefinitũ quid eſſe, nec poſſe abſolute collocari in actu; quia illo durãte res non moueretur: neque in potentia; quia quod poteſtate eſt quale, vel quantum, nondum mouetur.

Motus autem, &c. Statuit motum eſſe actum, imperfectũ tamen: quia res, quæ mouetur, aliquo modo eſt imperfecta, ſemperq. tendit ad vlteriorem gradum perfectionis; ac proinde motum difficile a nobis cognoſcitũ noſtra cognitio ab actu oriatur. Concludit ergo. Cũ motus nec ſit priuatio, nec potentia pura, nec abſolute actus, recte definit ita. Actus eius, quod eſt in potẽtia, quatenus eſt in potentia.

Motu autem cietur, &c. In fine capitis oſtendit, cui conueniat motus dicens *Motu autem cietur* vſque *cadit*, ideſt mouetur omne mouens naturale: nam ſolum illud dicitur moueri, quod poteſt proprie quieſcere; cum quies ſit priuatio motus: quies vero tantum reperitur in rebus naturalibus. Quare, licet hæc naturalia entia, quæ per contactum mouent, moueant, & moueãtur; motus tamen nõ eſt actus illorum, vt ſunt mouentia; ſed vt ſunt mobilia: tum quia accidit, vt id, quod mouet, ſemper habet aliquã formam, & actum, quo medio motum efficit: quod vero mouetur, formam acquirit; ac proinde cum motus nihil aliud ſit quam acquiſitio formæ, motus erit actus mobilis, vt mobile eſt.

CAPVT III. IN QVO REPERIATVR MOTVS.

ATQVE *etiã id, etc.* Ait, ex his, quæ proxime dixit, manifeſtum eſſe id quod multi in quæſtionem vocãt, in quo ſubiecto motus ſit; apertum enim eſt inquit eſſe in re quæ mouetur; eſt namque actus mobilis, licet ſit a mouente, a quo tanquam ab efficiente principio efficitur: neque exiſtimandum eſt, duos eſſe actus re diuerſos, quorum alter ſit rei quæ mouetur; & alter rei quæ mouet; nam vnus & idem eſt vtriuſque actus: dicitur enim aliquid

mobi-

quam ad principium, a quo fluit; ad patiens vero tanquã ad ſubiectum, in quo reperitur.

Nec vero quidquam, &c. Soluit tertiam rationem dicẽs, non ſequi ex eo, quod actio & paſsio ſint idem ſecundũ rem, eum qui agit, pati: quia agere & pati diſtinguuntur ratione, quemadmodum via, qua Athenis Thebas itur; & qua Thebis Athenæ petuntur, reipſa idem eſt, licet ſit ratione diuerſa. Ex quo manifeſtũ eſt, deducere qua ratione alia ſimilia abſurda ſint refellenda.

Ac motus quidem quid ſit, &c. Docet tãdem a ſe expoſitam fuiſſe definitionem motus in communi, & ſingularum motus ſpecierum: nam ex dictis facillimum eſt, illas colligere. Alteratio namque poteſt definiri actus rei, quę alterari poteſt, qua ex parte poteſt alterari. Eodemq. modo cæteræ ſpecies motus poſſunt definiri.

DISPVTATIO DE MOTV.

QVAESTIO I.

An definitio motus tradita ab Ariſt. recta ſit.

QVIA in definitione naturæ fecit Ariſtot. mentionem motus, proinde abſoluta ſuperiori libro Naturæ diſputatione, merito hoc 3. ſtatim ſuſcepit diſputationem de Motu: proindeque circa ea, quæ ab Ariſt. dicta ſunt, aliquas pertractabimus quæſt.

Diuiſio quæſt. Præſens quæſtio duas habet partes. Prima explicabimus definitionem motus 2. contrarias rationes ſoluemus.

Definitio motus explicatur. IN PRIMA parte quæſt. proponenda eſt definitio motus tradita ab Ariſt. quæ ita habet. Actus entis in potẽtia quatenus in potentia. Pro explicatione primæ partis ſit obſeruat. Actus duplex eſt, alter perfectus, qui in ſuo genere actuat omnino ſubiectũ; vt calor in igne, vel forma ſubſtantialis; & alter imperfectus, qui eſt via, & tendentia ad actum perfectum; & hic nõ tollit omnino priuationem, vel potentiam ſubiecti, & de iſto actu intelligenda eſt motus definitio.

Secunda obſeruatio. Per ens intellexit ens naturale exiſtẽs, ita vt ſenſus ſit, actus entis, id eſt actus entis naturalis exiſtentis. Et quamuis corpus, & ens, quod mouetur, idẽ ſint, non dixit *corporis*. Dixit tamen *entis*: quia nondum conſtabat, vſq. ad 6. librum, omne, quod mouetur, eſſe corpus.

Tertia obſeruatio. Potentia, quæ correſpondet actui qui eſt motus, duplex eſt; altera actiua ſecundum quam agens dicitur motiuum; & altera paſſiua, ſecundum quam, id, quod mouetur, dicitur mobile. De qua potentia ex his intelligatur definitio dubium eſt. Exiſtimamus tamen cũ

D. Tho. hic lectione 2. cum Simplicio, Alexandro, & aliis Græcis definitionẽ intelligendam eſſe de potentia paſsiua. Probatur primo: quia motus eſt actus illius potentiæ, in qua recipitur; at recipitur in mobili, in quo eſt potentia paſsiua. Secũdo quia vnius actus, & motus poſſunt eſſe plures potentiæ actiuæ: vt illius actus, quo caleſit cera, potentia ſolis, & potẽtia ignis. Tertio quia Ariſt. propoſuit exempla in mobilibus; non vero in motiuis, ſiue mouẽtibus: propoſita enim definitione motus hæc adhibet exempla. *Vt actus eius quod cõmutari poteſt, qua tale ſit commutatio, &c.*

Quarta obſeruatio, Dicitur quatenus in potentia: quia forma, quæ eſt motus, ita eſt actus, vt ſemper relinquat mobile in potentia ad vlteriorem perfectionem, ad formam ſcilicet acquirendam per motum. Ex dictis conſtat, rectam eſſe definitionem motus, & qua ratione ſit intelligenda.

IN SECVNDA parte quæſt. dices primo. Actus ita perficit ſubiectum, vt ipſum reducat de potentia ad actum, & non relinquat in potentia; ſed motus relinquit ſubiectum in potentia: ergo non eſt actus. Reſpondemus, maiorem ſemper eſſe veram de actu perfecto; non vero de imperfecto, qui via eſt, qualis actus eſt motus; vt diximus in prima obſeruatione. Sed dices. Omnis actus vel eſt primus, vel ſecundus, vt docet Ariſt. 2. de Anima, cap. 1. ſed motus nec eſt actus primus, nec ſecundus: ergo non eſt motus. Probatur minor: quia actus primus non eſt operatio; neque motus eſt actus ſecundus; quia actus ſecundus non relinquit ſubiectum in potentia, ſed ex illa potius oritur. Reſpõdemus, negando minorem: quia reſpectu mobilis eſt actus primus, vel ſaltim via ad actum primum; reſpectu vero mouẽtis, eſt actus ſecundus, & operatio.

Dices ſecundo. Hæc definitio cõuenit cuicumq. formæ: ergo nõ eſt recta. Probatur antecedens. Omnis forma eſt actus entis in potentia, ſecundum quod in potentia; ergo conuenit cuicumq. formæ. Probatur antecedens. Omnis forma actuat ſubiectum prout eſt in potentia, & non prout eſt in actu: ergo omnis forma eſt actus entis in potentia, prout eſt in potentia. Reſpõdemus, negando primum, 2. & 3. antecedens: nam licet verum ſit, omnẽ formam actuare ſubiectum, quod eſt in potentia ad illam; non tamen actuat, prout eſt in potentia. Definitio enim motus ſic debet intelligi. Motus eſt actus, qui in quantum actuat ſubiectum, relinquit illud in potẽtia ad vlteriorem perfectionẽ, ſcilicet ad aliam partem termini motus, vel ad terminum motus. Sed dices. Formæ, quæ ſunt viæ ad aliud: vt forma ſeminis, ſiue embrionis, eſt actus entis in potentia quatenus in potentia: ergo conuenit illi diffinitio. Reſpondemus, negando antecedens: nam illa particula, in potentia, intelligenda eſt de potentia ad actum eiuſdem rationis; at potentia, quam dicit forma embrionis, eſt ad actũ alterius ſpeciei. Sed dices. Calor imperfectus, verbi gratia, calor vt duo, eſt actus calidi, vt calidum eſt in potentia ad vlteriorem perfectionem eiuſdem rationis: ergo conuenit illi definitio motus. Reſpondemus negando antecedens: nam licet calor vt 2. relinquat ſubiectum in potẽtia ad vlteriorem perfectionem; tamen non ita, vt ratio formalis, qua actuat ſit relinquere ſubiectũ in potentia: nam hoc in his formis per accidẽs ſe habet, at vero motus ita eſt actus, vt de ratione ipſius ſit, relinquere ſubiectum, cuius eſt actus in potentia ad vlteriorem perfectionẽ. Quare motus differt ab his formis: quia de intrinſeca ratione motus eſt ordo, & potentia ad vlteriorem perfectionem: aliis vero formis, ſi forte id conuenit, cõuenit per accidẽs. Sed dices. Ergo hæc definitio motus cõuenit ſaltim potẽtiis naturalibus, verbi gratia, viſui, qui ordinatur vt potentia ad videndum. Reſpondemus, negando conſequentiã duplici de cauſa. Prima eſt: quia definitio 1. 2. 3.

intelli-

intelligitur de potentia paſsiua, iſtæ vero ſunt actiuæ. Secũda cauſa eſt quia potentia debet eſſe ad perfectionem eiuſdem rationis; quod non contingit in potentiis
4. naturalibus. Sed dicas. Ergo definitio motus conuenit tempori. Reſpondemus negando conſequentiam: quia de ratione tẽporis ſolum eſt duratio, quæ vel nõ dicit ordinem ad vlteriorem perfectionem; vel ſi dicit, eſt per accidens.

Ex dictis manifeſta eſt motus definitio, quæ certe nimis obſcure tradita fuit ab Ariſt. eſt ergo illius ſenſus. Actus entis, id eſt corporis in potentia, vt ſecundũ ſe dicit talis actus ordinem ad vlteriorẽ perfectionem eiuſdem ſpeciei, imo ad perfectionem eandem numero: ſiue talis perfectio ſit pars formæ, vt contingit in motu ſucceſsiuo; ſiue ſit totus terminus, vt contingit in mutatione inſtantanea.

Sed dices. 3. Ariſto. propoſuit exempla in generatione naturali; ſed huic non conuenit definitio modo explicata: ergo vel definitio propoſita non eſt recta, vel non recte illam explicuimus. Argum. hoc inquirit quæſt. quæ ſequitur.

QVAESTIO II.

An definitio motus cõueniat omni motui.

Diuiſio quæſt. DIVIDITVR quæſt. in 4. partes: primo proponemus quandã obſeruationem 2. aſſertiones 3. contrarias rationes diluemus, 4. dicemus an definitio motus ſit ſynonyma.

Quid nomine motus. IN PRIMA parte quæſt. ſit obſeruatio. Nomine motus intelligimus tã motum ſtricte quam lata ſignificatione, prout idẽ eſt ac via, qua aliqua forma fit, & acquiritur. De motu proprie dicto dicemus lib. 5. eſt ergo ſenſus quæſt. an definitio motus modo ſuperiori quæſt. explicato conueniat cuicumq. motui.

Definitio IN SECVNDA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Definitio motus modo ex- *motus cõuenit omni motui.* plicato conuenit cuicumq. motui naturali, ſcilicet generationi, corruptioni, alterationi, accretioni, decretioni, & motui ſecundum locum. Hanc aſſertionem expreſſe docuit Ariſt. quia, poſtquam propoſuit motus definitionem, illam illuſtrauit exemplis in his omnibus mutationibus.

Secunda aſſertio. Definitio motus conuenit etiam motui artificiali, & violẽto. Probatur a definitione: tum etiam ex Ariſt. eodem modo ac ſuperior concluſio: quia poſtquam in principio cap. 2. propoſuit definitionem motus, & exẽpla in mutationibus naturalibus, ſubdit hæc verba. *Hoc autem motum eſſe, hinc perſpici licet quod cũ ædificari poteſt quæ ex parte, &c.* Idem docuit de conuectione, ſiue conuolutione, quæ motus eſt violentus.

Tertia aſſertio. Definitio motus conuenit motui locali in orbẽ. Probatur primo: quia talis motus eſt naturalis. Probatur ſecundo: quia Ariſt. 8. phyſ. cap. 1. volens inquirere, an circulatio cœli motus ſit naturalis, præaſſumit hanc motus definitionem dicens. *Exordium autem ducemus ab iis primum, quæ ante a nobis in libris de natura explicata ſunt. Quoniã motum actum eſſe diximus, eius quod moueri poteſt, quæ ex parte eam vim habet, &c.*

Vltima aſſertio. Quæuis acquiſitio formæ de nouo ſiue ſit ſubſtantialis, ſiue accidentaria, ſiue ſucceſsiua, ſiue inſtantanea, ſiue naturalis, ſiue violenta, ſiue artificialis, definitur hac definitione, dummodo nomine entis non intelligamus corpus, aut ens naturale; ſed ens exiſtens, quodcumque illud ſit. Ducimur in hanc ſententiam eo quod nulla certe eſt ratio, quæ nos cogat aſſerere actum, per quem acquiritur forma naturalis, ſiue ſubſtantialis ſit, ſiue accidentaria, definiri hac definitione; & non definiri actus, per quos acquiruntur termini in mutationibus artificialibus: violentis, aut in aliis huiuſmodi.

IN TERTIA parte quæſt. dices in primam aſſert. generatio eſt mutatio inſtantanea: ergo non conuenit illi propoſita definitio. Probatur conſequentia. Quod fit in inſtanti, non dicit ordinem ad vlteriorem perfectionem: ſed motus definitio conuenit mutationi, quæ dicit ordinem ad vlteriorem perfectionem; ergo nõ cõuenit generationi definitio propoſita. Reſpondemus negando conſequentiam. Probationi dicimus, motum hac definitione definitum, dicere ordinem eſſentialiter ad vlteriorẽ perfectionem modo ſuperius explicato: vel ad terminum totalẽ, per talem motum acquiſitum: generatio ergo, quæ mutatio eſt inſtantanea, licet non dicat eſſentialiter ordinẽ ad vlteriorem perfectionem, dicit tamen illum ad to-
2. tum terminum, ſcilicet ad formam. Sed dices. Ergo generatio hominis non definitur hac definitione: nam forma hominis, nempe anima rationalis non fit per generationem. Reſpondemus negando conſequentiam: nam, licet per generationem naturalem non fiat de nouo anima rationis particeps; tamen fit vnio animæ rationalis cum materia: imo generatio hominis nihil aliud eſt, quam vnio animæ rationalis cum materia ex vi præcedentis actionis generantis, & hoc ſufficit, vt generatio hominis dicatur motus: nam eſt via, per quam forma de nouo vnitur ma-
3. teriæ. Sed dices. Generatio hominis, imo quæuis naturalis generatio inſtantanea, eſt ſimul cum termino per generationem producto: ergo non eſt via, & actus in potentia ad terminum. Reſpondemus diſtinguendo antecedens ita. Tẽpore concedimus: natura, negamus antecedens, & ſimiliter conſequentiam: nam vt aliquid ſit via, ſufficit, antecedat terminum ſecundum prioritatem naturæ, vt patet in exẽplo de verbo mentis toties a nobis adducto lib. periermenias in diſputatione de verbo mẽtis: intellectio enim eſt ſimul tẽpore cum verbo per intellectionem producto; eſt tamen prior natura illo.

Soto hic, & Pater Pererius, lib. 13. c. 5. dubit. 9. docẽt propoſitam definitionẽ non conuenire mutationi inſtantaneæ: & ſuperiori argumento, et ſi illis obiicias Ariſt. propoſuiſſe exemplum in generatione naturali, reſpondent, generationem naturalem ſumi dupliciter. Primo pro introductione formæ ſubſtantialis; & hoc modo eſt inſtantanea, & non conuenit illi definitio motus. 2. pro aggregato ex productione formæ ſubſtantialis, & præcedẽte alteratione: & hoc modo inquiunt, ſumpſiſſe Ariſt. nomen generationis. Hæc tamen ſolutio nihil valet: quia vel ſumunt illud aggregatum pro ſola introductione formæ ſubſtantialis, & hac ratione illud aggregatum eſt mutatio inſtantanea; vel ſumunt illud pro alteratione tantum, & hoc modo non ſoluunt argumentum: quia poſtquam adhibuit Ariſt. exemplum in alteratione, adhibuit etiam illud in generatione ſubſtantiali: vel tandem ſumũt illud aggregatum prout eſt via, per quam producitur, & qualitas, & ſubſtantia: & hoc minus conſtare poteſt: quia ſubſtantia, & accidens non poſſunt produci per vnam, & eandem mutationem. Quare, cũ illud aggregatum duplicem cõſtituat mutationem, non eſt de illo philoſophandũ, ac ſi vna ſolum eſſet mutatio. *Soto & Pater Pererius.*

Dices in ſecundã aſſertio. Cum Pererio dubio 8. eiuſdẽ cap. hic definitur motus, cuius principium eſt natura: ergo hæc definitio non conuenit motui violento, & artificiali. Reſpondemus negando antecedens: quia nõ ſolum definitur motus ille, cuius principium eſt natura: ſed etiã quiuis, per quem producitur forma in materia, & ſubiecto, aut illi cõiungitur. Sed dices. Cum eodem ibidem. Id, quod mouetur, eſt in potentia: ſed res non eſt in potentia ad formam naturalem, & violentã: ergo definitio motus non cõuenit motui artificiali, aut violento. Reſpondemus negando minorem. Sed dices. Id, quod mouetur, eſt in potentia ad formam artificialem, vel violentam: ergo motus violentus,

& ar-

& artificialia ſunt naturalia. Reſpond. negando conſequentiam: quia nõ eſt in potẽtia naturali, ſed in potentia obedientiali.

Dico in tertiã aſſertionem cum Pererio cap. citato dubio 7. per omnem motum ſuperioris aſſertionis definitum acquirit mobile perfectionem, & terminũ: ſed per motum localem nec acquirit cœlũ perfectionem, nec terminũ: ergo, &c. Probatur minor. Imprimis non acquirit perfectionem: quia per motum localem ſolũ acquiritur perfectio, quãdo mobile acquirit locum, in quo propter ſymbolas qualitates locantis conſeruatur; cœlum vero, cum incorruptibile ſit, non eget huiuſmodi cõſeruatione. Nec acquirit terminum: quia terminus motus localis eſt vbi; cœlum vero ſemper retinet idem vbi. Reſpõdemus negando minorem. Primæ parti probationis reſpondemus, illam ſolũ eſſe veram de motu locali naturali rerũ corruptibilium; cœlum vero acquirit perfectionem per motum localem: quia medio illo operatur in hæc inferiora influendo qualitates, per quas fiunt, & conſeruãtur: operatio vero eſt perfectio rei, cum vnum quodq. ſit propter ſuam operationẽ præſertim vero in rebus, quæ ex ſe ordinantur ad aliarũ conſeruationem, qualia ſũt corpora cœleſtia, quæ eo ſũt facta, vt ſuo motu res inferiores generẽt, & cõſeruẽt. Secundæ parti reſpõdemus, cœlũ per motum localem ſemper acquirere nouũ vbi non ſecundum ſe totum, ſed ſecundũ partem eam pars, quæ modo eſt hic, ſucceſſiue poſtea eſt alibi.

IN QVARTA parte quæſ. quæres, an definitio motus ſit ſynonyma. Sit obſeruatio. Modo ſumimus motũ, prout dicit actum imperfectũ, & viam ad terminum, ſiue ſit ad totum terminum ſimul, ſiue ad vnam partem termini poſt aliam.

Definitio motus cõuenit ſynonyme. Sit aſſertio. Definitio motus conuenit ſynonyme omnibus motibus. Probatur primo. Omnes motus conueniũt ſynonyme; ergo definitio motus reſpectu illorũ eſt ſynonyma. Probatur antecedens. Illa, a quibus poteſt præſcindi aliquis conceptus, ſunt ſynonyma; ſed ab omnibus motibus poteſt præſcindi aliquis conceptus: ergo omnes motus ſunt ſynonymi. Probatur minor: quia omnes motus conueniunt in hoc, quod eſt, eſſe imperfectos, & eſſentialiter dicere ordinem ad terminũ.

Probatur ſecũdo aſſertio. Vt ſe habet actio ad omnes actiones; & paſſio ad omnes paſſiones: ita ſe habet motus ad omnes motus; ſed actio eſt ſynonyma ad omnes actiones, & paſſio ad omnes paſſiões: ergo motus eſt ſynonymus ad omnes motus. Minor eſt certa: cũ actio, & paſſio duas cõſtituant Categorias: maior vero videtur etiam certa, cum nulla appareat rationis diſparitas. Motus enim, actio, & paſſio, idem ſunt ſecundum rem: dicitur vero motus formaliter, vt eſt actus entis in potentia; dicitur vero actio, vt eſt ab agente: & dicitur paſſio, vt recipitur in paſſo: cum ergo realitas, quæ eſt motus, vt eſt ab agẽte, eſt ſynonyma, & vt eſt in paſſo, eſt etiam ſynonyma: vt vero eſt actus entis, non erit ſynonyma?

Contrariam ſententiam tenent Alexander Simplicius, Themiſtius, Auerroes, Albertus 3. phyſico. quos refert & ſequitur Pererius lib. 13. cap. 5. dubio 1. & alij multi. Eſtq. prima illorum ratio. Omnibus motibus nõ datur vnum genus vniuocum: ergo motus in communi non eſt quid ſynonymum. Reſpond. negando antecedens, vt magis conſtabit q. ſequenti.

Secunda ratio. Omnes motus dependent a locali, & præſertim a circulari: ergo ratio motus nõ eſt ſynonyma; cum alij motus pendeant a motu locali circulari; vt enim inferiora mouẽtur, agente motu cœli. Reſpondemus negando conſequẽtiam: nã corpus ſynonyme dicitur de corpore cœleſti, & de his inferioribus; & nihilominus hæc inferiora pendent a corporibus cœleſtibus: eodem etiam modo motus ſynonyme dicitur de motu cœli, & de aliis motibus etiã alij motus pendeant a motu cœli. *Cõtraria ſententia.*

Tertia ratio. Definitio motus ſolū conuenit generatio in naturali ratione alterationis: ergo non dicitur ſynonyme de generatione, & de aliis motibus. Reſpondemus negādo antecedens, vt diximus in ſuperioribus.

Quarta ratio. Motus ſumunt ſpeciem a terminis: ſed termini nō conueniunt ſynonyme: nam terminus aliquando eſt ſubſtantia, aliquando quātitas, &c. ergo motus non conueniunt ſynonyme. Reſpondemus diſtinguendo maiorem ita. infimam ſpeciem, concedimus; ſupremam vero ſpeciem, negamus maiorem. Ratio enim motus in communi non ſumitur a termino, licet ab illo ſumantur particulares rationes motuum. Sed dices. Omnes motus habent rationem ſynonymam communem; ergo omnes pertinent ad eandem categoriam. Argumentum hoc poſtulat quæſt. quæ ſequitur.

QVAESTIO III.

Ad quod prædicamentum pertineat motus.

Diuiſio quæſt. DIVIDITVR quæſt. in 4. partes prima proponemus obſeruationes 2. quædam fundamenta 3. aſſertiones 4. contrarias ſententias, & ſoluemus illarum rationes.

Quæ concurrant ad motum IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Ad motum iſta omnia concurrunt, ſcilicet mouens, mobile, terminus per motum acquiſitus, & fluxus, qui eſt via, & productio termini. Modo ſolū diſputamus de motu ſiue fluxu: nam de aliis tribus certum eſt, ad quæ prædicamenta pertineant.

Motus ſumitur dupliciter. Secunda obſeruatio. Motus dupliciter ſumi ſolet, ſcilicet pro forma fluente, & pro fluxu formæ (nomine fluxus intelligimus acquiſitionem, & viam ſiue illa ſit ſucceſſiua, ſiue inſtantanea) quare quæſt. duplicem reddit ſenſum. Primus eſt, ad quod prædicamentum pertineat motus ſumptus pro fluxu. Secundus eſt, ad quod pertineat motus ſumptus pro forma fluente. Vtrum autem inter iſtos duos modos ſit diſtinctio realis, dicemus q. vltima.

Quinque extenſiones in motu. Tertia obſerua. in motu ſucceſſiuo, ſiue ſit proprie motus: vt motus ad locum; ſiue proprie mutatio: vt nutritio (in quo enim conſiſtat differentia inter motū proprie, & mutationem proprie dicemus cū Ariſt. in quæſt. cap. 6. lib. 5.) reperiuntur 5. extenſiones, ſiue diuiſibilitates. Prima ratione ſubiecti, media qua motus eſt diuiſibilis per accidens ad diuiſionem ſubiecti; & ſic motus, qui eſt in maiori ſubiecto, habet maiorem extēſionem 2. diuiſibilitas eſt ratione ſpatij, ſupra quod fit motus: vt in motu locali, & iuxta hanc diuiſibilitatem, quæ etiam conuenit per accidens motui, ille motus dicitur maior, qui fit ſupra maius ſpatium 3. diuiſibilitas eſt ratione formæ, iuxta quam ille motus dicitur maior, per quē acquiritur maior forma, ſiue ſit magis intenſa, ſiue magis extenſa. Et hæc etiam conuenit motui per accidens 4. eſt ratione temporis, reſpectu cuius ille motus dicitur maior, qui magis durat, quæ diuiſibilitas, & extenſio etiam conuenit motui per accidens 5. eſt, quæ ſumitur a propria ſucceſſione fluxus, per quam vt per viam adquiritur terminus, & aliter ſe habet mobile, nunc, quam prius; & hæc eſt propria, cōuenitq. per ſe motui ſucceſſiuo ſiue ſit proprie motus, ſiue proprie mutatio. Hanc vero 5. extenſionem diſtingui a 4. ſaltem formaliter, probatur ita. Extenſiones, quæ ita ſe habent, vt vna augeatur, & altera minuatur, diſtinguuntur ad minus formaliter: ſed ita ſe habent 4. & 5. extenſio in motu: ergo diſtinguūtur formaliter. Probatur minor: quia fluxus mobilis velocis vt 4. maiorem habet extenſionem, ſi fiat per ſpatium vnius horæ, quam fluxus mobilis velocis vt duo per ſpatium vnius horæ, & dimidiæ partis alterius; & tamen maior eſt extenſio quæ ſumitur a tempore

et in motu facto per ſpatium vnius horæ, & dimidiæ alterius. ex dictis manifeſtus quæſt. ſenſus.

Entia incompleta excluduntur a Catego. IN SECVNDA parte quæſt. ſit hoc fundamentum. Vt cōſtat ſatis ex his, quæ ab omnibus docentur in ante prædicamentis, entia incompleta non collocantur per ſe in Categoriis.

Motus ex ſe eſt uia. Secundum fundamentum. De intrinſeca ratione motus ſumpti in tota ſua latitudine, de quo modo diſputamus, eſt, vt ſit actus imperfectus, via, & tendentia in aliud: ſic enim explicuimus definitionem. Actus entis in potentia, quatenus in potētia, id eſt, actus imperfectus, de cuius ratione eſt dicere potentiam ad terminum.

Motus pro forma fluēte. IN TERTIA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Iuxta primum ſenſum quæſt. motus ſumptus pro forma fluente pertinet ad cathegoriam termini, non reductiue, ſed primo & per ſe, & eo modo quo terminus. Hæc aſſertio manifeſta eſt, & tam tenent multi, licet doceant pertinere reductiue. Probatur vero a nobis modo propoſito ita. Perfectum, & imperfectum intra eandem ſpeciem pertinent eodem modo ad eandem Categoriam, verbi gratia, Albedo in fieri; & Albedo facta: ſed forma in fieri ſe habet vt quid imperfectum; & terminus, vt quid perfectum intra eandem tamen ſpeciem: ergo, &c.

Motus pro fluxu formæ. Secunda aſſertio. Motus pro fluxu formæ non pertinet per ſe ad aliquam cathegoriam. Probatur primo ex Ariſt. qui in Logica collocauit motum in poſt Categoriis; cap. 13. lib. Categoriarum. Probatur ſecundo ex fundamentis ſuperius factis: quia motus, ſumptus pro fluxu, eſt via & ens incompletum: talia vero entia non collocantur per ſe in Categoriis.

Motus nec reductiue collocatur in Catego. Tertia aſſertio. Motus nec reductiue collocatur in Categoria termini. Ducimur in hanc ſententiam eo quod, entia incompleta tantum reducuntur ad Categoriam entium completorum, quando vel ſunt principia illorum, vt punctum in linea, vel partes, vt manus in homine vel rationalitas: motus vero pro fluxu, nec eſt principium termini, nec pars illius.

Motus ſucceſſiuus eſt quantitas. Quarta aſſertio. Motus ſucceſſiuus vere & proprie eſt quantitas per ſe. Probatur aſſertio. Quod per ſe habet extenſionem diſtinctam ab extenſione cuiuſuis alterius, per ſe eſt quātitas; ſed motus ſic ſe habet; ergo, &c. Probatur minor. Imprimis habere extenſionem, & illam eſſe formaliter diſtinctam ab extēſione ſubiecti, ſpatij, & formæ certum eſt: quod vero diſtinguatur ab extenſione temporis, probatur ita. Extenſiones, quæ ita ſe habēt, vt poſſit creſcere vna, abſq. eo quod creſcat alia, ſaltem diſtinguūtur formaliter: ſed ſic ſe habent extenſio motus, & temporis: ergo diſtinguūtur formaliter. Probatur minor. Quia manente eadem extenſione, nempe temporis vnius horæ poteſt fluxus, pro velocitate vel tarditate mobilis, eſſe maior, vel minor.

Mutatio inſtantanea eſt quantitas reductiue. Quinta aſſertio. Si motus ſumatur pro fluxu in mutatione inſtantanea pertinet etiam ad quantitatem, reductiue tamen. Hanc aſſertionem ex eo probant aliqui, quia ſi daretur inſtans ſeparatum, reduceretur ad tempus; et ſi punctum, ad lineam: quare cū generatio ſit indiuiſibile ſeparatum, reducitur ad quantitatem. Hæc tamen ratio nullius eſt momenti: quia generatio non eſt indiuiſibile ſeparatū, quod ita oſtendo. Omne accidens pertinens ad quantitatem debet inhærere ſubiecto quāto; ſed ſecundum hoc generatio eſt accidens pertinens ad quantitatem; ergo debet inhærere ſubiecto quanto: ſed nullum indiuiſibile poteſt inhærere per ſe ſubiecto quanto, niſi ratione alicuius quantitatis, cuius ſit indiuiſibile; ergo generatio non poteſt eſſe indiuiſibile ſeparatū, ſed neceſſario debet eſſe, vel copulans, vel initians, vel terminans aliquam quantitatem. 6. enim phyſic. demonſtrabimus indiuiſibile nō poſſe exiſtere viribus naturę ſeparatum a quantitate, cuius eſt indiuiſibile; Alij etiam inſtantia probant generationem pertinere reductiue ad quātitatem.

titatem, eo quod eſt terminus alterationis; ſed horum ſententia minus conſtare poteſt; quia terminus mutationis debet eſſe eiuſdem rationis cū mutatione, id eſt, ſi motus eſt ſecūdum locū, terminus etiam debet eſſe mutatum eſſe ſecundum locum, vel vbi; et ſi motus eſt de albatio, terminus eſt eſſe dealbatum: quo ergo ratione generatio ſubſtantiæ poteſt eſſe terminus alterationis, per quā producitur qualitas. His adde terminum mutationis non poſſe eſſe mutationem; quia mutationis non datur mutatio, nec actionis actio, vt docuit Ariſtot. libr. 5. Phyſico. capi. 2. Accedit etiam generationem ſubſtantialem, & alterationem eſſe mutationes realiter diſtinctas, cum per alterationem producatur qualitas; per generationem vero forma ſubſtantialis.

Probatur ergo aſſertio. Omne, quod initiat, vel terminat aliquam extenſionē, pertinet reductiue ad quantitatē; ſed mutatio inſtantanea initiat, vel terminat aliquam extenſionē; ergo, &c. Probatur minor. Omnis motus dicens ſucceſſionē eſt idem realiter cum tēpore; ergo omne mutatum eſſe, ſiue omnis mutatio inſtātanea eſt idem realiter cum inſtanti temporis: ergo generatio eſt idem cum inſtanti; ſed tale inſtans non continuat aliquod tempus: ergo initiat, cum ſit in principio. Vltima minor ita probatur. Quando ſubiectū incipit de nouo, accidens, quod in illo reperitur, nō poteſt ſupponi, ſed neceſſario incipit de nouo: ergo cum res, quæ fit per generationem, incipiat de nouo, accidens quodcumq. in illa repertum debet incipere de nouo: ergo inſtans illud generationis non poteſt continuare tempus: nam tale tempus iam præexiſteret; & conſequenter idem accidens eſſet in ſubiecto genito, quod erat in corrupto: quod certe abſurdum eſt.

Obſeru. Vt propoſita aſſertio facilius intelligatur, obſeruādum occurrit, res naturales, quæ ſolum tempore menſurantur, mutabiles eſſe non tantum ſecūdum operationes, ſed etiam ſecundum ſubſtantiam: ſemper enim poſitæ ſunt in perpetua variatione. Quare inſtās generationis nihil aliud eſt quam indiuiſibile quoddam initians hanc rerum naturalium durationem, corruptionis vero inſtans eſt indiuiſibile quoddam terminans hāc durationem poſitam in perpetua ſucceſſione: quemadmodum enim in inſtanti generationis habet res naturalis ſuum primum eſſe, & conſequenter tale inſtans initiat tempus, quod eſt duratio motus, & perpetuæ mutabilitatis ſecundum ſubſtantiam, qua cōtinuo mouetur ſubſtantia naturalis; ita in inſtāti corruptionis res naturalis habet ſuum vltimum eſſe, & conſequenter tale inſtās terminat tempus, quod eſt duratio talis variationis, vt latius dicemus 6. phyſi. in diſputatione de modis incipiendi, & deſinendi.

IN *Q*VARTA parte quæſt. dices primo. Omne ſynonymum pertinet per ſe ad aliquam ex decem Categoriis; ſed motus eſt quid ſynonymum, vt diximus: ergo pertinet ad aliquā Categoriā. Reſpondemus negando maiorem. Sed dices. Categoria eſt ſeries, & ordo generū, ſpecierum, & indiuiduorum: ſed motus in cōmuni eſt genus, & habet ſub ſe ſpecies, & indiuidua: ergo cōſtituit Categoriam: ſed Categoriæ tantum ſunt 10. ergo pertinet ad aliquam ex 10. Categoriis. Reſpondemus concedēdo primam conſequentiā, & negādo minorem: nam Categoriæ entium rei multo plures ſunt decem. Sed dices. Cur ergo conſtituimus in Logica cū Ariſt. decem Categorias tantum. Reſpondemus: quia Ariſto. loquitur de entibus completis, quæ ſi Categoriæ denario numero continentur; at motus quid incompletum eſt. Dices ſecundo. Ariſt. in Metaphyſica connumerauit motum inter quanta per accidēs; ergo nō recte diximus eſſe quantitatem per ſe. Reſpondemus negando conſequentiam; quia in Metaphyſica ſumpſit Ariſt. motum ſecundum extenſionem per accidens, quam habet vel ratione tempo-

temporis, vel rationē ſpatij, vel ratione ſubiecti, vel ratione formæ acquiſitæ; modo vero loquimur de motu ſecundum extenſionem propriam, quam habet, vt diximus in 3. obſeruatione. Sed dices. Ergo ſunt plures ſpecies quantitatis, quam connumerauit Ariſt. in Logica. Reſpōdemus diſtinguendo conſequens ita: Pertinentes ad illam Categoriā quātitatis, negamus abſolute, concedimus conſequētiam. Sed dices. Motus, prout dicit ſucceſsionem, pertinet per ſe ad quantitatē hanc incompletam; & prout dicit mutationem inſtantaneam, continetur etiam ſub hac eadem ratione ſynonyma reductiue tamen: ergo datur aliqua ratio ſynonyma quantitati per ſe, & quantitati reductiue. Reſpondemus concedendo cōſequentiam: hoc enim nullum eſt abſurdum in rebus incōpletis.

Dices tertio in quartā aſſertio. Mutatio inſtantanea eſt quid indiuiſibile: ergo ſi pertinet reductiue ad Categoriā quātitatis, pertinet ratione alicuius accidentis extenſi & diuiſibilis; ſed non datur tale accidens: ergo non pertinet reductiue ad quātitatem. Probatur minor: quia cū ſit finis totius ſubſtātiæ nec poteſt eſſe indiuiſibile motus localis, nec alterationis, nec accretionis, nec nutritionis: ergo non eſt indiuiſibile transmutationis. Reſpondemus concedendo primam conſequentiam, & deinde negando minorem. Probationi negando conſequētiam; nam diuiſio mutationū, quæ adducitur in antecedente, non eſt ſufficiens; quia præter illas reperitur etiam mutatio, per quam conſeruatur ſubſtantia naturalis in perpetua tamen variatione, vt dictum eſt, cuius conſeruationis inſtās generationis eſt initium. Cōſeruatio enim, vt diximus in tertia parte diſputationis de cauſis, nihil aliud eſt quā continuatio actionis: quare conſeruatio huius leonis verbi gratia, nihil aliud eſt quam duratio quædam illius actionis, quæ fuit generatio leonis, & cōſequenter inſtans generationis eſt initium huiuſmodi durationem.

Tandem noſtris aſſertionibus videtur aduerſari quædam rationes, quas propoſuit Pererius, lib. 15. ca. 6. ſed tres illarum ſolum probare intendunt motum in communi non eſſe quid ſynonymum; iſtæ tamen ſolutæ ſunt a nobis in fine ſuperioris quæſt. Aliæ vero concludunt motum pro forma fluente, pertinere ad prædicamentum ſui termini, quod libenter admiſimus, & docuimus in prima aſſertione.

Valleſius controuerſia 28. vult, motū nullo modo pertinere ad Categoriam termini: illius tamen argumenta nec ſunt cōtra nos, nec in ſe alicuius momenti: quia ſolum colligunt hoc abſurdū, ſcilicet, eādem rem pertinere ad diuerſas Categorias. Hoc enim nullum eſt abſurdum: et ſi abſurdum eſt, nimis abſurde locutus fuit Valleſius, q. 29. docens expreſſe actionē, & paſsionem eſſe idem ſecundum rem, & ad diuerſas Categorias pertinere.

QVAESTIO IIII.

Qua ratione ſe habeat motus ad actionem, & paſsionem.

Diuiſio quæſt.

DIVIDITVR quæſt. in 3. partes: prima proponemus quædā fundamenta, 2. aſſertiones, 3. alias ſententias, aut ſaltem ſoluemus illarū rationes.

Actio & paſsio ſūt idem re.

IN PRIMA parte quæſt. ſit hoc fundamentum. Actio, & paſsio ſunt idem re, & numero cum motu: motus enim vt eſt in re, quæ mouetur, dicitur paſsio; vt vero eſt ab agente dicitur actio. Hoc non obſcure ſignificauit Ariſto. in principio, cap. 3. his verbis. *Motus in eo eſt quod mouetur, eſt enim actus eius, & ab eo quod vim mouendi habet, proficiſcitur: nec rei quæ mouēdi vim habet, alius eſt actus, &c.*

Secundum fundamentū. Actio, & paſsio conſtituunt duo prædicamenta. Hoc expreſſe docet Ariſt. in Logica, & in Metaphy. & cum eo fere omnes expoſitores.

Actio & paſsio eſſentialiter non ſunt motus.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Actio & paſsio non ſunt eſſentialiter motus, probatur aſſertio ex fundamentis. Impoſsibile eſt rebus diuerſarum Categoriarum dari aliquid cõmune eſſentialiter: ſed actio, & paſsio ſunt ita diuerſarum Categoriarum: ergo, &c. Probatur ſecũdo motus, actio, & paſsio ſunt vna & eadẽ res: ergo ſi motus formaliter eſt actio, & paſsio, actio formaliter erit paſsio, quod eſt abſurdum. Probatur cõſequẽtia: quia, quæ ſunt idem formaliter vni tertio, ſunt idẽ formaliter inter ſe. Reſpõdent multi, inter quos connumeratur Soto, argumentum hoc non concluderet quia committitur fallacia deſectus appellationis. Procedit enim argumentũ a ſenſu formali ad ſenſum reduplicatiuum; ſed errant certe: nam illa communis propoſitio, quæ ſunt idem vni tertio, ſunt idem inter ſe, ſic intelligatur hoc modo, quæ ſunt idem formaliter vni tertio, ſunt idẽ formaliter inter ſe; ſicut hoc alia. Quæ ſũt idem realiter vni tertio, ſunt idem realiter inter ſe, adeo eſt vera in rebus creatis, vt nullam inſtantiam admittat.

Motus non eſt cõmune quid ad actionẽ & paſſionem.

Secunda aſſertio. Motus non eſt quid cõmune ad actionem & paſsionem etiam analogice. Probatur aſſertio. Inferiora nõ poſſunt multiplicari, quin in illis multiplicetur ratio ſuperior tam in ſynonymis, quam in analogis, in ſynonymis nõ poſſunt multiplicari homines, verbi gratia, & leones, quin multiplicentur rationes ſubſtantiæ, corporis, animati, & ſentientis, in quouis enim animali in indiuiduo reperitur ratio ſubſtantiæ, corporis, animati, & ſentientis diſtincta realiter ab eadem ratione in quouis alio animali. In Analogis etiam verbi gratia, nõ poſſunt realiter multiplicari homines, leones, &c. quin in illis realiter multiplicetur ratio entis, quæ Analoga eſt: ſed multiplicãtur actio, & paſsio, quin multiplicetur motus; ergo motus nõ eſt quid commune ad actionem & paſsionem. Probatur minor: quia vnus, & idem motus eſt actio, & paſſio. Probatur ſecũdo actio, & paſsio ſunt formaliter motus: ergo quæ ſũt de intrinſeca ratione motus, ſunt de intrinſeca ratione actionis, & de intrinſeca ratione paſsionis; ſed terminus a quo, terminus ad quem, & ſubiectum ſunt de intrinſeca, & eſſentiali ratione motus: ergo erunt etiam de intrinſeca ratione actionis, & de intrinſeca ratione paſsionis, quod certe eſt abſurdum.

Motus eſt ſubiectum quo actionis & paſſionis.

Tertia Aſſertio. Motus eſt ſubiectum quo actionis, & paſsionis. Explicatur aſſertio. Vt ſe habet figura reſpectu quantitatis: quia non poteſt eſſe quantitas, quin ſit alicuius figuræ; ita ſe habent actio, & paſsio reſpectu motus: quia nõ poteſt eſſe motus, quin ſit ab agente, & ſic eſt actio: nec quin ſit in paſſo, & ſic eſt paſsio. Probatur ergo primo: quia vt ſe habet figura reſpectu quantitatis: ita actio, & paſsio reſpectu motus: at figura inhæret quantitati tanquã ſubiecto quo: ergo, &c. Probatur 2. actio, paſsio, & motus ſunt idem ſecundum rem, & nullũ ex his tribus ſe habet vt ſuperius reſpectu alterius: ergo alterũ ex illis ſe debet habere vt ſubiectũ, ſed actio, & paſsio, nõ ſunt ſubiectum motus: ergo motus eſt ſubiectum actionis, & paſsionis. Probatur minor: quia vnum accidens non poteſt eſſe in duobus ſubiectis.

Probatur tertio. Quod ponitur vt genus in definitione alicuius accidentis, & non eſt verum genus illius, debet eſſe ſubiectum illius: ſed motus ponitur in definitione actionis, & paſsionis, & non eſt verum genus illarum: ergo debet eſſe ſubiectum: eſſe vero ſubiectum quo patet: quia non eſt ſubſtantia.

IN TERTIA parte quæſ. adducendæ erant variæ ſententiæ, illas tamen ommittimus, ne in aliorum placitis recenſendis plus iuſto immoremur, illas adducit Cardinalis Toletus 3. phyſ. quæſt. 2. illum conſulat, qui illarum authores cognoſcere deſideret, modo ſat ſit rationes noſtris aſſertionibus contrarias ſoluere.

Dices ergo primo in primam aſſertio.

Hæc

Hęc eſt vera, actio eſt motus, & paſsio eſt motus: ergo actio, & paſsio eſſentialiter ſunt motus. Reſpondemus diſtinguendo antecedens ita. Materialiter, & realiter, concedimus; formaliter, negamus antecedens.
1. Sed dices. Actio, & paſsio dicuntur inſtantaneæ, vel ſucceſsiuæ, ſicut motus: ergo eſſentialiter ſunt motus. Reſpondemus diſtinguendo antecedens ita. Per accidens, concedimus; per ſe, negamus antecedens: motus vero per ſe eſt ſucceſsiuus,
2. vel inſtantaneus. Sed dices. Ex Ariſt. c. 2. & 3. motus eſt actus actiui, & paſsiui: ergo actio, & paſsio eſſentialiter ſunt motus. Reſpondemus negando conſequentiam: nam Ariſtot. ſolum docuit eundem actum, qui eſt paſsio, eſſe ab agente; nō tamen conuenire formaliter, vt conſtat ex principio, cap. 3. Ariſt. & ex his quæ dicemus q. ſequenti.

Dices in 2. aſſert. Diffinitio motus cōuenit actioni, & paſsioni; ergo motus eſt quid ſuperius ſynonyme, vel Analogice ſaltim reſpectu actionis, & paſsionis. Probatur antecedens: quia actio eſt actus agentis in potentia ad actionem; & paſsio eſt actus patientis in potentia ad paſsionem. Reſpondemus negando antecedens. Probationi dicimus, non ſufficere ad rationē motus, vt aliquid ſit actus entis in potentia; ſed debet etiam eſſe quatenus in potentia: iſta definitionis particula nec con-
3. uenit actioni, nec paſsioni. Sed dices. Sicut motus eſt actus mobilis: ita paſsio eſt actus eius, quod patitur; ſed id quod patitur eſt mobile: ergo paſsio eſt actus mobilis: ergo eſſentialiter eſt motus. Reſpondemus diſtinguēdo minorem ita. Realiter, concedimus: formaliter, negamus minorem. Quare ſolum probat argumentum, actionem eſſe realiter motum.

Dices in 3. aſſert. Quando accidens definitur in abſtracto, quod eſt ſubiectum, debet poni in obliquo; ſed in his diffinitionibus actionis, & paſsionis, ſcilicet motus vt eſt ab agente, & motus vt eſt in paſſo, definiuntur actio, & paſsio in abſtracto: ergo motus, cū in his definitionibus ponatur in recto, nō poterit eſſe ſubiectū actionis, & paſsionis. Reſpondemus negando minorem: nam cum actio, & paſsio inhæreant motui tanquam ſubiecto quo, non definiuntur in abſtracto, ſed in concreto; cum enim idem ſit nomen concreti, & abſtracti, proinde videntur definiri in
abſtracto. Sed dices. Concretum actionis eſt agēs, & concretū paſsionis eſt id quod patitur: ergo quādo definiuntur actio, & paſsio per motum, non diffiniuntur in cōcreto. Reſpondemus primo. Agens tantū eſſe concretum extrinſece denominatum ab actione. Reſpondemus ſecundo diſtinguēdo antecedēs ita. Remotum, & quod, concedimus: proximum, & quo, negamus antecedēs: nam cum motus ſit ſubiectum quo actionis, & paſsionis, actio, & motus efficitur concretum quo, & proximum; ſi-
2. militer paſsio, & motus. Sed dices. Tempus eſt etiam in motu tāquam in ſubiecto quo; & tamen non ponitur motus in recto in definitione tēporis: ergo nulla eſt ſolutio. Probatur antecedens: quia tēpus diffinitur numerus motus partium primi mobilis ſecundum prius, & poſterius. Reſpondemus negando antecedens. Probationi dicimus, adhuc in hac deſinitione poni motum in recto: nam licet illa particula motus ſit in gignendi caſu, tamen hoc ideo fit, vt explicetur illa alia, ſcilicet numerus, quæ eſt in recto: numerus enim motus, & motus idem ſunt; hoc vero ita eſſe conſtat ex definitione temporis, quā nos adducemus 4. phyſ. quæ ita habet ſi definiatur in concreto. Motus durans: ſi vero diffiniatur in abſtracto ita. Duratio
3. motus. Sed dices. Quando accidens pertinet per ſe ad aliquam ex 10. Categoriis, ſubiectum illius debet etiā neceſſario pertinere ad aliquam ex 10. Categoriis: ſed actio & paſsio pertinent ad Categorias: ergo ſubiectum actionis, & paſsionis debet etiam pertinere: ergo cum dictum ſit a nobis motum nec per ſe, nec reductiue pertinere ad aliquam ex 10. Categoriis, non

potuit motus eſſe ſubiectum actionis, & paſſionis. Reſpõdemus negando maiorẽ, & reddendo inſtantiam in naribus, quæ ſunt ſubiectum ſimitatis, & tamen ſimitas per ſe pertinet ad 4. ſpeciẽ qualitatis: nares vero per ſe ad nullam pertinẽt Categ.

Quæres tandẽ. An actio, & paſſio ſint accidẽtia propria, vel communia motus. Reſpondemus, tam actionem, quã paſſio-
1. nem eſſe accidens propriũ motus. Sed dices. Conſeruatio eſt actio, & tamen nõ eſt mutatio, ſiue motus: ergo actio nõ eſt proprietas motus. Reſpondemus negando ſecundam partem antecedẽtis: nam ſemper conſeruatio, quæ eſt vera actio, eſt etiam vera mutatio, vt diximus in 2. parte diſ-
2. putatio. de cauſis q. 3. in 4. parte. Dices ſecundo. In fine motus rei, quæ proiicitur, datur vere motus: ſed tunc nõ eſt vera actio: ergo actio non eſt proprietas motus. Probatur min. quia licet motus rei proiectæ ſit in principio a proiiciente, quod eſt agens: in fine tamen non eſt ab illo. Reſpondemus negando minorẽ. Probationi dicimus, motum rei proiectæ in fine eſſe immediate a virtute impreſſa rei proiectæ, & mediate a proiiciẽte: quare ſemper eſt ab agẽte, & cõſequenter ſemper eſt actio.

QVAESTIO V.

An actio ſit in agẽte, vel in paſſo

EXAGITAVIT quæſt. hãc Ariſt. 3. cap. huius lib. illam tamen aliquãtulum dubiam reliquit: proinde illam pertractamus. Tum etiam, quia modo de hac re non eſt concors Philoſophorum ſententia, & ſe offerunt multæ conſiderationes, quas Ariſt. innectat prætermiſſe.

Diuiſio quæſt. Diuidetur quæſt. in 3. partes. Prima quaſdam proponemus obſeruationes 2. ſatisfaciemus quæſt. 3. contrarias ſententias, rationesque diſſoluemus.

Actio immanens & tranſiens. IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Actio duplex eſt alia immanẽs, per quam producitur terminus in ipſo agente: vt intellectio, quæ fit ab intellectu, & producit terminum, ſcilicet verbum in intellectu; & alia trãſiens, per quã producitur terminus in diſtincto ſuppoſito, vel in diſtincta parte ſuppoſiti: vt calefactio, per quam ignis producit calorẽ in ligno; vel per quam vna pars ligni calefacta calefacit aliam: ſicque nutritio eſt actio trãſiens: quia etſi ſit in eodem ſuppoſito, a quo fit; eſt tamen in diſtinctis partibus ab illis, a quibus fit.

Actio immanẽs duplex. Secunda obſeru. Actio immanens alia eſt, quæ eſt vere ſubſtantia; ſignificatur tamen ad modum actionis: vt actio intellectiua, & voluntatis in Deo, & de iſta non procedit quæſtio: quia, cum ſit ſubſtãtia, nulli inhæret: alia eſt actio immanẽs, quæ eſt accidẽs, vt intellectio, & volitio in nobis: & de iſtis certum etiam eſt eſſe in ſubiecto, a quo fiunt: cũ terminis per illas producti non tranſeant in exteriorem materiam. Quare procedit quæſtio de actionibus tranſeuntibus.

Tertia obſer. Actio tranſiens poteſt ſumi dupliciter. Primo vt eſt quædã habitudo agẽtis ad paſſum, qua ratione pertinet ad Categoriam relationis, & manifeſtum eſt huiuſmodi actionem eſſe in agẽte: ſi ſit realis, realiter illi inhærendo, ſi rationis, extrinſece denominãdo. 2. ſumi poteſt vt eſt quid abſolutum, & in prædicamento actionis, vt ſcilicet eſt mutatio ea ratione, qua ab agente procedit; & de huiuſmodi actione eſt quæſtio. Ex dictis manifeſtus eſt quæſtionis ſenſus.

Actio tranſiens eſt in paſſo. IN SECVNDA parte quæſt. ſit aſſert. Omnis actio tranſiens eſt in re, quæ patitur. Hæc eſt Ariſt. cap. 3. & ſequuntur illum in hoc cap. expoſitione Alexander, Philoponus, Simplicius, Themiſtius, Auerroes, Viſomercatus, & alij. tenent etiam aliqui ex recentioribus Soto, q. 2. Soncinas 9. Metaph. q. 37. Cardinalis Toletus, q. 8. Valleſius contr. 29. Pererius

terius, lib. 11. cap. 7. Ferrarienſis, q. 4. Conimbricenſes, cap. 3. huius libri, q. 1. art. 2. & alij. Probatur primo. Actio pertinens ad Categoriam actionis de qua intelligitur aſſertio, eſt idem realiter cum motu: ergo eſt in eo, quod patitur, & mouetur. Conſequentia legitima eſt quia omnis motus eſt in eo, quod patitur & mouetur. Antecedens admittunt fere omnes Philoſophi, & eſt Ariſt. multis in locis: ſic enim habet hoc lib. ca. 3. *Hinc clarum eſt, quod motus eſt in eo quod mouetur.* 1. de Anima ca. 2. *Quod ſi & motus & affectio & paſſio in eo ſunt quod fit, &c.* Paulo poſt. *Eorum enim quae efficiendi & mouendi vim habent, vſus, & functio in eo quod patitur & accipit ineſt. Itaque non neceſſe eſt moueri id quod motum afferat.* Et 9. Metaph. ca. 9. *Atque omnino motus ipſe in eo eſt quod mouetur.*

Probatur ſecundo. Omnis actio, quae eſt in principio, a quo elicitur, eſt immanens: ergo ſi omnis actio eſt in agente, omnis actio erit immanens, quod certe eſt abſurdum.

Probatur tertio. Actio eſt in agente: ergo quod agit aliter ſe habet nunc, quam prius cum habeat actionem, quam antea non habebat: ergo omne quod agit, mouetur; ſed hoc eſt maximum abſurdum: quia multa Deus agit in tempore per ſolam mutationem creaturarum. Si reſpondeas, actionem non eſſe in Deo: quia Deus non eſt capax mutationis tamen in creaturis ſemper eſſe actionem in agente cum illae capaces ſint mutationis. Contra: per quamcumque mutationem acquiritur primo, & per ſe vel ſubſtantia, vel quantitas, vel qualitas, vel vbi: ergo ſi omne agens media actione, quae in eo eſt, habet in ſe actionem, & quia illam habet, mutatur, vel per illam acquiret ſubſtantiam, vel quantitatem, vel qualitatem, vel vbi: ſed hoc eſt maximum abſurdum: ergo, &c. Probatur minor. Primo: quia ſequeretur inde per quamlibet actionem tranſeuntem produci neceſſario duplicem terminum, vnum ſcilicet in re extrinſeca, quae patitur, & alterum in re, quae agit: quia ignis calefaciendo acquireret neceſſario aut calorem, aut aliquid aliud; quod certe eſt abſurdum; quia omnis actio tranſiens eſſet ſimul actio immanens, quae omnia ſunt abſurda. Probant tandem aſſertionem Philoſophi ſupra citati, quos retulimus, aliis innumeris & efficaciſſimis rationibus.

IN TERTIA parte quaeſ. proponendae ſunt contrariae ſententiae. Scotus in 4. diſt. 13. q. 1. exiſtimat, actionem diſtingui realiter a paſſione, & motu, & conſequenter aſſerit, eſſe in agente: illo ſuam ſententiam probat ita. Paſſio eſt in re, quae patitur, & actio in re, quae agit: ergo actio & paſſio realiter diſtinguuntur: aſſumit tamen Scotus antecedens falſum, illud tamen probant eius diſcipuli variis rationibus, quas affert Pater Pererius, lib. 13. c. 4. & ſoluit ca. 8. a nobis vero opinio Scoti hac ſola ratione confirmatur. Omne agens creatum dum agit ſiue per actionem immanentem, ſiue per tranſeuntem, ſemper aliter ſe habet ac prius ſe habebat: ergo ſemper mutatur; ſed non poteſt mutari niſi per actionem, quam elicit: ergo ſemper actio eſt in agente, a quo elicitur. Reſpondemus admittendo antecedens, & conſequentiam in corporibus caeleſtibus, & in omnibus agentibus naturalibus inferioribus: negando tamen minorem: nam nullum agens aliter ſe habet nunc, quam prius per actionem tranſeuntem, quam elicit, ſed vel per actionem immanentem, vel per reactionem, quam agendo repatitur. Pro cuius rei intelligentia obſeruandum eſt, corpora caeleſtia, dum mouent haec inferiora illa generando aut accidentia in illis producendo, aliter ſe habere, quia id efficiunt medio motu locali, qui in illis ineſt corporibus caeleſtibus recipitur. Deinde haec inferiora ſemper, dum agunt, aliter ſe habent ac prius; non vero per actionem tranſeuntem, ſed, vel quia agunt media actione immanente, vel quia ſemper omne agens in agendo repatitur, vt dicemus deinde cum Ariſtotele primo libro de Generatione

Opinio Scoti.

Rationes Scoti proponit & ſoluit Pererius.

tiones; vt hæc corpora ita localiter moueãt, vt moueantur, ita agunt mediis qualitatibus actiuis, vt repatiantur a contrariis qualitatibus paſsiuis; in attractione vero id quod mouet aliter ſe habet: quia attractio non eſt actio tranſiens ſecundum totum ſubiectum; ſed tantum ſecundum partem: quia ſcilicet eſt ab vna, & recipitur in alia eiuſdem ſubiecti. Quare ex dictis infero primo idem contingere in noſtris actionibus ſpiritualibus; nempe in actionibus intellectus, & voluntatis: aliter enim ſe habent intellectus, & voluntas dum agunt, ac antea ſe habebant: eo quod per actiones illas, quæ immanentes ſunt, producunt in ſeipſis terminum.

Infero 2. eſſentias rerum aliter ſe habere per actionem, qua producunt proprietates, quam antea ſe habebant, nõ per actionem; ſed quia actio, per quam fiunt proprietates, quæ eſt ſimplex emanatio, immanens eſt. Sed dices. Simplex emanatio non eſt proprie mutatio: quia nõ ſupponit ſubiectum: ergo non recte diximus eſſe actionem: nam ſi a ratione actionis auferatur mutatio, ſolum manet relatio. Reſpondemus negando antecedens: nam ſupponitur ſubiectum, nẽpe ipſa res, cuius ſunt proprietates: nõ ſecundũ prioritatem temporis, ſed ſolũ ſecundum prioritatem naturæ.

Dices tandem cum Ariſto. 1. de Generatione, cap. 6. mouere eſt quid ſuperius ad agere: ergo nõ omnis motus eſt idem realiter cum actione: ſic enim habet Ariſtot. *Neq; enim omne quod mouet facere poteſt.*

Reſpondemus tamen negando conſequentiam: quia facere ſiue agere dupliciter ſumitur, primo pro quocumq. motu, vt eſt ab agente; & in hac ſignificatione ſumimus nomen actionis in hac quæſt. 2. ſumitur facere pro actione, quæ reperitur inter primas qualitates contrarias, qua ratione facere non ita patet ac motus; & in hac ſignificatione intelligendus eſt Ariſt. loco citato: ſubdit enim hæc verba *ſi modo id quod facit ei quod patitur cõtrarium eſſe faciamus.*

Deſumpta occaſione ex illis verbis Ariſt. cap. 1. *Motus autem ſine rebus extare nullo modo poteſt* pertractãda erat quæſtio, an motus ſit idem realiter cum termino: illam vero pertractabimus 3. phyſico. poſtquam dictum erit ad quas Categorias ſit per ſe motus. Cõſtabit enim ibi, quia ſunt termini motus: & conſequenter facilius multo diſcernes, an motus realiter differat a termino.

Circa eadem verba contextus obſeruandum occurrit, nos 1. cap. huius libri propoſuiſſe textum in quo conſtituit Ariſto. 2. hypotheſim, & omiſiſſe expoſitionem illius: poſtea vero omiſſo textu, in quo tertiam conſtituit hypotheſim, illam commentatione illuſtrauimus. Hoc tamẽ hoc, etſi nõ ſit adeo digna obſeruatione, modo tamen obſeruatur, ne, id quod incuria factum eſt, ex ignorantia accidiſſe videatur. Quare qui illius textus, in quo proponit Ariſtot. 2. hypotheſim, expoſitionem deſiderat, conſulat Simpli. & Vicomer. illum egregie explanantes.

CAP. IIII. DE INFINITO.

QVONIAM autẽ, &c. In hoc capi. in quo inquirit, an ſit infinitũ, ſtatim in principio docet pertinere ad Philoſophũ naturalẽ diſputare de infinito. Eſt igitur prima ratio. Ad Philoſophũ naturalẽ pertinet diſputare de magnitudine, motu, & tẽpore; ſed

ſed iſta vel ſunt finita, vel infinita; ergo ad Philoſophum naturalem pertinebit etiam diſputare de infinito, inquirendo an ſit,& quid ſit. Obſeruat tamen,non omnia illa quæ in Phyſicam cadunt contemplationem,eſſe finita,vel infinita: quia punctum nec eſt finitum, nec infinitum;tũ etiam affectiones, ideſt qualitates naturales, per ſe, nec ſunt finitæ, nec infinitæ, & ſunt phyſicæ contẽplationis.

Propriam vero,&c. Secunda ratio. Omnes Philoſophi qui hãc de rebus naturalibus diſputationẽ pro dignitate tradiderunt,diſputarunt de infinito;ergo diſputatio de infinito pertinet ad Philoſophum naturalem. Statuebãt enim veteres,vt Plato,& Pythagorici, principium rei naturalis eſſe infinitum; diuerſimode tamen: qua vero ratione differant iſti inter ſe, parum modo refert; cum tã Platonis, quam Pythagoricorum ſententia a veritate, & recto Philoſophię tramite declinare videatur.

Qui autem in natura,&c. Docet inſuper Philoſophos qui motum admiſere, cõſtituiſſe infinitum accidentarium: dixerunt enim,infinitum accidere ſubſtantiæ; quæ principium erat. Horum ſentẽtias quas modo recenſet,omittimus; quia de illis ſatis dicta ſunt 1. lib.

Omnes autem eandem,&c. Laudat veteres, non quod poſuerint infinitum; ſed eo quod dicerent illud eſſe principiũ. ſi enim eſſet infinitum, non poſſet eſſe fruſtra; eſſet vero fruſtra, niſi haberet rationẽ principii, quod ita probat. Quidquid eſt in rerum natura, aut eſt principium,aut ex principio: infinitum autem non poteſt eſſe ex principio; quia omne quod habet principium,habet finẽ: ratio autem finis deſtruit rationem infiniti. Sed hæc Ariſt. ratio maximo vitio laborat; fit enim in illa tranſitus a principio magnitudinis ad principium temporis.

Eſt etiam ortus,&c. Aſſerebãt præterea Philoſophi conſtituentes infinitum, illud eſſe ingenitum, & indiſſolubile. Suadebant autem hanc ſententiam ex eo;quia quidquid gignitur finem habet: omnis enim interitus eſt finis. Denique affirmabãt, infinitum eſſe quid diuinum, omnia gubernare,& ſub ſe complecti.

Eſſe autem quicquam,&c. Proponit quinque rationes,quibus duci poterãt veteres ad conſtituendum infinitũ. Prima

ma ratio eſt. Tempus, cum principio & fine careat, videtur infinitum. Secunda ratio. Quælibet magnitudo poteſt diuidi in infinitũ, vt Mathematicorum placita teſtãtur.; ergo, &c. Tertia ratio. Cum ortus, & interitus rerum perpetuo durent, neceſſario eſt conſtituenda materia infinita, ex qua tot res gignantur; ſin minus in rerũ generatione foret periodus. Quarta ratio. Omne corpus finitum debet ab aliquo ſuperiori contineri, & determinari: quare aut erit progreſſus in infinitum in magnitudinibus, & ſic dabitur infinitum magnitudine; aut deueniemus ad aliquod corpus, quod ab alio non contineatur, & tale corpus erit infinitum magnitudine.

Maximum autem, &c. His verbis quintam proponit rationem, quam aliis omnibus firmiorem iudicat. Eſt ergo talis. Mens noſtra in cognoſcẽdo, nullis limitibus coercetur; ſed quouis numero cognito, poteſt intelligere maiorem; & cognita quauis magnitudine, poteſt aliam maiorem concipere, & quouis termino extra cælum poſito vlterius cognoſcendo progreditur: quod certe præſtare minime poſſet, niſi in rerũ natura ſint hæc infinita. Si enim ſpacium, quod eſt extra cælum, eſt infinitum, videtur neceſſario eſſe corpus infinitum, & innumerabiles mundos. Cur enim potius erit corpus, inquit, in hac parte inanis, quam in illa? quare ſi in vna parte eſt corpus, ita in quauis alia; & ſic magnitudo infinita erit. Præterea, ſi eſt inane, neceſſe eſt eſſe locum, & corpus infinitum. Subdit, in rebus enim æternis poſſe, & eſſe idem valent: quaſi dicat, ſi enim poſſunt eſſe res illæ æternæ, & infinitæ; ergo ſunt: nam ſimul eſt rem æternam poſſe, & eſſe; nã ſi prius poſſet, deinde eſſet, non eſſet æterna. Circa hoc tamen axioma dicemus aliqua 8. Phyſico.

Habet autem, &c. Colligit ex dictis propoſitã quæſtionem, qua inquiritur an ſit infinitum, difficile eſſe; nam vtramque cõtradictionis partem ſequuntur mille incommoda, & difficilia dubia: vt an infinitũ ſit ſubſtantia, vel accidẽs, vel potius neutrum horum. Obſeruat tamẽ, proprium eſſe phyſici inquirere an ſit infinitum ſecundũ magnitudinem; quia diſputare de infinito, quod non eſt ſenſibile, nõ ita pertinet ad Phyſicum.

1\. Significationes infiniti.

Itaque primo, &c. Vt quęſtionem diluat, proponit 5. ſignificationes infiniti. Primo ergo ſignificat infinitũ id, per quod nequit fieri tranſitus: vt punctũ, qua etiam ratione vox dicitur inuiſibilis; quia non poteſt viſu percipi. 2. ſignificat id, quod poteſt pertranſiri; ita tamẽ, vt nunquã poſsit id, quod per illud mouetur, ad finem peruenire; vt ſi eſſet corpus in infinitũ extenſum, & hæc eſt propria ſignificatio infiniti. 3. ſignificat id, quod etſi terminũ habeat, vix tamen poſſumus ad illum peruenire. 4. ſignificat id, quod licet poſsit natura ſua habere terminum, illum tamen non habet: verbi gratia circulus, vt exponũt Simplicius, & Alexander: quia licet in circulo poſsit aſsignari punctũ, quod ſit finis; actu tamen illo caret. 5. ſignificat infinitum, id cui poteſt fieri additio abſque fine: vt numerus; aut cui poteſt fieri detractio abſque fine: vt magnitudo: aut cui poteſt fieri additio, & detractio abſque fine, vt eadem magnitudo.

CAP. V. NON DARI INFINITVM ACTV.

C infinitum quidẽ, &c. Initio cap. 3. rationibus impugnat ſententiam Platonis, & Pythagoricorum, qui conſtituebant ſubſtantiam infinitam a rebus ſenſibilibus ſeiũctam. Eſt igitur prima ratio. Nullum indiuiſibile eſt infinitũ, ſed omnis ſubſtantia ſecundum ſe conſiderata, eſt indiuiſibilis; ergo nulla ſubſtantia eſt infinita; niſi forte eo modo, quo vox dicitur inuiſibilis, de qua infiniti ſignificatione nec aduerſarii verba faciunt, neque nos: nam quęſtio eſt de infinito ſecundum extenſionem. Minor probatur: quia omne quod diuidi poteſt, aut eſt magnitudo, aut numerus.

Quod ſi ex, &c. Si forte quiſpiam pro illis reſpondeat, illam ſubſtantiam eſſe infinitã non per ſe, ſed per accidens, & ratione annexæ quantitatis; ſolutio eſt nulla: quia iã talis ſubſtantia ea ex parte, qua infinita eſt, nõ eſſet principiũ rei naturalis, vt illi docebant; nam accidens non poteſt eſſe principium rei naturalis:

ratis: quemadmodum inuiſibile non dicitur materia linguæ aut ſermonis; quamuis vox, quæ inuiſibilis dicitur, eo quod viſum non moueat, dicitur materia linguæ, aut ſermonis: quia eſſe inuiſibile conuenit voci per accidens.

Præterea qui fieri, &c. Secunda ratio. Subſtantia ſecundũ ſe nec eſt numerus, nec magnitudo; ergo ſecundum ſe nõ eſt infinita: quia infinitas aut eſt affectio numeri, aut magnitudinis; & rei, quæ nõ eſt ſubiectum affectionis, nõ poteſt conuenire affectio.

Illud etiam perſpicuum eſt, &c. Tertia ratio. Infinitum, cum ex veterum ſentẽtia ſit principium, debet eſſe ſimplex; ergo ſingulare; ergo quæuis pars infiniti erit infinita; & cum in infinito ſint infinitæ partes, erunt ſimul infinities infinita, quod plane eſt abſurdum. Quod ſi reſpondeãt illam ſubſtantiã partibus carere, hoc ex eo refellit: quia omne infinitũ debet eſſe quãtum, & conſequenter diuiſibile in partes. Quare ſi eſſet illud infinitum, nõ eſſet ſubſtantia, ſed accidẽs; ac proinde propoſita ſententia abſurda eſt.

Sed fortaſſe hæc generalior, &c. Quia propoſita quæſtio de infinito nimis generalis erat & excedens Philoſophiæ limites, proinde illam redigit ad infinitum ſecundum magnitudinem inquirens, an ſit aliquod corpus actu infinitum: illud vero non reperiri ſuadet rationibus quæ ſequũtur.

Si enim corporis, &c. Prima ratio. Quod ſuperficie terminatur, non poteſt eſſe infinitum: ſed omne corpus terminatur ſuperfici; ergo nullũ corpus poteſt eſſe infinitum. Secunda ratio., & eſt de infinito ſecundum multitudinẽ. Quod poteſt numerari, non eſt infinitũ: quia fieret inde vt infinitum poſſet perſequi; ſed omnis numerus, qui actu reperitur poteſt numerari; ergo nullus numerus eſt actu infinitus.

Atqui magis Phyſicas, &c. Proponit aliam rationem, quam docet eſſe magis Phyſicam; eſt vero huiuſmodi. Omne corpus aut eſt ſimplex, aut mixtum: ſed neutrum poteſt eſſe infinitum; ergo, &c. Probatur minor. Inprimis mixtum non poteſt eſſe infinitũ; nam cum elemẽta finita ſint, conſtaret corpus illud certis numero elementis; quare vel hæc omnia haberent magnitudinem finitam, & ſic efficerent etiam mixtum finitum; aut vnum ex illis, vel plura,

vel

vel omnia haberẽt magnitudinem infinitam, quod certe nullo modo eſſe poteſt. Inprimis non poteſt vnum ex illis eſſe infinitum: quia illud alia omnia in ſe cõuerteret; cum infinitum vincat in agẽdo omnem proportionis mẽſuram; neque plura poſſunt eſſe infinita, propter eãdem rationem; neque tandem omnia: quia illorũ vnumquodque magnitudine ſua totum infiniti ſpatii capacitatẽ occuparet.

Nec infinitum etiam, &c. Secundam partẽ minoris oſtendit, ſcilicet non dari corpus ſimplex infinitum; & quia ex veteribus multi cõſtituebãt vnum elementum infinitum; quidam ignem, vt Heraclytus, alii aquam, vt Thales Mileſius, alii aerem, vt Anaximenes. Alij tãdem medium corpus, ex quo reliqua elementa generabantur, vt Anaximander; proinde refellit Ariſtot. ſententiam cõſtituentẽ hoc medium corpus; ac ſimul affert rationem, qua confirmabatur, qua etiam ſuum inſtitutũ probat. Ratio vero talis eſt. Elemẽta mutuo agũt, & patiuntur; ſi ergo aliquod ex elementis eſſet infinitum, reliqua omnia conſumeret: ne igitur id contingat, conſtituendum eſt 3. corpus mediũ expers contrariarum qualitatum; nam hæc eſt medij naturã, vt actu ſit denudatum à natura extremorũ. Refellit ergo ſentẽtiam hoc medium corpus ſtatuentẽ ex eo, quod præter elementa, nullũ aliud eſt corpus ſimplex (loquitur de ſublunaribus) quod ſenſibus percipiatur, omne autẽ corpus debet ſenſibus percipi: nam vnumquodq. reſoluitur in ea, ex quibus componitur: at vero præter 4. elemẽta nullum aliud corpus ſimplex in his inferioribus reperitur (de corporibus cæleſtibus dicet in lib. de cœlo) quare cõcludit, nec ignẽ, nec vllum aliud elementum infinitum eſſe poſſe.

Omnino enim, &c. Probat, mũdum non poſſe eſſe vnum elementum tantum; et ſi eſſet finitum: quia omne, quod mutatur, mutatur à cõtrario in cõtrarium, vt diximus 1. libr. & ſi vnum tantum eſſet corpus, omnis e medio ortus, & interitus deſtrueretur, quod ſenſibus repugnat.

Ex his autem facile, &c. Vt 2. rationem proponat, qua probet nullũ corpus ſenſile eſſe infinitum, duo præmittit. Primũ eſt: omne corpus ſub ſenſum cadens habet vnũ determinatum locum naturalem. Secundum quod aſſumit eſt.

... eſt
... his aſsũ
... naturali lo-
... His ergo po
... ratio ita habet.
... quod corp⁹ ſimplex
infinitũ, aut erit immobile,
aut perpetuo mouebitur: ſed
hæc ſunt abſurda; ergo, &c.
Probatur maior. Sit tale corpus terra, ſi ſumatur gleba terræ, illa nec mouebitur, nec quieſcet, ad quem enim feretur locum? aut in quo quieſcet? quia, cum idem ſit locus totius, & partis, & tota terra, cum ſit infinita, occupet locum infinitum, nõ erit maior ratio, cur in vnam partem moueatur, quam in aliã; vel cur quieſcat in vna, quã in alia: ac proinde, cum nequeat ſimul in omnes partes ferri, quieſcet neceſſario; & cũ in omnibus ſimul quieſcere non poſsit, mouebitur neceſſario: quare ſemper mouebitur, & ſemper quieſcet; & numquam mouebitur, & nũquam quieſcet.

Sin vniuerſitas, &c. Oſtendit inſuper, nõ poſſe eſſe corpus diſsimilare infinitum: haberent enim eius partes loca diſtincta; quare mundus eſſet vnum contiguum; & non cõtinuum, vt illi volunt. Deinde, vel iſtæ partes eſſent finitæ, vel infinitæ; ſi finitæ, cum efficiãt infinitum, multæ, aut vna ex illis eſſet infinita, quæ cæteras ad interitum perduceret; ac proinde veteres conſtituẽtes infinitum, illud poſuerunt eſſe corpus à contrariis magis liberum, vt hæc abſurda, & incõmoda fugerẽt: ſi vero partes Simplices ſint, & infinitæ, occupabunt infinita loca, & erunt infinita elemẽta; cum ergo id eſſe nequeat, cum loca ſint finita, & certa, mundus etiã erit finitus: impoſsibile enim eſt, locum non eſſe æqualem rei locatæ; nam ſi non eſſet æqualitas inter locum, & locatũ, aut eſſet locus corpore deſtitutus; aut eſſet corpus, quod naturaliter nõ eſſet in loco; quæ duo ſunt abſurda.

Anaxagoras autẽ, &c. Refert, abſurdam eſſe opinionem Anaxagoræ dicentis, rem infinitam quieſcere naturaliter; & à nulla alia, ſed à ſeipſa in loco determinato cõtineri; & ſuapte natura, vbicumque eſt, quieſcere. Hoc enim aperte falſum eſt; cum multa eſſe poſsint in loco, nõ naturali, ſed violento.

Si igitur quã maxime, &c. Reprehendit Anaxagoram eo quod; cum dixerit infinitum non moueri, huius rei nullã reddi-

reddiderit cauſam: cum multa ſint, quæ non mouentur, poſſunt tamē moueri: vt terra non mouetur, &, ſi eſſet infinita, non moueretur; cauſa tamen eſt: quia cū ſit grauis, eſt in medio; non vero, quia nullus eſt locus, in quem feratur. Si ergo cauſa, cur quieſceret terra in loco infero, et ſi eſſet infinita, nō eſſet, quia eſt infinita; ſed quia eſt grauis, & omne graue natura ſua tēdit deorſū: ſimiliter quod infinitum eſt in ſe, quieſcet; non quia infinitum eſt, & ſuo ambitu omnia cōplectitur; ſed alia de cauſa.

Omninoq́ illud, &c. Proponit iam. 3. rationem ad deſtruendum infinitū, quæ ita habet. Omne corpus ſenſile, quod non mouetur in orbem, aut eſt graue, aut leue: ſi graue, tēdit deorſum; ſi leue ſurſum: ſed infinitum nec poteſt tendere ſurſum, nec deorſum; ergo, &c. Probatur min. quia, ſi tenderet ſurſum, occuparet locum ſuperū; ſi deorſum inferum, quæ duo infinito repugnant: cum infinitum omnia repleat. Si vero aſſerant, alteram partem eſſe leuem, & alteram grauem; ac proin de alteram eſſe ſuperiorem, & alteram inferiorē: hoc etiam repugnat, cum in infinito nec ſit pars ſuperior, nec inferior.

Præterea omne corpus, &c. 4. ratio. Omne corpus ſenſile eſt in loco; loci vero ſex ſunt differentiæ, ſcilicet ante, retro, ſupra, infra, dextrum, & ſiniſtrum: ſed iſtæ differentiæ nequeunt competere infinito; quia infinitum non terminatur differentiis poſitionis: ergo non datur infinitum.

Omninoque ſi locus, &c. vltima ratio. Nullus locus eſt infinitus: ſed omne corpus eſt in loco; ergo nullū corpus eſt infinitum. Probatur maior: quia omne quantum habet determinatam magnitudinem; locus autem quātus eſt. Omne enim quod eſt in loco, eſt in aliqua ex ſex differentiis poſitionis, quas ſuperius retulimus: ſcilicet, ſupra, vel infra; à dextris, vel ſiniſtris; ante, vel retro: quæ omnia fines ſunt, & termini. Quare, concludit, perſpicuum eſt, non dari infinitum actu.

CAP. VI. IN QVO ABSOLuitur quæſtio de Infinito.

poterit motus eſſe ſubiectum actionis, & paſsionis. Reſpondemus negando maiorem, & reddendo inſtantiam in nectibus, quæ ſunt ſubiectum ſimilitatis, & tamen ſimitas per ſe pertinet ad 4. ſpeciem qualitatis; nares vero per ſe ad nullam pertinent Categ.

Quæres tandem. An actio, & paſsio ſint accidentia propria, vel communia motus. Reſpondemus, tam actionem, quam paſsio-
1. nem eſſe accidens proprium motus. Sed dices. Conſeruatio eſt actio, & tamen non eſt mutatio, ſiue motus: ergo actio non eſt proprietas motus. Reſpondemus negando ſecundam partem anteceden: nam ſemper conſeruatio, quæ eſt vera actio, eſt etiam vera mutatio, vt diximus in 2. parte diſ-
2. putatio. de cauſa q. 3. in 4. parte. Dices ſecundo. In fine motus rei, quæ proiicitur, datur vere motus: ſed tunc non eſt vera actio: ergo actio non eſt proprietas motus. Probatur min. quia licet motus rei proiectæ ſit in principio a proiiciente, quod eſt agens: in fine tamen non eſt ab illo. Reſpondemus negando minorem. Probationi dicimus, motum rei proiectæ in fine eſſe immediate a virtute impreſſa rei proiectæ & mediate a proiiciente: quare ſemper eſt ab agente, & conſequenter ſemper eſt actio.

QVAESTIO V.

An actio ſit in agente, vel in paſſo

EXAGITAVIT quæſt. hanc Ariſt. 3. cap. huius lib. aliam tamen aliquantulum dubiam reliquit, proinde
2 illam pertractamus. Tum etiam, quia modo de hac re non eſt concors Philoſophorum ſententia, & ſe offerunt multæ contrariæ rationes, quas Ariſt. intactas prætermiſit.

Diuiſio quæſt. Diuiditur quæſt. in 3. partes. Prima quaſdam proponemus obſeruationes. 2. ſatisfaciemus quæſt. 3. contrariarum ſententiarum rationes diſſoluemus.

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Actio duplex eſt alia immanens, per quam producitur terminus in ipſo agente, vt intellectio, quæ fit ab intellectu, & producit terminum, ſcilicet verbum in intellectu; & alia tranſiens, per quam producitur terminus in diſtincto ſuppoſito, vel in diſtincta parte ſuppoſiti: vt calefactio, per quam ignis producit calorem in ligno; vel per quam vna pars ligni calefacta calefacit aliam: ſic quoque nutritio eſt actio tranſiens: quia licet fit in eodem ſuppoſito, a quo fit; eſt tamen in diſtinctis partibus ab illis, a quibus fit. *Actio immanens & tranſiens.*

Secunda obſeru. Actio immanens alia eſt, quæ eſt vere ſubſtantia; ſignificatur tamen ad modum actionis: vt actio intellectus, & voluntatis in Deo, & de iſta non procedit quæſtio: quia, cum ſit ſubſtantia, nulli inhæret: alia eſt actio immanens, quæ eſt accidens, vt intellectio, & volitio in nobis & de iſtis certum etiam eſt eſſe in ſubiecto, a quo fiunt: cum termini per illas producti non tranſeant in exteriorem materiam. Quare procedit quæſtio de actionibus tranſeuntibus. *Actio immanens duplex.*

Tertia obſer. Actio tranſiens poteſt ſumi dupliciter. Primo vt eſt quædam habitudo agentis ad paſſum, qua ratione pertinet ad Categoriam actionis, & manifeſtum eſt huiuſmodi actionem eſſe in agente; ſi ſit tertia, e.t illi inhærendo, ſi rationis, extrinſeca denominatio. 2. ſumi poteſt vt eſt quid abſolutum, & eſt prædicamento actionis, vt ſcilicet eſt mutatio ex actione, quæ ab agente procedit; & de huiuſmodi actione eſt quæſtio. Ex dictis manifeſtus eſt quæſtionis ſenſus.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit aſſertio. Omnis actio tranſiens eſt in ſe, quæ patitur. Hæc eſt Ariſt. cap. 3. & ſequuntur illum in hoc cap. expoſitione Alexander, Philoponus, Simplicius, Themiſtius Auerroes, Vicomercatus, & alij. tenent etiam illam ex recentioribus Soto, q. 2. Soncinas 9. Metaph. q. 17. Cardinalis Toletus, q. 2. Valleſius contr. ſectis 19. Pererius *Actio tranſiens eſt in ſe.*

rerius, lib. 13. cap. 7. Ferrarienſis, q. 4. Conimbricenſes, cap. 3. huius libri, q. 1. art. 2. & alij. Probatur primo. Actio pertinens ad Categoriam actionis de qua intelligitur aſſertio, eſt idem realiter cum motu: ergo eſt in re, quæ patitur, & mouetur. Conſequentia legitima eſt quia omnis motus eſt in re, quæ patitur & mouetur. Antecedens admittunt ferè omnes Philoſophi, & eſt Ariſt. multis in locis ſic enim habet hoc lib. ca. 3. *Hinc clarum eſt, quod motus eſt in eo quod mouetur.* 1. de Anima ca. 2. *Quod ſi & motus & affectio & paſſio in eo ſunt quod fit, &c.* Paulo poſt. *Eorum enim quæ efficientis & mouendi uim habent uſus, & functio in eo quod patitur & accipit ineſt. Itaque non neceſſe eſt moueri id quod motum afferat.* Et 9. Metaph. ca. 9. *Atque omnino motus ipſe in eo eſt quod mouetur.*

Probatur ſecundo. Omnis actio, quæ eſt in principio, a quo elicitur, eſt immanens: ergo ſi omnis actio eſt in agente, omnis actio erit immanens, quod certe eſt abſurdum.

Probatur ter. Actio eſt in agente: ergo quod agit aliter ſe habet nunc, quam prius cum habeat actionem, quam antea non habebat: ergo omne quod agit, mouetur: ſed hoc eſt maximum abſurdum: quia multa Deus agit in tempore per ſolam mutationem creaturarum. Si reſpondeas, actionem non eſſe in Deo: quia Deus non eſt capax mutationis tamen in creaturis ſemper eſſe actionem in agente cum illæ capaces ſint mutationis. Contra: per omnem mutationem acquiritur primo, & per ſe vel ſubſtantia, vel quantitas, vel qualitas, vel vbi: ergo ſi omne agens media actione tranſeunte habet in ſe actionem, & quia illam habet, mutatur, vel per illam acquiret ſubſtantiam, vel quantitatem, vel qualitatem, vel vbi: ſed hoc eſt maximum abſurdum: ergo, &c. Probatur minor. Primo: quia ſequeretur inde per quam habet actionem tranſeuntem produci neceſſario duplicem terminum, vnum ſcilicet in re externa, quæ patitur, & alterum in re, quæ agit: quia ignis calefaciendo acquireret neceſſario aut calorem, aut aliquid aliud: quod certe eſt abſurdum: quia omnis actio tranſiens eſſet ſimul actio immanens, quæ omnia ſunt abſurda. Probant tandem aſſertionem Philoſophi iuniores, quos conſulimus, aliis innumeris & efficaciſſimis rationibus.

IN TERTIA parte quæſt. proponendæ ſunt contrariæ ſententiæ. Scotus *Opinio Scoti.* in 4. diſt. 13. q. 1. exiſtimat, actionem diſtingui realiter a paſſione, & motu: & conſequenter aſſerit, eſſe in agente: & ſuam ſententiam probat ita. Paſſio eſt in re, quæ patitur: & actio in re, quæ agit: ergo actio & paſſio realiter diſtinguuntur: aſſumit tamen Scotus antecedens falſum, illud tamen probant eius diſcipuli variis rationibus, quas affert Pater Pererius, lib. 13. c. 7. & ſoluit ca. 8. *Rationes Scoti proponit & ſoluit Pererius.* A nobis vero opinio Scoti hac ſola ratione confirmatur. Omne agens creatum dum agit ſiue per actionem immanentem, ſiue per tranſeuntem, ſemper aliter ſe habet ac prius ſe habebat: ergo ſemper mutatur: ſed non poteſt mutari niſi per actionem, quam elicit: ergo ſemper actio eſt in agente, a quo elicitur. Reſpondemus admittendo antecedens, & conſequentiam in corporibus cœleſtibus: & in omnibus agentibus naturalibus inferioribus: negando tamen minorem: nam nullum agens aliter ſe habet nunc, quam prius per actionem tranſeuntem, quam elicit, ſed vel per actionem immanentem, vel per actionem, quam agendo repatitur. Pro cuius rei intelligentia obſeruandum eſt, corpora cœleſtia, dum mouent hæc inferiora illa generando aut accidentia in illis producendo, aliter ſe habere, quia id efficiunt medio motu locali, qui in illiſmet corporibus cœleſtibus recipitur. Deinde hæc inferiora ſemper, dum agunt, aliter ſe habent ac prius; non vero per actionem tranſeuntem, ſed, vel quia agunt media actione immanente, vel quia ſemper omne agens in agendo repatitur, vt dicemus deinde cum Ariſtotele primo libro de Generatione

tionem: vt hęc corpora ita localiter mouēt, vt moueantur, ita agunt mediis qualitatibus actiuis, vt repatiantur a contrariis qualitatibus paſsiuis; in attractione vero id quod mouet aliter ſe habet: quia attractio non eſt actio tranſiens ſecundum totum ſubiectum; ſed tantum ſecundum partem: quia ſcilicet fit ab vna, & recipitur in altera eiuſdem ſubiecti. Quare ex dictis reſtat eo primo idem cōtingere in noſtris actionibus ſpiritualibus; nempe in actionibus intellectus, & voluntatis: aliter enim ſe habent intellectus, & voluntas dum agunt, ac antea ſe habebāt: eo quod per actiones illas, quę immanentes ſunt, producunt in ſeipſis terminum.

Inſuper & eſſentiae rerum aliter ſe habent per actionem, qua producunt proprietates, quam antea ſe habebant, nō per tranſitionem; ſed quia actio, per quam fiunt proprietates, quae eſt ſimplex emanatio, immanens eſt. Sed dices. Simplex emanatio non eſt proprie mutatio: quia nō ſupponit ſubiectum: ergo non recte diximus eſſe actionem: nam ſi a ratione actionis auferatur mutatio, ſolum manet relatio. Reſpondemus negando antecedens: nam ſupponit ſubiectum, nō prius ipſa tamen res, cuius ſunt proprietates: nō ſecundū prioritatem temporis, ſed ſolū ſecundum prioritatem naturae.

Dices tandem ex Ariſto. 1. de Generatione, cap. 6. mouere eſt quid ſuperius ad agere: ergo nō omnis motus eſt idem realiter cum actione: ſic enim habet Ariſtot. *Neque enim omne quod mouet facere poteſt.*

Reſpondemus tamen negando conſequentiam: quia facere ſiue agere dupliciter ſumitur, primo pro quocumq. motu, vt eſt ab agente; & in hac ſignificatione ſumimus nomen actionis in hac quaeſt. 2. ſecundo ſumitur facere pro actione, quae reperitur inter primas qualitates contrarias, quas ratione facere non ita patet ac motum: & in hac ſignificatione intelligendus eſt Ariſt. loco citato: ſubdit enim haec verba *ſi modo id quod facit ei quod patitur cōtrarium eſſe faciamus.*

Deſumpta occaſione ex illis verbis Ariſt. cap. 1. *Motus autem ſine rebus extare nullo modo poteſt* pertractāda erat quaeſtio, an motus ſit idem realiter cum termino: illam vero pertractabimus 5 phyſic. poſtquam dictum erit ad quas Categorias ſit per ſe motus. Cōſtabit enim ibi, quid ſint termini motus: & conſequenter facilius multo dicemus, an motus realiter differat a termino.

Circa eadem verba contextus obſeruandum occurrit, nos 1. cap. huius libri propoſuiſſe textum in quo conſtituit Ariſto. 2. hypotheſim, & omiſiſſe expoſitionem illius: poſtea vero omiſſo textu, in quo tertiam conſtituit hypotheſim, illam commentatione illuſtrauimus. Ita tamē hoc, etſi nō ſit adeo dignum obſeruatione, modo tamen obſeruatur, ne, id quod incuria factum eſt, ex ignorantia accidiſſe videatur. Quare qui illius textus, in quo proponit Ariſtot. 2. hypotheſim, expoſitionem deſiderat, conſulat Simplic. & Vicomer. illum egregie explanantes.

CAP. IIII. DE INFINITO.

QVONIAM Mauē, &c. In hoc capi. in quo inquirit, an ſit infinitū, ſtatim in principio docet pertinere ad Philoſophū naturalē diſputare de infinito. Eſt igitur prima ratio. Ad Philoſophū naturalē pertinet diſputare de magnitudine, motu, & tēpore; ſed

ſed iſta vel ſunt finita, vel infinita; ergo ad Philoſophum naturalem pertinebit etiam diſputare de infinito, inquirendo an ſit, & quid ſit. Obſeruat tamen, non omnia illa quæ in Phyſicam cadunt contemplationem, eſſe finita, vel infinita: quia punctum nec eſt finitum, nec infinitum; tũ etiam affectiones, id eſt qualitates naturales, per ſe, nec ſunt finitæ, nec infinitæ, & ſunt phyſicæ contẽplationis.

Propriam vero, &c. Secunda ratio. Omnes Philoſophi qui hãc de rebus naturalibus diſputationẽ pro dignitate tradiderunt, diſputarunt de infinito; ergo diſputatio de infinito pertinet ad Philoſophum naturalem. Statuebãt enim veteres, vt Plato, & Pythagorici, principium rei naturalis eſſe infinitum; diuerſimode tamen: qua vero ratione differant iſti inter ſe, parum modo refert; cum tã Platonis, quam Pythagoricorum ſententia a veritate, & recto Philoſophiæ tramite declinare videatur.

Qui autem in natura, &c. Docet inſuper Philoſophos qui motum admiſere, cõſtituiſſe infinitum accidentarium: dixerunt enim, infinitum accidere ſubſtantiæ; quæ principium erat. Horum ſentẽtias quas modo recenſet, omittimus; quia de illis ſatis dicta ſunt 1. lib.

Omnes autem eandem, &c. Laudat veteres, non quod poſuerint infinitum; ſed eo quod dicerent illud eſſe principiũ. ſi enim eſſet infinitum, non poſſet eſſe fruſtra; eſſet vero fruſtra, niſi haberet rationẽ principii, quod ita probat. Quidquid eſt in rerum natura, aut eſt principium, aut ex principio: infinitum autem non poteſt eſſe ex principio; quia omne quod habet principium, habet finẽ: ratio autem finis deſtruit rationem infiniti. Sed hæc Ariſt. ratio maximo vitio laborat; fit enim in illa tranſitus a principio magnitudinis ad principium temporis.

Eſt etiam ortus, &c. Aſſerebãt præterea Philoſophi conſtituentes infinitum, illud eſſe ingenitum, & indiſſolubile. Suadebant autem hanc ſententiam ex eo; quia quidquid gignitur finem habet: omnis enim interitus eſt finis. Denique affirmabãt, infinitum eſſe quid diuinum, omnia gubernare, & ſub ſe complecti.

Eſſe autem quicquam, &c. Proponit quinque rationes, quibus duci poterãt veteres ad conſtituendum infinitũ. Prima

ma ratio eſt. Tempus, cum principio & fine careat, videtur infinitum. Secunda ratio. Quælibet magnitudo poteſt diuidi in infinitũ, vt Mathematicorum placita teſtãtur.; ergo, &c. Tertia ratio. Cum ortus, & interitus rerum perpetuo durent, neceſſario eſt conſtituenda materia infinita, ex qua tot res gignantur; ſin minus in rerũ generatione foret periodus. Quarta ratio. Omne corpus finitum debet ab aliquo ſuperiori contineri, & determinari: quare aut erit progreſſus in infinitum in magnitudinibus, & ſic dabitur infinitum magnitudine; aut deueniemus ad aliquod corpus, quod ab alio non contineatur, & tale corpus erit infinitum magnitudine.

Maximum autem, &c. His verbis quintam proponit rationem, quam aliis omnibus firmiorem iudicat. Eſt ergo talis. Mens noſtra in cognoſcẽdo, nullis limitibus coercetur; ſed quouis numero cognito, poteſt intelligere maiorem; & cognita quauis magnitudine, poteſt aliam maiorem concipere, & quouis termino extra cælum poſito vlterius cognoſcendo progreditur: quod certe præſtare minime poſſet, niſi in rerũ natura ſint hæc infinita. Si enim ſpacium, quod eſt extra cælum, eſt infinitum, videtur neceſſario eſſe corpus infinitum, & innumerabiles mundos. Cur enim potius erit corpus, inquit, in hac parte inanis, quam in illa? quare ſi in vna parte eſt corpus, ita in quauis alia; & ſic magnitudo infinita erit. Præterea, ſi eſt inane, neceſſe eſt eſſe locum, & corpus infinitum. Subdit, in rebus enim æternis poſſe, & eſſe idem valent: quaſi dicat, ſi enim poſſunt eſſe res illæ æternæ, & infinitæ; ergo ſunt: nam ſimul eſt rem æternam poſſe, & eſſe; nã ſi prius poſſet, deinde eſſet, non eſſet æterna. Circa hoc tamen axioma dicemus aliqua 8. Phyſico.

Habet autem, &c. Colligit ex dictis propoſitã quæſtionem, qua inquiritur an ſit infinitum, difficilẽ eſſe; nam vtramque cõtradictionis partem ſequuntur mille incommoda, & difficilia dubia: vt an infinitũ ſit ſubſtantia, vel accidẽs, vel potius neutrum horum. Obſeruat tamẽ, proprium eſſe phyſici inquirere an ſit infinitum ſecundũ magnitudinem; quia diſputare de infinito, quod non eſt ſenſibile, nõ ita pertinet ad Phyſicum.

Ita-

1. Significationes infiniti. *Itaque primo, &c.* Vt quęſtionem diluat, proponit 5. ſignificationes infiniti. Primo ergo ſignificat infinitũ id, per quod nequit fieri tranſitus: vt punctũ, qua etiam ratione vox dicitur inuiſibilis; quia non poteſt viſu percipi. 2. ſignificat id, quod poteſt pertranſiri; ita tamẽ, vt nunquã poſsit id, quod per illud mouetur, ad finem peruenire; vt ſi eſſet corpus in infinitũ extenſum, & hæc eſt propria ſignificatio infiniti. 3. ſignificat id, quod etſi terminũ habeat, vix tamen poſſumus ad illum peruenire. 4. ſignificat id, quod licet poſsit natura ſua habere terminum, illum tamen non habet: verbi gratia circulus, vt exponũt Simplicius, & Alexander; quia licet in circulo poſsit aſsignari punctũ, quod ſit finis; actu tamen illo caret. 5. ſignificat infinitum, id cui poteſt fieri additio abſque fine: vt numerus; aut cui poteſt fieri detractio abſque fine: vt magnitudo: aut cui poteſt fieri additio, & detractio abſque fine, vt eadem magnitudo.

CAP. V. NON DARI INFINITVM ACTV.

EC infinitum quidẽ, &c. Initio cap. 3. rationibus impugnat ſententiam Platonis, & Pythagoricorum, qui conſtituebant ſubſtantiam infinitam a rebus ſenſibilibus ſeiũctam. Eſt igitur prima ratio. Nullum indiuiſibile eſt infinitũ, ſed omnis ſubſtantia ſecundum ſe conſiderata, eſt indiuiſibilis; ergo nulla ſubſtantia eſt infinita; niſi forte eo modo, quo vox dicitur inuiſibilis, de qua infiniti ſignificatione nec aduerſarii verba faciunt, neque nos: nam quęſtio eſt de infinito ſecundum extenſionem. Minor probatur: quia omne quod diuidi poteſt, aut eſt magnitudo, aut numerus.

Quod ſi ex, &c. Si forte quiſpiam pro illis reſpondeat, illam ſubſtantiam eſſe infinitã non per ſe, ſed per accidens, & ratione annexæ quantitatis; ſolutio eſt nulla: quia iã talis ſubſtantia ea ex parte, qua infinita eſt, nõ eſſet principiũ rei naturalis, vt illi docebant; nam accidens non poteſt eſſe principium rei natu-

ratis: quemadmodum inuiſibile non dicitur materia linguæ aut ſermonis; quamuis vox, quæ inuiſibilis dicitur, eo quod viſum non moueat, dicitur materia linguæ, aut ſermonis: quia eſſe inuiſibile conuenit voci per accidens.

Præterea qui fieri, &c. Secunda ratio. Subſtantia ſecundũ ſe nec eſt numerus, nec magnitudo; ergo ſecundum ſe nõ eſt infinita: quia infinitas aut eſt affectio numeri, aut magnitudinis; & rei, quæ nõ eſt ſubiectum affectionis, nõ poteſt conuenire affectio.

Illud etiam perſpicuum eſt, &c. Tertia ratio. Infinitum, cum ex veterum ſentẽtia ſit principium, debet eſſe ſimplex; ergo ſingulare; ergo quæuis pars infiniti erit infinita; & cum in infinito ſint infinitæ partes, erunt ſimul infinities infinita, quod plane eſt abſurdum. Quod ſi reſpondeãt illam ſubſtantiã partibus carere, hoc ex eo refellit: quia omne infinitũ debet eſſe quãtum, & conſequenter diuiſibile in partes. Quare ſi eſſet illud infinitum, nõ eſſet ſubſtantia, ſed accidẽs; ac proinde propoſita ſententia abſurda eſt.

Sed fortaſſe hæc generalior, &c. Quia propoſita quæſtio de infinito nimis generalis erat & excedens Philoſophiæ limites, proinde illam redigit ad infinitum ſecundum magnitudinem inquirens, an ſit aliquod corpus actu infinitum: illud vero non reperiri ſuadet rationibus quæ ſequũtur.

Si enim corporis, &c. Prima ratio. Quod ſuperficie terminatur, non poteſt eſſe infinitum: ſed omne corpus terminatur ſuperfici; ergo nullũ corpus poteſt eſſe infinitum. Secunda ratio., & eſt de infinito ſecundum multitudinẽ. Quod poteſt numerari, non eſt infinitũ: quia fieret inde vt infinitum poſſet perſequi; ſed omnis numerus, qui actu reperitur poteſt numerari; ergo nullus numerus eſt actu infinitus.

Atqui magis Phyſicas, &c. Proponit aliam rationem, quam docet eſſe magis Phyſicam; eſt vero huiuſmodi. Omne corpus aut eſt ſimplex, aut mixtum: ſed neutrum poteſt eſſe infinitum; ergo, &c. Probatur minor. Inprimis mixtum non poteſt eſſe infinitũ: nam cum elemẽta finita ſint, conſtaret corpus illud certis numero clementis; quare vel hæc omnia haberent magnitudinem finitam, & ſic efficerent etiam mixtum finitum; aut vnum ex illis, vel plura,

vel omnia haberet magnitudinem infinitam, quod certe nullo modo eſſe poteſt. Inprimis non poteſt vnum ex illis eſſe infinitum: quia illud alia omnia in ſe cõuerteret; cum infinitum vincat in agẽdo omnem proportionis mẽſuram; neque plura poſſunt eſſe infinita, propter eãdem rationem; neque tandem omnia: quia illorũ vnumquodque magnitudine ſua totum infiniti ſpatii capacitatẽ occuparet.

Nec infinitum etiam, &c. Secundam partẽ minoris oſtendit, ſcilicet non dari corpus ſimplex infinitum; & quia ex veteribus multi cõſtituebãt vnum elementum infinitum, quidam ignem, vt Heraclytus, alii aquam, vt Thales Mileſius, alii aerem, vt Anaximenes. Alij tãdem medium corpus, ex quo reliqua elementa generabantur, vt Anaximander; proinde refellit Ariſtot. ſententiam conſtituentẽ hoc medium corpus; ac ſimul affert rationem, qua confirmabatur, qua etiam ſuum inſtitutũ probat. Ratio vero talis eſt. Elemẽta mutuo agũt, & patiuntur; ſi ergo aliquod ex elementis eſſet infinitum, reliqua omnia conſumeret: ne igitur id contingat, conſtituendum eſt 3. corpus mediũ expers contrariarum qualitatum; nam hæc eſt medij natura, vt actu ſit d. nudatum à natura extremorũ. Refellit ergo ſentẽtiam hoc medium corpus ſtatuentẽ ex eo, quod præter elementa, nullũ aliud eſt corpus ſimplex (loquitur de ſublunaribus) quod ſenſibus percipiatur, omne autẽ corpus debet ſenſibus percipi: nam vnumquodq. reſoluitur in ea, ex quibus componitur: at vero præter 4. elemẽta nullum aliud corpus ſimplex in his inferioribus reperitur (de corporibus cæleſtibus dicet in lib. de cœlo) quare cõcludit, nec ignẽ, nec vllum aliud elementum infinitum eſſe poſſe.

Omnino enim, &c. Probat, mũdum non poſſe eſſe vnum elementum tantum; etſi eſſet finitum: quia omne, quod mutatur, mutatur à cõtrario in cõtrarium, vt diximus 1. libr. & ſi vnum tantum eſſet corpus, omnis e medio ortus, & interitus deſtrueretur, quod ſenſibus repugnat.

Ex his autem facile, &c. Vt 2. rationem proponat, qua probet nullũ corpus ſenſile eſſe infinitum, duo præmittit. Primũ eſt: omne corpus ſub ſenſum cadens habet vnũ determinatum locum naturalem. Secundum quod aſſumit eſt.

Totius, & partis idem eſt locus: vt totius terræ locus eſt locus inferior, qui etiam eſt locus glebæ terræ. In his aſſũptis loquitur de naturali loco elementorũ. His ergo poſitis ſecunda ratio ita habet. Si eſt aliquod corp⁹ ſimplex infinitũ, aut erit immobile, aut perpetuo mouebitur: ſed hæc ſunt abſurda; ergo, &c. Probatur maior. Sit tale corpus terra, ſi ſumatur gleba terræ, illa nec mouebitur, nec quieſcet, ad quem enim feretur locum? aut in quo quieſcet? quia, cum idem ſit locus totius, & partis, & tota terra, cum ſit infinita, occupet locum infinitum, nõ erit maior ratio, cur in vnam partem moueatur, quam in aliã; vel cur quieſcat in vna, quã in alia: ac proinde, cum nequeat ſimul in omnes partes ferri, quieſcet neceſſario; & cũ in omnibus ſimul quieſcere non poſsit, mouebitur neceſſario: quare ſemper mouebitur, & ſemper quieſcet; & numquam mouebitur, & nũquam quieſcet.

Sin vniuerſitas, &c. Oſtendit inſuper, nõ poſſe eſſe corpus diſsimilare infinitum: haberent enim eius partes loca diſtincta; quare mundus eſſet vnum contiguum, & non cõtinuum, vt illi volunt. Deinde, vel iſtæ partes eſſent finitæ, vel infinitæ; ſi finitæ, cum efficiãt infinitum, multæ, aut vna ex illis eſſet infinita, quæ cæteras ad interitum perduceret; ac proinde veteres conſtituẽtes infinitum, illud poſuerunt eſſe corpus à contrariis magis liberum, vt hęc abſurda, & incõmoda fugerẽt: ſi vero partes ſimplices ſint, & infinitæ, occupabunt infinita loca, & erunt infinita elemẽta; cum ergo id eſſe nequeat, cum loca ſint finita, & certa, mundus etiã erit finitus: impoſsibile enim eſt, locum non eſſe æqualem rei locatæ; nam ſi non eſſet æqualitas inter locum, & locatũ, aut eſſet locus corpore deſtitutus; aut eſſet corpus, quod naturaliter nõ eſſet in loco; quæ duo ſunt abſurda.

Anaxagoras autẽ, &c. Refert, abſurdam eſſe opinionem Anaxagoræ dicentis, rem infinitam quieſcere naturaliter; & à nulla alia, ſed à ſeipſa in loco determinato cõtineri, & ſuapte natura, vbicumque eſt, quieſcere. Hoc enim aperte falſum eſt; cum multa eſſe poſsint in loco, nõ naturali; ſed violento.

Si igitur quã maxime, &c. Reprehendit Anaxagoram eo quod; cum dixerit infinitum non moueri, huius rei nullã reddi-

reddiderit cauſam: cum multa ſint, quæ non mouentur, poſſunt tamẽ moueri: vt terra non mouetur, &, ſi eſſet infinita, non moueretur; cauſa tamen eſt: quia cũ ſit grauis, eſt in medio; non vero, quia nullus eſt locus, in quem feratur. Si ergo cauſa, cur quieſceret terra in loco infero, et ſi eſſet infinita, nõ eſſet, quia eſt infinita; ſed quia eſt grauis, & omne graue natura ſua tẽdit deorſũ: ſimiliter quod infinitum eſt in ſe, quieſcet; non quia infinitum eſt, & ſuo ambitu omnia cõplectitur; ſed alia de cauſa.

Omnineq́ illud, &c. Proponit iam. 3. rationem ad deſtruendum infinitũ, quæ ita habet. Omne corpus ſenſile, quod non mouetur in orbem, aut eſt graue, aut leue: ſi graue, tẽdit deorſum; ſi leue ſurſum: ſed infinitum nec poteſt tendere ſurſum, nec deorſum; ergo, &c. Probatur min. quia, ſi tenderet ſurſum, occuparet locum ſuperũ; ſi deorſum inferum, quæ duo infinito repugnant: cum infinitum omnia repleat. Si vero aſſerant, alteram partem eſſe leuem, & alteram grauem; ac proinde alteram eſſe ſuperiorem, & alteram inferiorẽ: hoc etiam repugnat, cum in infinito nec ſit pars ſuperior, nec inferior.

Praeterea omne corpus, &c. 4. ratio. Omne corpus ſenſile eſt in loco; loci vero ſex ſunt differentiæ, ſcilicet ante, retro, ſupra, infra, dextrum, & ſiniſtrum: ſed iſtæ differentiæ nequeunt competere infinito; quia infinitum non terminatur differentiis poſitionis: ergo non datur infinitum.

Omnineque ſi locus, &c. vltima ratio. Nullus locus eſt infinitus: ſed omne corpus eſt in loco; ergo nullũ corpus eſt infinitum. Probatur maior: quia omne quantum habet determinatam magnitudinem; locus autem quãtus eſt. Omne enim quod eſt in loco, eſt in aliqua ex ſex differentiis poſitionis, quas ſuperius retulimus: ſcilicet, ſupra, vel infra; à dextris, vel ſiniſtris; ante, vel retro: quæ omnia fines ſunt, & termini. Quare, concludit, perſpicuum eſt, non dari infinitum actu.

CAP. VI. IN QVO ABSOLuitur quæſtio de Infinito.

P*ERSPICVVM eſt autem, &c.* Initio capitis aſſumit iterũ Ariſt. rationes, quæ probare videtur infinitum eſſe. Prima eſt: quia tempus haberet principium, & finẽ. 2. quia magnitudo non poterit diuidi in infinitum. 3. quia non erit numerus infinitus. Has itaque rationes repetit, vt clarius conſtet ſententia, quam de hac re proponere intendit: docet enim velle ſeipſũ conſtituere iudicem arbitrũ ad hãc quæſt. in vtramq. partem diſputatam definiẽdam; ſed, id vt præſtet, duas aſſũmit hypotheſes.

Dicitur quidẽ, &c. Prima hypotheſis. Quæ ſunt, alia ſunt in potentia; & alia actu. 2. hypotheſis. Infinitum aliud eſt additione, & aliud detractione. His poſitis diluit quæſt. dicens, nõ dari infinitum actu, vt dictum eſt, dari tamen infinitum ſecũdum diuiſionem, & in potentia.

Sed quod eſſe poteſt, &c. Obſeruat, dari infinitum in potentia, non eſſe ita accipiẽdum, vt id, quod modo potẽtia eſt infinitum, poſtea ſit actu infinitum, qua ratione lignum, quod poteſtate eſt ſtatua, poſtea actu eſt ſtatua; ſed dicitur infinitum in potẽtia eſſe; non, quia ſimul ſint omnes eius partes; ſed quia aliæ aliis ſuccedunt, abſq. eo quod ad vltimam deueniamus; quemadmodum dicitur eſſe dies, & certamen: in die enim, & certamine ſemper eſt aliquid actu, & aliquid quod eſſe poſſit. Ludi enim olympici eſſe dicuntur, quod actu ſit aliqua pars certaminis, & poſſit eſſe alia.

Aliter vero infinitas, &c. Confert infinitatem temporis, & generationis cum infinitate magnitudinis, & docet cõuenire: quia in quouis ex iſtis licet ſemper aliud, atq. aliud ſumere, & quod in iſtis ſumitur, ſemper eſt finitũ; poteſt tamen ſumi abſq fine: differunt vero; quia partes magnitudinis permanent: generationes vero, & partes temporis intereunt, & non permanent omnes ſimul. Permiſcentur in cõtextu illa verba *quoniamq; eſſe aliquid, &c.* vſque ad illa verba, *hoc tamen intereſt*, excluſiue, quæ verba non ſunt Ariſto. ſed ab alio addita, vt obſeruant Philoponus, Simplicius, & Alexãder; ac proinde ommittuntur à Vicomercato, & à Conimbricẽſibus, qui illius ſequũtur verſionẽ. Cõſulatur Vicomercatus copioſe de hac re diſputans, & & volens nulla ratione hæc

verba

verba eſſe modo inſerenda:
quia textum perturbant, &
& ad rem non attinent.

Quod autem adiectione, &c. Cõ
fert infinitum diuiſione cum
infinito detractione dicẽs, li
cet differant; quia infinito ſe
cundum detractionem detra
hitur ſemper alia & alia pars,
& infinito ſecundũ addictio
nem additur ſemper alia, &
alia pars; conueniunt tamen
quodammodo, ideſt ſecundũ
proportionalitatem: quia ſi-
cut dicitur infinitum detra-
ctione ex eo, quod detracta
quauis parte, poteſt detrahi
alia; ita dicitur infinitum ad-
ditione ex eo, quod addita
quauis parte, poteſt addi alia

In certa enim & finita, &c. Ex
plicat iã qua ratione debeat
diuidi magnitudo, vt eius di-
uiſio in infinitum progredia
tur dicens, ſi à magnitudine
finita aliquis accipiat partẽ
determinatam; & deinde aliã
certam ſed non illi ęqualem,
ſed minorẽ; & ſic de cæteris,
numquam abſumet magnitu
dinem infinitam: ſi vero ſem
per ſumat partes cum prima
æquales, tandem abſumet ma-
gnitudinem finitã; quia om-
ne finitum per detractionẽ
partium determinatarũ ab
ſumitur. Totus hic textus
hunc reddit ſenſum. Quæuis
magnitudo finita habet par-
tes proportionales infinitas,
& partes æquales determina
tas: quia per detractionẽ par
tium determinatarũ, & cer-
tæ magnitudinis, ſtatim abſu
mitur, verbi gratia vlna, ſi ſu
matur ſecundum partes de-
terminatas, vnius ſcilicet pal
mi, ſtatim abſumetur: nã de-
tractis. 4. partibus nihil vlnæ
manebit; ſi vero ſumatur ſe-
cundum partes proportiona
les, ideſt ſemper ſecũdũ par-
tes minores, ſeruantes tamẽ
inter ſe proportionem, pote
rit diuidi in infinitũ: vt ſi di-
uidatur in duas partes duo-
rum palmorum, rurſus pars
duorũ palmorũ in duos pal-
mos, rurſus palmus in duas
dimidietates; & ſic in infini-
tum. Sed de his fuſius ſuo lo-
co dicemus.

Et alio quidem modo, &c. Colli
git, ſolum dari poſſe infinitũ
poteſtate, ideſt detractione,
& additione; hoc tamen poſ-
ſe aliquo modo dici infinitũ
actu, ſicut dies dicitur eſſe a-
ctu; non, quia totus ſit ſimul;
ſed quia actu eſt aliqua pars
diei, & deinde ſuccedit alia:
ſimiliter in Ludo. Dicitur e-
tiam infinitum eſſe in poten
tia, quemadmodum materia
prima; quia, vt materia pri-
ma ita habet vnam formam,
vt poſsit alias habere; ita infi
nitum ita habet vnam partẽ,

vt

vt alias in potẽtia contineat.

Adiectione igitur,&c. Conſtituit inter infinitum diuiſione, & additione hoc diſcrimẽ. In infinito diuiſione quauis magnitudine data; poteſt dari alia minor: at in infinito additione nõ poteſt dari maior magnitudo quauis data. Ratio eſt: quia quauis parte minima data; cum ſit diuiſsibilis, poteſt dari alia minor; at, cum infinitum additione, fiat ex detractione partiũ alterius magnitudinis, data magnitudine æquali cum illa, ex qua fit detractio, & alteri additio, non poteſt magnitudo illa, cui partes adduntur, fieri maior. Quare fieri non poteſt vt detur huiuſmodi infinitum additione, niſi conſtituamus infinitum aliquod exiſtens vt accidẽs quoddam, vt conſtituebant Phyſici corpus quoddam extra cœlum, à cuius partium detractione conſtitueretur infinitum ſecundum additionem: cum vero hoc infinitum actu eſſe nõ poſsit, nequit dari infinitum additione. Addit tamen hæc verba. *Niſi id quod dictum eſt, cõtra ac diuiſione fiat*, quæ verba ita debent exponi. Nõ datur infinitum additione, niſi fiat additio ſecundũ partes proportionales, ſecundum quas fit etiam diuiſio, vt continuũ ſit diuiſibile in infinitum.

Nam & Plato, &c. In fine ca. ſuarũ ſententiam exẽplo Platonis confirmat: Plato enim duo fecit infinita, ſcilicet magnum, ideſt infinitũ additione; & paruum, ideſt infinitũ detractione. Reprehenſione tamẽ dignum eſſe Platonem obſeruat, eo quod, cum rerũ principia numeros fecerit, nec vſus fuerit infinito additione, aut detractione: in numeris enim non fecit infinitum detractione; quia tandẽ, inquit, deueniemus ad binarium, quo non poteſt minor numerus inueniri: neque fecit infinitum additione; quia vltra numerũ denariũ exiſtimauit Plato vlterius in numeris minime progredi poſſe.

CAP. VII. QVID SIT INFINITVM.

SED infinitus contra, &c. Tractat in hoc ca. Ariſt. quæſt. quid ſit infinitũ; ac in principio docet, infinitũ non eſſe definiẽdum eo modo, quo veteres illud definiebant: non

Enim recte ita definitur, id, cuius nihil eſt extra, & prætera, id cui nihil deficit; ſed definiri rectius debuiſſet, id, cuius ſemper aliquid extra eſt. Deſcriptioné à ſextra dictam rectam eſſe oſtẽdit ex cõmuni loquendi modo, appellans infinitos annullos illos, qui pálacaréc: quia, cũ rotundi ſint omnino, quauis accepta parte illorũ reſtat alia accipienda; ſed non appellantur accommodata ſimilitudine infiniti: quia in infinito ſemper alia pars, quæ ſumitur, debet eſſe diuerſa, quod non contingit in annulo: id enim eſt infinitum, in quo, accepta quauis parte ſecũdum quantitaté, reſtat alia diuerſa ab omnibus acceptis.

Cuius autem, &c. Impugnat veterũ deſcriptionem ex eo, quod conuenit toti: nam id, extra cuius nihil accipi poteſt, totum eſt, & perfectum; ſic enim definitur totum. Id, cui nulla pars deeſt. Vt enim, ſubdit, definimus quodlibet totũ; ita debemus definire id, quod eſt proprie totũ, nempe vniuerſum, ideſt mũdum: definitur enim id, extra quod nihil eſt: nam id, cui aliquid deeſt, non eſt vere totum. Totum enim, & perfectum aut ſunt vnum, & idem; aut vnius natura parum ab alterius natura deſtat: vndé concludit propoſitam definitionem nõ conuenire infinito; quia nullum eſt perfectum, quod nõ habeat finem; & cum finis ſit terminus rei, quod eſt perfectum terminatũ eſt; & conſequenter nequit eſſe infinitũ.

Itaq; verior Parmenidis, &c. Iudicat ſententiam Parmenidis veriorem ſententia Meliſsi. Meliſſus enim exiſtimauit, vniuerſum, quod perfectũ eſt, eſſe infinitum: Parmenides vero finitum, & æque à medio diſtãs. Subdit deinde, nõ enim ſicut linum lino nectitur: ſic cum toto, & vniuerſo id, quod infinitum eſt coniũgi poteſt. Veteri prouerbio dici conſueuit, linum lino nectitur: vt explicarent veteres ea, quæ apta erãt inter ſe cohærere; quia linum aptum certe eſt, vt lino cõiungatur.

Hinc enim ſplendidũ, &c. Hinc ſũpta occaſione, veteres Philoſophos ſumpſiſſe illud præclarum elogium docet, ſcilicet infinitum omnia ſuo ambitu, & amplexu continere; propterea quod ſimilitudine quadam ad mundũ, & vniuerſum, infinitum accedere videatur. Infinitum enim ſe habet veluti materia; quia eſt totũ in potentia quemadmodum & materia; nõ enim eſt actu ſed poteſt dari tam ſecũ

dum additionem, quam ſecũ dum detractionẽ: dicitur vero infinitum totum & perfectum ratione alterius, quem admodum & materia, quę cũ ſit pars, & imperfecta, fit actu totum, & perfecta ratione formæ: quare infinitũ qua ex parte infinitum eſt nõ cõtinet, ſed continetur; quemadmodum materia.

Itaq́ ſcientia & cognitione, &c. Ex eo quod dixit, ſcilicet infinitum eſſe ſimile materiæ, colligit, non poſſe cognoſci ea ex parte, qua infinitũ eſt: quia materia, cum ſit informis, & ex ſe omni actu deſtituta, effugit cognitionem; cum omne, quod cognoſcitur, ſub ratione actus percipiatur. Quare infinitũ reponi debet inter partes; nomen enim totius non meretur; nam materia pars eſt: vt æs eſt pars ſtatuæ æneæ.

Nã ſi in rebus, &c. Addit hæc, quę ſequũtur. Si in rebus ſenſibilibus infinitum continet omnia; ergo in rebus, quæ intelligẽtia concipiũtur, quod infinitũ eſt, ſcilicet magnũ, & paruum reliqua cõplectetur, quod eſſe non poteſt; quia infinitum incognitum eſt, & interminatum: illa vero, quæ mente cõcipiuntur, terminata ſunt, & finita: imo cauſa cognitionis; quod vero interminatum eſt, & incognitum, non poteſt continere, & definire alia. His verbis impugnat Platonis ſententiam conſtituentis magnũ, & paruum eſſe infinitum, & omnia complecti tam in rebus ſenſibilibus quam in ideis.

Atq́ etiam, &c. Ex definitione infiniti à ſe tradita infert cõſentaneum eſſe, infinitum additione non ſuperare quã uis magnitudinem finitam: infinitum vero detractione excedere paruitate quamuis magnitudinem finitam.

Continetur enim, &c. Probat magnitudinem non poſſe in infinitũ augeri ex eo quod, cum magnitudo ſit vt materia, cõtinetur. Forma autem cõtinet. Dicitur enim infinitum detractione vt materia, & infinitum additione vt forma: quia per diuiſionem res progreditur ad imperfectionem, & ad non eſſe, quorum radix eſt materia; per additionem vero accedit ad maiorem perfectionẽ, cuius radix, & principium eſt forma. Ita Auerroes hic.

Conſentaneum etiam, &c. Monet aliter ſe habere infinitatem in numeris, vt in magnitudinibus: nã in numeris per diuiſionem, reperitur finis, per additionẽ minime, in magnitudinibus vero cõtrario

modo res ſe habet. Vnum enim, quod principium eſt numeri, diuidi nõ poteſt; numerus vero eſt multitudo vnitatum: quare cum deuētum eſt ad primam vnitatem, ſiſtendum eſt. Duo namque & tria ſunt nomina paronyma; cum duo denominētur à duabus vnitatibus, & tria à tribus, et ſic de cæteris numeris. Additione tamen numerus eſt infinitus: quia numerus fit ex diuiſione continui, quod infinitum eſt diuiſione ſecũdum partes proportionales, vt explicuimus: in numero enim data quauis vnitate, poteſt in ſuper alia ſumi. Subdit hæc verba. *Sed in duo diuiſionis numerus ſeparabilis non eſt, &c.* Quæ certe verba ita difficillima ſunt, vt à multis interpretibus intacta prætermittantur; hunc tamen reddũt ſenſum. Numerus hic nõ poteſt fieri abſque diuiſione continui: quia loquitur de numero, qui fit ex magnitudinib9; hic vero ſemper fit per diuiſionẽ magnitudinis in duas partes: non vero loquitur de numero ſeparato. *Nec infinitas manet, &c.* Id eſt non eſt actu infinitum, ſed eſt infinitum inſtar tẽporis & numeri. Temporis, id eſt motus: nam vt tempus & motus dicuntur eſſe actu, non quia actu ſint ſecundũ omnes partes, ſed quia habẽt actu vnã, aliæ ſuccedunt: ita infinitum hoc dicitur eſſe, quia habet actu aliquas partes, poteſt tamen plures habere abſque fine. In magnitudinibus autem contrario modo res ſe habet: nam quod continuũ eſt, poteſt diuidi in infinitũ, at non poteſt creſcere infinitum; quia omnes partes, quas habere poteſt, iam præexiſtunt actu in magnitudine illa, ex cuius partiũ detractione hoc continuum creſcit. Cum igitur nulla ſenſibilis magnitudo ſit actu infinita, fieri non poteſt, vt per additionẽ aliquid fiat maius quauis certa magnitudine: nam ſequeretur hoc abſurdum, ſcilicet aliquid eſſe maius cœlo.

Nec vero idem valet, &c. Infine cap. obſeruat, infinitum reperiri in motu, magnitudine, & tempore; non tamẽ eadem ratione: ſed ex his tribus, quod poſteri9 eſt, dicitur infinitum ratione prioris: vt motus dicitur infinitus ratione ſpatii, ſupra quod res mouetur, & ratione magnitudinis, quæ alteratur, vel accreſcit. Tempus vero dicitur infinitum propter motum, quia ſcilicet tempus, eſt duratio motus infiniti.

Concludit, ergo nunc hæc ita dicũtur; poſtea vero, idest 6 libro, docere conabimur, quid vnũquodque horũ ſit.

CAP. VIII. IN QVO SOLVVNTVR RATIONES, QVIBVS probauit 4. cap. infinitum eſſe.

EQVÆ vero Mathematici, &c. Initio ca. obſeruat ſententiam hãc, quæ non admittit infinitum, non aduerſari Mathematicis, qui ſupponũt aliquando lineas, & magnitudines infinitas: nam Mathematici non ſumunt infinitũ reipſa, & actu; ſed animi cogitatione, vt ſuas res explicent, inquit non ſolum non opus eſt illis linea infinita, ſed neq; linea maxima: nam omnes figuræ, quæ poſſunt fieri in magna magnitudine, poſſunt etiam fieri in parua.

Quoniam autem cauſæ, &c. Cũ genera cauſarum 4. ſint, docet Ariſt. infinitum reduci ad genus cauſæ materialis: infiniti enim in potentia ratio formalis conſiſtit in priuatione; quia formaliter denotat actum imperfectum, cum ſemper dicat ordinem ad vlteriorem diuiſionem: tum etiã, cũ priuatiõ non differat realiter a materia, quæ quid imperfectum eſt; vt diximus 1. lib. eſt tamen hoc infinitum ſi ſumatur ſecũdum rem, quid continuum, ac ſenſile: nam hoc eſt quod diuiditur, hacq. de cauſa veteres omnes infinitum ad materiã reducebant: quare non recte illi dicebant, infinitum continere omnia; potius enim dicere tenebantur, infinitum contineri, cum materia non contineat, ſed contineatur, & determinetur per formã.

Reſtat explicemus rationes, &c. Diſſoluit 5. rationes, quas capite 4. propoſuit; in ſolutionibus tamen non ſeruat ordinem, quem in proponẽdis rationibus obſeruauit. Ad tertiam igitur reſpondet, ex perpetua rerũ generatione non recte colligi dari infinitũ actu, ex quo res fiant: quia cum generatiõ vnius ſit corruptio alterius, ex materia, quæ erat ſub forma rei, quæ corrumpitur ſit res, quæ generatur.

Præterea contingere, &c. Quarta

tæ rationi reſpondet; nõ eſſe idem, corpus eſſe infinitum, & contingi; & finiri ab alio corpore; quia poteſt ſeipſo terminari, abſque eo quod aliud corpus illud contingat; vt patet in prima Sphæra. Quod enim tangit, inquit, eſt relatũ, id eſt dicit habitudinem ad illud, quod tangitur: finitũ vero eſt quid abſolutum, & non dicens ordinem ad extrinſecum; poteſt namque aliquid eſſe finitum, abſque eo quod contingat illud aliud corpus.

Abſurdum eſt autem, &c. Soluit 5. rationem dicens abſurdum eſſe rerum veritatem imaginatione metiri, cum ſæpe numero mente fingamus, quæ rebus ineſſe nequeunt.

Ac tempus quidem, &c. Tandem ſoluit 1. & 2. rationem dicens, tẽpus, & motum, & mẽtis cognitionẽ eſſe infinita, non ita, vt permaneant ſemper omnes illorũ partes; ſed, quia data quauis parte, in iſtis poteſt dari alia, & alia, nũquam tamen infinitæ ſimul. Magnitudo etiam numquam eſt actu infinita ſecũdum additionem, aut ſecundum detractionem, ſed ſolum in potentia. Concludit librum dicens, dictum eſt an, & quid ſit infinitum.

DISPVTATIO DE INFINITO.

Quæſtio I. An viribus naturæ poſſit dari infinitum.

Diuiſio quæſt. DIVIDITVR quæſt. in tres partes: prima proponemus obſeruationes; ſecũda, aſſertiones; tertia, ſatisfaciemus contrariis rationibus.

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Infinitũ dicitur id, quod fine & termino caret. Hoc autẽ multis modis ſumitur. Primo ſecundum perfectionem eſſentialem; qua ratione Deus eſt infinitus; circa quam rem conſulatur D. T. 1. p. q. 7. art. 1. conſulantur etiam ibidem ſcholaſtici doctores. 2. dicitur aliquid infinitum ſecundum potentiam actiuam; & ſic quidem ſolus Deus eſt infinitus, cũ ſit omni potentia, & omnipotentia: 3. dicitur infinitum ſecundum durationẽ; qua ratione Deus eſt infinitus, cum ſit æternus: Angeli etiam dicuntur infiniti, tum etiam corpora cœleſtia, & animæ rationales; nõ ita tamen a parte antè; cũ hæc omnia facta ſint a Deo in tempore, ſed a parte poſt, cũ fine careant. 4. dicitur aliquid infinitũ ſecũdũ quantitatem: & in hoc ſolũ ſenſu procedit quæſt. qua nunc inquirimus; ſic diſputatio de infinito pertineat ad Philoſophum naturalem; nam diſputare de infinito primo, & ſecũdo modo pertinet potius ad Metaphyſicum, & ad Theologum: quamuis diſputatio de infinito ſecundo modo etiã per-

tineat aliquo modo ad Philoſophum naturalem: & de illo diſputat Ariſt. 2. lib. Phyſic. eſt enim Deus cauſa efficiens rerũ naturalium. Præterea diſputatio de infinito ſumpto 3. modo pertinet tum ad Metaphy. tum ad Philoſophum naturalem: ad Metaphyſicum quidem, reſpectu Dei, & Angelorum: ad Philoſophum vero naturalem, reſpectu animæ rationalis, quæ etiam eſt natura; tum etiã reſpectu corporum cæleſtium, quæ etiam ſunt entia naturalia. Tandem diſputatio de infinito ſumpto 4. modo pertinet ad Philoſophũ naturalem; & hoc expreſſe docet Ariſt. cap. 4. his verbis. *Maxime autem Phyſici proprium eſt exquirere, ſit ne infinita, quæ ſub ſenſum cadat, magnitudo.*

Secunda obſeruatio. Infinitum. 4. modo ſumptum, 5. modis ſumitur ab Ariſt. in fine cap. 4. primo prout ſignificat id quod omni extenſione caret: vt punctum, & anima rationalis: & dicitur infinitum negatiue: quia neq. eſt finitum, neq. infinitum. Secundo ſignificat id, quod habet extenſionem omni termino carentem: vt ſi eſſet linea in infinitum protenſa. Tertio ſignificat id, quod habet finẽ, difficile tamen poteſt pertranſiri, eo quod tranſitum, habeat exitu inexplicabili. 4. ſignificat id quod poteſt habere terminum, illum tamen actu non habet: vt circulus. 5. denique id, cui poteſt addi abſq. fine; & appellatur infinitum additione: vel id cui poteſt detrahi abſque fine; & appellatur infinitum detractione, ſiue diuiſione: & infinitũ hoc 5. modo ſumptum dicitur infinitum in potentia. Quæſtio ergo procedit de infinito ſecundo modo, quod eſt infinitum actu; & de infinito. 5. modo, quod eſt infinitum in potentia.

Definitio Infiniti. Tertia obſeruatio. Infinitum deſcribitur ab Ariſt. cap. 7. ita Cuius, partes, accipientibus, ſemper reſtant plures accipiẽdæ. Quæ definitio, vt optime multi interpretes obſeruant, ſi diuerſimode intelligatur, conuenit tam infinito actu, quam infinito in potentia. Obſerua igitur partes in duplici eſſe differentia: aliæ enim ſunt proportionales; & aliæ determinatæ. Proportionales ſunt, quæ ſemper ſumuntur minores & minores, ſeruata tamen proportionalitate: ita, vt proportionem quã ſeruant inter ſe, & cum diuiſo, primæ partes in quas fit diuiſio, eandem ſeruent reliquæ: verbi gratia, quantitas. 8 palmorũ diuiditur in partes proportionales ita. Primo in duas partes æqualis magnitudinis, ſcilicet in duas partes, quarũ quæuis habeat. 4. palmos. Deinde altera pars 4. palmorũ diuiditur in duas partes, quarum quælibet habet duos palmos. Rurſus altera pars duorum palmorum diuiditur in duas partes quarũ quælibet eſt magnitudinis vnius palmi. Adhuc altera diuiditur in duas dimidietates, & ſic in infinitum. In his enim diuiſionibus ſemper partes eiuſdem diuiſionis inter ſe ſunt æquales, & ſeruat quæuis ex illis proportionem dimidij ad duplum cum toto diuiſo. *Partes proportionales.*

Partes determinatæ. Partes determinatæ ſunt; quæ certam habent magnitudinem: vt ſi diuidatur vlna in 4. partes vnius palmi: per hãc enim diuiſionem ſtatim abſumitur totũ diuiſum. Poſt hæc. Partes determinatæ; aliæ ſunt ſe communicantes: & aliæ non ſe communicantes. Verbi gratia. in ligno duorum palmorum duæ ſunt partes nõ ſe communicantes, quarum quæuis omnino eſt extra aliam. Vt ſi diuidatur prima ſui diuiſione in duos palmos, quæuis pars palmaris omnino eſt extra aliam. Aliæ vero ſunt partes determinatæ ſe communicantes: verbi gratia in eodem ligno duorum palmorum ſunt multæ partes vnius palmi ſe communicantes: quod intelligetur ita. Diuidatur lignũ hoc in duas partes, a principio ligni vſque ad medium detur pars vnius palmi: deinde diuidatur alia pars in duas partes æquales, a media parte primi palmi, vſque ad mediam partem alterius, in quem primo fuit facta diuiſio, reperitur altera pars vnius palmi, & ſic in infinitum; dummodo; quæuis addatur parti per nouam diuiſionem, tan- *Partes determinatæ aliæ ſe communicãt cæteræ aliæ non.*

tum

fieri detrahatur a præcedente. Si ergo definitio infiniti intelligatur de partibus determinatis non ſe communicantibus, conuenit infinito actu: ſi vero intelligatur de partibus proportionalibus, ſiue de partibus determinatis ſe cõmunicantibus, conuenit infinito in potentia. Ex dictis manet ſatis explicatum, qua ratione deſcriptio infiniti, ſuperius adducta conueniat infinito actu, & infinito in potentia. Manifeſtius etiam eſt ex dictis quæſtionis ſextæ.

IN SECVNDA parte quæſtionis ſit prima aſſertio. Datur infinitum in potentia; tam ſecundum additionem; quã ſecundum detractionem, id eſt, data quacumque magnitudine, poteſt dari alia maior: & dato quocumque numero, poteſt dari alter numerus maior ſemper tamen citra infinitum actu. Probatur primo aſſertio ex Ariſtotele, qui capite ſexto huius libri tertij ita habet. *Relinquitur ergo infinitatem eſſe ui & poteſtate.* Probatur ſecundo. Vt conſtat ex quæſtione ſecunda, capitis tertij, primi libri: res non viuentes carent termino magnitudinis & paruitatis ex natura ſua: ergo datur infinitum in potentia; tam ſecundum additionem: quam ſecundum detractionem. Probatur conſequentia: quia accretio ſit in illis per additionem; & decretio & paruitas per partium detractionem: conſulatur enim quæſtio citata, quia non parum conducit ad exactam huius concluſionis cognitionem. Probatur tertio. Et efficaciſsime de infinito detractione, & numerorum de infinito ſecundum additionem eta eſt certa, & probant illam ſenſita, quæ diximus quæſtio citata: præſertim illud Ariſt. *Nam ignis quidem accretio in infinitum progreditur, &c.* Ratio ergo ita habet. Datur continuum: ergo datur infinitum in potentia ſecundum diuiſionem. Probatur conſequentia. Omne continuũ eſt diuiſibile; ergo omne continuum eſt diuiſibile in infinitum. Probatur conſequentia. Omne continuũ diuiditur in partes continuas, ſiue extenſas; ſed quæuis pars continua eſt diuiſibilis; ergo omne continuum eſt diuiſibile in partes: ergo, omne cõtinuum erit diuiſibile in partes diuiſibiles: ergo cũ partes cuiuſuis diuiſionis continui ſint continuæ & diuiſibiles numquam poterit fieri vltima diuiſio in continuo: quare, a primo ad vltimum, manet probata prima conſequentia, ſcilicet: ergo datur infinitum in potentia ſecundum diuiſionem. Quod vero, quæuis pars continua debeat neceſſario eſſe diuiſibilis in partes continuas & extenſas, manifeſtum eſt: quia ſi minus ſequeretur inde hoc maximum abſurdum, ſcilicet id quod continuum eſt, & extenſionem habet, componi ex inextenſis, & indiuiſibilibus. Hoc vero eſſe abſurdũ, probatur ita. Quæ indiuiſibilia ſunt, in tali genere nullam habent extenſionem (dixi in tali genere, ſiue iuxta talem rationem formalem: nam ſecundum aliam rationem formalem, quod eſt indiuiſibile, poteſt habere extenſionem: verbi gratia linea eſt indiuiſibilis ſecundum latitudinem; & nihiloſecius diuiſibilis eſt ſecundum longitudinem.) ſed quæ nullã habẽt extenſionem, non poſſunt componere extenſum & diuiſibile; ergo indiuiſibilia non poſſunt componere extenſum & diuiſibile. Probatur minor: quia quemadmodum ſi coniungamus omnia ſubiecta deſtituta albedine non efficient ſubiectum album: quia illa ſubiecta albedine carent: ita, ſi coniungantur omnia indiuiſibilia, non efficient ſubiectum extenſum: cum indiuiſibilia extenſione careant, & nullam habeant partium [illegible].

Nõ datur infinitum actu.

Secũda aſſertio. A parte rei non datur infinitum actu ſecundum quantitatem. Hanc docuit Ariſt. ca. 5. & probauit multis, & egregiis rationibus, modo vero hac vnica probatur, ſupponendo prius, extra primum cœlum nihil eſſe, quod certiſsimum eſt. Ratio igitur ita habet. Nulla quãtitas cui poteſt fieri additio eſt infi

nita

nita actu; ſed cuicumq. quantitati ex his, quæ modo ſunt, poteſt fieri additio: ergo modo nulla datur quantitas actu infinita. Probatur minor. Imprimis de quantitate continua: quia certum eſt poſſe Deum extra cœlum aliquod corpus creare, & hunc mundum augere: & conſequenter poteſt fieri additio cuicumque corpori, ex his, quæ modo ſunt de facto. Deinde de quantitate diſcreta probatur primo: quia vnitates, quæ ſunt intra ſpatium finitum, neceſſario debent eſſe finitæ ſecundum numerum, cum quæuis illarum ſit corpus, & corpora infinita nequeant a finito ſpatio contineri: quare poterit illis fieri additio. Probatur ſecundo: quia quæuis vnitas quantitatiua eſt quantitas continua, & conſequenter poteſt in alias diuidi: quare poſſunt eſſe plures, & poteſt fieri additio cuicumq. quantitati diſcretæ.

Viribus naturæ non poteſt dari infinitum actu. Tertia aſſertio. Viribus naturæ non poteſt dari infinitum actu. Probatur primo: quia naturæ vires ſunt finitæ virtutis: quare nequeunt efficere infinitum actu. Probatur ſecundo: quia ſi viribus naturæ poſſit dari infinitum actu, vel illud eſſet extra cœlum, vel ſub cœli ambitu: ſed non extra cœlum, quia ibi cum ſit mere nihil, viribus naturæ nihil poteſt effici, cum natura ex nihilo nihil faciat: neq. ſub cœli ambitu; quia hic finitus eſt, & determinatæ magnitudinis, ſub quo nec poteſt dari infinitum actu continuum, vt eſt magnitudo: nec diſcretum, quale eſt numerus [illegible] ſuperiori aſſert.

IN TERTIA parte quæſt. dices primo in primam aſſertio. Mundus habuit principium iuxta Catholicam fidem, & habebit finem: ergo non poteſt dari numerus qui potentia ſit infinitus, verbi gratia hominum, aut leonum, aut aliarum rerum. Reſpondemus diſtinguendo conſequens. Per accidens, concedimus: per ſe, negamus conſequentiam. Nos vero dicemus per ſe, & ex natura rei dari infinitum in potentia. Quemadmodum etiam ignis poteſt ex ſe creſcere in infinitum, cum tamen actu creſcit per accidens eſt finita, ſcilicet ob defectum combuſtibilium, vel ob defectum ſpatii.

Dices in ſecundam aſſertio. Poſito ſubiecto actu, ponuntur etiam actu illius proprietates: ſed finitum, & infinitum ſunt proprietates quantitatis: ergo poſita quantitate actu, erit etiam actu finitum, & infinitum: ergo, cum ſit à parte rei quantitas, etiam à parte rei erit finitum, & infinitum ſecundum quantitatem. Reſpondemus finitum & infinitum poſſe ſumi dupliciter; ſcilicet abſolute & in potentia, ſiue conditionate. Si ergo finitum & infinitum ſumantur abſolute & actu, negamus minorem: nam infinitum non eſt proprietas quantitatis, imo proprium eſt cuiuslibet quantitatis eſſe actu finitam. Si vero finitum & infinitum ſumantur conditionate, proprietates ſunt quantitatis: quia quemadmodum hæc affectio, ſcilicet eſſe finitum, propria eſt quantitati, ita etiam hæc affectio, ſcilicet eſſe infinitum, ſi eſſet actu; propria etiam eſſet quantitatis. Sed dicas. Poten- 1.
tia Dei eſt infinita: ergo eſt aliquis effectus infinitus ab illa productus: ſed talis effectus non poteſt eſſe infinitus ſecundum perfectionem: ergo eſt infinitus ſecundum quantitatem: ergo datur infinitum actu ſecundum quantitatem. Reſpondemus negando primam conſequentiam: quia, ex eo quod potentia diuina ſit infinita, non ſequitur produxiſſe aliquod infinitum actu, ſed tantum ſequitur, poſſe ab illo produci effectum actu infinitum, vt q. ſequenti dicemus. Colligitur tamen a nobis infinitas potentiæ diuinæ ex modo operandi: quia Deus producit res ex nihilo: tum etiam, quia nunquam poteſt diuina potentia exhauriri, ſed data quauis magnitudine, ſiue multitudine, tam molis, quam perfectionis, poteſt fieri a Deo alia maior, & perfectior (vt tradidimus quæſtione prima de maximo & minimo, in ſecunda parte ex D. Thoma) ſemper tamen intra infinitum actu: vt magis conſtabit q. ſequenti.
Sed dices. Extra cœlum eſt ſpatium actu infinit- 2.

infinitum: ergo datur infinitum actu. Reſpondemus negando antecedens: quia extra cœlum non eſt aliud, ſed mere nihil, ita, vt ſi aliquis in vltima cœli parte conſtitutus vellet extra cœlum porrigere manum, minime poſſet: non quia ibi ſit aliquod corpus, quod tali actioni eſſet impedimento: ſed quia extra cœlum nec reperitur corpus, nec ſpatium, ſed mere nihil.

Dices ſecundo. Continuum eſt diuiſibile in infinitum: ergo datur infinitum actu. Probatur conſequentia. Omnes partes, in quas poteſt actu diuidi continuum, actu ſunt in continuo: ſed poteſt diuidi in partes infinitas: ergo in continuo ſunt actu partes infinitæ: ergo datur infinitum actu. Reſpondemus negando conſequentiam. Probationi diſtinguendo minorem potentia, concedimus: actu, negamus minorem. Continuum enim diuiſibile eſt in infinitum: quia facta quacumque diuiſione, rurſus quæuis pars poteſt vlterius diuidi, cum ſit continua: numquam tamen diuiſio erit acta in infinitum: ac proinde, licet ſint in continuo omnes partes, in quas poteſt diuidi, non inde ſequitur eſſe partes infinitas: tum quia, vt diximus, numquam poteſt fieri diuiſio continui ſecundum omnes ſuas partes: tum etiam, quia partes, in quas fit diuiſio continui, non ſunt actu diuiſæ. Imo in diuiſione continui ſecundum partes proportionales ſemper fit repetitio eiuſdem partis: & eadem, quæ eſt altera pars diuiſi ſecundum primam diuiſionem, eſt, quæ diuidi poteſt ab ſque fine.

Dices in vltimam aſſertio. A parte rei datur infinitum in potentia tam additione quam detractione: ergo viribus naturæ poteſt dari infinitum actu a parte rei. Probatur conſequentia. Illa potentia eſt a parte rei in rebus naturalibus: ergo cum nulla potentia naturalis ſit fruſtra, poterit a parte rei dari infinitum actu. Reſpondemus negando conſequentiam. Probationi explicando antecedens: dicitur enim dari potentia infinitum additione, & detractione: non quia ſit potentia in rebus naturalibus ad hoc vt fiat illis actu infinita additio, aut fiat in illis infinita detractio, ratione quarum ſit actu infinitum ſecundum multitudinem, aut magnitudinem: ſed quia quanto vt quantum eſt, non repugnat vt ſit maius, & maius: ſemper tamen citra infinitum: neque repugnat, vt facta quacumque diuiſione, vlterius poſſit diuidi: ſemper tamen citra infinitum. Quod certe non obſcure ſignificauit Ariſt. cap. 6. poſtquam enim ita ſcripſit. *Relinquitur ergo infinitatem eſſe in potestate* Subdit quæ ſequuntur. *Sed quod eſſe poteſt, non ita accipiendum eſt, ut ſi hoc ſtatua eſſe poſſit, quod etiam aliquando ſtatua erit: ſic infinitum aliquod, quaſi reipſa ſit futurum.* Sed dices. Ex Ariſt. mundus fuit ab æterno: ergo a parte rei datur actu infinita multitudo. Reſpondemus, hoc argumentum nihil concludere contra nos, qui fide Catholica credimus, mundum factum fuiſſe a Deo in tempore. Quid tamen ſentiendum ſit in doctrina Ariſt. dicemus 8. lib. Phyſ.

QVAESTIO II.

Vtrum per aliquam potentiam poſſit dari infinitum actu.

DIVIDITVR quæſt. in 3. partes. Prima, breuiter explicabimus quæſt. titulum, & dicemus, quæ certa ſunt. In ſecunda proponemus aſſertiones. In tertia contrariam ſententiam, illiuſque difficillimis argumentis ſatisfaciemus. *Diuiſio quæſt.*

IN PRIMA parte quæſt. ſit obſeruatio. Quæſtio procedit de potentia Dei abſoluta, de qua diximus quid ſit q. 1. de maximo & minimo obiectu. 2. & in 2. p. diſputationis principi. q. 3. & latius li. 2. in 3. p. diſputationis de cauſis quæſt. vlt. dubitatione vlt. in principio. Loquimur etiam in hac q. de infinito quantitatiuo,

non ſecundum durationem, ſed ſecundum magnitudinem, & ſecūdum multitudinē.

In hac quæſtione vtcunque ſupponendū eſt, nihil, poſſe eſſe actu infinitum ſecundū perfectionem eſſentialem, præter Deū optimum maximum. Ratio eſt clara, quia ſcilicet impoſsibile eſt, infinitum ſecundū perfectionem ab alio pēdere: nam eo ipſo quod aliquid ab alio pendet, debet neceſſario habere eſſe communicatum ab illo: cū ergo omnes creaturæ pendeant a Deo, omnes habent eſſe communicatum ab ipſo Deo. Quare, ſi eſſet aliqua creatura infinita ſecundum perfectionem eſſentialē, vel haberet eſſe æquè perfectum cum ipſo Deo, quod nullo modo eſſe poteſt; quia talis res non eſſet creatura ſed Deus: vel nō haberet eſſe æque perfectum, & conſequēter tale eſſe, non eſſet infinitum; cum illi deeſſet perfectio. Quare certum eſt, quod ſuppoſuimus. Hic adde, omnem creaturā eſſe a Deo: imo creatura definitur, ens participatum a Deo: cum ergo eſſe ab alio, ſit imperfectio, impoſsibile eſt, creaturam aliquam eſſe infinite perfectam.

Secūdo certum eſt, in eſſentialiter ſubordinatis non poſſe dari infinitum actu: ſiue ſubordinata ſe habeant vt ſpecies eiuſdem generis: ſiue vt cauſæ. Ratio primi eſt: quia, cum nulla ſpecies ſit eiuſdem perfectionis eſſentialis cū alia, ſed vel magis, vel minus perfecta, vt patet in numeris; ſi eſſent infinitæ ſpecies ſub eodem genere, neceſſario, quæ cæteras perfectione ſuperaret, eſſet infinita ſecundum perfectionem eſſentialem. Quare immerito quidem, quidam iuniores Philoſophi docentes vnumquodque indiuiduum qua tale eſt, habere eſſentiam, & illam eſſe magis, vel minus perfectam eſſentia cuiuſuis alterius indiuidui eiuſdem ſpeciei, docent ſimul, dubium eſſe, an in indiuiduis eiuſdē ſpeciei poſsit dari infinitum actu: quia, ſi indiuidua ſe habent modo explicato, vt re vera ſe habent, pari paſſu currunt cum ſpeciebus. Præterea in cauſis ſubordinatis non poteſt dari infinitum actu ſecundum numerum, vt docet Ariſto. 2. Metaph. c. 2. huius rei ratio eſt: quia ſi eſſent infinitæ ſecundum numerum, cauſæ ſubordinatæ agerent tempore infinito ac cōſequenter, numquam adueniret effectum, quod eſt abſurdum.

Tertio ſupponunt multi cum D. Tho. & Caiet. 1. p. q. 7. art. 3. in corpore, aliud eſſe infinitum ſecundum quantitatem, & aliud infinitum ſecūdum eſſentiam; nam, etſi per poſsibile, vel impoſsibile, eſſet corpus magnitudinis infinitæ, illud tamē finitum eſſet ſecundum eſſentiam, cum eſſet compoſitum ex genere & differentia, & pertineret ad aliquam ex decem Categoriis. Id etiam confirmant, quia quantitas decem palmorum, verbi gratia, eſt æqualis perfectionis cum quantitate mille palmorum; ergo etiam erit æqualis perfectionis cum quantitate infinita, ſi talis quantitas eſſet. Vt tamen libere dicam, quod ſentio, licet doctrina hæc ab omnibus admittatur; tamen aut non eſt vera, aut non attinet ad præſens inſtitutum. Imprimis non eſſe veram ita oſtendo. Omne ens, vel dicit eſſentiam, vel exiſtentiam: ſed ſi eſſet infinitum ſecundum quantitatem, illud eſſet ens; ergo vel diceret eſſentiam, vel exiſtentiam: ſed non diceret exiſtentiam: ergo diceret eſſentiam: ergo eſſet infinitum ſecundum eſſentiam. Probatur vltima minor. Quia id tantum dicitur infinitum ſecundum exiſtentiam, quod eſt extra ſuam cauſam duratione infinitum: tale autem corpus, ſi eſſet, abſque eo quod perpetuo duraret, haberet infinitam extenſionem. Id idem probo ſecundo. Si eſſet albedo intenſa in infinitū, eſſet infinita ſecundum eſſentiam, & perfectionem eſſentialem; ergo ſi eſſet quantitas in infinitū extenſa, eſſet etiam infinita ſecundum eſſentiam. Probatur conſequentia: quia, vt ſe habent gradus, & intenſio reſpectu albedinis, ita extenſio, & partium latitudo reſpectu quantitatis. Antecedens ita confirmo. Omne infinitū (vt omnes admittunt); vel eſt ſecundum eſſentiam; vel ſecundum

quan-

quantitatem: ſed albedo in infinitum intēſa, non eſſet infinita ſecundum quantitatem: ergo eſſet infinita ſecundū eſſentiam. Dixi ut omnes admitterēt; quia exiſtimo, omne infinitum ſecundum quantitatem, eſſe infinitum ſecundum eſſentiam; quod certe aliquantulum ſuadent ſuperiores rationes; tum etiam & hæc alia, quia ſcilicet hoc attributum ens, ut eſſentiam ſignificat, tranſcendens eſt, & omnia complectitur: ergo & quantitatem; ſin minus quantitas non eſſet ens.

Si vero pro communi ſententia reſpondeas, illam intelligēdam eſſe de eſſentia Metaphyſica; nō vero de eſſentia, atq. entitate Phyſica: doctrina hæc non pertinet ad præſens inſtitutum: nam certum eſt apud omnes, rerum omniū eſſentias Metaphyſicas, quæ a genere, & certa differentia ſumuntur, conſiſtere in indiuiſibili. Quare nulla eſt res, quæ poſſit incrementum ſuſcipere ſecundum eſſentiam Metaphyſicam: cum ex Ariſto. & ex communi Philoſophorum conſenſu, eo ipſo quod eſſentiæ additur aliqua pars, vel ab ipſa detrahitur quantumuis minutiſſima, omnino res variatur. Quare, quando inquirimus, an aliqua res poſſit eſſe infinita ſecundum eſſentiam, certe quærimus de eſſentia, & entitate Phyſica & non de Metaphyſica. Imo exiſtimo repugnare infinito, habere genus & differētiam. Quod ita oſtēdo. Quælibet pars infiniti eſt infinita: ergo ſi infinitum ſecundum eſſentiam conſtat ex genere, & differentia; cum genus & differentia ſint partes: genus, & differētia eſſent entia infinita ſecūdum eſſentiā: ſed hoc eſt maximum abſurdum: ergo illud, ex quo ſequitur. Probatur minor. In finito, in genere in quo eſt infinitum, nō poteſt fieri additio: ſed generi & differentiæ, ex quibus tale infinitum fieret, poteſt fieri additio ſecundum eſſentiam: ergo neque genus illud eſſet infinitum ſecūdum eſſentiam: neque ſimiliter illa differentia eſſet infinita ſecundum eſſentiam. Probatur minor, quia differentia ſpecifica, ſuperaddit perfectionem eſſentialē naturæ genericæ: & genus aliquā includit perfectionem, & entitatem eſſentialem, quam non includit differentia: cum ergo partes, ex quibus componeretur tale infinitum, ſcilicet genus & differentia, non eſſent infinitæ neceſſario aſſerendum eſt, non dari tale infinitum: quia quod componitur ex partibus finitis, finitū eſt: aut tale infinitum, ex huiuſmodi partibus nō poſſet componi. Sed de his, Deo fauente, forſan erit amplior occaſio.

Repugnat infinito componi ex genere & differentia.

Quarto certum eſt, ſeruata naturali diſpoſitione, non poſſe dari infinitum actu ſecundum magnitudinem, aut ſecundum multitudinem. Ratio eſt: quia, cum extra primum cœlum nihil ſit, ſpatium creatū, eſt finitum & certum: & cōſequenter, inter ſpatium naturale, non poteſt dari magnitudo infinita, nec multitudo infinita (loquor de quantitatiua) quia cū quælibet unitas quantitatiua ſit extenſa, unitates infinitæ nequeunt in ſpatio finito cōtineri.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Non poteſt dari magnitudo actu infinita: hanc tenent D. Tho. 1. p. q. 7. art. 3. ibidem Caietanus & quodlibeto 9. art. 1. & quodlibeto 12. art. 2. Durā. in primo diſtinct. 43. q. 2. licet illi diſpliceant rationes D. Th. & aliis rationibus confirmet ſententiam D. Bonauentura eodem primo, q. 3. Ricardus. q. 5. & 6. Scotus in ſecundo diſtinct. 1. q. 3. & alij multi ſcholaſtici Doctores. Ex recētioribus vero tenent etiam illam. Soto 3. Phyſ. q. 4. Ferrarienſis, q. 6. Villalpan q. ultima Toletus, q. 6. & 7. Valleſius controuerſia 22. Pererius lib. 10. cap. 11. Bañez & Zumel, 1. p. q. 7. art. 3. Conimbricenſes ſatis erudite 3. Phyſic. q. 2. de infinito & alij permulti, qui omnes innumeris certe & egregiis rationibus ſuam ſententiam confirmant: hos tamen aliquas tantum adducemus.

Eſt igitur prima ratio. Deus eſt omnipotens, & immutabilis: ergo eius potentia abſo-

abſoluta non poteſt dari infinitum actu. Probatur conſequentia. Potentia infinita & immutabilis poteſt dato quocunq. effectu vlterius operari: ergo potentia diuina poteſt cuicumque magnitudini addere partes de nouo: ergo non poteſt dari infinitum actu: quia infinito non poteſt fieri additio. Repugnat enim potentiam eſſe infinitam, & aliquando ita eſſe exhauſtã, vt non poſsit operari.

Probatur ſecundo. Omne ens eſt bonum & perfectum: imo omnis perfectio fundatur in entitate vt retulimus ex D. Tho. in quæſt. de cauſalitate finis: ergo ſi datur magnitudo finita, datur infinitum ſecundum perfectionem. Probatur conſequentia: infinitum actu ſecundum magnitudinem, habet infinitas partes determinatas non ſe communicantes: ſed quæuis pars determinata nõ ſe communicans habet diſtinctam entitatem a qualibet alia: ergo & diſtinctam perfectionem: ergo cũ partes ſint infinitæ omnes ſimul efficient perfectionem infinitam: ergo, ſi datur magnitudo actu, infinita, datur infinitum ſecundum perfectionem: quod certe eſt abſurdum. Eandem aſſertionem confirmant ſatis, quæ diximus ſupra, dum impugnauimus diuiſionem infiniti in infinitum ſecundum perfectionem, & ſecundum quãtitatem.

Secunda aſſertio. Nõ poteſt dari actu infinita multitudo quantitatiua. Hanc tenent fere omnes authores primæ aſſertionis: licet aliquibus ex illis diſpliceat. Probat vero illam egregie D. Tho. 1. p. q. 7. art. 4. Probatur etiã his rationibus. Dari actu infinitam multitudinem quantitatiuam implicat contradictionem; ergo nequit fieri de potentia abſoluta. Probatur antecedens. Rem eſſe abſque ſua eſſentia, implicat contradictionem: ſed ſi eſſet infinita multitudo quantitatiua, eſſet quantitas abſque ſua eſſentia: ergo implicat contradictionem. Probatur min. Quæuis vnitas quantitatiua eſt quantitas continua: ſed hæc poteſt diuidi in alias quantitates (quia de intrinſeca & eſſentiali ratione quantitatis continuæ, eſt eſſe extenſam & diuiſibilem) ergo quæuis vnitas quantitatiua poteſt diuidi in alias vnitates: tum ſic: ergo, ſi eſſet multitudo infinita, illę vnitates ex quibus conſtaret, poſſent diuidi, eo quod ſunt quantitates continuę: & nõ poſſent diuidi, eo quod ſunt vnitates numeri infiniti, cui non poteſt fieri additio: quare, eſſet implicatio contradictionis; ex eo quod eſſent diuiſibiles, & non eſſent diuiſibiles.

Secũda ratio. Quod per detractionem finiti manet finitum, ante detractionem finiti non erat infinitum: ſed ſit hæc multitudo infinita, quam imaginantur, per detractionem finiti maneret finita: ergo ante detractionem non eſt infinita, vt illi volunt. Probatur minor. Id, cui poteſt fieri additio, finitum eſt: ſed facta detractione vnius vnitatis ab illa multitudine, quam illi conſtituunt infinitã, multitudini, quæ maneret, poſſet fieri additio: ergo talis multitudo finita maneret. Probatur minor. Poteſt illi addi vnitas detracta: ergo poteſt illi fieri additio; ergo ante detractionem non erat infinitum.

IN TERTIA parte quæſt. Proponenda eſt contraria ſententia, quæ affirmat, de potentia abſoluta poſſe dari infinitum actu tam ſecũdum magnitudinem, quam ſecundum multitudinem. Hanc tenent Gregorius in 1. diſtin. 43. q. 4. & alij multi nominales, quæ ſententia firmiſsimis rationibus confirmatur: quare modo ſunt ſoluendæ.

Eſt igitur prima ratio. Potentia diuina eſt infinita; ſed infinitæ potẽtiæ debet correſpondere infinitus effectus: quia potentia agentis manifeſtatur per effectum: ergo debet dari aliquis effectus actu infinitus. Reſpon. cum D. Th. 1. p. q. 25. art. 2. ad 2. diſtinguendo minorem ita: in vniuocis, concedimus: in æquiuocis, negamus min. at Deus agens eſt æquiuocum. Quare concludit D. To. dicens, effectus diuinæ potentiæ ſemper eſt minor quam potentia:

tentia; nec inde ſequitur, illam potentiam eſſe fruſtra; imo, et ſi nullum effectum produceret, non eſſet fruſtra; quia diuina potentia non ordinatur ad effectum, tanquã in finem; ſed potius ipſa eſt finis effectuũ, quos producit. Reſpond. 2. cum eodem 1. p. q. 45 art. 5. ad 3. diſtinguendo min. ita: ſecundum modum, concedimus; ſecundũ rẽ, negamus min. Eſt ergo aliquis effectus productus a Deo infinitus ſecundum modum: quia fuit factus ex nihilo; tametſi, quia diuina potẽtia nequit exhauriri; ſed quouis effectu producto, poteſt producere alium maiorem, & perfectiorem.

Secunda ratio. Quidquid cognoſcit diuinus intellectus, poteſt diuina potentia efficere: ſed diuinus intellectus poteſt cognoſcere omnes partes continui, quæ ſũt infinitę actu ſeparabiles a continuo: ergo diuina potentia poteſt efficere illas ſeparatas: ergo poteſt dari infinita multitudo actu. Reſpõd. negando min. nã partes continui non poſſunt cognoſci omnes ſeparabiles a continuo; & ideo non poteſt diuina potentia efficere illas ſeparatas: implicat enim contradictionem, vt ſtatim dicemus. Admittimus enim cum D. Tho. 1. p. q. 14. art. 12. ad. 1. Deum cognoſcere infinitum ſimul, non tamen ita, vt cognoſcat partem poſt partem, & quaſi numerando. Sed dices. Poteſt Deus producere omnes partes, quæ ſunt in continuo, cõiunctas: ergo poteſt eaſdem producere ſeparatas, cum in partibus ſeparatis non reperiatur entitas, quæ non ſit in continuo. Reſpondemus negando conſequentiã: quia, partes continui non poſſe omnes eſſe ſeparatas, non repugnat ex parte entitatis, ſed ex parte modi aut rationis formalis entitatis, ſcilicet ex parte multitudinis. Conſiſtit autem contradictio in hoc, quod illæ partes ſimul eſſent diuiſibiles, cũ quęuis ex illis eſſet continua: & indiuiſibiles, cum non poſſit illis fieri additio: nã ſi poſſent diuidi, poſſet illis fieri additio ſecundum multitudinem, & conſequenter talis multitudo nõ eſſet infinita actu. Propter eandem rationem repugnat diuinum intellectum illas cognoſcere ſimul ſeparatas, & quaſi numerando.

Tertia ratio. Si Deus ageret ex neceſſitate naturæ, cum ſit potẽtiæ infinitæ, produceret infinitum actu: ergo modo libere agens, cum non ſit minoris potentiæ, poteſt etiam efficere infinitum actu. Reſpõd. negando antecedens: quia eodem argumẽto probari poſſet, Deum poſſe efficere infinitum ſecundum perfectionem eſſentialem (quod citra controuerſiã negant omnes) quia etiam eſt infinitæ potentiæ reſpectu perfectionis eſſentialis quam poteſt efficere, & producta quauis re, poteſt producere alterã perfectiorem ſecundum eſſentiam.

Quarta ratio. In quouis inſtanti horæ poteſt producere Deus vnum leonem; ſed in vna hora ſunt infinita inſtantia; ergo in illa poteſt producere infinitos leones. Reſpond. diſtinguendo maiorem ita: in quouis diſtributiue, concedimus; in quouis collectiue, negamus maiorẽ: nam licet in hoc & illo inſtãti poſſit producere leonem, in omnibus tamen, quæ ſunt in potentia, non poteſt producere leonem; tum quia in hora, niſi ſit actu diſcontinua a qualibet alia parte nullum inſtans reperitur actu continuans; tum ſecundo, quia inſtantia, quæ ſunt infinita in hora, non ſũt actu, ſed poſſibilia, ita vt numquam poſſint eſſe omnia ſimul, ſed ſucceſſiue, & quaſi numerando. Neque his obſtat, mundum potuiſſe produci ab æterno: quia licet potuiſſet ſecundum partes permanentes, minime ſuæ naturæ relictas; non tamen ſecundum partes ſucceſſiuas, vt 8. Phyſi. dicemus.

Sed de his hæc modo ſufficiant, quæ, ſicut omnia quæ diximus & dicemus, Romanæ Eccleſiæ ſubiecta eſſe volumus.

Finis tertij libri.

COMMENTARII VNA CVM QVAESTIONIBVS, IN QVARTVM LIBRVM Phyſicorum Ariſtotelis.

HIC quartus liber 14.cap. contentus, 3. continet partes, quarum prima, quæ eſt à cap. primo vſque ad 5. incluſiue, diſputat Ariſt. de loco. 2. quæ eſt a cap. 6. vſque ad 9. incluſiue, agit de vacuo, ſiue inani. 3. denique, quæ eſt a cap. 10. vſque ad 14. incluſiue, agit de tẽpore. Nos proinde hunc ordinem ſeruabimus hoc libro, vt abſoluta prima parte textus, quæſtiones quæ ex illa ortum habent proponamus; & idem præſtemus abſoluta 2. parte, & abſoluta 3.

CAP. I. IN QVO PERTRACTAT ARIST. in vtramque partem quæſtionem, an ſit locus.

Diſputate de loco pertinet ad Philo. naturalẽ.

VT AVTEM *infinitas, &c.* Initio cap. ſtatuit, diſputationem de loco negotium eſſe Philoſophi naturalis: quemadmodum, & diſputationem de infinito; præſertim ſecundũ illas quæſt. quibus inquiritur: an ſit locus: qualis ſit: & quid ſit. Præmittit modo quæſt. qualis ſit quæſtioni quid ſit contra ordinẽ pertractandi quæſtiones à ſe traditum in analyticis: quia ex quæſ. qualis ſit locus, ideſt ex affectionibus loci (ſic enim exponit Simplicius aliis interpretibus ommiſsis; qui etiã hoc, quod docemus, obſeruat) venari debet quid locus ſit. Probat Ariſt. quod docuit duabus rationibus. Prima eſt: quia ſecũdum omnes, omne quod eſt, eſt in aliquo loco; quare quod nullibi eſt tanquam in loco, non eſt: ſed vel intelligendus eſt Ariſt de reb9 corporeis, vel loquitur

ex

ex antiquorum ſententiis; ſin minus committit fallaciam: cum ex oppoſito antecedentis oppoſitum inferat conſequētis. Probat 2. quia motus localis, qui maxime communis eſt, & nimis proprius, fit per locum: quare diſputatio de loco pertinebit ad Philoſophum naturalem.

Diſputatio loci difficilis. *Sed magna eaq; varia, &c.* Loci diſputationem difficultatibus nō vacare oſtendit, primo: quia, qui de loco huc vſque diſſeruere, multum inter ſe diſcrepant. 2. quia veteres de loci natura nullū fere veſtigium reliquerunt, cui inſiſtere valeam⁹: imo potius de illo aut nihil in quæſtionem vocarunt, aut fere nihil ad illum pertinens inuenerunt.

Probat dari locū multis rationibus. *Ac locum quidem, &c.* Probat iam variis rationibus dari locum. Prima eſt. In corporib⁹ eſt alterna viciſsitudo: nā vbi pri⁹ erat aqua, illa quaſi ex vaſe pulſa, ſuccedit aer, dein de ſubſequitur aerem aliud corpus: quare hoc quod continet aliquid eſt, & diuerſum á corporibus in illo viciſsim contentis; cum in eodem, in quo antea erat aqua, fit modo aer. Vnde colligit receptaculum illud ita viciſsim recipiens corpora, quod quidem locus eſt, eſſe. & eſſe quid diuerſū á corporibus, quæ ſūt in loco.

Præterea motus etiam, &c. Secunda ratio, qua ſimul etiam probat locū habere vim quādam conſeruādi res, quæ ſūt in loco, ita habet. Id, in quod feruntur corpora naturalia, & Simplicia, & á quo veluti attrahuntur, nō ſolum eſt in rebus, ſed etiā vim talia corpora conſeruandi poſsidet: vt Simplicia, & naturalia corpora media naturali inclinatione; alia tēdunt ſurſum: vt leuia; & alia deorſum: vt grauia; & alia in alias differētias poſitionis: ergo in natura rerum non ſolum eſt locus, ſed etiam habet hic vim conſeruandi corpora locata, neque enim caſu, & prout res tulerit ſe habent poſitionis differentiæ; ſed locus ſuperior ille eſt, in quem leuia: vt ignis, & aer ferūtur; & inferior eſt ille, quem grauia: vt terra, & & aqua petūt. Hoc etiam explicant, inquit, mathematica corpora, quæ non ſunt in loco: quia tamen concipiuntur á nobis, ac ſi eſſent in loço, in illis apprehendimus ſitum, partes dextras, & ſiniſtras; ac ſi natura ſua hæc haberent: cum reuera illis careāt. Hāc confirmationem docent græci eſſe tertiam rationem; ſed hoc parum refert.

Præterea qui aliquid, &c. Proponit

ponit 3. rationem ex authoritate illorum, qui inane conſtituebant: nam, cum inane ſit locus corpore deſtitutus, qui conſtituunt inane, neceſſario locũ admiſſere. Ex his ergo perſpicere licet, locum diſtinctũ eſſe à corporibus, & omne corpus ſenſile (dixit ſenſile, vt excludat mathematicum) locũ occupare. Idem cõfirmat authoritate Heſiodi conſtituentis chaos nõ ſolum quaſi rudem, & indigeſtam molem; ſed etiam tamquam locum, & receptaculũ aliorum: hic enim, & alij multi exiſtimarunt omnia eſſe vbi, & in loco. Quare commẽdat Ariſt. locum dicens, in illo eſſe admirandam vim quãdam; cum loci vis digniſsima ſit, & cæteris vetuſtior: cum, locum abſq. aliis rebus prius extitiſſe, cætera vero ſine loco exiſtere non poſſe, à multis ex veteribus Philoſophis perhibeatur.

Probat al terã quaſ. partem. *Verum enim vero ſi eſt, &c.* Dubitãt interpretes quid in hac 2. cap. parte inſtituat Ariſt. Simplicius, Philoponus, & ex græcis alij multi volũt, inquirere Ariſt. quid ſit locus; rectius tamen ſentiunt Themiſtius, & D. Tho. quibus etiã ſubſcribit Vicomercatus, docentes Ariſt. tractare alterã quæſt. partem, ſcilicet locum non eſſe; ideq. probare ex eo quod difficile eſt, quid ſit locus, intelligere: proindeq. inquit Vicomercatus, Ariſt. modo ſecundo loco, & non ex præcipua intẽtione, quid locus ſit, ſcrutari. Id ergo probãt Ariſt. eſtq. prima eius ratio. Si locus eſſet, ille eſſet corpus; cum conſtet trina dimenſione: ſed locus non eſt corpus; quia eſſent duo corpora ſimul, & eſſet dimenſionum penetratio: ergo nõ datur locus.

Præterea ſi corporis, &c. Secũda ratio, qua ſimul infirmatur prima ratio in principio capi is poſita, ita habet. Si ex eo quod corpora viciſsim ſuccedunt, colligitur eſſe locum, ergo, cum etiam ſuccedãt indiuiſsibilia, ſcilicet pũctum, linea, & ſuperficies, etiam iſta erunt in loco: vbi enim prius erant indiuiſsibilia aquæ, modo ſunt indiuiſsibilia aeris; hæc vero non poſſunt eſſe in loco: quia locus etiam eſſet indiuiſsibilis, & duo indiuiſsibilia nequeunt eſſe ſimul. Quare ſicut indiuiſsibilium viciſsitudo non eſt ſufficiens ratio ad conſtituendum locum; ita nec corporum viciſsitudo.

Quidnam enim locus, &c. Tertia ratio. Si eſt locus, neceſſe eſt, illum habere magnitudinem;

nem;cum tamen vim habeat, id eſt cum ſit æqualis rei loca tæ:ſed non poteſt habere ma gnitudinem ; ergo non datur locus. Probatur minor : nam ſi haberet magnitudinẽ, aut eſſet elementum corporeum; vel cõſtans ex elemẽtis corpo reis, & ſic duo corpora eſsẽt ſimul, & ſe penetrarent ; aut eſſet elemẽtum incorporeũ, vel ex elementis in corporeis factum;hoc vero nequit conſtare : quia natura, & rerum vniuerſitas huiuſmodi elemẽ ta non continet.

Iam vero cui tandem, &c. Quarta ratio. Si locus eſſet, alicuius rei cauſa eſſet;ſed non eſt cau ſa,vt patet inducẽti per quatuor genera cauſarum ; ergo non datur locus.

Praeterea ſi in aliquo genere, &c. Quinta ratio eſt Zenonis, & ita habet. Omne quod eſt,eſt in loco:ergo ſi datur locus,lo cus erit in loco, & rurſus ille in alio,& ſic in infinitũ. Quare non datur locus.

Praeterea ſi quemadmodum omne, &c. Sexta. Omne corpus eſt in loco,& eſt æquale loco,ergo creſcentibus corporibus creſcet ſimul locus,quod videtur abſurdum ; cum locus ſit immobilis. Concludit caput dicens, his rationibus cogimur dubitare nõ ſolum quid ſit locus;ſed etiam an ſit.

CAPVT SECVNDVM. LOCVM NEQVE ESSE MATERIAM, NEQVE FORMAM.

Q*VONIAM autē quædam, &c.* Præmittit in principio Capitis hanc diuiſionẽ. Rerum, aliæ ſunt per ſe ; & aliæ per aliud : ſimiliter etiam locus duplex eſt:alter communis, qui continet omnia corpora,& dicitur per aliud ; & alter proprius,qui primo ambit rẽ:vt hic ſingularis homo dicatur eſſe in cœlo,tanquam in loco communi ; quia ambitur ab aere,& aer à cœlo : eſt vero tanquã in loco proprio in ſuperficie, aqua ſolus, & & immediate ambitur. Quare ſi locus eſt id,quod primo ambit vnũ quodq. corpus, locus certe erit extremitas. Hincque colligit, locũ videri formam,qua terminatur magnitudo, & materia magnitudinis,id eſt ſubſtantia magnitu

dine affecta: per magnitudinem enim, & per materiã non recte docuit Simplicius, idẽ eſſe intelligendum; neq. per magnitudinem intelligi debet concretum, vt Philopono placet: quia concretum non terminatur forma; ſed materia eſt, quæ forma teminatur. Docet inſuper, locum obtinere rationẽ materiæ; eo quod eſt dimẽſio magnitudinis, id eſt interualli, quod quidẽ æquale eſt magnitudini, ſicut & locus: vbi non loquitur de interuallo ſeparato, de quo dicemus. 2. parte huius lib. ſed de coniuncto, quod eſt trina rei dimenſio. Duplici autem de cauſa videtur interuallum eſſe materia. Prima eſt: quia ſicut materia eſt interminata, & terminatur per formã; ita interuallũ, & terminatur à ſuperficie. 2. eſt: quia, ſi ab ſphæra Aenea ſeparentur figura, & affectiones, nihil aliud quam interuallum videtur remanere: id autem, quod manet eſt materia; ac proinde interuallum videtur illis materia.

Itaque Plato, &c. Propter ſimilitudinem adductam docet, Platonem in Tymeo ſcripſiſſe, materiam, & receptaculum, ſiue locũ idem eſſe; quam quam in dogmatibus, quæ ab eo non fuerunt typis mandata, docuerit, materiam, & locum, ſiue receptaculum inter ſe non differre: ibi enim materiam, magnum & paruum nuncupauit. Veteres ergo omnes fere locum eſſe ſtatuerunt; quid tamen locus ſit, ſolus Plato conatus eſt oſtendere, licet verbis obſcuris: dicens, materiam eſſe locum ſiue receptaculum formarum, quibus verbis magis videtur explicaſſe quid ſit materia; quam quid ſi locus: ex his tamen, ſcilicet ex materia, & forma difficille admodum eſt perfecte cognoſcere quid ſit locus.

Veruntamen hoc facile, &c. Docet iã locũ nec eſſe materiã, nec eſſe formã, hocq. ita probat materia, & forma non poſſunt ſeparari manente re, cuius ſunt materia, & forma: ſed locus poteſt ſeparari; ergo locus nec eſt materia, nec forma. Probatur minor: quia in loco, in quo prius erat aqua, ſuccedit deinde aer. Quare locus nec eſt materia, nec forma rei locatæ, neque aliqua alia affecto illi inhærens. Videtur tamen inquit, locus ſimilitudine quadam accedere ad vas nam vas etiam eſt locus, mobilis tamen, & ſeparabilis à re, quam continet. Ea ergo ex parte, qua locus ſeparari poteſt

Locus nec eſt materia, nec forma.

poteſt, non eſt forma; & ea ex parte, qua ambit, & continet, non eſt materia: quia materia potius ambitur, & continetur; ſed eſt quid diuerſum ab illa. Omne enim, quod eſt in loco, videtur aliquid eſſe, & eſſe diſtinctum ab illo à quo continetur, ſcilicet à loco.

Sed tamen Platoni dicendum erat, &c. More ſolito digreditur aliquantum, reprehendẽs Magiſtrum ſuũ Platonem; eo quod doceret materiam eſſe locum, & receptaculum formarum, ſimulque affirmaret ideas, & numeros eſſe res ab omni materia ſeparatas. Maximo enim odio ſemper proſequitur Ariſtoteles Magiſtri Platonis ideas: nam in Phyſicis, tum etiã in lib. de cœlo & anima ſæpe illã reprehendit.

Locus non eſt materia, nec forma.

Præterea quo tandem, &c. Secunda ratio. Vnumquodque mouetur ad ſuum locum, & illud, ad quod nihil mouetur, nõ poteſt eſſe locus ſuperus, aut inferus: ſed nihil mouetur aut ad materiam, aut ad formam: ergo neque materia neque forma, poteſt eſſe locus.

Quod ſi in reipſa, &c. Tertio ratio. Locus eſt in re, quæ eſt in loco, ſi eſt materia, aut forma; ergo locus erit in loco, & mouebitur motu ſecũdum locum. Conſequentiam probat: quia materia, & forma mouentur ſimul cum re, cuius ſunt materia, & forma ergo cum res, quæ eſt in loco, non ſit ſemper in eodem loco, etiam locus mouebitur ſecundum locum: quod certe eſt abſurdum.

Præterea cum ex aere, &c. Circa hæc verba fere tot ſunt ſenſus, quot interpretum capita. Alexander, & Philoponus volunt, docere modo Ariſtot. locum nõ eſſe formam; ex eo quia cum res corrumpitur, interit forma, & locus manet: cum non habeat contrarium, à quo corrumpatur. Simplicius, Albertus, & D. Thom. exiſtimant, his verbis concludi, locũ nec eſſe materiã, nec formam: nam ſi eſſet materia, & forma; cum ex aere gignitur aqua, locus duplici mutatione moueretur, ſcilicet mutatione, qua corrũpitur forma, & mutatione qua materia ad maiorem redigitur denſitatem; quod certe eſt abſurdum. Cardinalis Toletus, quocum conſentiunt Conimbricenſes, cenſet, demonſtrare Ariſt. locum non eſſe materiam. Ratio ergo iuxta Toletum, ita habet. Cum ex aere fit aqua, non manet idem locus: quia minor eſt locus aquæ quam aeris, ex quo fuit

facta aqua, & tamen manet eadem materia: ergo locus non eſt materia. Vicomercatus in ea eſt opinione, vt dicat verba hæc non eſſe huius loci, ſed potius connectenda cum verbis, quibus ſuperius oſtendebat, locum non eſſe, deſumpto argumento à rerũ accretione. Ratio ergo iuxta accuratiſsimi interpretis Vicomercati expoſitionem ita habet. Si eſt locus, cum ex aere eſt genita aqua, locus aeris interiit; cum aqua eundem locum occupare non poſsit: ergo nõ datur locus; quia locus non poteſt interire, & corrũpi. Sic enim locum interpretatur, & recte quidem: obſeruatq. ab aliquo nõ ſatis perito ex his philoſophis, qui Ariſtot. opera emendarunt, hanc verborum tranſpoſitionem factam fuiſſe. Laudat etiã expoſitionem illorum, qui aſſirmant, modo probare Ariſt. locum nõ eſſe materiã; quam expoſitionem retulimus cum Toleto, exiſtimamuſque eſſe minus accommodatam. Accepit ſuam expoſitionem Vicomercatus ab Aſpaſio magno philoſopho, vt ipſe refert; tum etiam, & Simplicius.

Ac quibus quidem rationibus, &c. Concludit caput dicens, dictum eſt quibus rationibus fateri cogimur, locum eſſe aliquid, & quibus de eius vi, & natura poſsimus dubitare.

CAP. III. QVIBVS MODIS ALIQVID SIT IN ALIO, ET AN IDEM SIT IN SEIPSO

8. *Modi quibus aliquid eſt in alio.*

SEQVITVR deinceps, &c. Vt ſuſceptam quæſt. faciliusdiluat, proponit 8. modos quibus aliquid dicitur eſſe in alio. Primus eſt, quo pars eſt in toto: vt digitus in manu: ſecundus, quo totum eſt in partibus: neque enim, inquit, totum diſtinctũ eſt à partibus. 3. quo pars ſubiectiua eſt in toto vniuerſo 4. quo genus, & aliæ partes Metaphyſicæ ſunt in ſpecie, & in re definita 5. quo forma ſiue ſubſtantialis, ſiue accidentaria eſt in materia. 6. quo effectus dicitur eſſe in efficiente, vel in imperantis poteſtate 7. quo aliquid dicitur eſſe in aliquo bono, tanquam in fine. 8. quo aliquid eſt in alio, tanquam in vaſe, vel tanquã in loco. Nũc obſeruandum occurrit, aliquos

quos prætermiſiſſe modos Ariſtot. vt modum illum, quo res dicitur eſſe in tempore: quia (omiſsis variis interpretum expoſitionibus) ſat erat ſuo inſtituto, aliquos modos proponere, ex quibus conſtaret, non ſolum poſſe eſſe aliquid in alio, tanquã in loco.

An aliquid poſſit eſſe in ſeipſo.

Sed hoc loco, &c. Vertit modo in dubium, an aliquid poſsit eſſe in ſeipſo, vel an nihil in ſeipſo eſſe poſsit; ſed omnia in alio. Cui dubio, vt ſatisfaciat, hanc præmittit diſtintionem. Duobus modis aliquid poteſt eſſe in ſeipſo, nimirum aut per ſe, id eſt primo, ſiue ſecundum ſe totũ, aut per aliud, id eſt ratione partis. Hac poſita diſtinctione, dubio propoſito ſatisfacit duplici aſſertione. Prima eſt. Aliquid poteſt eſſe in ſeipſo per aliud, & ratione partis: vt homo albus dicitur eſſe in ſeipſo ratione albedinis; quia albedo, quæ eſt pars accidentaria hominis, eſt in homine albo, & homo doctus dicitur eſſe in ſeipſo ratione ſciẽtiæ exiſtentis in anima rationali, quæ eſt pars hominis: dolium vero non eſt in ſeipſo, nec vinum in ſeipſo, ſi tamen doliũ viri ſumatur, vt eſt aggregatum ex dolio, & vino, dolium vini eſt in ſeipſo ratione ſuarum partium: quia ſcilicet in hoc aggregato & eſt vinum, & eſt amphora, ſiue dolium.

Hoc igitur modo, &c. 2. Aſſert. Licet aliquid poſsit eſſe in ſeipſo per aliud modo explicato; per ſe tamen nõ poteſt. In ſuper explicat magis, qua ratione aliquid ſit in ſeipſo per partem, adhibitis variis exemplis.

Ac vero nec aduentitia, &c. Docet neque aduentitia vi, id eſt per accidens, idem poſſe eſſe in ſeipſo hac ratione. Illud eſt in alio per accidens, quod eſt in alio, cui conuenit eſſe per ſe in loco: vt anima eſt per accidens in loco; quia eſt in corpore, ꝙ per ſe eſt in loco; ſi igitur dolium per accidens eſt in ſeipſo, hoc ideo erit; quia doliũ eſt in vino, cui conuenit per ſe eſſe in dolio: quare vinum erit per ſe in dolio, & dolium in ſeipſo per accidens, & conſequetur hoc abſurdum, ſcilicet duo corpora eſſe in eodem loco.

Quod autem Zeno, &c. Soluit rationem Zenonis dicẽs, etſi locus ſit, non opus eſt in infinitum abire: quia locus non eſt in alio tanquam in loco; ſed tanquam in ſubiecto. Obſeruat tandem, locum nec eſſe materiam, nec formam: quia locus & vas non ſunt aliquid eius, quod eſt in loco, aut in vaſe: materia vero, &

non ſecundum durationem: ſed ſecundum magnitudinem, & ſecũdum multitudinē.

In hac quæſt.i. vt certum ſupponendū eſt, nihil, poſſe eſſe actu infinitum ſecundū perfectionem eſſentialem, præter Deū optimum maximum. Ratio eſt clara, quia ſcilicet impoſsibile eſt, infinitum ſecundū perfectionem ab alio pēdere: nam eo ipſo, quod aliquid ab alio pendet, debet neceſſario habere eſſe communicatum ab illo: cū ergo omnes creaturæ pendeant a Deo, omnes habent eſſe communicatum ab ipſo Deo. Quare, ſi eſſet aliqua creatura infinita ſecundum perfectionem eſſentialē, vel haberet eſſe æquè perfectum cum ipſo Deo, quod nullo modo eſſe poteſt; quia talis res non eſſet creatura ſed Deus: vel nō haberet eſſe æque perfectum, & conſequēter tale eſſe, non eſſet infinitum; cum illi deeſſet perfectio. Quare certum eſt, quod ſuppoſuimus. His adde, omnem creaturā eſſe a Deo: imo creatura definitur, ens participatum a Deo: cum ergo eſſe ab alio, ſit imperfectio, impoſsibile eſt, creaturam aliquam eſſe infinite perfectam.

Secūdo certum eſt, in eſſentialiter ſubordinatis non poſſe dari infinitum actu, ſiue ſubordinata ſe habeant vt ſpecies eiuſdem generis: ſiue vt cauſæ. Ratio primi eſt: quia, cum nulla ſpecies ſit eiuſdem perfectionis eſſentialis cū alia, ſed vel magis, vel minus perfecta, vt patet in numeris; ſi eſſent infinitæ ſpecies ſub eodem genere, neceſſario, quæ cæteras perfectione ſuperaret, eſſet infinita ſecundum perfectionem eſſentialem. Quare immerito quidem, quidam iuniores Philoſophi docentes vnumquodque indiuiduum qua tale eſt, habere eſſentiam, & illam eſſe magis, vel minus perfectam eſſentia cuiuſuis alterius indiuidui eiuſdem ſpeciei, docent ſimul, dubium eſſe, an in indiuiduis eiuſdē ſpeciei poſsit dari infinitum actu: quia, ſi indiuidua ſe habent modo explicato, vt re vera ſe habent, pari paſſu currunt cum ſpeciebus. Præterea in cauſis ſubordinatis non poteſt dari infinitum actu ſecundum numerum, vt docet Ariſto. 2. Metaph. c. 2. huius rei ratio eſt; quia ſi eſſent infinitæ ſecundum numerum, cauſæ ſubordinatæ agerent tempore infinito: ac cō ſequenter, numquam ad nos deuenirent effectum, quod eſt abſurdum.

Tertio ſupponunt multi cum D. Tho. & Caiet. i. p. q. 7. art. 3. in corpore, aliud eſſe infinitum ſecundum quantitatem, & aliud infinitum ſecūdum eſſentiam: nam, etſi per poſsibile, vel impoſsibile, eſſet corpus magnitudinis infinitæ, illud tamē finitum eſſet ſecundum eſſentiam, cum eſſet compoſitum ex genere & differentia, & pertineret ad aliquam ex decem Categoriis. Id etiam confirmant: quia quantitas decem palmorum, verbi gratia, eſt æqualis perfectionis cum quantitate mille palmorum: ergo etiam erit æqualis perfectionis cum quantitate infinita, ſi talis quantitas eſſet. Vt tamen libere dicam, quod ſentio, licet doctrina hæc ab omnibus admittatur; tamen aut non eſt vera, aut non attinet ad præſens inſtitutum. Imprimis non eſſe veram ita oſtendo, Omne ens, vel dicit eſſentiam, vel exiſtentiam: ſed ſi eſſet infinitum ſecundum quantitatem, illud eſſet ens: ergo vel diceret eſſentiam, vel exiſtentiam: ſed non diceret exiſtentiam: ergo diceret eſſentiam: ergo eſſet infinitum ſecundum eſſentiam. Probatur vltima minor. Quia id tantum dicitur infinitum ſecundum exiſtentiam, quod eſt extra ſuam cauſam duratione infinitum: tale autem corpus, ſi eſſet, abſque eo quod perpetuo duraret, haberet infinitam extēſionem. Id idem probo ſecundo. Si eſſet albedo intenſa in infinitū, eſſet infinita ſecundum eſſentiam, & perfectionem eſſentialem: ergo ſi eſſet quantitas in infinitū extenſa, eſſet etiam infinita ſecundum eſſentiam. Probatur conſequentia: quia, vt ſe habent gradus, & intenſio reſpectu albedinis: ita extenſio, & partium latitudo reſpectu quantitatis. Antecedens ita confirmo. Omne infinitū (vt omnes admittunt); vel eſt ſecundum eſſentiam; vel ſecundum

quan-

quantitatem: ſed albedo in infinitum intẽſa, non eſſet infinita ſecundum quantitatem: ergo eſſet infinita ſecundũ eſſentiam. Dixi vt omnes admittãt; quia exiſtimo, omne infinitum ſecundum quantitatem, eſſe infinitum ſecundum eſſentiam; quod certe aliquantulum ſuadent ſuperiores rationes: tum etiam & hæc alia, quia ſcilicet hoc attributum ens, vt eſſentiam ſignificat, tranſcendens eſt, & omnia complectitur: ergo & quantitatem; ſin minus quantitas non eſſet ens.

Si vero pro communi ſententia reſpondeas, illam intelligẽdam eſſe de eſſentia Metaphyſica; nõ vero de eſſentia, atq. entitate Phyſica: doctrina hæc non pertinet ad præſens inſtitutum: nam certum eſt apud omnes, rerum omniũ eſſentias Metaphyſicas, quæ a genere, & certa differentia ſumuntur, conſiſtere in indiuiſibili. Quare nulla eſt res, quæ poſſit incrementum ſuſcipere ſecundum eſſentiã Metaphyſicam: cum ex Ariſto. & ex communi Philoſophorum conſenſu, eo ipſo quod eſſentiæ additur aliqua pars, vel ab ipſa detrahitur quantumuis minutiſsima, omnino res varietur. Quare, quando inquirimus, an aliqua res poſſit eſſe infinita ſecundum eſſentiam, certe quærimus de eſſentia, & entitate Phyſica & non de Metaphyſica. Imo exiſtimo repugnare infinito, habere genus & differẽtiam. Quod ita oſtẽdo. Quæuis pars infiniti eſt infinita: ergo ſi infinitum ſecundum eſſentiam conſtat ex genere, & differentia; cum genus, & differentia ſint partes: genus, & differẽtia eſſent entia infinita ſecũdum eſſentiã: ſed hoc eſt maximum abſurdum: ergo illud, ex quo ſequitur. Probatur minor. In finito, in genere in quo eſt infinitum, nõ poteſt fieri additio: ſed generi & differentiæ, ex quibus tale infinitum fieret, poteſt fieri additio ſecundum eſſentiam: ergo neque genus illud eſſet infinitum ſecũdum eſſentiam: neque ſimiliter illa differentia eſſet infinita ſecundum eſſentiam. Probatur minor, quia differentia ſpecifica, ſuperaddit perfectionem eſſentialẽ naturæ genericæ: & genus aliquã includit perfectionem, & entitatem eſſentialem, quam non includit differentia: cum ergo partes, ex quibus componeretur tale infinitum, ſcilicet genus & differentia, non eſſent infinitæ neceſſario aſſerendum eſt, non dari tale infinitum: quia quod componitur ex partibus finitis, finitũ eſt: aut tale infinitum, ex huiuſmodi partibus nõ poſſet componi. Sed de hic, Deo fauente, forſan erit amplior occaſio.

Repugnat infinito componi ex genere & differentia.

Quarto certum eſt, ſeruata naturali diſpoſitione, non poſſe dari infinitum actu ſecundum magnitudinem, aut ſecundum multitudinem. Ratio eſt: quia, cum extra primum cœlum nihil ſit, ſpatium creatũ, eſt finitum & certum: & cõſequenter, intra ſpatium naturale, non poteſt dari magnitudo infinita, nec multitudo infinita (loquor de quantitatiua) quia cũ quæuis vnitas quantitatiua ſit extenſa, vnitates infinitæ nequeunt in ſpatio finito cõtineri.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit prima aſſertiõ. Non poteſt dari magnitudo actu infinita: hanc tenent D. Tho. 1. p. q. 7. art. 3. ibidem Caietanus & quodlibeto. 9. art. 1. & quodlibeto 12. art. 2. Durã. in primo diſtinct. 43. q. 2. licet illi diſpliceant rationes D. Th. & aliis rationibus confirmet ſententiam D. Bonauenturæ eodem primo, q. 3. Ricardus. q. 5. & 6. Scotus in ſecundo diſtinct. 1. q. 3. & alij multi ſcholaſtici Doctores. Ex recẽtioribus vero tenent etiam illam. Soto 3. Phyſ. q. 4. Ferrarienſis, q. 6. Villalpan q. vltima Toletus, q. 6. & 7. Valleſius controuerſia 22. Pererius lib. 10. cap. 11. Bañes & Zumel, 1. p. q. 7. art. 3. Conimbricenſes ſatis erudite 3. Phyſic. q. 2. de infinito & alij permulti, qui omnes innumeris certe & egregiis rationibus ſuam ſententiã confirmant: nos tamen aliquas tantum adducemus.

Eſt igitur prima ratio. Deus eſt omnipotens, & immutabilis: ergo eius potentia

abſoluta non poteſt dari infinitum actu. Probatur conſequentia. Potentia infinita & immutabilis poteſt dato quocunq; eff. actu vlterius operari: ergo potentia diuina poteſt cuicumque magnitudini addere partes de nouo: ergo non poteſt dari infinitum actu: quia infinito non poteſt fieri additio. Repugnat enim potentiam eſſe infinitam, & aliquando ita eſſe exhauſtã, vt non poſsit operari.

Probatur ſecundo. Omne ens eſt bonum & perfectum: imo omnis perfectio fundatur in entitate vt retulimus ex D. Tho. in quæſt. de cauſalitate finis: ergo ſi datur magnitudo finita, datur infinitum ſecundum perfectionem. Probatur conſequentia: infinitum actu ſecundum magnitudinem, habet infinitas partes determinatas non ſe communicantes: ſed quæuis pars determinata nõ ſe communicans habet diſtinctam entitatem a qualibet alia: ergo & diſtinctam perfectionem: ergo cũ partes ſint infinitæ omnes ſimul efficient perfectionem infinitam: ergo, ſi datur magnitudo actu, infinita, datur infinitum ſecundum perfectionem: quod certe eſt abſurdum. Eandem aſſertionem confirmant ſatis, quæ diximus ſupra, dum impugnauimus diuiſionem infiniti in infinitum ſecundum perfectionem, & ſecundum quãtitatem.

Secunda aſſertio. Nõ poteſt dari actu infinita multitudo quantitatiua. Hanc tenent fere omnes authores primæ aſſertionis, licet aliquibus ex illis diſpliceat. Probat vero illam egregie D. Tho. 1. p. q. 7. art. 4. Probatur etiã his rationibus. Dari actu infinitam multitudinem quantitatiuam implicat contradictionem; ergo nequit fieri de potentia abſoluta. Probatur antecedens. Rem eſſe abſque ſua eſſentia, implicat contradictionem: ſed ſi eſſet infinita multitudo quantitatiua, eſſet quantitas abſque ſua eſſentia; ergo implicat contradictionem. Probatur min. Quæuis vnitas quantitatiua eſt quantitas continua: ſed hæc poteſt diuidi in alias quantitates. (quia de intrinſeca & eſſentiali ratione quantitatis continuæ, eſt eſſe extenſam & diuiſibilem) ergo quæuis vnitas quantitatiua poteſt diuidi in alias vnitates: tum ſic: ergo, ſi eſſet multitudo infinita, illæ vnitates ex quibus conſtaret, poſſent diuidi, eo quod ſunt quantitates continuæ: & nõ poſſent diuidi, eo quod ſunt vnitates numeri infiniti, cui non poteſt fieri additio: quare, eſſet implicatio contradictionis; ex eo quod eſſent diuiſibiles, & non eſſent diuiſibiles.

Secũda ratio. Quod per detractionem finiti manet finitum, ante detractionem ſiniti non erat infinitum: ſed ſi hæc multitudo infinita, quam imaginantur, per detractionem finiti maneret finita: ergo ante detractionem non eſt infinita, vt illi volunt. Probatur minor. id, cui poteſt fieri additio, finitum eſt; ſed facta detractione vnius vnitatis ab illa multitudine, quam illi conſtituunt infinitã, multitudini, quæ maneret, poſſet fieri additio: ergo talis multitudo finita maneret. Probatur minor. Poteſt illi addi vnitas detracta: ergo poteſt illi fieri additio; ergo ante detractionem non erat infinitum.

IN TERTIA parte quæſt. Proponenda eſt contraria ſententia, quæ affirmat, de potentia abſoluta poſſe dari infinitum actu tam ſecũdum magnitudinem, quam ſecundum multitudinem. Hanc tenent Gregorius in 1. diſtin. 43. q. 4. & alij multi nominales, quæ ſententia firmiſſimis rationibus confirmatur: quare modo ſunt ſoluendæ.

Eſt igitur prima ratio. Potentia diuina eſt infinita; ſed infinitæ potẽtiæ debet correſpondere infinitus effectus: quia potentia agentis manifeſtatur per effectum: ergo debet dari aliquis effectus actu infinitus. Reſpon. cum D. Th. 1. p. q. 25. art. 2. ad 2. diſtinguendo minorem ita: in vniuocis, concedimus: in æquiuocis, negamus min. at Deus agens eſt æquiuocum. Quare concludit D. To. dicens, effectus diuinæ potentiæ ſemper eſt minor quam potentia.

tentia:

tentia; nec inde ſequitur, illam potentiam eſſe fruſtra; imo, etſi nullum effectum produceret, non eſſet fruſtra; quia diuina potentia non ordinatur ad effectum, tanquã in finem: ſed potius ipſa eſt finis effectuũ, quos producit. Reſpond. 2. cum eodem 1. p. q. 41 art. 5. ad 3. diſtinguendo min. ita: ſecundum modum, concedimus; ſecundũ rẽ, negamus min. Eſt ergo aliquis effectus productus a Deo infinitus ſecundum modum: quia fuit factus ex nihilo; tametſi, quia diuina potẽtia nequit exhauriri; ſed quouis effectu producto, poteſt producere alium maiorem, & perfectiorem.

Secunda ratio. Quidquid cognoſcit diuinus intellectus, poteſt diuina potentia efficere: ſed diuinus intellectus poteſt cognoſcere omnes partes continui, quæ ſũt infinitę actu ſeparabiles a continuo: ergo diuina potentia poteſt efficere illas ſeparatas: ergo poteſt dari infinita multitudo actu. Reſpõd. negando min. nã partes continui non poſſunt cognoſci omnes ſeparabiles a continuo; & ideo non poteſt diuina potentia efficere illas ſeparatas: implicat enim contradictionem, vt ſtatim dicemus. Admittimus enim cum D. Tho. 1. p. q. 14. art. 12. ad 1. Deum cognoſcere infinitum ſimul, non tamen ita, vt cognoſcat partem poſt partem, & quaſi numerando. Sed dices. Poteſt Deus producere omnes partes, quæ ſunt in continuo, cõiunctas: ergo poteſt eaſdem producere ſeparatas, cum in partibus ſeparatis non reperiatur entitas, quæ non ſit in continuo. Reſpondemus negando conſequentiã: quia, partes continui non poſſe omnes eſſe ſeparatas, non repugnat ex parte entitatis, ſed ex parte modi aut rationis formalis entitatis, ſcilicet ex parte multitudinis. Conſiſtit autem contradictio in hoc, quod illæ partes ſimul eſſent diuiſibiles, cũ quęlibet ex illis eſſet continua: & indiuiſibiles, cum non poſſit illis fieri additio: nã ſi poſſent diuidi, poſſet illis fieri additio ſecundum multitudinem, & conſequenter talis multitudo nõ eſſet infinita actu. Propter eandem rationem repugnat diuinum intellectum illas cognoſcere ſimul ſeparatas, & quaſi numerando.

Tertia ratio. Si Deus ageret ex neceſſitate naturæ, cum ſit potẽtiæ infinitæ, produceret infinitum actu: ergo modo liberè agens, cum non ſit minoris potentiæ, poteſt etiam efficere infinitum actu. Reſpõd. negando antecedens: quia eodem argumẽto probari poſſet, Deum poſſe efficere infinitum ſecundum perfectionem eſſentialem (quod citra controuerſiã negant omnes) quia etiam eſt infinitæ potentiæ reſpectu perfectionis eſſentialis quam poteſt efficere, & producta quauis re, poteſt producere aliam perfectiorem ſecundum eſſentiam.

Quarta ratio. In quouis inſtanti horæ poteſt producere Deus vnum leonem; ſed in vna hora ſunt infinita inſtantia; ergo in illa poteſt producere infinitos leones. Reſpond. diſtinguendo maiorem ita: In quouis diſtributiue, concedimus; in quouis collectiue, negamus maiorẽ: nam licet in hoc & illo inſtãti poſſit producere leonem, in omnibus tamen, quæ ſunt in potentia, non poteſt producere leonem: tum quia in hora, niſi ſit actu diſcontinua a qualibet alia parte nullum inſtans reperitur actu continuans; tum ſecundo, quia inſtantia, quæ ſunt infinita in hora, non ſũt actu, ſed poſſibilia, ita vt numquam poſſint eſſe omnia ſimul, ſed ſucceſſiue, & quaſi numerando. Neque hic obſtat, mundum potuiſſe produci ab æterno: quia licet potuiſſet ſecundum partes permanentes, minime ſuæ naturæ relictas; non tamen ſecundum partes ſucceſſiuas, vt 8. Phyſ. dicemus.

Sed de his hæc modo ſufficiant, quæ, ſicut omnia quæ diximus & dicemus, Romanæ Eccleſiæ ſubiecta eſſe volumus.

Finis tertij libri.

COMMENTARII VNA CVM QVAESTIONIBVS, IN QVARTVM LIBRVM Phyſicorum Ariſtotelis.

HIC quartus liber 14.cap. contentus, 3. continet partes, quarum prima, quæ eſt à cap. primo vſque ad 5. incluſiue, diſputat Ariſt. de loco. 2. quæ eſt a cap. 6. vſque ad 9. incluſiue, agit de vacuo, ſiue inani. 3. denique, quæ eſt a cap. 10. vſque ad 14. incluſiue, agit de tẽpore. Nos proinde hunc ordinem ſeruabimus hoc libro, vt abſoluta prima parte textus, quæſtiones quæ ex illa ortum habent proponamus; & idem præſtemus abſoluta 2. parte, & abſoluta 3.

CAP. I. IN QVO PERTRACTAT ARIST. in vtramque partem quæſtionem, an ſit locus.

Diſputare de loco pertinet ad Philo. naturalẽ.

VT AVTEM *infinitas, &c.* Initio cap. ſtatuit, diſputationem de loco negotium eſſe Philoſophi naturalis: quemadmodum, & diſputationem de infinito; præſertim ſecundũ illas quæſt. quibus inquiritur: an ſit locus: qualis ſit: & quid ſit. Præmittit modo quæſt. qualis ſit quęſtioni quid ſit contra ordinẽ pertractandi quæſtiones à ſe traditum in analyticis: quia ex quæſ. qualis ſit locus, ideſt ex affectionibus loci (ſic enim exponit Simplicius aliis Interpretibus ommiſsis; qui etiã hoc, quod docemus, obſeruat) venari debet quid locus ſit. Probat Ariſt. quod docuit duabus rationibus. Prima eſt: quia ſecũdum omnes, omne quod eſt, eſt in aliquo loco; quare quod nullibi eſt tanquam in loco, non eſt: ſed vel intelligendus eſt Ariſt de reb9 corporeis, vel loquitur

ex

ex antiquorum ſententiis; ſin minus committit fallaciam: cum ex oppoſito antecedentis oppoſitum inferat conſequẽtis. Probat 2. quia motus localis, qui maxime communis eſt, & nimis proprius, fit per locum: quare diſputatio de loco pertinebit ad Philoſophum naturalem.

Diſputatio loci difficilis. *Sed magna eaq́ varia, &c.* Loci diſputationem difficultatibus nõ vacare oſtendit, primo: quia, qui de loco huc vſque diſſeruere, multum inter ſe diſcrepant 2. quia veteres de loci natura nullũ fere veſtigium reliquerunt, cui inſiſtere valeam⁹: imo potius de illo aut nihil in quæſtionem vocarunt, aut fere nihil ad illum pertinens inuenerunt.

Probat dari locũ multis rationibus. *Ac locum quidem, &c.* Probat iam variis rationibus dari locum. Prima eſt. In corporib⁹ eſt alterna viciſsitudo: nã vbi pri⁹ erat aqua, illa quaſi ex vaſe pulſa, ſuccedit aer, deinde ſubſequitur aerem aliud corpus: quare hoc quod continet aliquid eſt, & diuerſum à corporibus in illo viciſsim contentis; cum in eodem, in quo antea erat aqua, ſit modo aer. Vnde colligit receptaculum illud ita viciſsim recipiens corpora, quod quidem locus eſt, eſſe, & eſſe quid diuerſũ à corporibus, quæ ſũt in loco.

Præterea motus etiam, &c. Secunda ratio, qua ſimul etiam probat locũ habere vim quãdam conſeruãdi res, quæ ſũt in loco, ita habet. Id, in quod feruntur corpora naturalia, & Simplicia, & à quo veluti attrahuntur, nõ ſolum eſt in rebus, ſed etiã vim talia corpora conſeruandi poſsidet: vt Simplicia, & naturalia corpora media naturali inclinatione; alia tẽdunt ſurſum: vt leuia; & alia deorſum: vt grauia; & alia in alias differẽtias poſitionis: ergo in natura rerum non ſolum eſt locus, ſed etiam habet hic vim conſeruandi corpora locata, neque enim caſu, & prout res tulerit ſe habent poſitionis differentiæ; ſed locus ſuperior ille eſt, in quem leuia: vt ignis, & aer ferũtur; & inferior eſt ille, quem grauia: vt terra, & & aqua petũt. Hoc etiam explicant, inquit, mathematica corpora, quæ non ſunt in loco: quia tamen concipiuntur à nobis, ac ſi eſſent in loco, in illis apprehendimus ſitum, partes dextras, & ſiniſtras; ac ſi natura ſua hæc haberent: cum reuera illis careãt. Hãc confirmationem docent græci eſſe tertiam rationem; ſed hoc parum refert.

Præterea qui aliquid, &c. Proponit

ponit 3. rationem ex authoritate illorum, qui inane conſtituebant: nam, cum inane ſit locus corpore deſtitutus, qui conſtituunt inane, neceſſario locũ admiſſere. Ex his ergo perſpicere licet, locum diſtinctũ eſſe à corporibus, & omne corpus ſenſile (dixit ſenſile, vt excludat mathematicum) locũ occupare. Idem cõfirmat authoritate Heſiodi conſtituentis chaos nõ ſolum quaſi rudem, & indigeſtam molem; ſed etiam tamquam locum, & receptaculũ aliorum: hic enim, & alij multi exiſtimarunt omnia eſſe vbi, & in loco. Quare commẽdat Ariſt. locum dicens, in illo eſſe admirandam vim quãdam; cum loci vis dignisſima ſit, & cæteris vetuſtior: cum, locum abſq. aliis rebus prius extitiſſe, cætera vero ſine loco exiſtere non poſſe, à multis ex veteribus Philoſophis perhibeatur.

Probat al terã quæſ. partem. *Verum enim vero ſi eſt, &c.* Dubitãt interpretes quid in hac 2. cap. parte inſtituat Ariſt. Simplicius, Philoponus, & ex græcis alij multi volũt, inquirere Ariſt. quid ſit locus; rectius tamen ſentiunt Themiſtius, & D. Tho. quibus etiã ſubſcribit Vicomercatus, docentes Ariſt. tractare alterã quæſt. partem, ſcilicet locum non eſſe; ideq. probare ex eo quod difficile eſt, quid ſit locus, intelligere: proindeq. inquit Vicomercatus, Ariſt. modo ſecundo loco, & non ex præcipua intẽtione, quid locus ſit, ſcrutari. Id ergo probãt Ariſt. eſtq. prima eius ratio. Si locus eſſet, ille eſſet corpus; cum conſtet trina dimenſione: ſed locus non eſt corpus; quia eſſent duo corpora ſimul, & eſſet dimenſionum penetratio: ergo nõ datur locus.

Præterea ſi corporis, &c. Secũda ratio, qua ſimul infirmatur prima ratio in principio capitis poſita, ita habet. Si ex eo quod corpora vicisſim ſuccedunt, colligitur eſſe locum, ergo, cum etiam ſuccedãt indiuiſsibilia, ſcilicet pũctum, linea, & ſuperficies, etiam iſta erunt in loco: vbi enim prius erant indiuiſsibilia aquæ, modo ſunt indiuiſsibilia aeris; hæc vero non poſſunt eſſe in loco: quia locus etiam eſſet indiuiſsibilis, & duo indiuiſsibilia nequeunt eſſe ſimul. Quare ſicut indiuiſsibilium vicisſitudo non eſt ſufficiens ratio ad conſtituendum locum; ita nec corporum vicisſitudo.

Quidnam enim locus, &c. Tertia ratio. Si eſt locus, neceſſe eſt, illum habere magnitudinem;

nem;cum tamen vim habeat, id eſt cum ſit æqualis rei loca tæ:ſed non poteſt habere ma gnitudinem ; ergo non datur locus. Probatur minor : nam ſi haberet magnitudinẽ, aut eſſet elementum corporeum; vel cõſtans ex elemẽtis corpo reis, & ſic duo corpora eſsẽt ſimul, & ſe penetrarent ; aut eſſet elemẽtum incorporeũ, vel ex elementis incorporeis factum;hoc vero nequit conſtare : quia natura, & rerum vniuerſitas huiuſmodi elemẽ ta non continet.

*Iam vero cui tandem,&c.*Quarta ratio. Si locus eſſet, alicuius rei cauſa eſſet;ſed non eſt cauſa,vt patet inducẽti per quatuor genera cauſarum ; ergo non datur locus.

Praterea ſi in aliquo genere,&c. Quinta ratio eſt Zenonis, & ita habet. Omne quod eſt,eſt in loco:ergo ſi datur locus,locus erit in loco, & rurſus ille in alio,& ſic in infinitũ. Quare non datur locus.

Praterea ſi quemadmodum omne, &c. Sexta. Omne corpus eſt in loco,& eſt æquale loco,ergo creſcentibus corporibus creſcet ſimul locus,quod videtur abſurdum; cum locus ſit immobilis. Concludit caput dicens, his rationibus cogimur dubitare nõ ſolum quid ſit locus;ſed etiam an ſit.

CAPVT SECVNDVM. LOCVM NEQVE ESSE MATERIAM, NEQVE FORMAM.

Q*VONIAM autẽ quadam,&c.*Præmittit in principio Capitis hanc diuiſionẽ. Rerum, aliæ ſunt per ſe; & aliæ per aliud : ſimiliter etiam locus duplex eſt:alter communis, qui continet omnia corpora,& dicitur per aliud; & alter proprius,qui primo ambit rẽ:vt hic ſingularis homo dicatur eſſe in cœlo,tanquam in loco communi; quia ambitur ab aere,& aer à cœlo : eſt vero tanquã in loco proprio in ſuperficie, aqua ſolus, & & immediate ambitur.Quare ſi locus eſt id,quod primo ambit vnũ quodq. corpus, locus certe erit extremitas. Hincque colligit, locũ videri formam,qua terminatur magnitudo, & materia magnitudinis,id eſt ſubſtantia magnitu

 dine

dine affecta: per magnitudinem enim, & per materiã non recte docuit Simplicius, idẽ eſſe intelligendum; neq. per magnitudinem intelligi debet concretum, vt Philopono placet: quia concretum non terminatur forma; ſed materia eſt, quæ forma teminatur. Docet inſuper, locum obtinere rationẽ materiæ; eo quod eſt dimẽſio magnitudinis, id eſt interualli, quod quidẽ æquale eſt magnitudini, ſicut & locus: vbi non loquitur de interuallo ſeparato, dequo dicemus. 2. parte huius lib. ſed de coniuncto, quod eſt trina rei dimenſio. Duplici autem de cauſa videtur interuallum eſſe materia. Prima eſt: quia ſicut materia eſt interminata, & terminatur per formã; ita interuallũ, & terminatur à ſuperficie. 2. eſt: quia, ſi ab ſphæra Aenea ſeparentur figura, & affectiones, nihil aliud quam interuallum videtur remanere: id autem, quod manet eſt materia; ac proinde interuallum videtur illis materia.

Itaque Plato, &c. Propter ſimilitudinem adductam docet, Platonem in Tymeo ſcripſiſſe, materiam, & receptaculum, ſiue locũ idem eſſe; quamquam in dogmatibus, quæ ab eo non fuerunt typis mandata, docuerit, materiam, & locum, ſiue receptaculum inter ſe non differre: ibi enim materiam, magnum & paruum nuncupauit. Veteres ergo omnes fere locum eſſe ſtatuerunt; quid tamen locus ſit, ſolus Plato conatus eſt oſtendere, licet verbis obſcuris: dicens, materiam eſſe locum ſiue receptaculum formarum, quibus verbis magis videtur explicaſſe quid ſit materia; quam quid ſi locus: ex his tamen, ſcilicet ex materia, & forma difficille admodum eſt perfecte cognoſcere quid ſit locus.

Veruntamen hoc facile, &c. Docet iã locũ nec eſſe materiã, nec eſſe formã, hocq. ita probat materia, & forma non poſſunt ſeparari manente re, cuius ſunt materia, & forma: ſed locus poteſt ſeparari; ergo locus nec eſt materia, nec forma. Probatur minor: quia in loco, in quo prius erat aqua, ſuccedit deinde aer. Quare locus nec eſt materia, nec forma rei locatæ, neque aliqua alia affecto illi inhærens. Videtur tamen inquit, locus ſimilitudine quadam accedere ad vas nam vas etiam eſt locus, mobilis tamen, & ſeparabilis à re, quam continet. Ea ergo ex parte, qua locus ſeparari poteſt

Locus nec eſt materia, nec forma.

poteſt, non eſt forma; & ea ex parte, qua ambit, & continet, non eſt materia: quia materia potius ambitur, & continetur; ſed eſt quid diuerſum ab illa. Omne enim, quod eſt in loco, videtur aliquid eſſe, & eſſe diſtinctum ab illo à quo continetur, ſcilicet à loco.

Sed tamen Platoni dicendum erat, &c. More ſolito digreditur aliquantum, reprehendẽs Magiſtrum ſuũ Platonem; eo quod doceret materiam eſſe locum, & receptaculum formarum, ſimulque affirmaret ideas, & numeros eſſe res ab omni materia ſeparatas. Maximo enim odio ſemper proſequitur Ariſtoteles Magiſtri Platonis ideas: nam in Phyſicis, tum etiã in lib. de cœlo & anima ſæpe illã reprehendit.

Locum eſt materia, nec forma.

Præterea quo tandem, &c. Secunda ratio. Vnumquodque mouetur ad ſuum locum, & illud, ad quod nihil mouetur, nõ poteſt eſſe locus ſuperus, aut inferus: ſed nihil mouetur aut ad materiam, aut ad formam: ergo neque materia neque forma, poteſt eſſe locus.

Quod ſi in reipſa, &c. Tertio ratio. Locus, eſt in re, quæ eſt in loco, ſi eſt materia, aut forma; ergo locus erit in loco, & mouebitur motu ſecũdum locum. Conſequentiam probat: quia materia, & forma mouentur ſimul cum re, cuius ſunt materia, & forma ergo cum res, quæ eſt in loco, non ſit ſemper in eodem loco, etiam locus mouebitur ſecundum locum: quod certe eſt abſurdum.

Præterea cum ex aere, &c. Circa hæc verba fere tot ſunt ſenſus, quot interpretum capita. Alexander, & Philoponus volunt, docere modo Ariſtot. locum nõ eſſe formam; ex eo quia cum res corrumpitur, interit forma, & locus manet: cum non habeat contrarium, à quo corrumpatur. Simplicius, Albertus, & D. Thom. exiſtimant, his verbis concludi, locũ nec eſſe materiã, nec formam: nam ſi eſſet materia, & forma; cum ex aere gignitur aqua, locus duplici mutatione moueretur, ſcilicet mutatione, qua corrũpitur forma, & mutatione qua materia ad maiorem redigitur denſitatem; quod certe eſt abſurdum. Cardinalis Toletus, quocum conſentiunt Conimbricenſes, cenſet, demonſtrare Ariſt. locum non eſſe materiam. Ratio ergo iuxta Toletum, ita habet. Cum ex aere fit aqua, non manet idem locus: quia minor eſt locus aquæ quam aeris, ex quo fuit

quos prætermiſiſſe modos Ariſtot. vt modum illum, quo res dicitur eſſe in tempore: quia (omiſsis variis interpretum expoſitionibus) ſat erat ſuo inſtituto, aliquos modos proponere, ex quibus conſtaret, non ſolum poſſe eſſe aliquid in alio, tanquã in loco.

An aliquid poſſit eſſe in ſeipſo.

Sed hoc loco, &c. Vertit modo in dubium, an aliquid poſsit eſſe in ſeipſo, vel an nihil in ſeipſo eſſe poſsit; ſed omnia in alio. Cui dubio, vt ſatisfaciat, hanc præmittit diſtintionem. Duobus modis aliquid poteſt eſſe in ſeipſo, nimirum, aut per ſe, id eſt primo, ſiue ſecundum ſe totũ, aut per aliud, id eſt ratione partis. Hac poſita diſtinctione, dubio propoſito ſatisfacit duplici aſſertione. Prima eſt. Aliquid poteſt eſſe in ſeipſo per aliud, & ratione partis: vt homo albus dicitur eſſe in ſeipſo ratione albedinis; quia albedo, quæ eſt pars accidentaria hominis, eſt in homine albo, & homo doctus dicitur eſſe in ſeipſo ratione ſciẽtiæ exiſtentis in anima rationali, quæ eſt pars hominis: dolium vero non eſt in ſeipſo, nec vinum in ſeipſo, ſi tamen doliũ vini ſumatur, vt eſt aggregatum ex dolio, & vino, dolium vini eſt in ſeipſo ratione ſuarum partium: quia ſcilicet in hoc aggregato & eſt vinum, & eſt amphora, ſiue dolium.

Hoc igitur modo, &c. 2. Aſſert. Licet aliquid poſsit eſſe in ſeipſo per aliud modo explicato; per ſe tamen nõ poteſt. Inſuper explicat magis, qua ratione aliquid ſit in ſeipſo per partem, adhibitis variis exemplis.

Ac vero nec aduentitia, &c. Docet neque aduentitia vi, id eſt per accidens, idem poſſe eſſe in ſeipſo hac ratione. Illud eſt in alio per accidens, quod eſt in alio, cui conuenit eſſe per ſe in loco: vt anima eſt per accidens in loco; quia eſt in corpore, quod per ſe eſt in loco; ſi igitur dolium per accidens eſt in ſeipſo, hoc ideo erit; quia doliũ eſt in vino, cui conuenit per ſe eſſe in dolio: quare vinum erit per ſe in dolio, & dolium in ſeipſo per accidens, & conſequetur hoc abſurdum, ſcilicet duo corpora eſſe in eodem loco.

Quod autem Zeno, &c. Soluit rationem Zenonis dicẽs, etſi locus ſit, non opus eſt in infinitum abire: quia locus non eſt in alio tanquam in loco; ſed tanquam in ſubiecto. Obſeruat tandem, locum nec eſſe materiam, nec formam: quia locus & vas non ſunt aliquid eius, quod eſt in loco, aut in vaſe: materia vero, &

forma ſemper ſunt aliquid eius, quod eſt in loco: cùm ex materia & forma tāquam ex partibus eſſentialibus phyſicis componatur totum naturale: vt abunde diximus primo Phyſico in diſputatione de principiis.

CAPVT IIII. QVID SIT LOCVS.

ET QVAE hæc quidem, &c. Hactenus ex poſuit quid locus videatur eſſe, & non ſit: modo, locus difinitionem inueſtigare inſtituēs, obſeruat, eas prius de loco præſupponendas eſſe affectiones, quas per ſe in eſſe & conuenire loco, indubitāter omnes admittant. Eſt igitur. 1. affectio. Locus continet rem locatam, & non eſt aliquid illius: id eſt nō eſt pars, aut aliquid illi intrinſece inhærens. Hæc affectio conuenit loco proprio, & communi. 2. affectio. Locus proprius non poteſt eſſe maior, vel minor corpore locato. 3. affectio. Locus, quamuis abſque hoc, vel illo corpore eſſe poſſit; nunquā tamen eſſe poteſt quouis corpore deſtitutus: id eſt ſemper locus debet habere aliquod corpus. 4. affectio. In omni loco eſt ſupra vel infra. Hæc tamen affectio dupliciter explicatur. Primo ita. Omnis locus cum diſiunctione vel eſt ſuperior, vel inferior. Secundò ita. In omni loco reperitur pars ſuperior & inferior: vt pars ignis habet partem ſuperiorē, illam ſcilicet qua cęlum attingit; & inferiorem; illā ſcilicet, qua tangit aerem. 5. affectio. Quoduis corpus naturale natura ſua fertur in ſuum locum naturalem, & ibi quieſcit: vt ignis mouetur in locum ſuperum, & in illo quieſcit; & terra tendit in locum inferum, & in illo quieſcit. Theophraſtrus magnus Ariſtotelis diſcipulus connumerauit etiam immobilitatem loci inter loci affectiones, vt refert hic Simplicius. Sed hanc poſtea tradet Ariſtoteles cùm loci diffinitionē aſsignabit.

Loci affectiones cō munes.

Cauendum eſt autem, &c. Traditurus itaque loci diffinitionem, in ea, ſe tria (quæ numeris omnibus reddunt abſolutam cuiuſuis rei diffinitionē) ſeruare pollicetur. Quorum primum eſt, vt per loci definitionē propoſitæ quæſtiones,

& rationes ſoluãtur. 2.vt per ipſam aperte, & dilucide quæ loco conueniunt,explicẽtur, 3.vt per eãdem intelligamus, quænam fuerit cauſa, ob quã ortę ſunt ſuperiores dubirationes de loco : ſi enim hæc tria obſeruemus, recte ſatis loci naturam definitione aperiemus.

Principio intelligendum eſt,&c. Traditurus talem,qualem po licitus fuit motus definitionẽ prius monet,nullã vnquam factã fuiſſe loci naturę inquiſitionem; niſi aliqua motu per locum mouerentur:cælum enim in loco eſſe exiſtimamus ex eo,quod mouetur motu ſecundum locum. Motus vero, qui,vt fiat, loco eget, duplex eſt;ſcilicet localis,quem lationem dicere conſueuimus; & accretio,& decretio:nã quod accreſcit, ſecũdario acquirit maiorem locum; & quod decreſcit,minorem.

Quod autem mouetur aliud,&c. Monet inſuper,rem poſſe moueri actu duobus modis:ſcilicet per ſe, vt compoſita naturalia;& per accidens id eſt ratione alterius,in quo talis res reperitur : vt rerum naturalium partes, & accidentia. Rurſus ex his quæ mouentur per accidens, quædam per ſe moueri poſſunt:vt partes corporis,verbi gratia, clauus nauis. Quædam vero numquam poſſunt per ſe moueri;ſed dũ mouentur,ſemper mouentur per accidens : vt accidentia; hæc enim ſolum poſſunt ſecundum locum moueri ex eo, quod ſubſtantiæ,quibus inhærent, mouentur ſecundum locum.

Iam autem in cælo, &c. Repetita diuiſione illa loci in proprium, & communem, quam ſuperius tradidit, docet, id quod eſt in aliquo,vt,in toto, dum ei cohæret, non eſſe in illo,tamquam in loco ſaltim actu;eſſe tamen in illo tamquã in loco, ſi ab illo præſcindatur,fiatq. cõtiguũ,& ab illius prima ſuperficie cõtineri incipiat:tunc enim vtriuſq extrema ſimul eſſent, & æqualia.

*Ex quibus iam perſpicuum eſt, &c.*Ex his,quæ dicta ſunt,ait, perſpicuum eſſe quid ſit locus; id tamen explicat propoſitis. 4. quæ videntur eſſe locus,vt inde á ſufficienti diuiſione colligat,quod nam ex illis locus ſit:inquit ergo neceſſe eſt,locum aut eſſe formam, aut materiam, aut interuallum inter latera continentis, aut ſuperficiem : ſed nullũ ex tribus primis videtur eſse locus;ergo loc⁹ eſt ſuperficies. Probatur minor. Quod non ſit forma,manifeſtũ eſt, quia for-

forma intrinſeca eſt rei, cuius eſt forma; locus vero eſt quid extrinſecum: nam ſimul ſunt ſuperficies continentis, & contenti; hæc tamen rei locatæ; illa vero rei locanti inhæret. Tum etiam etſi tam forma, quam locus continere dicantur, diuerſimode tamē, vt ex dictis conſtat.

Quoniam autem ſæpe, &c. Cum viciſsitudo corporũ in eodē loco fauere videatur ſententiæ, quæ docet, locum eſſe interuallum, nam manente eodē loco, in illo aliud, & aliud ſuccedit corpus, ex quo videtur colligi poſſe, locũ eſſe interuallũ; proinde docet, hoc non ita eſſe: nam abſque interuallo corpꝰ corpori ſuccędit; & ſi corpus, quod ſuccedit, fiat contiguum corpori locanti, erit in illo, tamquam in loco: ſi vero cùm illo continuetur, erit in illo tamquã in parte. Locum ergo non eſſe ſpatium illud, & interuallum, probat in ſequentibus duplici argumento.

Quod ſi interuallum, &c. Primũ argumentum. Si eſſet interuallum illud natura ſua trina dimenſione conſtans, & permanens, in eodem loco darētur ſimul infinita loca: quod affirmauit nemo. Probat aſſumptum. Probatio tamē adeo difficilis eſt, vt dixerit Philopponus futurum fuiſſe, vt nullo modo poſſet intelligi, niſi Ariſtoteles, cũ de vacuo agit, ſeipſum fuiſſet interpretatus: quæ vero hæc ſint, quæ Ariſtoteles docuit, latè proſequitur Vicormercatus, & poſtea egregiè locum Ariſtotelis exponit. Verba igitur Ariſtotelis hæc ſunt. *Cum enim aqua & aer mouebuntur loco, quod vniuerſa aqua in vaſe facit, idem partes in toto facient.* Expoſitio ergo ita habet. Si interuallũ hoc conſtituatur, & exeunte ab illo aqua, in eodem recipiatur, aer tunc per interuallum aquæ interuallum vaſis meabit; & quæ eſt ratio totius interualli aquę ad totum interuallum vaſis, eadem erit partium ad partes. Quare, quemadmodum totum permearet per totum, ita omnes partes per omnes partes: cum ergo aqua cōtinuum ſit quoddam, quod infinite diuidi poteſt, meante interuallo vaſis per aquæ interuallum, aqua erit infinite diuiſa: quare infinita erunt loca, in quæ partes illæ infinitæ recipiantur. Quare non eſt conſtituēdum huiuſmodi interuallum.

Præterea locus etiam, &c. Secundum argumentum. Si datur interuallum locus mouebitur, & locus erit in alio loco, eruntque ſimul multa loca:

ca: quæ omnia ſunt abſurda. Quod vero id ſequatur oſtẽditur, quia ſi aqua in vaſe contineatur, & interuallum vaſis ſit locus aeris, & vas moueatur, itaut in alio interuallo ſit iam locus, nempe vaſis interuallum, erit in alio loco, & locus mouebitur, eruntq́; ſimul multa loca.

Atq. etiam materia, &c. Huc vſque cõfirmauit, locum nec eſſe formam, nec interuallũ cauo ambitu incluſum: reliquum iã erat, vt omnis è medio dubitatio tolleretur, & oſtenderet, locum non eſſe materiam: id ergo præſtat, vt nihil prorſus ambiguitatis in re huiuſmodi relinquatur: locus enim videri poterat materiã eſſe; eo quod vt eadem materia varijs ſubĩde formis ornatur: ita locus immotus manens, idemque perſeuerans, varia recipit, & ambit corpora. Maxime tamen differunt. Primo quia materia nouam formã ſuſcipiẽs fit pars illius rei cõpoſitę ex materia & forma; locus vero recipiẽs locatum, non fit pars illius. 2. diff. quia materia nõ poteſt ſeparari à forma, nec cõtinet; locus vero eſt ſeparabilis, & cõtinet locatũ. Quare ex omnibus, quæ dixit, concludit. Cũ locus nec ſit materia, nec forma, nec interuallum, reliquũ eſt, vt ſit ſuperficies corporis continẽtis illud corp9, quod mouetur ſecundum locum.

Locũ autem, &c. Monuit Plato in Sophyſta oportere eũ, qui maxime viuere expetit, à ſimilitudinibus cauere: ſæpè enĩ ſimilitudo erroris cauſſa exiſtit; cum igitur locus ſimilitudine quadam ad materiã, formam, & interuallum accidere videatur; proinde nos monitos eſſe volt Ariſt. magnum quid, & difficile eſſe, loci naturam diſtincte agnoſcere. Similitudo vero inter locũ, & interuallum cõſiſtit in hoc, quod interuallũ videtur diuerſũ à corporibus contentis, eſſeq. inter latera corporis continentis: quã ſimilitudinẽ non parũ confirmat aer qui, cum ob maximam tenuitatem corpore vacare appareat, ſuſpitionẽ præbet exiſtimandi, locũ non ſolũ eſſe ſuperficiẽ continentis, ſed etiã ſpatium illud medium.

Vt autem vas eſt locus, &c. Perſiſtit, hac ſimilitudine nõ obſtante, in ſua ſententia dicẽs, vas eſt locus mobilis; locus vero eſt, vt vas, quod nõ poteſt moueri. Quare id quod ita in aliqua re continetur, vt ad motum eius, quod cõtinetur, moueatur res continẽs: ſicut ad motum naviculæ exiſtentis in flumine, mouetur aqua

 flumi-

fluminis, non eſt propriè locus: locus enim natura ſua immobilis eſt.

Quocirca locus primo eſt, &c. Proponit iam loci diffinitionem numeris omnibus abſolutam, quæ ita habet. Superficies corporis continentis. Prima, & immobilis.

Ob eamque cauſſam, &c. Huius loci innumeræ ſunt expoſitiones, quarum aliquam ad mentem eſſe Ariſt. non valeo intelligere: exiſtimo tamen, ſi nobis noſtrã licet proferre ſententiam, ita eſſe exponendũ. Docuit extremis verbis, locum eſſe immobilem, indeq. colligit, *ob eamque cauſam media cæli pars*, id eſt quia locus eſt immobilis, proinde medium mundi, id eſt centrum terræ, *& extremitas quæ nobis apparet conuerſionis*, id eſt ſuperficies intima, & verſus nos cõuexa orbis lunæ, qui in orbẽ vertitur, *maxime omnibus proprie uidetur eſſe*, id eſt ab omnibus proprie appellatur locus. *Hæc ſupra*, id eſt ſuperficies intima orbis lunæ locus ſuperior, *illa infra*, id eſt centrum terræ locus inferior. *Quod & illud ſemper inſiſtit*, id eſt quia centrum terræ ſemper in ſe ſtat, & eſt immobile, *& cæli extremitas ſemper ſui ſimilis manet*; id eſt cæli moueatur, numquam tamen deſerit locum quem habet; ſed circa illum mouetur. Quare concludit, quia id eſt leue, quod natura ſua tendit ſurſum: id autem graue, quod natura ſua tendit deorſum, proinde ſuperficies ambiens medium mundi, id eſt terram, merito locus inferior appellatur; & concaua lunæ ſuperficies merito locus ſuperior à veteribus nuncupatur. Hincq. colligit, quo pacto locus dicatur ſuperficies prima: quia, cum locus ſit planum quoddã, id eſt ſuperficies adæquate reſpondens rei locatæ, termini loci, & locantis idem ſunt, & contingunt ſe; ac proinde locus eſt prima ſuperficies.

CAP. V. QVA RATIONE COELVM SIT IN LOCO.

A*Tque id quidẽ, &c.* Ex ſuperiori definitione loci oſtendere inſtituit, quæ dicãtur eſſe in loco; inquit ergo, corpus illud eſt in loco, quod ab alio extrinſeco ambitur, & continetur; quod verò non

ita

ita continetur, non eſt in loco: vt ſi aqua eſſet corpus, A nullo alio contentum, tunc ſecundum ſe totam non eſſet in loco; eſſet tamen in loco, & moueretur ſecundum locum ratione partium: quia aliæ partes illius ab aliis continerentur. Quare concludit, quod vniuerſitas ipſa mouebitur ratione partium, per ſe autem non mouebitur. Quid nomine vniuerſitatis intelligat Ariſt. dubitant interpretes. Græci enim fere omnes dicunt, intelligere cæleſtem mundum tantum, qui dicitur eſſe in loco non ſecundum ſe totum, ſed ratione partium; quia ſcilicet inferiores orbes à ſuperioribus continentur. Auerroes, & Albertus volunt, nomine vniuerſi intelligere Ariſt. totum mundum, qui ratione partium eſt etiam in loco. His ſubſcribit C. Tol. placetq. nobis hæc expoſitio, & expoſitio D. Th. & Vicomer. dicentium, intelligere Ariſt. primam ſphæram; quia hæc eſt in loco non actu, ſed potentia ſecundum partes continuas; quia vt ſuperioribus capit. docuit, quod continuum eſt cum aliquo, eſt actu in illo tanquã pars in toto, & eſt in illo tanquã in loco in potẽtia. Subdit poſtea, *et totum &c.* id eſt primum cœlum, ſi ſecũdum ſe totum ſumatur, non mutat locum; fertur tamen in orbem, ratione partium, quæ ſunt in loco: partes enim illius nec feruntur ſurſum, nec deorſum: nã ſolum conuenit partibus continui, quod poteſt rareſieri, & condenſari, vt aliæ illius partes ferantur ſurſum, & aliæ deorſum.

Quædam autem, &c. Vt quæſt. abſoluat, duas adfert diuiſiones. Eſt ergo prima. Alia ſunt actu in loco; alia in potentia tantum; vt partes, quæ ſunt actu in continuo, ſunt in loco potentia tantum; quæ vero ſunt diuiſæ ita, vt aliæ aliis ſint contiguæ, ſunt actu in loco. 2. diuiſio. Alia ſunt per ſe in loco, illa ſcilicet, quæ per ſe poſſunt loco moueri, vel accreſcere, vel decreſcere, & primum cœlum non eſt hoc modo in loco; cũ à nullo contineatur, & moueatur, ratione partium: alia vero ſunt in loco per aliud, ſiue per accidens: vei bi gratia anima, & cœlũ; cœli enim partes quodammodo ſunt in loco, cum aliæ ab aliis contineantur. Ex quo fit, vt quod ſuperum eſt, ſolum in orbem moueatur. Particulam per accidens, ſumit modo latã ſignificatione ita, vt dicatur etiam per accidens conuenire id,

quod conuenit ratione partis.

Vniuerſitas autem non alicubi eſt, &c. Nomine vniuerſitatis mũdum intelligit, docetque non eſſe per ſe in loco; cum à nullo corpore ſuperiori contineatur: extra primum enim cælũ nihil eſt, ex quo fit, ſubdit, vt cælum ſuo ambitu omnia complectatur; cum tanta magnitudine preditum ſit, vt fere ſuo nomine omnia declaret. Cælum tamen non eſt locus corporum ſublunariũ, ſed eius ſuperficies intima, & concaua, quæ tangit corpus illi proximum, nempe ignem, qui et ſi quieſcat, poteſt tamen moueri; ac propterea ſuperficies aquæ ambit terram vt locus eius: ſuperficies aeris aquam: ſuperficies ignis aerẽ: ſuperficies prima primi orbis cæleſtis ignem; cælum verò à nullius corporis ſuperficie continetur. Vbi obſerua, loqui Ariſt. de locis elementorum in prima illorũ productione, quãdo ſcilicet fuerũt facti à Deo per creationẽ: tunc enim talem ordinem ſeruabant elementa, vt tota terra eſſet circumſcripta aqua, tota aqua aere, totus aer circũſcriptus igne; & totus ignis concaua ſuperficie orbis Lunæ.

Ex his autem perſpicuũ eſt, &c. Capite 4. pollicitus fuerat, ex loci definitione omnes cõtrarias rationes ſoluere: id modo præſtat. Inquit enim ex propoſita loci definitione faciliimum eſſe, omnes illas quæſtiones diſſoluere, ſatisfacit ergo argumentis. Primo argumento reſp. nõ eſſe neceſſe creſcere locum per ſe, quando creſcit corpus locatum; ſed creſcere tãtum per accidens, quia locus non eſt corpus, & ſolum corpus per ſe creſcit. Secundo argumento reſpõ. non eſſe neceſſe vt punctum, & alia indiuiſibilia ſint in loco, quia non ſuccedũt viciſsim per ſe, ſed per accidens, ſcilicet ratione corporum, quorum ſunt indiuiſibilia. Tertio argumẽto reſpõdet ex dictis nec duo corpora eſſe in eodẽ loco: quia locus non eſt corpus, nec ſequitur inſuper, eſſe interuallum corporeum: quia id, quod inter latera continẽtis continetur non eſt interuallum, ſed corpus locatum. Tãdem locus eſt alicubi, ſed nõ tanquam in loco, ſed tanquã terminus in re terminata, neque omnis res eſt in loco, ſed ſolum corpus, quod per ſe poteſt moueri motu locali. Quarto argumento, cuius ſolutionem omiſit Ariſt. reſpõdendum eſt, locum, vt habet

vim conſeruandi, pertinere ad genus cauſæ efficientis.

Fertur etiam in ſuum, &c. Explicat rationem, ob quã mul ta ſuapte natura in propriũ ferantur locũ dicens, cauſam eſſe: quia quoduis ſponte ſua fertur in id, quod iuxta natu ræ ordinẽ illi eſt immediatũ; vt terra, ad aquã, aqua ad aerem, &c. Additq. illa quæ cõtinua ſunt nõ poſſunt in ſe viciſsim agere: quæ autẽ contigua ſunt habent quandã vim ſe mutuo conſeruandi propter ſymbolas qualitates.

Quieſcit in ſuo, &c. Vltimo rationẽ oſtendit, cur vnũquodque in ſuo naturali loco quieſcat, dicens. Quieſcit quæuis res in ſuo loco naturali; quia eãdem rationẽ obtinet pars locati, quæ tendit ad locũ, ac habet pars auulſa reſpectu totius: vt cum aliquis a loco ſuperiori cõmouet aliquam partem detentam terræ, vel aquæ, habẽt ſe enim ita locus & res locata: v.g. aer, & aqua vt aqua quæ eſt res locata, ſe habeat veluti materia; aer verò qui eſt locus, veluti forma: nam aqua eſt veluti materia aeris; aer verò veluti perfectio & forma aquę: nam aqua poteſt conuerti in aerem, & fieri aer, aer verò poteſt fieri aqua, ſed alio modo: quæ certe verba aliquantulũ ſunt obſcura: imò ipſe Ariſt. ſubdit, hæc eſſe obiter dicta, & nimis obſcura. Explicamus vero locum ita. Aquæ cõuerſio in aerem dicitur generatio ſimpliciter, & corruptio ſecundum quid. Cum vero aqua fit ex aere, dicitur generatio ſecundum quid, & corruptio ſimpliciter, ratio eſt: quia cũ ex rei imperfectiori perfectior generatur, dicitur ſimpliciter generatio, & corruptio ſecũdum quid; cũ vero ex perfectiori fit imperfectior, dicitur generatio ſecundum quid, & corruptio ſimpliciter: vt cũ ex embryone fit leo, dicitur generatio ſimpliciter, & corruptio ſecundũ quid: cum vero ex leone fit cadauer, dicitur corruptio ſimpliciter, & generatio ſecundum quid. Cum ergo tã aer reſpectu aquæ, quã omnia ſuperiora elemẽta reſpectu inferiorum, vt altiorẽ in ordine naturę ſedem, ita eminentiorẽ perfectionis eſſentialis locũ obtinent, proinde merito dixit Ariſtot. ex aqua fieri per generationem ſimpliciter aerem, ex aere vero fieri aquam alio modo, ideſt, per generationem ſecũdum quid. Concludit hanc de loco diſputationem dicens. Diximus locum eſſe, & quid ſit.

DISPVTATIO DE LOCO.

QVÆSTIO I. AN SIT LOCVS.

DIVIDITVR quæſtio in duas dubitationes, quarũ prima dicemus, an diſputatio de loco pertineat ad Philoſophum naturalem. Secunda an ſit locus.

PRIMA dubitatio ortum habet ex Ariſt. qui poſtquam in principio cap. 1. huius diſp. dixit, diſputationem de loco ex officio incumbere Philoſopho naturali, docuit ſtatim, omnia entia eſſe in loco, ex quo ſic licet arguere. Omne quod eſt, eſt in loco: ergo locus eſt affectio entis in communi: ſed diſputatio affectionis entis in communi pertinet ad Metaphyſicum: ergo diſputatio de loco pertinet ad Metaphyſicum.

Sit aſſertio. Diſputatio de loco pertinet ad Philoſophum naturalem. Probatur, quia motus eſt affectio entis naturalis, quod eſt ſubiectum Philoſophiæ naturæ: nam omne ens naturale poteſt moueri motu locali.

Rationi adductæ Reſp. Ariſtotelem locutum fuiſſe ex antiquorum ſententia, vt diximus in Commentariis. Sed dices. Locus eſt quantitas; ſed de quantitate non diſputat Philoſophus naturalis, ſed Metaphyſicus & Mathematicus: ergo, &c. Reſpon. negando minorem, de eodem obiecto materiali diſputant multæ ſcientiæ, ſub diuerſa tamen ratione formali.

An ſit locus. IN SECVNDA parte quæſt. eſt ſecunda dubitatio, an ſit locus; quæ ſatis recte fuit exagitata ab Ariſt. cap. 1. Sit ergo aſſertio. In rerum natura datur locus. Hanc confirmauit egregie Ariſt. a poſteriori ex viciſſitudine corporum in eadem parte: quo etiam modo 1. lib. ex viciſſitudine formarum demonſtrauit, materiam eſſe. Probatur etiam ſecundo, quia quotidie experimur, multa corpora tendere ſurſum, multa deorſum, & multa per ſex alias differentias poſitionis: huiuſmodi vero motus non poſſunt fieri abſque loco.

Sed dices. Omne ens eſt in loco; ergo ſi datur locus, locus erit in loco, & ille alter locus cum ſit ens, erit in alio, & ſic in infinitũ. Reſp. non omne ens eſſe in loco: quare locus vt docuit Ariſt. eſt in alio nõ tanquam in loco, ſed tanquam in ſubiecto. Sed dices. Accidentia corporis ſunt in loco in quo eſt corpus, ſaltem per accidens: ergo ſi eſt locus in corpore tanquam in ſubiecto, locus erit in loco per accidens, & ſic erit proceſſus in infinitum. Reſpon. negando vltimam partem conſequentis: nã etſi locus ſit in loco ratione corporis, non datur proceſſus in infinitum: nam in corporibus tandem deuenitur ad aliquod corpus, quod non eſt in loco, ſaltem ſecundum partem ſuperiorem, ſcilicet ad primum cælum, vt dicemus in ſequentibus. Sed dices. Locus nec eſt quid corporeum, nec ſpiritale: ergo non datur locus. Reſp. negando antecedens: nam eſt corpus non in recto, ſed in obliquo, id eſt affectio, & altera ex dimenſionibus corporis naturalis continentis.

QVAESTIO II.

An locus ſit interuallum.

ARIST. 4. cap huius lib. docuit, locum nec eſſe materiam, nec formam: & ideo certum eſt, vt ampliori dubium verſatur, vtrum etiam, nõ eſſe interuallum, quæ res eſt aliquantulũ dubia: ac proinde debet modo in controuerſiam vocari.

Diui-

Diviſio quæſt.

8. Dividitur quæſtio in 3. partes. Prima proponemus partem affirmantem, quę 4. modis ſolet explicari. Secũda adducemus aſſertiones. Tertia rationes pro parte affirmante, illaſq. ſoluemus.

46. IN PRIMA parte quæſt. explicanda eſt ſententia exiſtimantium, locum eſſe interuallum. Nomine enim interualli intelligunt ſpatium illud, quod reperitur inter latera continẽtis; verbi gratia, ſi eſſet vas aere plenum, & deſtrueretur aer, ita ut non haberet intra ſe aliud corpus, illud ſpatium eſſet interuallum.

Hanc ſententiam quadrupliciter explicant Philoſophi. Quidã enim fuerunt opinati, huiuſmodi ſpatium & interuallũ eſſe ens reale poſitiuum, ſcilicet ſubſtantiam quandã immobilem, & indiuiſibilẽ, ſparſam per totum vniuerſum.

Alii voluerũt, interuallum eſſe tres dimenſiones a corpore ſeparatas, ſcilicet lõgitudinem, latitudinem, & profunditatẽ.

Deinde alii dixerunt, locum non eſſe aliquid poſitiuum; ſed potius interuallũ illud, quod locus eſt, nihil aliud eſſe, quã vacuum & inane manens inter latera locantis, ſi locatũ ſeparetur a loco. Sed circa has ſententias cõſulatur Simplicius in ſua perdocta digreſſione de loco, in fine cap. 5. huius libri.

Tandem Valleſius cõtrouerſia 13. explicat hanc ſententiam, dicens, locum eſſe ſpatium illud, quod reperitur inter latera continẽtis, quod quidem æqualem habet magnitudinem cum corpore locato. Et ſubdit, huiuſmodi ſpatium non eſſe aliquid realiter diſtinctum a re, quæ eſt in loco, ſed ſolum differre ab illa ratione. Hãc iudicat probabilẽ, Car. Tol. q. 3. & certe parum diſtat hic quartus modus explicãdi ſententiam a 3.

Locus nõ eſt ſubſtã-tia.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Locus non eſt ſubſtantia. Probatur aſſertio hac ſola ratione. Si locus eſſet ſubſtãtia, vel eſſet ſubſtantia corporea, vel incorporea: ſed neutra ex his: ergo, &c. Probatur minor. Inprimis nõ eſt ſubſtantia incorporea; quia quod incorporeum eſt, non poteſt ambire & continere rẽ corporeã, neq. poteſt eſſe æqualis cum illa: imo ſpiritalia ſolum ſunt in corporibus per operationem; non vero per continentiã, & circumſcribendo. Deinde neque locus poteſt eſſe ſubſtantia corporea, & quantitate affecta: quia tunc eſſent duo corpora in eodem loco, quod eſt abſurdum; nam duo corpora non poſſunt eſſe ſimul niſi per penetrationem dimenſionum; hæc autem contingere nequit viribus naturæ. Imo non eſſet maior ratio, cur illud ſpatium eſſet locus, & corpus cõtentum, locatum; quam e contra. Nec valet ſi reſpondeas, illam ſubſtantiã eſſe corpoream; tamen nõ eſſe præditam trina dimenſione. Primo: quia cum illud ſpatium ſit capax ad recipiendum corpus trina dimenſione præditum, neceſſario debet trina dimenſione conſtare. Secundo: quia nulla ſubſtantia corporea poteſt exiſtere viribus naturæ ſeparata a quantitate, ſed neceſſario debet habere trinam dimenſionem.

Secunda aſſertio. Locus non eſt illa trina dimenſio ſeparata a ſubſtãtia. Probatur primo: quia viribus naturæ nõ poteſt quantitas exiſtere ſeparata a ſubſtantia: at illa trina dimenſio quantitas eſt. Et ſi reſpõdeas pro illa ſententia, dimẽſiones illas non eſſe ſeparatas a quacumque ſubſtantia, ſed inhærere ſubſtantiæ locatæ, ſolutio eſt nulla. Primo: quia duæ quantitates ſolo numero diſtinctæ non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto. Secũdo: quia cum in eodem loco ſuccedant varia corpora, accidens migraret de ſubiecto in ſubiectum; quæ duo ſunt abſurda. Probatur ſecũdo aſſertio. Si locus eſſet illa trina dimenſio, daretur viribus naturæ, penetratio dimenſionum: ſed hæc nequit eſſe: ergo, &c. Probatur maior: quia illæ tres dimenſiones, penetrarent tres dimenſiones locati. Si reſpondeas, non eſſe abſurdum dimenſiones ſeparatas penetratiue ſe habere cum aliis dimenſionibus; eſſet a-

men

tamen abſurdum, ſubſtantiam corpoream penetrari à ſubſtantia corporea. Contra. Subſtantia corporea non poteſt penetrari ab alia, ex eo ſolum, quod habet dimenſiones, & quantitatem; ergo neque dimenſiones ſeparatæ poterunt penetrare ſubſtantiam corpoream aliis dimenſionibus affectam: vt enim ratione quantitatis conuenit ſubſtantiæ corporeæ habere partem extra partem: ita ratione quantitatis repugnat illi, poſſe ab aliis dimenſionibus penetrari.

Tertia aſſertio. Locus non eſt vacuum, ſiue inane. Probatur primo: quia in rerum natura non datur vacuum, aut inane, vt dicemus diſputatione ſequenti. Probatur ſecundo. Locus eſt ens: ergo vel ſubſtantia, vel accidens; ſed vacuum nec eſt ſubſtantia, neque accidens: ergo, &c. Probatur minor. In primis non eſt ſubſtantia: quia omnis ſubſtantia pertinens ad Philoſophiam naturæ, vel eſt materia, vel forma, vel totum compoſitum: at vacuum neque eſt materia, neque forma, neque totum compoſitum. Deinde, neque eſt accidens: quia nec inhæret corpori locanti; cum in corpore locante extra ſuperficiem, nullum ſit accidens, nec inhæret corpori locato: quia accidens non migrat de ſubiecto in ſubiectum, & in eodem loco ſuccedunt varia corpora: tum maximè, quia in ſubiecto corporeo, quale eſt corpus locatum, non poteſt inhærere niſi accidens corporeum: vacuum autem non eſt accidens corporeum.

Quarta aſſertio. Locus diſtinguitur realiter à re locata, & conſequenter illud ſpatium non eſt ſola ratione diſtinctum à corpore locato, vt docebat Valleſius. Probatur aſſertio. Quæ ita ſe habent, vt vno manente realiter, pereat alterum, illa diſtinguuntur inter ſe realiter: ſed manente eodem loco, ſuccedunt in illo varia corpora realiter diſtincta: ergo locus realiter diſtinguitur à corpore locato. Minorem docuit Ariſt. imo ex viciſſitudine corporum in eodem loco docuit cap. 1. locum eſſe: admittunt etiam illam Valleſius, & authores illius ſententiæ.

IN TERTIA parte quæſt. ſolandæ ſunt rationes pro ſententia contraria: vt explicatur quarto modo, nam iuxta tres primos modos nullam habet rationem, quæ ſit alicuius vis. Probant ergo primo illam duobus exemplis. Primum eſt. Si eſſet vas omni corpore deſtitutum, in illo eſſet capacitas ad recipiendam trinam dimenſionem corporis locati, quæ capacitas ſola ratione diſtingueretur à corpore, quod poſſet eſſe in loco; ergo in loco eodem modo reperitur talis capacitas ſola ratione diſtincta à corpore locato. Reſp. negando anteced. pro vltima parte: nam talis capacitas non eſſet niſi in vaſe; & eodem modo in loco eſt capacitas ad recipiendam trinam dimenſionem, quæ quidem non eſt in corpore locante; ſed potius in ſuperficie locantis, & continentis. Secundum exemplum. Quemadmodum materia prima eſt pura potentia ad omnes formas; nunquam tamen eſt omni forma deſtituta: ita locus, ſiue ſpatium hoc eſt pura potentia ad dimenſiones locati, & nunquam caret dimenſionibus; ſed ſemper habet dimenſiones alicuius corporis. Quare illa capacitas eſt in ipſis dimenſionibus locati, & diſtinguitur ab illis ſola ratione. Reſp. admittendo in loco reperiri capacitatem ad trinam dimenſionem locati: imo hanc capacitatem eſſe locum; negamus tamen, reperiri in corpore locato: nam talis capacitas eſt ſuperficies corporis locantis. Probatur etiam rationibus. Dices ergo primo. Locus non eſt interuallum, ſed ſuperficies, vt dicemus quæſtione ſequenti: ergo primum cælum non eſt in loco, quod eſt abſurdum. Reſp. negando conſequentiam, vt diffuſius dicemus q. ſequenti.

Dices 2. Locus debet eſſe æqualis cum re locata: ſed non poteſt eſſe æqualis, niſi ſit interuallum: ergo locus eſt interuallum. Reſp. negando minorem: qua tamen ratione locus debeat eſſe æqualis cum re locata, dicemus quæſt. 3. Sunt etiam aliæ innumeræ rationes, quarum aliquas commodius multo ſoluemus quæſt. 3. & 4.

QVÆ-

QVAESTIO III.

An locus ſit ſuperficies.

Diuiſio quæſt.

DIVIDITVR quæſ. in quatuor partes. Prima proponemus obſeruationes: ſecunda quædam fundamenta: tertia aſſertiones: quarta ſatisfaciemus contrariis rationibus.

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſeruatio. Locus duplex eſt: ſcilicet definitiuus, & circumſcriptiuus. Locus definitiuus eſt ille, in quo eſt res ſpiritualis per operationem, & de iſto loco nõ diſputamus modo: quia non eſt Phyſicus. Locus circumſcriptiuus eſt ille, qui ambit, & continet rem locatam: verbi gratia, locus ille, in quo lapis hic continetur: deinde locus circũſcriptiuus duplex eſt, ſcilicet communis, & proprius, vt docuit Ariſt. cap. 2. huius lib. in principio. Deinde locus proprius, qui eſt ille, qui immediate, & proxime ambit, & continet aliquam rem, duplex eſt: ſcilicet naturalis, & non naturalis. Naturalis eſt ille, qui non ſolum ambit, & continet immediate rem locatam; ſed etiam habet vim quandam naturalem attrahendi, & conſeruandi illam propter ſymbolas qualitates, in quibus conueniunt. Locus proprius nõ naturalis eſt ille, qui immediate continet rem locatam; non tamen habet vim attrahendi, & conſeruandi tale locatum: verbi gratia, ſi lapis detineatur in media aeris regione, ſuperficies illa, a qua ille lapis ambiretur, eſſet locus proprius illius lapidis: non tamen eſſet locus naturalis.

Secunda obſeruatio locus naturalis duplex eſt: alter determinatus, ille ſcilicet cuius tota capacitas æqualis eſt cum corpore locato: verbi gratia in prima mundi conſtitutione, quando terra erat circumfuſa aqua, ſuperficies aquæ erat locus naturalis terræ determinatus; naturalis quidem propter ſymbolas qualitatẽs: determinatus vero: quia ita continebat tota ſuperficie totã terram, vt nulla pars terræ eſſet extra ſuperficiem aquæ in alia ſuperficie, neque eſſet ſuperficies aquæ, quæ non ambiret terram. Alter vero eſt locus naturalis & proprius, non tamẽ determinatus; ille ſcilicet, qui maiorem capacitatem habet, quam res locata: verbi gratia mare eſt locus naturalis piſcium, quam piſces, qui ſunt in mari, ita ſub aquas vitam degunt, vt mare propter ſymbolas qualitates & quaſdã naturales facultates vim habeat huiuſmodi animalia conſeruandi, ita, vt, ſi a ſuperficie alterius elementi vel mixti diu circũſcribantur, neceſſario debeant vitam cum morte commutare. Infero ergo, hæc & alia huiuſmodi habere loca naturalia, quia in illis conſeruantur, & loca propria, quia ab illis immediate ambiuntur: non tamen determinata: quia ita hic piſcis verbi gratia conſeruatur tã quam in loco proprio naturali in hac ſuperficie aquæ, a qua immediate ambitur, vt poſsit etiam ab alia eiuſdem aquæ ſuperficie immediate ambiri, & in ea conſeruari.

Tertia obſeruatio. Aliud eſt loqui de loco naturali vt naturalis eſt, & aliud loqui de illo vt locus eſt: nam de ratione loci naturalis, vt locus eſt, ſolum eſt, vt ambiat rem locatam; de ratione vero loci naturalis reduplicãdo eſt, habere vim attrahendi & conſeruandi rem locatã. Qua tamen ratione id præſtet locus naturalis, et in quo genere cauſæ dicemus quæſt. 6.

Quarta obſeruatio. In orbibus duplex reperitur ſuperficies, vna, quæ appellatur externa, extima, ſiue conuexa: & altera, quæ appellatur interna, citima, ſiue concaua: verbi gratia in orbe lunæ ſuperficies, quæ eſt verſus nos, eſt interna; ſuperior vero eſt externa. Solent ergo multi, aut fere omnes Philoſophi docere, ex his ſuperficiebus ſolum illam, quæ interna eſt, locum eſſe, aliam vero minime. Nobis tamen non placet hæc opinio. Sed in ea ſumus ſententia, vt exiſtimemus, quamuis ſuperficiem contiguam cum ſuperficie al-

terius corporis eſſe locũ illius corporis, ſiue talis ſuperficies ſit ſuperior, ſiue inferior, ſiue dextra, ſiue ſiniſtra, ſiue anterior ſiue poſterior, ſiue concaua, ſiue conuexa, ſiue plana: quod, verum eſſe, demonſtrabimus in 3. p. q. Ex his infero, omne corpus locans eſſe locatum, & omne corpus locatum eſſe locãs: verbi gratia, ſi ſint duo lapides cõtigui, quemadmodum ſuperficies vnius, prout quam fit cõtactus cum alio lapide, eſt locus illius lapidis: ita ſuperficies alterius lapidis eſt locus huius. Imo nõ ſolum verum eſt hoc in loco, vt locus eſt; ſed etiã in loco, vt eſt naturalis. Nam quemadmodum aer, verbi gratia, propterea eſt in igne tamquam in loco naturali: quia ignis habet qualitates ſymbolas, quibus mediis cõſeruat aerem; ita aer habet ſymbolas qualitates, quibus mediis conſeruat etiam ignem: quare non eſt maior ratio in vno, quam in alio.

Quinta obſer. Poteſt res moueri vt docuit Ariſt. 4. cap. huius lib. per ſe, & per accidens. Mouentur per ſe compoſita ex materia, & forma: mouentur per accidens accidentia, & partes totius compoſiti, ſed nomine partis non ſolum intellexit Ariſ. partes integrantes cõpoſiti naturalis; ſed etiam partes integrantes compoſiti artificialis: imo ea omnia, quæ ita ſe habent, vt aliquo modo efficiant aliquod totum integrum materiale; hoc ſignificanter dicẽs, clauum nauis per accidens moueri ad motum nauis. Ex quo infero id, quod eſt in alio, tanquam in vaſe, moueri ad motum vaſis non per ſe, ſed per accidẽs: verbi gratia vinum in amphora.

VII. obſer. Locus non naturalis complectitur etiam locũ artificialem; imo locus in communi complectitur locũ naturalem, locum artificialem, & locum violẽtũ. Ex dictis manifeſtus eſt quæſt. ſenſus: Inquirimus enim quid ſit locus in tota ſua latitudine; & quid ſit locus naturalis.

IN SECVNDA p. q. ſit 1. funda. De loco poſſumus loqui dupliciter, ſcilicet formaliter, & realiter, idẽſt poſſumus inquirere quid ſit locus realiter; & quid ſit eius ratio formalis, per quam conſtituitur in eſſe loci, & diſtinguitur ab aliis ſpeciebus quantitatis.

Secundum fundam. Vt diximus in Logica cap. de quantit. q. 6. quantitas, quæ eſt genus ſupremũ, diuiditur in continuã, & diſcretam: deinde continua in ſucceſſiuam, & permanentem: rurſus permanens in lõgitudinem, latitudinem, & profunditatem, ſiue in lineam, ſuperficiem, & corpus: rurſus latitudo, ſiue ſuperficies diuiditur in ſuperficiem continentem, quæ eſt locus; & in ſuperficiem terminantem. Superficies ergo, quæ eſt locus, poteſt ſumi pro ratione formali communi ſuperficiei terminanti, & continenti: poteſt etiam ſumi pro realitate: nam eadem realitas eſt ſuperficies terminans, & locus.

Tertium funda. Quemadmodũ motus, actio, & paſsio poſſũt ſumi formaliter, & ſic diſtinguuntur inter ſe; & realiter, & ſic ſunt eadem entitas: ita ſuperficies terminans, & locus.

IN TERTIA p. q. proponendæ ſunt aſſertiones: obſeruãdo tamen prius, aliquos exiſtimaſſe locum eſſe qualitatẽ, alios vero relationẽ, & alios pertinere ad Categoriam vbi, vt dicemus in 4 p. q.

Prima aſſertio. Locus nõ eſt qualitas. Probatur, de ratione loci eſt, vt cõtineat rem locatam, & ſit æqualis cum illa: ſed qualitas nec cõtinet corpus locatum, nec eſt illi æqualis; ergo locus nõ eſt qualitas.

Secunda aſſer. Locus formaliter ſumptus, non eſt relatio. Proba. 1. eodem modo, ac ſuperior concluſio. Prob. 2. quia locus menſurat rem, quæ eſt in loco: at relatio non poteſt menſurare.

Tertia aſſer. Locus non eſt vbi. Probatur. Omne, quod de nouo incipit eſſe, debet eſſe vel productio, vel productum; ſed motus localis incipit eſſe de nouo; ergo vel eſt productio, vel productus: ſed non eſt productus; quia omne productũ fit per motum, vel mutationem, & ad motũ nec datur motus, nec mutatio, vt docuit Ariſt.

3. Phyſ.

3. Phyſ. c. 1. ergo eſt productio: ſed omnis productio habet terminum per illam productum; ergo motus localis habet terminum per motum productum. Modo ſic. Quod eſt terminus motus localis non poteſt eſſe locus: ſed vbi eſt terminus motus localis: ergo nõ eſt locus. Maior, & min. huius ſyllogiſmi egent confirmatione. Maior ergo probatur ita. Per motum localẽ producitur, rem eſſe in loco: ſed eſſe in loco eſt vbi: ergo per motũ localem producitur vbi: ergo vbi eſt terminus motus localis. Probatur etiam min. locus ſupponitur motui locali: ſed terminus motus localis non ſupponitur, ſed ſubſequitur: ergo quod eſt terminus motus localis, non poteſt eſſe locus. Probatur mai. quia, vt eadẽ materia prima viciſſim recipit varias formas, ita idem locus viciſſim recipit varia corpora; imo ex hac corporũ viciſſitudine deduxit Ari. c. 1. huius lib. dari locũ.

Prob. 2. Quæ ſunt in ſubiectis realiter diſtinctis realiter diſtinguuntur: ſed vbi, & locus ſunt in ſubiectis realiter diſtinctis; ergo, &c. Prob. min. Locus eſt in locãte: ſed vbi eſt in locato; ergo cum locus, & locatum ſint ſubiecta realiter diſtincta, locus, & vbi erunt in ſubiectis realiter diſtinctis. Prob. mi. Motus & terminus motus debent eſſe in eodem ſubiecto: ſed motus localis eſt in locato; ergo eius terminus, nempe vbi, debet eſſe in locato.

Quarta aſſer. Locus ſũptus in tota ſua latitudine, per ſe pertinet ad quãtitatem. Probatur. Id, cui conueniunt affectiones quantitatis per ſe, per ſe pertinet ad quantitatem: ſed loco ſumpto in tota ſua latitudine, per ſe conueniunt affectiones quantitatis; ergo, &c. Prob. min. Locus in tota ſua latitudine complectitur locum naturalem, artificialem, & violentũ: ſed loco naturali, artificiali, & violento conueniunt aliquæ affectiones quantitatis: ergo loco in tota ſua latitudine conueniunt aliquæ affectiones quantitatis. Prob. mi. continere, & eſſe æquale ſunt affectiones quantitatis; ſed iſtæ cõueniunt loco naturali, artificiali, & violento; ergo aliquæ affectiones quantitatis cõueniunt loco naturali, artificiali, & violento. Maior eſt certa, minor, prob. 1. in loco naturali, v.g. in ſuperficie aeris, quæ eſt locus naturalis terræ, & continet terrã, eſtq. illi æqualis. Deinde probatur in loco violento: v.g. quando lapis detinetur in aeris regione, ſuperficies aeris, qua ibi lapis ambitur, eſt locus violentus lapidis, & continet lapidẽ, eſtq. illi æqualis. Prob. 3. in loco artificiali: v.g. in amphora plena vino, quæ continet vinum, & amphoræ ſuperficies eſt æqualis cum ſuperficie vini.

Prob. 2. Aſſertio de loco artificiali, de quo eſt maior dubitatio. Motus ad locũ non poteſt fieri niſi per id, quod vere eſt locus: ſed poteſt fieri per ſuperficiem vaſis: ergo vas eſt vere locus: ergo cũ locus per ſe ſit quantitas, vas etiam per ſe erit quantitas. Prob. min. quotieſcumq. corpus adquirit nouũ vbi, vere mouetur motu locali: quia vbi eſt terminus motus localis, & non poteſt adquiri terminus ſine via: ſed corpus, per motũ factũ per ſuperficiem vaſis, poteſt acquirere nouũ vbi; ergo per illum motum vere mouetur ſecundum locũ: ergo vas vere eſt locus. Prob. min. quia ſi ſint duo vaſa contigua, & corpus, quod erat in vno, tranſeat ad aliud, adquirit nouum vbi.

Definitio loci.

Quinta aſſer. Locus ſumptus formaliter diffinitur ſuperficies cõtinens. Explicatur aſſert. Si ſuperficies ſumatur ſecundũ rem, diffinitur locus per ſuperficiem, tanquam per ſubiectum; ſi vero ſumatur pro ratione communi loco, & ſuperficiei terminanti, vt terminans eſt, diffinitur locus per ſuperficiem, tãquam per genus, & per alteram particulam definitionis, tanquam per differentiã eſſentialem. Hæc aſſertio, ſi intelligatur hoc 2. modo, conſtat ſatis ex ſerie Categoriæ quantitatis, quã propoſuimus in 2. ſumma. Probatur ergo Aſſertio. Omnis ratio formalis ſpecifica pertinẽs ad aliquam Categoriam, in qua non ſolum collocãtur rationes formales,

ſed etiam realitatem, debet eſſe idem realiter cum aliqua entitate eiuſdem Categoriæ; ſed locus formaliter ſumptus, eſt ratio formalis pertinens ad Categoriam quantitatis, & in Categoria quantitatis non ſolum collocantur rationes formales, verumetiam realitates; ergo locus formaliter ſumptus, debet eſſe idem realiter cum aliqua realitate pertinente ad Categoriam quantitatis; ſed talis realitas non poteſt eſſe niſi ſuperficies: ergo eſt idem realiter cũ ſuperficie. Vltima min. quæ probatione eget, eſt ſatis manifeſta, ſi fiat inductio per ſpecies quantitatis: ſecunda pars aſſertionis ſatis conſtat ex illa quæſt. citata ex Logica in 2. fundam.

Sexta aſſertio. Locus naturalis, vt locus eſt, eſt ſuperficies continens corpus; vt vero naturalis, habet vim attrahendi, & conſeruandi locatum. Prima pars aſſertionis probatur: quia ratio loci ſumpta in communi, ſynonyma eſt, & conſtituit ſpeciem infimam in Categ. quantitatis, vt conſtat ex 2. fundam. & ex quæſt. ibi citat. ſecunda pars aſſertionis cõfirmabitur q. 6.

IN QVARTA parte quæſt. proponendæ ſunt contrariæ ſententiæ noſtris aſſertionibus, & ſoluendæ rationes, quibus confirmantur.

Eſt ergo 1. ſenten. Ianduni, qui (vt refert C. To. q. 4.) docuit, in loco eſſe ſubiectum, illudque eſſe ſuperficiẽ, & eſſe virtutem conſeruatiuam locati, quæ eſt forma loci; ac proinde locum formaliter ſumptum pertinere ad 2. ſpeciem qualitatis. Hæc ſententia quantum ad primam partẽ vera eſt, ſi ſuperficies ſumatur realiter, vt explicuimus aſſertione 5. falſa tamen eſt, eo quod doceat, rationem formalem loci eſſe qualitatẽ: nam locus formaliter ſumptus, ad quantitatem pertinet, & Ariſto. in Logica cap. de quantitate illum connumerauit inter ſpecies quantitatis. Eſt ergo 1. ratio illius. Locus definitur per ſuperficiem, tanquam per ſubiectum: ergo ſuperficies eſt ſubiectum loci; ergo locus non eſt formaliter ſuperficies ſed potius

qualitas. Probatur antecedens: quia lo-
cus eſt accidens: & accidens non poteſt de
finiri niſi per ſubiectum. Reſpond. ex 2.
& 3. fund. diſtinguendo antecedens ita; Si
ſuperficies ſumatur realiter, concedimus
ſi formaliter, & pro illa ratione commu-
ni ſuperficiei terminãti, & loco, negamus
antece. Imo potius definitur locus per ſu-
perficiem, tanquam per genus. Probatio-
ni dicimus, accidentia poſſe definiri per
ſuum genus, & ſuam differentiam; quam-
uis in illis includatur ordo ad ſubiectũ.
Sed dices. Illa ratio communis, aut reali- 1.
tas, quæ eſt ſuperficies, præter rationem
extenſionis in latum nil aliud habet, quã
virtutem ad conſeruandum locatum: ergo
locus formaliter ſumptus, cõſtituitur per
huiuſmodi virtutẽ; ergo eſt qualitas. Re-
ſpond. negando antece. Nam etiam habet
hanc rationem formalem, ſcilicet contine-
re, quæ ratio formalis realis eſt, non ta-
men realiter diſtincta ab ipſa ſuperficie.
Sed dices genus, & ſpecies pertinent ad eã 2.
dem Categ. ſed locus in communi, & lo-
cus naturalis ſunt genus, & ſpecies; ergo
pertinent ad eandem Categ. ſed locus na-
turalis eſſentialiter pertinet ad Categor.
qualitatis; ergo & locus in communi. Re-
ſpond. negando primam min. Nam locus,
& ſuperficies terminans ſunt ſpecies infi-
mæ in Categ. quantitatis, vt diximus in
Logica cap. de quantitate, q. 6. Sed dices 3.
indiuidua ſpeciei, & ſpecies pertinent ad
eandem Categoriam: ergo, ſi locus eſt ſpe-
cies infima, & locus naturalis indiuiduũ,
locus in communi, & locus naturalis per-
tinent ad eãdem Categ. ſed locus natura-
lis eſſentialiter pertinet ad Categoriam
qualitatis: ergo & locus in communi. Re-
ſpond. concedendo enthymema, & negan
do min. Nam locus naturalis eſſentialiter
pertinet ad Categ. quantitatis; acciden-ta-
ria vero ratione ad Categoriam qualita-
tis. Sed dices. Ergo non magis differunt 4.
hic locus naturalis, & hic violentus, quã
duo loci naturales. Reſpond. diſtinguendo
conſequens ita; eſſentialiter, concedimus;

acci-

accidentaria ratione negamus conſequentiam, quemadmodum enim Petrus Albus nõ magis differt eſſentialiter a Ioãne nigro; quam a Ioanne albo; accidẽtaria vero ratione magis differt.

Dices 2. ſurſum, & deorſum ſunt loca contraria: ſed contrarietas eſt penes qualitates; ergo loci conſtituuntur per qualitatem. Reſpondemus diſtinguendo maiorem ita; in ratione cõtinentiæ, & vt eſſentialiter ſunt loca, negamus in ratione cõſeruandi, cõcedimus: hæc tamen ratio nõ eſt eſſentialis, ſed accidentaria: imo tales virtutes, & qualitates, ſi proprie loquamur, non ſunt in ſuperficie, ſed in corpore locante; & ex his manet ſolutum 3. argumentum, quod adducitur a C. To. pro ſententia Ianduni.

Secunda ſenten. fuit Scoti in Quodlibetis, q. 11. affirmantis locum eſſe formaliter relationem cõtinentiæ, & diſtantiæ, ſiue immobilitatis. Probatur ergo. Superficies determinatur ad eſſe loci per continentiam, & immobilitatem: ſed continentia, & immobilitas ſunt relationes; ergo formaliter conſtituitur per relationes: ergo locus formaliter eſt relatio. Reſpond. locum determinari per continentiam, tanquam per differentiam eſſentialem, & per immobilitatem, ſiue diſtantiam tanquam per affectionem: negamus tamen huiuſmodi eſſe relationes, ſed potius, rationes abſolutas; licet connotent relationem ſecundum dici.

Tertia ſenten. docet, locum eſſe, vbi & probatur ita. Forma, & effectus formalis, vt Albedo, & Album, ſpectant ad eandem Categoriam; ſed locus ſe habet tanquam forma, & eſſe in loco tãquam effectus formalis; ergo pertinent ad eandem Categoriam: ſed eſſe in loco, pertinet ad Categoriam vbi; ergo locus pertinet ad Categoriam vbi. Reſpond. diſtinguendo maiorẽ ita. Si forma ſit intrinſeca, concedimus; ſi extrinſeca, negamus maiorem: nã columna dicitur dextera a mea dexteritate, tanquam a forma extrinſeca; quæ tamen dexteritas in me eſt ens reale, & in columna ens rationis, & conſequenter non pertinent ad eandem Categoriam. Quare negamus minorem: nam locus eſt forma intrinſeca continentis, & vbicatio eſt forma intrinſeca vbi, ſiue eius, quod eſt, eſſe in loco; locus vero eſt forma extrinſeca eius, quod eſt eſſe in loco ſiue vbi.

Dices 3. ſi eſſet corpus in vacuo, & poſtea Deus produceret ſuperficiem ambientem illud, talis ſuperficies producta eſſet locus, & ſimul produceretur vbi corporis, quod erat in vacuo: ergo idem ſunt locus, & vbi. Reſpondemus negando ſecundam partem anteced. nam illud corpus exiſtens in vacuo iam eſſet in loco imaginario, qui locus ſufficeret ad hoc, vt tale corpus in vacuo conſtitutum, habeat vbi; adueniente vero ſuperficie eſſet in loco reali, & haberet idem vbi cum nouo tamen modo. Sed dices. Quod adquiritur de nouo per motum localem, eſt vbi: ſed per motum localem adquiritur multoties locus; ergo locus eſt vbi. Reſpond. diſtinguendo min. ita. Per ſe, concedimus: per accidẽs, negamus; at locus adquiritur per accidẽs, quando adquiritur per motum localem: ad hoc vero, vt non ſit terminus motus, ſufficit vt per ſe, & ex natura rei non adquiratur locus per motum localem, vt fit ſæpe. Sed dices. Qua ergo ratione ſit locus per accidens medio motu locali. Reſpond. quia accidit, vt ad motũ locati moueantur partes corporis locantis: verbi gratia quando homo mouetur per aerem.

Dices 5. Motus localis tantum habet vnum terminum: ſed vbi, & locus ſunt termini motus localis; ergo vbi, & locus ſunt vnum, & idem. Reſpondemus diſtinguendo maiorem ita intrinſecum, concedimus: intrinſecum, & extrinſecum, negamus maiorem. Eſt ergo vbi terminus intrinſecus motus localis; & locus terminus extrinſecus.

In quartã aſſertionem dices 1. Ariſto. 5. Metaphy. c. 13. non connumerauit locũ inter ſpecies quantitatis: ergo locus non

eſt quantitas. Reſpond. negando antece. Nam cõnumerauit ibi ſuperficiem, quæ, vt cõſtat ex 2. fundam. genus eſt ad ſuper-
1. ficiem terminantem, & locum. Sed dices locus non habet diſtinctam extenſionem a ſuperficie; ergo non eſt diſtincta ſpecies quantitatis. Reſpon. diſtingo antece. ita. Realiter, cõcedimus: formaliter, negamus antece. Nam ſuperficies habet duplicem extenſionem, formaliter: vnam, vt eſt terminans; & alteram, vt eſt continens. Sed
2. dices. Ergo linea conſtituet etiam duplicem ſpeciem quantitatis; cum habeat diſtinctam extenſionẽ in ordine ad corpus, cui inhæret, & in ordine ad locatum. Reſpond. negando conſequentiam: quia linea ſe habet veluti materiale, & terminus ſuperficiei. Quare ratio continentiæ non attenditur penes lineam: ſed penes ſuper-
3. ficiem. Sed dices. In ſuperficie locati etiã reperitur duplex ratio formalis extenſionis, ſcilicet in ordine ad corpus, cui inhæret & in ordine ad locum: ergo conſtituet etiam duplicem ſpeciem quantitatis. Reſpond, negando antece. quia ratio illa ſuperficiei locatæ in ordine ad locum non pertinet ad Categoriam quantitatis; ſed
4. ad Categ. vbi Sed quæres. Cur in ſuperficie locante illa duplex ratio eſt extenſio; non vero in ſuperficie locata. Reſpon. cauſam eſſe: quia illa ratio abſtrahit a quantitate, quia reperitur etiam in Angelis: cũ Angeli etiam habeant vbi: immo in corporibus poteſt præſcindi illa ratio ſuperficiei corporis locati in ordine ad locũ ab extẽſione ſuperficiei in ordine ad corpus, cui inhæret: vt patet in corpore, ſi exiſteret in vacuo: itemq; etiam in primo cælo reſpectu ſuperficiei extremæ: præterea in corpore Chriſti ſub ſpeciebus cõſecratis, cuius corporis ſuperficies habet extenſionem in ordine ad partes corporis: non tamen in ordine ad locum.

Dices 2. Locus nec eſt quantitas continua, nec diſcreta: ergo nõ eſt quantitas. Probatur antece. Quia ſæpe idem corpus a duabus ſuperficiebus ambitur, & aliquando ab vna.

Dices 3. Locus eſt immobilis, vt docuit Ari. 4. c. ſed omnis ſuperficies eſt mobilis: ergo locus non eſt ſuperficies.

Dices 4. Locus eſt æqualis rei locatæ; ſed ſuperficies non eſt æqualis: quia tantũ habet duas dimenſiones, & corpus locatũ tres; ergo locus non eſt ſuperficies. 2. arg. commodius ſoluetur, quæſt. 5. 3. q. 4. 4. vero quæſt. 5.

QVAESTIO IIII.

De immobilitate loci.

IN hac quæſt. certum eſt, aliquem locũ eſſe immobilẽ: & id expreſſe docuit Ariſt. cap. 4. in fine his verbis. *Quo circa locus prima eſt eius quod circumfuſum eſt, extremitas quæ moueri non poteſt.* Quare ſolum inquirimus, cur locus dicatur immobilis.

Hæc quæſt. diuiditur in tres partes. 1. proponemus varios modos dicendi circa immobilitatem loci. 2. dicemus, quid ſentiendum ſit. 3. aliquas ſoluemus rationes. *Diuiſio quæſt.*

IN PRIMA parte quæſ. Omiſsis duobus dicendi modis Auer. & Scoti, & illorum, qui hos ſequuntur, quos Pater Perer. ſatis recte proponit, & impugnat lib. 11. ca. 2. eſt tertius modus dicendi D. Tho. 4. Phyſico. textu 41. & in opuſc. 52 & multorum, qui illum ſequuntur: affirmat ergo, in loco eſſe materiale, nempe ſuperficiem; & hanc eſſe mobilem: reperiri inſuper diſtantiam quandam ad polos, & centrum mundi; & penes hanc eſſe immobilem: ac proinde inquit, turris, quæ immota manens, ambitur ab vna ſuperficie, & deinde ab alia, non mutat locum: quia ſemper habet eandem diſtantiam. Hæc tamen ſententia impugnatur egregie a Patre Pererio loco citado.

Conimbricenſes cap. 5. quæſt. 1. art. 2. alium excogitarunt dicendi modum: aſſerunt enim in hoc mundo reperiri ſuperficiem *Opinio Conimb.*

ciem realiter cõtinentem, & hãc verè eſſe locum, & mobilem: reperiri etiam ſuperficiem imaginariam illi correſpondentem, ratione cuius locus dicitur immobilis. Sed, quod pace illorũ dixerim, hic modus explicandi loci immobilitatem per ſuperficiem imaginariam non eſt ſatis firmus, ſed mobilis: non tamen ita, vt mentem Ariſt. pertingere valeat: ac proinde credo, illos hunc dicendi modum nec teſtimonio, nec ratione comprobaſſe.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit prima Aſſertio. Immobilitas loci ſolum conuenit locis naturalibus elementorum.

Secunda Aſſertio. Loca naturalia elementorum dicuntur immobilia, eo quod elementa naturaliter non feruntur niſi in ſua loca determinata: præſertim ſi ſumantur iuxta proprias naturas, & vt diſpoſita erant in prima mundi conſtitutione. Has aſſertiones, multa prius præmittendo, egregie confirmat Pater Pererius, loco citato: videnturque Ariſtoteli maxime conſonæ: Ariſto. enim, antequam loci definitionem aſſignaret, excluſit locum artificialem a ratione loci, quem poſtea immobilem appellauit: tum etiam eodem cap. docuit, locum, de quo ab illo ſermo inſtituebatur, habere vim attrahendi, & conſeruandi locatum, quæ vera ſunt in locis naturalibus elementorum. Quare, loquendo de immobilitate hoc modo ſumpta, elemẽta ſolũ habent loca immobilia.

Secunda aſſertio. Omnis locus dicitur etiam immobilis in hoc ſenſu: quia ſcilicet nullum corpus exiſtens in loco, poteſt moueri motu ad locum, ita vt ſimul moueatur locus: ſed quãdo res mouetur, aut in loco, in quo prius erat, ſuccedit aliud corpus, aut deſinit talis locus per accidẽs ſcilicet per motum partium locantis. Probatur aſſertio. Quidquid mouetur per ſe ad locũ, per ſe deſerit vnum locum, & acquirit alium: nam ſi non deſereret locum, in quo erat, non moueretur per ſe, ſed per accidens: ergo nullum corpus, quãdo mouetur per ſe, poteſt ſecum trahere locum: quare omnis locus eſt immobilis in ſenſu explicato.

IN TERTIA parte quæſt. dices primo. Omnis locus eſt in ſubiecto corporeo: ſed omne ſubiectum corporeum poteſt moueri; ergo omne ſubiectum loci poteſt moueri: ergo omnis locus poteſt moueri ad motum ſubiecti: quia moto ſubiecto, mouentur omnia, quæ ſunt in ſubiecto. Reſpondemus, argumentum ſolum cõcludere omnem locum eſſe mobilem per accidens, quod libenter concedimus.

Dices ſecundo. Quod eſt in vaſe, eſt in loco: ſed quod eſt in vaſe, poteſt moueri ita, vt ſimul vas moueatur: ergo quod eſt in loco, poteſt moueri ita, vt locus moueatur: ergo falſa eſt ſecunda aſſertio. Reſpõdemus, diſtinguendo minorem ita: per accidens, concedimus: per ſe, negamus. Aſſertio vero intelligenda eſt de motu per ſe.

Tandem argumentum, quod fieri ſolet de turri, quæ immota manens mutat varias aeris ſuperficies, nullius eſt momenti: nam vt in ſequentibus dicemus, idem corpus poteſt varia loca mutare, abſque eo quod tale corpus moueatur; id vero fieri poteſt per motum corporis ambientis: nam vnitas loci non deſumitur a corpore locato, ſed a corpore locante, vt magis ex ſequenti conſtabit. Cum enim vnitas numerica loci deſumatur ab vnitate numerica ſubiecti, cui realiter inhæret, quemadmodum & in aliis omnibus accidentibus realibus, & poſſint varia corpora ſucceſſiue idem corpus ambire, hinc fit, poſſe corpus locatum, eſſe viciſsim in multis locis; abſque eo quod moueatur ſecundum locum. Si enim, vt in propoſito exemplo perſiſtamus, moueretur aer circunſcribẽs turrim, & poſtea circunſcriberetur turris a ſuperficie alterius corporis; verbi grãtia a ſuperficie aquæ, tunc turris immota manens mutaret duo loca numero diſtincta; per accidens tamen, nempe per mutationem localem aeris, & aquæ: nam ſuperficies aeris erat prius locus turris, deinde vero ſuperficies aquæ.

QVÆ-

QVAESTIO V.

An locus ſit æqualis rei locatæ, & an vnum corpus poßit eſſe in duobus locis, & duo corpora in eodem loco.

HAS duas dubitationis ſub eodem quæſt. titulo pertractamus; quia eædem fere obſeruationes, & eadē fundamenta vtrique deſeruiunt.

Prima dubitatio, qua inquirimus an locus ſit æqualis rei locatæ, diuiditur in quatuor partes. Prima proponemus obſeruationes: ſecunda quædam fundamenta: tertia aſſertionē: quarta ſatisfaciemus contrariis rationibus.

IN PRIMA parte primæ dubita. ſit prima obſeruatio. Quæſtio non procedit de loco cōmuni, ſed de loco proprio: quia certum eſt, locum communem maius eſſe re locata.

Secunda obſeruatio. In corpore locato reperiuntur tres dimenſiones, ſcilicet longitudo, latitudo, & profunditas; tum etiam in corpore locante. Quæſtio ergo non procedit de æqualitate ſecūdum tres dimenſiones; ſed de æqualitate ſecundum illam dimenſionem, penes quam fit cōtactus, ſcilicet de ſuperficie continente, & contenta, & ex hac obſeruatione ſoluitur quartum argumētum poſitū in fine quæſtionis tertiæ. Ex his patet ſenſus quæſtionis: inquirimus enim, an ſuperficies continens in loco proprio ſit æqualis cum ſuperficie contenta, ſiue locata.

IN SECVNDA parte ſecūdæ dubitationis, ſit primum fundamentum. Locus proprius poteſt ſumi realiter, pro ſuperficie; & formaliter, pro ratione continentiæ: ſed continentia non diſtinguitur realiter a ſuperficie, quæ eſt ratio formalis; & hoc eſt maxime obſeruatione dignum: huic enim fundamento innituntur multa, quæ in ſequentibus dicemus contra communem opinionem.

Secundum fundamētum. Locus formaliter ſumptus, eſt quantitas. In hoc fundamento, quod quidem eſt Ariſt. debent cōuenire neceſſario omnes, qui hanc pertractant quæſt. nam eo ipſo, quod inquirūt, an locus ſit æqualis cum re locata, ſupponunt eſſe quantitatē: quia eſſe æquale, vel inæquale ſūt affectiones quātitatis. Inſuper eſt quantitas continua: id expreſſe docuit Ariſt. in Logica, & probatur ratione: quia ſcilicet eſt æqualis cum re locata, quæ eſt quantitas continua.

Tertium fundamentum. Indiuidua alicuius ſpeciei neceſſario debent participare rationem eſſentialem illius: vt quia homo eſt animal rationale, proinde Petrus eſt animal rationale. Quare hic locus indiuiduus, neceſſario debet habere rationem formalem loci in communi.

Quartum fundamentum. Res, quæ eſt in loco, poteſt ambiri vel a ſuperficie vnius corporis tantum: vt lapis, ſi exiſteret totus circumſcriptus aqua, vel a multis ſuperficiebus: vt ſi ſit lignum in aqua, & aere.

IN TERTIA parte huius primæ dubi. ſit aſſertio. Superficies locans æqualis eſt cum ſuperficie locata. Probatur 1. aſſertio. Superficies illæ, inter quas nihil mediat, neceſſario debent eſſe æquales, ſi ſecundum ſe totas ſe contangūt: ſed ſic ſe habent ſuperficies locans, & locata; ergo ſūt æquales. Probatur 2. ſuperficies, quæ ex æquo diſtant, ſecundum ſe totas, & ſecūdum omnes partes proportionabiliter ab eodem puncto neceſſario debent eſſe æquales: ſed ſic ſe habent ſuperficies locās, & locata; ergo debent eſſe æquales. Min. probatur: quia ſi conſtituatur in aere aliquod corpus globoſum, a centro & a quolibet alio puncto æqualiter diſtans ſuperficies illius corporis, & ſuperficies, qua ambitur: tum etiam, quæuis pars ſuperficiei corporis locantis, & quæ illi correſpōdet in corpore locato. Modo ergo cer-

tum

te in ſtanti, ſuperficiem locantem æqualem eſſe ſuperficiei locatæ; ita tamen, vt æqualitas attendenda ſit ſecundũ ſuperficiei, quæ ſe cõtangunt, & penes partes, per quas ſunt contactus, ita, vt continens poſſit eſſe maior, vel minor, ſi abſolute ſumātur ſuperficies contenta; non tamen, ſi ſumantur ſecundum partes, ſecundum quas ſe contangunt; qua ratione cõtinens habet rationem loci, & contenta locati: manet tamen dubitatio, an ſuperficies hæc, quæ æqualis eſt cum ſuperficie locata, debeat neceſſario eſſe vna in ratione loci: dubium tamen hoc examinabitur in ſecunda dubitatione, licet eius ſolutio nõ parum pendeat ex fundamentis propoſitis.

IN QVARTA parte huius primæ dubitationis dices primo. Multoties corpus locans non continet locatum ſecundum omnem ſuperficiem; ergo locus non eſt æqualis rei locatæ. Reſpõdemus negando conſequẽtiam: quia aſſertio ita debet intelligi, ſuperficies continens æqualis eſt ſuperficiei contentæ, ſi ambæ ſumantur penes partes, ſecundum quas ſe mutuo cõtangunt; qua ratione ſemper
I. eſt aſſertio vera. Sed dices. Continens, & contentum non poſſunt eſſe æqualia; ſed locus eſt continens & locatum eſt contentum: ergo locus, & locatum non poſſunt eſſe æqualia. Reſpon. ex 2. obſeruat. ita. Secundum omnes dimenſiones, tranſeat ſecundum ſuperficiem, penes quam fit continentia, & contactus, negamus maio.

Circuli ab eodem centro.

Dices 2. Vt mathematici docent, omnes circuli ex æquo diſtantes ab eodem centro, ſunt æqualis magnitudinis, & efficiunt vnum, & eundem circulum numero; nam etſi circino fiant mille circulationes, ſeruata tamen eadem longitudine à centro ad circumferentiam, nũquam efficietur niſi vnus circulus. Quo poſito fundamento, ſic diſputo. Ergo locus non eſt æqualis cum re locata. Probatur conſequentia. Sit corpus rotundum in loco, & à centro corporis ducatur circulus per ſuperficiem corporis contenti, ducatur & alter per ſuperficiem, quæ eſt locans: vel iſti duo efficient vnum circulũ, vel duos; ſi vnum, locus erit æqualis rei locatæ, ſequetur tamẽ hoc abſurdum, ſcilicet idem accidens numero eſſe in duobus ſubiectis realiter diſtinctis; ſi vero efficiant duos; ergo locus non eſt æqualis rei locatæ: cũ circulus ductus per ſuperficiem locãtem, ſit maior circulo ducto per ſuperficiẽ corporis locati. Reſpond. tamen, principium illud intelligendum eſſe, ſi circuli fiant in eodem corpore; non vero, ſi fiant in diuerſis: cum ergo corpus locans, & locatum ſint diuerſa, circuli illi ducti à centro corporis locati duo ſunt, æquales tamẽ, cum ſuperficies illæ cõtiguæ ſint, & immediatæ, & conſequenter ex æquo diſtent à cẽtro.

SECVNDA dubit. qua inquiritur, an vnum corpus poſſit eſſe in duobus locis, & duo corpora in eodẽ, ſolet pertractari de potentia abſoluta: nos vero prius illam pertractabimus de facto, & de potentia ordinaria; deinde vero de potentia abſoluta. Quare diuiditur hæc ſecunda dubitatio in quatuor partes: prima proponemus quaſdam obſeruationes, tractabimuſque quæſtionem in ſenſu forſan huc vſque minime diſputatam. 2. reiiciemus quandam ſententiam. 3. pertractabimus quæſt. de potentia abſoluta. Ac tandem 4. ſatisfaciemus argumẽtis contrariæ ſententiæ.

Diuiſio 2. dubit.

IN PRIMA parte 2. dubit. ſit 1. obſeruatio. Illud eſt in loco definitiue, cuius ſubſtantia determinatur à loco ſine commenſuratione ad locum: qua ratione ſũt in loco Angeli, & animæ rationales. Deus vero propter ſuam immenſitatem, eſt vbique & in omni loco; non tamen definitiue aut circumſcriptiue. Eſſe in loco circumſcriptiue eſt ambiri à ſuperficie corporis cõtinentis ita, vt tota ſuperficies locans continentis cõtineat totam ſuperficiem locati contenti, & partibus partes: remiſſa ergo dubitatione, an

Eſſe in loco definitiue.

Circũſcriptiue.

duæ ſubſtantiæ ſpirituales, poſsint eſſe in eodem loco, & eadem in diuerſis locis, dubitatio noſtra procedit de corporibus, quæ circumſcriptiue ſunt in loco. Dixi, quæ circumſcriptiue ſunt in loco: nam certum eſt, idē corpus poſſe eſſe præſens multis locis: vt corpus Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ pluribus locis eſt præſēs, dum eſt ſub pluribus hoſtiis conſecratis: tamen non eſt in illis circūſcriptiue: quia eſt totum ſub qualibet parte; ad hoc vero, vt aliquod corpus ſit in loco circumſcriptiue, debet eſſe totū in toto loco, & partes illius in partes loci: hoc vero fit per extenſionem partium locati ad partes loci, quę extenſio eſt ſecundarius effectus quantitatis, & illo caret quantitas Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis.

Duplex ſenſus q.

Secunda obſeruatio. Hæc quæſtio duplicem poteſt habere ſenſum. Primus, eſt an duo corpora poſsint eſſe in eodē loco, & vnum in duobus ita, vt eadem pars ſuperficiei ambiat, & circumſcribat ſuperficiem vnius, & alterius corporis locati ita, vt ſint æquales: verbi gratia, an eadem pars ſuperficiei aeris, quæ ambit totam meam manum dextram, poſsit ambire totam aliam manum; & an eadem manus poſsit ſimul contineri a duabus ſuperficiebus aeris illi æqualibus, & in hoc ſenſu pertractabitur a nobis de potentia abſoluta in 2. & 3. p. dubitationis: nam de potentia ordinaria nequit fieri. 2. ſēſus eſt, an quādo corpus aliquod ambitur a duabus ſuperficiebus nō totaliter, ſed partialiter, illæ duæ ſuperficies conſtituant duo indiuidua totalia ſpeciei, quę eſt locus, vel vnum tantum, vt quando lignum ambitur ab aere, & aqua: & an quando eadem ſuperficies ambit duo corpora continua, illa ſuperficies ſit vnus locus, vel duo.

Superficies partiales cōſtituunt loco diſtincta.

Sit 1. Aſſertio. Quando vnum corpus eſt in duabus ſuperficiebus: verbi gratia lignum in ſuperficie aquæ, & aeris, illæ ſuperficies conſtituunt duo loca numero diſtincta. Probatur aſſertio. Locus in cōmuni, vt ſuppoſuimus in 2. fundamento, eſt quantitas continua; ergo quodlibet indiuiduum ſub illo contentum debet eſſe quantitas continua: quia, vt conſtat ex 2. fundamento, indiuidua ſpeciei neceſſario debent participare eſſentiam illius: ſed ſi illæ duę ſuperficies nō conſtituerent duo indiuidua, locus non eſſet quantitas continua, ſed diſcreta; ergo illæ ſuperficies cōſtituunt duo loca indiuidua. Probatur minor: illæ ſuperficies ſunt in ſubiectis realiter diſtinctis: ergo non poſſunt efficere vnam quantitatem continuam. Reſpōdent diſtinguendo conſequens ita. Materialiter, & vt ſuperficies ſūt, concedimus: formaliter, & vt locus, negamus conſequentiam. Sed contra. Quando aliqua ratio formalis eſt quantitas, neceſſario realitas, cum qua identificatur, debet eſſe quātitas; & indiuiſibile, quo copulatur, debet eſſe idem realiter cum indiuiſibili quantitatis, cum qua identificatur realitas: vt patet in tempore, quod ratio formalis eſt, ad quantitatem pertinens, & idem realiter cum motu: illius etiam indiuiſibile, nempe inſtans eſt idem realiter etiam cum indiuiſibili motus: quare, ſi ſunt duo motus, euidenter inde ſequitur, neceſſario eſſe duo temporalium tempora, quæ ſunt rationes formales, non poſſunt efficere quantitatem continuam, niſi motus, cum quibus identificantur, efficiant motum continuum: ſed locus eſt ratio formalis pertinens ad quantitatem, et idem realiter cum ſuperficie: ergo terminus copulans loci, quo copulatur, debet eſſe idem realiter cum termino, quo copulatur ſuperficies: ergo, ſi ſuperficies non ſunt copulatæ, non reperitur realiter terminus copulans illas; ergo non poteſt reperiri in locis illis terminus copulans: quia, quemadmodum ſe habet ratio formalis ad realitatem; ita ſe habet terminus copulans rationis formalis, ad terminum copulantem realitatis: ſed ſi nō datur realitas, non poteſt dari ratio formalis: ergo ſi non datur indiuiſibile in realitate, nō poteſt dari indiuiſibile copulans in ratione

tione formali: ergo aſſerendum eſt, vel illas ſuperficies efficere duo loca; vel locũ aliquando eſſe quãtitatem diſcretã. Cur enim duo corpora per diſtinctam extenſionem realem, quam addit quãtitas diſcreta illis corporibus continuis, efficient quantitatem diſcretam, nempe numerum binarium: duæ vero ſuperficies per diſtinctam extenſionem realem, quã illis ſuper addit ratio loci, non efficient quantitatẽ diſcretam? aſſerendum eſt ergo, aut illas duas ſuperficies efficere locũ, qui ſit vna quantitas diſcreta; aut efficere duo numero loca.

Duo corpora ſunt in eodem numero loco.

Secunda aſſertio. Quando duo corpora ambiuntur ab eadem numero ſuperficie, tunc illis ſuperficies eſt vnus locus numero. Probatur aſſertio. Accidentia indiuiduãtur a ſubiecto, in quo ſunt: ſed tũc eſt vnum ſubiectum, tamquo; nempe vna ſuperficies; quam quod, ſcilicet vnũ corpus continens; ergo tunc erit vnus numero locus. Probatur etiam a ſimili: quia quemadmodum, etſi ſint duo agentia circa idem ſubiectum, tãtum eſt vnica actio; quia ſubiectum, in quo recipitur, eſt vnũ: agentia vero denominãtur extrinſece ab actione: ita quãdo eſt vna ſuperficies, etſi ſint duo corpora locata, eſt tamen vnus locus: quia locus eſt in ſuperficie, tanquã in ſubiecto, & denominat extrinſece rem locatam.

Sed dices. Quot ſunt formæ, tot ſunt effectus formales, & econtra: ſed locus eſt forma, & rem eſſe in loco, eſt effectus formalis; ergo quot ſunt loci, tot erunt res in loco, & quot erunt res in loco, tot erũt loca: ergo vnum corpus non poteſt eſſe in duobus locis, & duo corpora non poſſunt eſſe in eodem loco. Reſpond. negando min. Nam locus, vt ſæpe dictum eſt, non eſt forma locati, ſed locantis: quemadmodum vbi eſt forma locati. Sed quæres Cur quando ſunt duæ ſuperficies locantes, quamuis vnũ tantum ſit locatũ, ſũt duo loci; & quando ſunt duæ ſuperficies locatæ, & vna locans, tantum eſt vnus locus? Reſpond. quia vnitas loci ſumitur a ſubiecto, cui inhæret: quemadmodum in aliis accidentibus. Quare, cũ locus inhæreat rei locanti, quando ſunt duæ ſuperficies locantes, ſunt duo loca; quando vero duo corpora locata, ſunt duo vbi.

Ex dictis infertur ſolutio quæſ. quæ inquiritur, a quo ſumatur vnitas numerica loci: nam manifeſtum eſt ex dictis, ſumi ab vnitate ſuperficiei locantis.

AD SECVNDVM ſenſum q. accedentes, quo inquirimus, an de potẽtia abſoluta, poſſit vnũ corpus locatũ ambiri a duabus ſuperficiebus, quarum quælibet ſit æqualis cũ ſuperficie corporis locati: & an poſſint duo corpora eſſe hoc eodem modo in eodem numero loco. Prius reiicienda eſt ſententia quorundam, quos refert Alexander in opuſc. de mixtione, exiſtimãtium, poſſe viribus naturæ duo corpora eſſe in eodem loco per penetrationem dimenſionum. Quæ ſent. abſurda eſt: nam non eſt dubium, viribus naturæ non poſſe fieri penetrationem dimenſionum. Quare ſoluendæ ſunt illorum rationes.

Eſt igitur prima illorum ratio: quia cum panis madefit aqua, totam panis ſubſtantiam ſubit, & penetrat aqua. Reſpondemus tamen, aquam non penetrare panem madefactum: ſed partes aquæ recipi inter meatus, & poros panis.

Secunda ratio. Vas cineribus plenum, tantum recipit aquæ, quantum ſi eſſet vacuum: ergo tunc datur penetratio dimenſionum. Reſpond. cum Ariſt. ſect. 25. problematum problem. 8. vas cineribus plenum, aquam recipere: quia cineres partẽ aquæ in vapores, & halitum ſoluunt; exhalentur etiam ſubtiliores partes cineris: præterea multi ſunt pori, & meatus in cineribus.

Tertia ratio Cyphus ad ſumma labra plenus aquæ, numos argẽteos, aut aureos excipit, nec aqua diffunditur: ergo ſunt duo corpora ſimul per penetrationem dimenſionum. Reſpond. negando conſequẽ

tiam: quia immiſſis nummis in vas aqua refertū, non effunditur aqua: ex eo, quod partes ſuperiores aquæ ſumentes figurā ſphericam, quæ aquæ naturalis eſt, in eā molem ad mediū intumeſcunt, cohibetq. licoris fluxum ſiccitas labrorum cyphi, quæ ſi madefiāt, facilius aqua dilabetur.

Hæc celebris ſent. certum eſt, duo corpora eſſe in eodem loco ſucceſſiuè: & idē corpus in duobus locis, abſq. eo quod ipſa corpora moueantur ſecundum locum: nā poteſt immotum manens mutare loca per mutationem corporis continentis. Manet ergo dubium, an de potentia abſoluta id fieri poſſit ſimul, & eodem tēpore.

De potentia abſoluta duo corpora in eodem loco.

Sit 1. aſſertio, de potentia abſoluta poſſunt duo corpora eſſe ſimul in eodem loco. Hanc tenent omnes fere ſcholaſtici doctores in 4. diſtin. 44. & alij diſtinct. 49. Præterea D. Tho. 3. p. q. 45. art. 3. & adeo certa eſt, vt non liceat chriſtiano Philoſopho de de illa dubitare: nam ſcriptura ſacra docet, Chriſtum natum fuiſſe ex Virgine matre, illæſo eius puriſſimo vtero: clauſo ſepulchro reſurrexiſſe, & ad diſcipulos clauſis ianuis ingreſſum fuiſſe. Præterea beati omnes erunt in cœlo per penetrationem dimenſionum: imo vna ex dotibus corporis glorioſi eſt ſubtilitas, quæ nihil aliud eſt, quam poteſtas penetrandi ſe cum alio corpore. Hæc vera eſſe nō ſolū confirmant multi ſcholaſtici doctores, ſed etiam eſt communis cōſenſus patrum: ita enim tenēt Leo magnus ſermone 2. de Natiuitate Dñi. Cyrillus hieroſolymitanus in oratione de Chriſti occurſu, & Simeone D. Gregorius homilia de octaua Paſchæ, D. Damaſcenus 4. fidei orthodoxæ, cap. 19. D. Auguſtinus ſæpe, præſertim libro de quinque hæreſibus aduerſus manicheos, & lib. 22. de ciuitate Dei c. 8. & alij, quos referunt Conimbricenſes 4. Phyſ. c. 9. q. 1. art. 2.

Duo corpora ſimul non niſi penetrationem.

Secunda Aſſertio, Duo corpora non poſſunt eſſe in eodē loco: niſi ſe penetrēt. Probatur aſſertio. Duo corpora, quorū quoduis ſit æquale cum ſuperficie continente, ſi non ſe penetrent, habent maiorē extenſionem, quam habeat ſuperficies cōtinens: ſed quantitas maior non poteſt cōtineri a minori, ita vt ab illa ambiatur: ergo duo corpora non poſſunt eſſe in eodē loco, niſi penetratiuè ſe habeant.

Tertia aſſertio. Vnum corpus poteſt eſſe in multis locis de potentia abſoluta. Probatur aſſertio. Multa corpora, ſi ſe penetrent, poſſunt eſſe in eodem loco: ergo multa corpora locantia, ſi ſe penetrēt, poſſunt continere, & locare idem corpus. Probatur conſequentia. Non minus requirūt duo corpora, duo loca; quam duo loca, duo corpora; ſed, hoc non obſtante, per penetrationem dimenſionum in corporibus locatis, poſſunt duo corpora eſſe in eodem loco: ergo per penetrationem dimenſionum poterunt etiam duo corpora locare idem corpus.

Quarta aſſertio. idem corpus non poteſt eſſe in multis locis: niſi corpora locātia ſe penetrent. Probatur aſſertio. Ex ſuperioribus: quia proportionabiliter, vt ſe habent multa corpora ad eūdem locū; ita ſe habent duo loca ad idem corpus locatum.

Idem corpus multis locis.

S. Tho. 3. p. q. 77. art. 1. in ſolut. ad 3. & 4. contra gentes, cap. 64. Durandus in 4. diſtin. 10. q. 2. & alij innumeri exiſtimant, vnum corpus non poſſe eſſe in multis locis, idq. cōfirmant egregiis rationibus præſertim multi ex iunioribus: ſed nec tamen facile ſoluūtur ſi obſeruemus; tantum probare 4. aſſert. v. g. ſit hoc primum argumen. Si idem corpus poteſt eſſe in duobus locis, ergo in tribus, in viginti, in centum, in milleſimo in toto vniuerſo: ſed hoc eſt abſurdum: ergo, &c. Secundum argumētum. Idem corpus poteſt eſſe in duobus locis. Sit ergo hic, & Romæ: ergo hoc corpus poterit ſimul calefieri, et frigefieri. Probatur conſequentia: quia ſi Romæ iuxta ponatur illi nix, frigefiet: & ſi hic apponatur illi ignis, calefiet. Reſpondemus, primum non eſſe abſurdum: ſi corpora locantia penetrentur. Secun-

dum vero argumentum tantum probat, abſque penetratione dimenſionum, quod docemus in 4. aſſert. eodem modo cætera argumenta ſoluuntur.

Sententia Durandi.

1 Durandus in 4. diſtin. 44. q. 6. exiſtimat, neque de potētia abſoluta poſſe duo corpora eſſe in eodem loco; quamuis iudicet probabilem contrariam ſententiā. Reſponderq. teſtimoniis ſacræ Scripturæ, quibus confirmauimus 2. aſſert. dicens, abſq. penetratione dimenſionum illa euenisse: quia natus fuit Christus ex Virgine, manente virgine; eo quod prius erat in vtero, deinde foras, abſq. eo quod penetrāſſet medium: ſic itidem ſurrexiſſe a ſepulchro, ingreſſumq. fuiſſe ad diſcipulos. Reſpondet etiam ſecundo, ingreſſum fuiſſe ad diſcipulos clauſis ianuis; ſed nō per ianuas, ſed per rimulam, vel feneſtras; vel ianuas fuiſſe per quam ſubito apertas, & ſubito clauſas. Quæ videntur diuinæ potentiæ derogare.

Rationes Durandi.

2 Durandus ita 1. diſputat. Vt ſe habent duæ albedines reſpectu eiuſdem ſubiecti numero; ita duo corpora reſpectu eiuſdē loci: ſed duæ albedines nō poſſunt eſſe in eodē ſubiecto numero: ergo, &c. Reſpon. negādo maio. Eſt enim diſpar ratio: nam albedines ſunt quid intrinſecū ſubiecto; corpora vero, quid extrinſecum loco.

3 Secunda ratio. Sicut de ratione temporis eſt ſucceſſio; ita de ratione corporis quantitatiui poſitio, & ſitus: ergo cū duæ partes temporis non poſsint coexiſtere; ita neq. duo corpora eſſe ſimul. Reſpondemus, negādo antecedens: nam de ratione corporis eſt extenſio: ſitus vero, & poſitio eſt accidens illius.

Dicis 3. vt indiuiduantur accidentia a ſubiecto: ita locatum a loco, & locus a locato, ſed duo accidentia nō poſſunt eſſe in eodē ſubiecto: ergo, &c. Reſpond. negādo antece. vt cōſtat ex ſuperioribus q.

Quarta ratio. Duo corpora non minus diſtinguuntur ſitu, quam duæ partes eiuſdem corporis: ſed iſtæ nequeunt eſſe ſimul: ergo, &c. Reſpondemus, diſtinguēdo min. ita. Abſq. penetratione, concedimus: cum illa, negamus min. ſed aliter diſtinguitur conſequens. Sed dices. De ratione quantitatis eſt, vt habeat quamuis partem extra aliam: ergo partes quantitatis non poſſunt ſe penetrare. Reſpond. negando conſequentiam: etiam ſi ſe penetrent, diſtinctæ ſunt, & vna extra aliam. Sed dices. Per penetrationē poſſunt multa corpora eſſe ſimul: ergo magnus mons poteſt eſſe in exigua magnitudine; quod videtur pugnare cum illo Euāgel. Sicut impoſsibile eſt camelum intrare per foramen acus, &c. Reſpond. concedendo conſequen. & negando pugnare cum Euāgelio: imo ex illo deducitur: Matthæi enim c. 19. inquit Chriſtus. *Et iterum dico vobis facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum.* Non enim dixit impoſsibile, ſed difficilius. Et ſtatim id magis explicat: cū enim hoc durū viſum fuiſſet diſcipulis, dixerunt ſtatim. *Quis ergo poterit ſaluus eſſe?* Reſpōdet. *Apud homines hoc impoßibile eſt, apud Deū vero omnia ſunt poßibilia.*

Hugo de ſancto Victore, lib. 2. de Sacramentis p. 8. c. 11. Scotus, & Ricardus in 4. d. 10. q. 2. Ocham, q. 4. Marſilius, q. 7. & alij quam plurimi volunt, poſſe vnū corpus eſſe in multis locis abſq. penetratione. Eſt ergo 1. illorum ratio. Non minus agent plura corpora pluribus locis: quā plura loca pluribus corporibus: ſed poſſunt eſſe plura corpora in eodem loco: ergo, &c. Reſpondemus, ſi loquamur abſque penetratione, falſam eſſe minor.

Secunda ratio. Poteſt eſſe idem corpus in multis locis non circumſcriptiue: ergo & circūſcriptiue. Proba: conſequen. quia hoc minus repugnat: cum ſit magis conſonum corporibus. Reſpon. negan. conſeq. Probationi dicimus, nō minus repugnare: ſed magis: quia corpus, quod eſt circūſcriptiue, ſecundum ſe totum dicit ordinē ad totum locum: & ſecundum partes, ad partes loci, vt in ſuperioribus diximus.

QVAESTIO VI.

An locus habeat vim attrahẽdi, & conſeruandi locatum.

Diuiſio quæſt.

DIVIDITVR quæſt. in 3. partes: prima proponemus obſeruationes 2. aſſertiones, 3. contrarias rationes ſoluemus.

IN PRIMA parte quæſt. ſit 1. obſerua. q. procedit de loco naturali, nõ ſolum proprio & determinato, qualis eſt locus cuiuſuis elementi; ſed de loco non determinato, qualis eſt locus cuiuſuis mixti. Quid ſint iſti loci, diximus quæſt. 3.

Ordo uniuerſi.

Secunda obſeruatio. Inter alia multa, quæ Dei ſapientiam menſura & pondere omnia facientem comendant, vnum eſt rerum ordo, & ſingulorum corporum naturalium ordinata pro cuiuſq. natura diſpoſitio: in prima enim rerũ molitione, cuncta a ſe procreata cum expẽderet naturæ autor, tanti muneris artifex, illi viſa ſunt valde bona. Inquit enim Moſes Geneſeos, cap. 1. vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Omiſsis ergo corporibus cæleſtibus, quę vt perfectiora, ita in naturæ ſede alia ſunt ſuperiora; inter elementa, terra, quæ infimæ eſt dignitatis, in infima mũdi regione cõquieſcit. Hanc aqua aliquantulum perfectior ambit: ſupra aquam aer eminet, vtraq. nobilior. Ac tandem, propter ſummam inter elementa perfectionem, quæ in igne reperitur, ſupremum elementum eſt ignis, a concauo orbis lunæ immediate contentus. Hanc eſſe naturalem elemẽtorum diſpoſitionem; quotidiana experientia teſtatur. Conatur enim flamma ignis in piramidis figuram acuminata, aerem tranſcendere, & lunæ concauum, tãquam proprium locum petere. Aer præterea, ſi aquam ſubeat, ſtatim per ampullas quaſi ſcaturiendo emergit: et ſi in terræ viſceribus ſit abſconditus, & accreſcat, ſiue ſit e ra aſcetus, vt liberè in ignis concauum abeat, tamdiu circũ clauſtra fremit, & ſtrepitu maximo terram concutit: donec indomitæ naturæ ſuæ effrenata vi iuſsu terræ fortiſsimis vinculis fractis viam aperit, & naturæ pulſu foras erumpit, vt in altum vehatur, & in ignis conſortio commoretur. Aqua inſuper in aerem demiſſa, in terræ ſuperficiem deſcendit. Terra denique in aquam deiecta, in imum labitur, centrumq. ſuo pendere petit.

Duæ qualitates in quouis elemento.

Tertia obſeruatio. Vnumquodq. ex elementis duas habet ex primis qualitatibus: vnam in ſummo gradu; aliam vero in gradu prope ſummo. Terra namq. ſicca eſt in ſummo, & frigida prope ſummũ. Aqua frigida eſt in ſũmo, & humida prope ſummum. Aer humidus in ſummo, & calidus prope ſummum; ignis deniq. calidus eſt in ſũmo, & ſiccus prope ſummũ. Vnum ergo elementum dicitur locus alterius propter ſymbolam qualitatem, in qua conueniunt: vt. ignis conuenit cum aere in calore; aer cum aqua, in humiditate; aqua cum terra, in frigiditate. Ex quo infero, non ſolum ſuperius elementum locũ eſſe inferioris; ſed etiam e contra: quia quemadmodum elementum inferius propter ſymbolam qualitatem conſeruatur a ſuperiori: ita ſuperius conſeruatur ab inferiori propter ſymbolam qualitatem: nulla enim eſt maior ratio in vno, quam in alio. Huius ſententiæ fuit themiſtius, c. 5. huius lib. & alij multi ex græcis interpretibus.

Influentia cæli regũt hæc inferiora.

Vltima obſeruatio. Cœlorum influentiis hæc inferiora conſeruantur; oportet enim (teſte Ariſt. 1. Metheo. cap. 2.) hunc mundum inferiorem contiguum eſſe ſuperioribus lationibus, vt omnis eius virtus inde regatur, & gubernetur. Quare ſymbolæ elementorũ qualitates influẽtijs cæli modificatæ, cauſa ſunt, cur elementa in ſuis locis naturalibus conſeruentur.

Locus naturalis habet vim attrahendi, & conſeruandi.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit 1. aſſertio. Loca naturalia vim habent cõſeruãdi locata. Hæc ſatis manifeſta eſt ex dictis, & illam probauit Ariſt.

Secun-

Secunda aſſertio. Loca naturalia vim habent attrahendi locatum. Hæc eſt expreſſe Ariſt. cap. 2. & cõſtabis ſatis ex ſolutione argumentorum.

IN TERTIA parte quæſt. dices primo contra ea quæ diximus in 2. obſeruatione. Aqua, & terra continentur ab aere; & ibi conſeruantur: ergo non rectè diximus, hunc eſſe elemẽtorum ordinem, vt terra contineatur ab aqua, & aqua ab aere. Reſpondemus nos fuiſſe locutos in ſecunda obſeruatione de elementis iuxta proprias naturas, & vt ſe habebãt in prima mundi conſtitutione: modo vero aliter ſe habent propter ordinem totius vniuerſi.

Dices deinde in primam aſſertionẽ. Si locus haberet vim cõſeruandi locatũ, maxime propter ſymbolas qualitates: ſed hæc ratio eſt nulla: ergo, &c. Probatur minor, quia ſymbolæ qualitates non ſunt in elemẽtis in gradibus æqualibus: tum etiam quia elementa habent qualitates diſſimbolas. Reſpondemus negando minorem. Probationi dicimus illas qualitates ſimul cũ influentiis cæleſtibus habere vim conſeruandi locatum: licet ſint aliquantulum in gradibus inæqualibus.

Dices in tertiam aſſertionẽ cum Valleſio. Locus habet vim attrahẽdi locatũ: ergo imprimit illi aliquam qualitatẽ mediâ qua attrahatur: quemadmodum magnes ferrũ; quod certe eſt abſurdum. Reſpond. diſtinguendo antecedẽs, ita. in genere cauſæ finalis concedimus: in genere cauſæ efficientis negamus antecedens: ad hoc vero vt attrahat in genere cauſæ finalis, non eſt neceſſe imprimat qualitatem. Sed dices. Si non imprimit illi qualitatẽ qua ergo ratione quo mobile magis accedit ad locum naturalem, velocius mouetur. Reſpõdemus velocius moueri ab extrinſeco, ſcilicet propter maiorem vnitationem partiũ aeris, a quibus mobile magis impellitur: tum etiam quia minor eſt reſiſtentia: nam partes, quæ pelluntur a mobili, facilius diuidunt alias partes proximiores medij, & proinde eſt minor reſiſtentia.

QVAESTIO VLT.

An primum cælum ſit in loco.

HANC quæſt. commodius multo pertractabimus in libris de cælo: quia tamẽ aliam modo pertractauit Ariſt. cap. 5. aliqua obiter dicemus.

Omiſſis ergo variis dicẽdi modis Philoſophorum, exiſtimamus, primum cælũ eſſe in loco ſecundum ſe, & actu; non tamen ſecundum vtramq. ſuperficiem, ſed ſolum ſecundum ſuperficiem concauam, ſecundum quam tangit ſuperficiem extimam penultimi cæli, in qua eſt tanquam in loco. In orbibus enim duplex reperitur ſuperficies, vt diximus q. 3. obſeruatione 4. præterea quæuis ſuperficies, penes quam fit contactus cum alia, eſt locus illius, vt eadem quæſtione docuimus. *Primũ cælum eſt in loco per ſe & actu*

Sed dices. Hæc ſententia eſt vera: ergo datur corpus ex inferioribus, quod non ſit in loco. Probatur: quia vltima Sphæra eſt in penultima, & illa in antepenultima, & ſic de cæteris vſque ad Spheram lunæ, quæ eſt in ſuperficie extima ignis, & ignis in extima aeris, & aer in extima aquæ, & aqua in extima terræ; terra vero a nullo continetur. Reſpond. negando conſequentiam. Probationi dicimus terram eſſe in loco; quia cõtinetur a ſuperficie extima aquæ: in corpore enim globoſo quale eſt terra, tantum reperitur vna ſuperficies; ac proinde tantum continetur ſecundum illam: ſuperficies enim eadem per diuerſas rationes eſt continens & contenta, vt late diximus quæſt. 3. Vt enim non eſſet in corporibus locatis proceſſus in infinitũ, hic ordo neceſſario obſeruãdus erat: vt ſcilicet infimum corpus tantum eſſet in loco ſecundum ſuperficiem extimam, ſupremum vero ſecundum internam: & corpora media ſecũdum vtramq. Quemadmo-

admo-

admodum ergo terra ſolū eſt in loco penes ſuperficiem ex iſtimans ponesquam ambitur: ita primum cœlum penes in ratione partis quam immediate tangitur & ambitur ab extima ſuperficie penultimi cœli.

Dices ſecundo Ariſt. ſolū appellat locum, ſuperficiem ſuperiorē: ergo inferior non poteſt eſſe locus. Reſpondemus negādo antecedens: nam Ariſto. ſolum docuit locum eſſe ſuperficiem primam corporis continentis idest ſuperficiem illam penes quam ſit contactus cum ſuperficie corporis contenti: quamuis verum ſit, multoties adhibuiſſe exemplum in ſuperficie concaua.

Hanc ſententiā veram eſſe ex eo fit manifeſtum quod nemo eſt qui dubitare poſſit aliquod corpus ex his inferioribus nō eſſe actu in loco: ſi vero locus tantū eſſet ſuperficies ſuperior & concaua, multa corpora non eſſent in loco; immo nullum corpus eſſet ſecundum ſe totum in loco, vt patet facta inductione, & in hoc exemplo. Sit aliqua tabula recte leuigata inter alias duas æqualis magnitudinis, ita tamen, vt iaceant planę: ſi locus ſolum eſſet ſuperficies ſuperior & concaua, cum in his tabulis nulla ſit ſuperficies concaua, tabula illa in medio poſita, nō eſſet in loco. Si vero aſſeras, de ratione loci ſolum eſſe quod ſit ſuperficies ſuperior, contra. Erigantur iſtæ tabulæ, tunc tabula, quæ eſt in medio, eſt in loco, & tamen non continetur a ſuperficie ſuperiori: ergo locus non eſt ſuperficies ſuperior. Certe ſi res hæc perpendatur probatione non eget.

CAP. VI. AN SIT VACVVM NEC NE.

VT autem Phyſici eſt, &c. Aggreditur diſputationem de vacuo, quam ait, non minus pertinere ad Phyſicā conſiderationem, quā diſputationem de loco propter ſimilitudinem, quæ inter illa videtur eſſe. Quare in hac ſimiles etiā quæſtiones occurrunt.

Huius autem exordiū, &c. Docet, ducēdum eſſe initium in hac diſputatione ab opinionibus veterum tam eorum, qui vacuum cōſtituunt, quā illorum, qui illud negāt, qui ergo docent, nō dari vacuū, non recte illud impugnant: nā refellūt illud inane, quod plebs errore decepta conſtituebat: exiſtimabant enim, ſpatium corpore viſibili deſtitutum, eſſe vacuum. Inter hos ergo Anaxagoras ita diſputabat. Quod eſt plenū aere, non eſt vacuum: ſed ſpatium, quod vacuum appellatis, eſt aere plenum; ergo nō eſt vacuum. Minorem oſtendebat ex eo; quia vtres aere pleni cōprimi nequeunt propter aeris corpulentiā: tum etiā in clepſidris, (de clepſidris dicemus in quæſt.) quæ, cū aere refertæ ſint, nequeūt

aquam recipere, niſi aer expellatur. Hanc ergo rationẽ impugnandi vacuum reputat inefficacem: eo quod nõ impugnat verum vacuum, in quo nullum corpus ſit, quale plurimi admiſere Philoſophi.

Rationes quibus cõfirmabant veteres eſſe vacuũ.

Hi vero hoc primum, &c. Inducit rationes, quibus ducti veteres vacuum cõſtituebant. Prima eſt. Si nõ eſſet vacuũ, nihil moueri poſſet motu locali, aut accreſcere. Id probant: quia ſpatium plenum nequit aliquod corpus recipere, niſi ſint duo corpo ſimul; imo multa: quia nulla eſt maior ratio de multis, quam de duobus. Quod ſi ita eſt, ſequitur etiã, corpus magnum in paruo recipi poſſe: quia magnum diuidi poteſt in partes minutiſsimas ad loci parem capacitatẽ accommodatas; quæ cum ſint abſurda, conſtituẽdum eſſe vacuũ eſt neceſſe. His fauet ſententia Meliſſi iudicãtis, vacuum ita neceſſariũ eſſe ad obeundum motũ localem; vt quia illud minime dari arbitraretur, mundum immobilem appellarit. Exiſtimarunt ergo iſti Philoſophi, motum localem nõ poſſe fieri ſine vacuo. Hanc ſententiam ſic cecinit Lucretius.

Quapropter locus eſt intactus, inane, vacanſq́.
Quod ſi non eſſet, nulla ratione moueri
Res poſſent; namq́ officium, quod corporis extat
Officere, atq́ obſtare, id in omni tempore adeſſet
Omnibus: haud igitur quicquam procedere poſſet.

Alij autem, &c. Secunda ratio. Dum corpora comprimuntur, & denſantur; ita in minorem magnitudinem rediguntur, vt experientia teſtetur, vinum, quod dolium refert, in vtrem immiſſum ſimul cum vtre iterũ intra dolij capacitatem poſſe contineri: quod certe videtur pro manare ex eo, quod in corporibus ſunt quidã inanes meatus, in quibus partes cõpreſſæ recipiuntur.

Atq́ etiam accretio, &c. Tertia ratio. Accretio; & nutritio in viuentibus fit per intus receptum, & diſtributũ alimentum, quod quidẽ corpus eſt; quod certe conſtare nõ poſſet, niſi in corporibus, alitis ſint inanes partes, per quas alimentum permeãdo diffundatur; quam rationem Lucretius primo ſui pœmatis ſic conſcripſit.

eſt quantitas. Reſpond. negando antece.
Nam cōnumerauit ibi ſuperficiem, quæ,
vt cōſtat ex 2. fundam. genus eſt ad ſuper-
1. ficiem terminantem, & locum. Sed dices
locus non habet diſtinctam extenſionem
a ſuperficie; ergo non eſt diſtincta ſpecies
quantitatis. Reſpon. diſtingo antece. ita.
Realiter, cōcedimus: formaliter, negamus
antece. Nam ſuperficies habet duplicem
extenſionem, formaliter: vnam, vt eſt ter-
minans; & alteram, vt eſt continens. Sed
2. dices. Ergo linea conſtituat etiam dupli-
cem ſpeciem quantitatis; cum habeat di-
ſtinctam extenſionē in ordine ad corpus,
cui inhæret, & in ordine ad locatum. Re-
ſpond. negando conſequentiam: quia li-
nea ſe habet veluti materiale, & terminus
ſuperficiei. Quare ratio continentiæ non
attenditur penes lineam, ſed penes ſuper
3. ficiem. Sed dices. In ſuperficie locati etiā
reperitur duplex ratio formalis extenſio
nis, ſcilicet in ordine ad corpus, cui inhæ
ret, & in ordine ad locum: ergo conſtituat
etiam duplicem ſpeciem quantitatis. Re-
ſpond, negando antece. quia ratio illa ſu-
perficiei locatæ in ordine ad locum non
pertinet ad Categoriam quantitatis; ſed
4. ad Categ. vbi. Sed quæres. Cur in ſuperfi
cie locante illa duplex ratio eſt extenſio;
non vero in ſuperficie locata. Reſpon. cau
ſam eſſe: quia illa ratio abſtrahit a quanti
tate, quia reperitur etiam in Angelis: cū
Angeli etiam habeant vbi. Imo in corpo-
ribus poteſt præſcindi illa ratio ſuperfi-
ciei corporis locati in ordine ad locū ab
extēſione ſuperficiei in ordine ad corpus,
cui inhæret: vt patet in corpore, ſi exiſta-
ret in vacuo, & etiam in primo cælo re-
ſpectu ſuperficiei externæ: præterea in cor
pore Chriſti ſub ſpeciebus cōſecratis, cu
ius corporis ſuperficies habet extenſio-
nem in ordine ad partes corporis; ſed non ta
men in ordine ad locum.

Dices 2. Locus nec eſt quantitas con-
tinua, nec diſcreta: ergo nō eſt quantitas.
Probatur antece. Quia ſæpe idem corpus
a duabus ſuperficiebus ambitur, & ali-
quando ab vna.

Dices 3. Locus eſt immobilis, vt docuit Ari. 4. c. ſed omnis ſuperficies eſt mobilis: ergo locus non eſt ſuperficies.

Dices 4. Locus eſt æqualis rei locatæ; ſed ſuperficies non eſt æqualis: quia tantū habet duas dimenſiones, & corpus locatū tres; ergo locus non eſt ſuperficies. 2. arg. commodius ſoluetur, quæſt. 5. 3. q. 4. 4. vero quæſt. 5.

QVAESTIO IIII.

De immobilitate loci.

IN hac quæſt. certum eſt, aliquem locū eſſe immobilē: & id expreſſe docuit Ariſt. cap. 4. in fine his verbis. *Quo circa locus prima eſt eius quod circumfuſum eſt, extremitas quæ moueri non poteſt.* Quare ſolum inquirimus, cur locus dicatur immobilis.

Hæc quæſt. diuidetur in tres partes. 1. *Diuiſio quæſt.*
proponemus varios modos dicendi circa immobilitatem loci. 2. dicamus, quid ſentiendum ſit. 3. aliquas ſoluemus rationes.

IN PRIMA parte quæſ. Omiſsis duobus dicendi modis Auer. & Scoti, & illorum, qui hos ſequuntur, quos Pater Perer. ſatis recte proponit, & impugnat lib. 11. ca. 2. eſt tertius modus dicendi D. Tho. 4. Phyſico. textu 41. & in opuſc. 52 & multorum, qui illum ſequuntur: affirmat ergo, in loco eſſe materiale, nempe ſuperficiem; & hanc eſſe mobilem: reperiri tamen diſtantiam quandam ad polos, & centrum mundi; & penes hanc eſſe immobilem: ac proinde inquit, turris, quæ immota manet, ambitur ab vna ſuperficie, & deinde ab alia, non mutat locum: quia ſemper habet eandem diſtantiam. Hæc tamen ſententia impugnatur egregie a Patre Perer io loco citado.

Conimbricenſes cap. 5. quæſt. 1. art. 2. *Opinio*
alium excogitarunt dicendi modum: aſſe- *Conimb.*
runt enim in hoc mundo reperiri ſuperfi-

ciem

eſt realiter cõtinentem, & hīc vere eſſe locum, & mobilem: recepit etiam ſuperficiem imaginariam ſibi correſpondentem, ratione cuius locus dicitur immobilis. Sed, quod pace illorũ dixerim, hic modus explicandi loci immobilitatem per ſuperficiem imaginariam non eſt ſatis firmus, ſed mobilis: non tamen ſic, vt mentem Ariſ. pertingere valeat: ac proinde credo, illos hunc dicendi modum nec teſtimonio, nec ratione comprobaſſe.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit prima Aſſertio. Immobilitas loci ſolum conuenit locis naturalibus elementorum.

Secunda Aſſertio. Loca naturalia elementorum dicuntur immobilia, eo quod elementa naturaliter non feruntur niſi in ſua loca determinata: præſertim ſi ſumantur iuxta proprias naturas, & vt diſpoſita erant in prima mundi conſtitutione. Has aſſertiones, multa prius præmittendo, egregie confirmat Pater Pererius, loco citato: videnturque Ariſtoteli maxime conſonæ: Ariſto. enim, antequam loci definitionem aſsignaret, excluſit locum artificialem a ratione loci, quem poſtea immobilem appellauit: tum etiam eodem cap. docuit, locum, de quo ab illo ſermo inſtituebatur, habere vim attrahendi, & conſeruandi locatum, quæ vera ſunt in locis naturalibus elementorum. Quare, loquendo de immobilitate hoc modo ſumpta, elementa ſolũ habent loca immobilia.

Secunda aſſertio. Omnis locus dicitur etiam immobilis in hoc ſenſu: quia ſcilicet nullum corpus exiſtens in loco, poteſt moueri motu ad locum, ita vt ſimul moueatur locus: ſed quãdo res mouetur, aut in loco, in quo prius erat, ſuccedit aliud corpus, aut deſinit talis locus per accidẽs ſcilicet per motum partium locantis. Probatur aſſertio. Quidquid mouetur per ſe ad locũ, per ſe deſerit vnum locum, & acquirit alium: nam ſi non deſereret locum, in quo erat, non moueretur per ſe, ſed per accidens: ergo nullum corpus, quãdo mouetur per ſe, poteſt ſecum trahere locum: quare omnis locus eſt immobilis in ſenſu explicato.

IN TERTIA parte quæſt. dices primo. Omnis locus eſt in ſubiecto corporeo: ſed omne ſubiectum corporeum poteſt moueri; ergo omne ſubiectum loci poteſt moueri: ergo omnis locus poteſt moueri ad motum ſubiecti: quia moto ſubiecto, mouentur omnia, quæ ſunt in ſubiecto. Reſpondemus, argumentum ſolum cõcludere omnem locum eſſe mobilem per accidens, quod libenter concedimus.

Dices ſecundo. Quod eſt in vaſe, eſt in loco: ſed quod eſt in vaſe, poteſt moueri ita, vt ſimul vas moueatur; ergo quod eſt in loco, poteſt moueri ita, vt locus moueatur: ergo falſa eſt ſecunda aſſertio. Reſpõdemus, diſtinguendo minorem ita: per accidens, concedimus: per ſe, negamus. Aſſertio vero intelligenda eſt de motu per ſe.

Tandem argumentum, quod fieri ſolet de turri, quæ immota manens mutat varias aeris ſuperficies, nullius eſt momenti: nam vt in ſequentibus dicemus, idem corpus poteſt varia loca mutare, abſque eo quod tale corpus moueatur: id vero fieri poteſt per motum corporis ambientis: nam vnitas loci non deſumitur a corpore locato, ſed a corpore locante, vt magis ex ſequenti conſtabit. Cum enim vnitas numerica loci deſumatur ab vnitate numerica ſubiecti, cui realiter inhæret, quemadmodum & in aliis omnibus accidentibus realibus, & poſſint varia corpora ſucceſſiue idem corpus ambire, hinc fit, poſſe corpus locatum, eſſe viciſſim in multis locis; abſque eo quod moueatur ſecundum locum. Si enim, vt in propoſito exemplo perſiſtamus, moueretur aer circumſcribẽs turrim, & poſtea circumſcriberetur turris a ſuperficie alterius corporis; verbi gratia a ſuperficie aquæ, tunc turris immota manens mutaret duo loca numero diſtincta; per accidens tamen, nempe per mutationem localem aeris, & aquæ: nam ſuperficies aeris erat prius locus turris, deinde vero ſuperficies aquæ.

QVÆ

QVAESTIO V.

An locus ſit æqualis rei locatæ, & an vnum corpus poſſit eſſe in duobus locis, & duo corpora in eodem loco.

HAS duas dubitationis ſub eodem quæſt. titulo pertractamus: quia eãdem ferè obſeruationes, & eadẽ fundamenta vtrique deſeruiunt.

Prima dubitatio, qua inquirimus an locus ſit æqualis rei locatæ, diuiditur in quatuor partes. Prima proponemus obſeruationes: ſecunda quædam fundamenta: tertia aſſertionẽ: quarta ſatisfaciemus contrariis rationibus.

IN PRIMA parte primæ dubita. ſit prima obſeruatio. Quæſtio non procedit de loco cõmuni, ſed de loco proprio: quia certum eſt, locum communem maius eſſe re locata.

Secunda obſeruatio. In corpore locato reperiuntur tres dimenſiones, ſcilicet longitudo, latitudo, & profunditas: tum etiam in corpore locante. Quæſtio ergo non procedit de æqualitate ſecũdum tres dimenſiones: ſed de æqualitate ſecundum illam dimenſionem, per quam fit cõtactus, ſcilicet de ſuperficie continente, & contenta, & ex hac obſeruatione ſoluitur quàrtum argumẽtum poſitũ in fine quæſtionis tertiæ. Ex his patet ſenſus quæſtionis: inquirimus enim, an ſuperficies continens in loco proprio ſit æqualis cum ſuperficie contenta, ſiue locata.

IN SECVNDA parte ſecũdæ dubitationis, ſit primum fundamentum. Locus propriè poteſt ſumi realiter, pro ſuperficie: & formaliter, pro ratione continentiæ: ſed continentia non diſtinguitur realiter a ſuperficie, quæ eſt ratio formalis; & hoc eſt maximè obſeruatione dignum: huic enim fundamento innituntur multa, quæ in ſequentibus dicemus contra communem opinionem.

Secundum fundamẽtum. Locus formaliter ſumptus, eſt quantitas. In hoc fundamento, quod quidem eſt Ariſt. debent cõuenire neceſſario omnes, qui hanc pertractant quæſt. nam eo ipſo, quod inquirũt, an locus ſit æqualis cum re locata, ſupponunt eſſe quantitatẽ: quia eſſe æquale, vel inæquale ſũt affectiones quãtitatis. Inſuper eſt quantitas continua: id expreſſe docuit Ariſt. in Logica, & probatur ratione: quia ſcilicet eſt æqualis cum re locata, quæ eſt quantitas continua.

Tertium fundamentum individua alicuius ſpeciei neceſſario debent participare rationem eſſentialem illius: vt quia homo eſt animal rationale, proinde Petrus eſt animal rationale. Quare hic locus indiuiduus, neceſſario debet habere rationem formalem loci in communi.

Quartum fundamentum. Res, quæ eſt in loco, poteſt ambiri vel a ſuperficie vnius corporis tantum: vt lapis, ſi exiſtaret totus circumſcriptus aqua, vel a multis ſuperficiebus: vt ſi ſit lignum in aqua, & aere.

IN TERTIA parte huius primæ dubi. ſit aſſertio. Superficies locans æqualis eſt cum ſuperficie locata. Probatur 1. aſſertio. Superficies illæ, inter quas nihil mediat, neceſſario debent eſſe æquales, ſi ſecundum ſe totas ſe contangũt: ſed ſic ſe habent ſuperficies locans, & locata; ergo ſũt æquales. Probatur 2. ſuperficies, quæ ex æquo diſtant, ſecundum ſe totas, & ſecũdum omnes partes proportionabiliter ab eodem puncto neceſſario debent eſſe æquales: ſed ſic ſe habent ſuperficies locãs, & locata: ergo debent eſſe æquales min. probatur: quia ſi conſtituetur in aere aliquod corpus globoſum, a centro & a quolibet alio puncto æqualiter diſtant ſuperficies illius corporis, & ſuperficies, qua ambitur: tum etiam, quæuis pars ſuperficiei corporis locantis, & quæ illi correſpõdet in corpore locato. Modo ergo certum

tum manet, ſuperficiem locantem æqualem eſſe ſuperficiei locatæ: ita tamen, vt æqualitas attendenda ſit ſecundũ ſuperficiem, quæ ſe cõtangunt, & penes partes, per tęc quas ſe contactas, ita, vt continens poſsit eſſe maior, vel minor, ſi abſolute ſumãtur, ſuperficie contenta; non tamen, ſi ſumantur ſecundum partes, ſecundum quas ſe contangunt: qua ratione cõtinens habet rationem loci, & contenta locati: manet tamen dubitatio, an ſuperficies hæc, quæ æqualis eſt cum ſuperficie locata, debeat neceſſario eſſe vna in ratione loci: dubium tamen hoc examinabitur in ſecunda dubitatione, licet eius ſolutio nõ parum pendeat ex fundamentis propoſitis.

IN QVARTA parte huius primæ dubitationis dicet primo. Multoties corpus locans non continet locatum ſecundum omnem ſuperficiem: ergo locus non eſt æqualis rei locatæ. Reſpõdemus negando conſequẽtiam: quia aſſertio ita debet intelligi, ſuperficies continens æqualis eſt ſuperficiei contentæ, ſi ambæ ſumantur penes partes, ſecundum quas ſe mutuo cõtangunt; qua ratione ſemper eſt aſſertio vera. Sed dices. Continens, &
1. contentum non poſſunt eſſe æqualia; ſed locus eſt continens & locatum eſt contentum: ergo locus, & locatum non poſſunt eſſe æqualia. Reſpon. ex 2. obſeruat. ita. Secundum omnes dimenſiones, tranſeat ſecundum ſuperficiem, penes quam ſit continentia, & cõtactus, negamus maio.

Circuli ab eodem centro. Dices 2. Vt mathematici docent, omnes circuli ex æquo diſtantes ab eodem centro, ſũt æqualis magnitudinis, & efficiunt vnum, & eundem circulum numero: nam eſt circino ſiant mille circulationes, ſeruata tamen eadem longitudine a centro ad circumferentiam, nũquam efficietur niſi vnus circulus. Quo poſito fundamento, ſic diſputo. Ergo locus non eſt æqualis cum re locata. Probatur conſequentia. Sit corpus rotundum in loco, & a centro corporis ducatur circulus per ſuperficiem corporis contenti, ducatur & alter per ſuperficiem, quæ eſt locans: vel iſti duo efficient vnum circulũ, vel duos; ſi vnum, locus erit æqualis rei locatæ, ſequetur tamẽ hoc abſurdum, ſcilicet idem accidens numero eſſe in duobus ſubiectis realiter diſtinctis: ſi vero efficiant duos: ergo locus non eſt æqualis rei locatæ: cũ circulus ductus per ſuperficiem locãtem, ſit maior circulo ducto per ſuperficiẽ corporis locati. Reſpond. tamen, principium illud intelligendum eſſe, ſi circuli ſiant in eodem corpore: non vero, ſi ſiant in diuerſis: cum ergo corpus locans, & locatum ſint diuerſa, circuli illi ducti a centro corporis locati duo ſunt, æquales tamẽ: cum ſuperficies illæ cõtiguæ ſint, & immediatæ, & conſequenter ex æquo diſtent a cẽtro.

SECVNDA dubit. qua inquiritur, an vnum corpus poſsit eſſe in duobus locis & duo corpora in eodẽ, ſolet pertractari de potentia abſoluta: nos vero primo illam pertractabimus de facto, & de potentia ordinaria; deinde vero de potentia abſoluta. Quare diuidetur hæc ſecunda dubitatio in quatuor partes: prima proponemus quaſdam obſeruationes, tractabimuſque quæſtionem in ſenſu forſan hucuſque minime diſputatam. 2. reiiciemus quandam ſententiam. 3. pertractabimus quæſt. de potentia abſoluta. Ac tandem 4. ſatisfaciemus argumẽtis contrariæ ſententiæ. *Diuiſio 2. dubit.*

IN PRIMA parte 2. dubit. ſit 1. obſeruatio. Illud eſt in loco definitiue, cuius ſubſtantia determinatur a loco ſine commenſuratione ad locum: qua ratione ſũt in loco Angeli, & animæ rationales. Deus vero propter ſuam immenſitatem, eſt vbique & in omni loco; non tamen definitiue aut circumſcriptiue. Eſſe in loco circumſcriptiue eſt ambiri a ſuperficie corporis cõtinentis ita, vt tota ſuperficies locans continentis cõtineat totam ſuperficiem locatam contenti, & partibus partem: emiſſa ergo dubitatione, an *Eſſe in loco definitione.* *Circũſcriptiue.*

duæ ſubſtantiæ ſpirituales, poſſint eſſe in eodem loco, & eadem in diuerſis locis, dubitatio noſtra procedit de corporibus, quæ circumſcriptiue ſunt in loco. Dixi, quæ circumſcriptiue ſunt in loco: nã certum eſt, idẽ corpus poſſe eſſe præſens multis locis: vt corpus Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ pluribus locis eſt præſẽs, dum eſt ſub pluribus hoſtiis conſecratis; tamen non eſt in illis circũſcriptiue: quia eſt totus ſub qualibet parte; ad hoc vero, vt aliquod corpus ſit in loco circumſcriptiue, debet eſſe totũ in toto loco, & partes illius in partes loci: hoc vero fit per extenſionem partium locati ad partes loci, quę extenſio eſt ſecundarius effectus quantitatis, & illo caret quantitas Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis.

Duplex ſenſus q. Secunda obſeruatio. Hæc quæſtio duplicem poteſt habere ſẽſum. Primus, eſt an duo corpora poſſint eſſe in eodẽ loco, & vnum in duobus ita, vt eadem pars ſuperficiei ambiat, & circumſcribat ſuperficies vnius, & alterius corporis locati ita, vt ſint æquales: verbi gratia, an eadem pars ſuperficiei aeris, quæ ambit totam meam manum dexteram, poſſit ambire totam aliam manum; & an eadem manus poſſit ſimul contineri a duabus ſuperficiebus aeris illi æqualibus, & in hoc ſenſu pertractabitur a nobis de potentia abſoluta in 2. & 3. p. dubitationis: nam de potentia ordinaria nequit fieri. 2. ſẽſus eſt, an quando corpus aliquod ambitur a duabus ſuperficiebus nõ totaliter, ſed partialiter, illæ duæ ſuperficies conſtituant duo indiuidua totalia ſpeciei, quę eſt locus, vel vnum tantum, vt quando lignum ambitur ab aere, & aqua: & an quando eadem ſuperficies ambit duo corpora contigua, illa ſuperficies ſit vnus locus, vel duo.

Superficies partiales cõſtituunt locũ diſtinctũ. Sit 1. Aſſertio. Quando vnum corpus eſt in duabus ſuperficiebus: verbi gratia lignum in ſuperficie aquæ, & aeris, illæ ſuperficies conſtituunt duo loca numero diſtincta. Probatur aſſertio. Locus in cõmuni, vt ſuppoſuimus in 2. fundamento, eſt quantitas continua; ergo quodlibet indiuiduum ſub illo contentum debet eſſe quantitas continua: quia, vt conſtat ex 3. fundamento, indiuidua ſpeciei neceſſario debent participare eſſentiam illius: ſed ſi illæ duę ſuperficies nõ conſtituerent duo indiuidua, locus non eſſet quantitas continua, ſed diſcreta; ergo illæ ſuperficies cõſtituunt duo loca indiuidua. Probatur minor. Illæ ſuperficies ſunt in ſubiectis realiter diſtinctis: ergo non poſſunt efficere vnam quantitatem continuam. Reſpõdent diſtinguendo conſequens ita. Materialiter, & vt ſuperficies ſũt, cõcedimus: formaliter, & vt locus, negamus conſequentiam. Sed contra. Quando aliqua ratio formalis eſt quantitas, neceſſario realitas, cum qua idemptificatur, debet eſſe quãtitas; & indiuiſibile, quo copulatur, debet eſſe idem realiter cum indiuiſibili quantitatis, cum qua idemptificatur realiter: vt patet in tempore, quod ratio formalis eſt, ad quantitatem pertinens, & idem realiter cum motu: illius etiam indiuiſibile, nempe inſtans eſt idem realiter etiam cum indiuiſibili motus: quare, ſi ſint duo motus, euidenter inde ſequitur, neceſſario eſſe duo temporalium tempora, quæ ſunt rationes formales, non poſſunt efficere quantitatem continuam, niſi motus, cum quibus idemptificantur, efficiant motum continuum: ſed locus eſt ratio formalis pertinens ad quantitatem, et idem realiter cum ſuperficie; ergo terminus copulans loci, quo copulatur, debet eſſe idem realiter cum termino, quo copulatur ſuperficies: ergo, ſi ſuperficies non ſunt copulatæ, non reperitur realiter terminus copulans illas; ergo non poteſt reperiri in locis illis terminus copulans: quia, quemadmodum ſe habet ratio formalis ad realitatem, ita ſe habet terminus copulans rationis formalis, ad terminum copulantem realitatis: ſed ſi nõ datur realitas, non poteſt dari ratio formalis: ergo ſi non datur indiuiſibile in realitate, nõ poteſt dari indiuiſibile copulans in ratione

ſione formali: ergo aſſerendum eſt, vel illas ſuperficies efficere duo loca; vel locū aliquando eſſe quātitatem diſcretā. Cur enim duo corpora per diſtinctam extenſionem realem, quam addit quātitas diſcreta illis corporibus continuis, efficiunt quantitatem diſcretam, nempe numerum binarium: duæ vero ſuperficies per diſtinctam extenſionem realem, quā illis ſuper addit ratio loci, non efficiunt quantitatē diſcretam? aſſerendum eſt ergo, aut illas duas ſuperficies efficere locū, qui ſit vna quantitas diſcreta; aut efficere duo numero loca.

Duo corpora ſunt in eodem numero loco.

Secunda aſſertio. Quando duo corpora ambiuntur ab eadem numero ſuperficie, tunc illa ſuperficies eſt vnus locus numero. Probatur aſſertio. Accidentia indiuiduātur a ſubiecto, in quo ſunt: ſed tūc eſt vnum ſubiectum, tam quo; nempe vna ſuperficies; quam quod, ſcilicet vnū corpus continens; ergo tunc erit vnus numero locus. Probatur etiam a ſimili: quia quemadmodum, etſi ſint duo agentia circa idem ſubiectum, tātum eſt vnica actio; quia ſubiectum, in quo recipitur, eſt vnū: agentia vero denominātur extrinſece ab actione: ita quā lo eſt vna ſuperficies, etſi ſint duo corpora locata, eſt tamen vnus locus: quia locus eſt in ſuperficie, tanquā in ſubiecto, & denominat extrinſece rem locatam.

Sed dices. Quot ſunt formæ, tot ſunt effectus formales, & econtra: ſed locus eſt forma, & eſſe in loco eſt effectus formalis; ergo quot ſunt loci, tot erunt res in loco, & quot erunt res in loco, tot erūt loca: ergo vnum corpus non poteſt eſſe in duobus locis, & duo corpora non poſſunt eſſe in eodem loco. Reſpond. negando min. Nam locus, vt ſæpe dictum eſt, non eſt forma locati, ſed locantis: quemadmodum vbi eſt forma locati. Sed quæres Cur quando ſunt duæ ſuperficies locantes, quamuis vnū tantum ſit locatū, ſūt duo loci: & quando ſunt duæ ſuperficies locatæ, & vna locans, tantum eſt vnus locus? Reſpond. quia vnitas loci ſumitur a ſubiecto, cui inhæret: quemadmodum in aliis accidentibus. Quare, cū locus inhæreat rei locanti, quando ſunt duæ ſuperficies locantes, ſunt duo loca; quando vero duo corpora locata, ſunt duo vbi.

Ex dictis infertur ſolutio quæſ. qua inquiritur, a quo ſumatur vnitas numerica loci: nam manifeſtum eſt ex dictis, deſumi ab vnitate ſuperficiei locantis.

AD SECVNDVM ſenſum q. accedētes, quo inquirimus, an de potētia abſoluta, poſsit vnū corpus locatū ambiri a duabus ſuperficiebus, quarum quæuis ſit æqualis cū ſuperficie corporis locati: & an poſsint duo corpora eſſe hoc eodem modo in eodem numero loco. Principio reiiciēda eſt ſententia quorundam, quam refert Alexander in opuſc. de mixtione, exiſtimātium, poſſe viribus naturæ duo corpora eſſe in eodem loco per penetrationem dimenſionum. Quæ ſent. abſurda eſt: nam non eſt dubium, viribus naturæ non poſſe fieri penetrationem dimenſionum. Quare ſoluēdæ ſunt illorum rationes.

Eſt igitur prima illorum ratio: quia cum panis madefit aqua, totam panis ſubſtantiam ſubit, & penetrat aqua. Reſpondemus tamen, aquam non penetrare panem madefactum: ſed partes aquæ recipi inter meatus, & poros panis.

Secunda ratio. Vas cineribus plenum, tantam recipit aquæ, quantum ſi eſſet vacuum: ergo tunc datur penetratio dimenſionum. Reſpond. cum Ariſt. ſect. 25. problematum problem. 8. vas cineribus plenum, aquam recipere: quia cineres partē aquæ in vapores, & halitum ſoluunt; exhalantur etiam ſubtiliores partes cinerū: præterea multi ſunt pori, & meatus in cineribus.

Tertia ratio. Cyphus ad ſumma labra plenus aqua, nummos argēteos, aut aureos excipit, nec aqua diffunditur: ergo ſunt duo corpora ſimul per penetrationem dimenſionum. Reſpond. negando conſequē-

tiam quia immiſsis nummis in vas aqua refertũ, non effunditur aqua ex eo, quod partes ſuperiores aquæ ſumentes figurã ſphericam, quæ aquæ naturalis eſt, in cumulum ad mediũ intumeſcunt, cohibetq. licoris fluxum ſiccitas labrorum cyphi, quæ ſi madeſcãt, facilius aqua dilabetur.

Hac rieccta ſententia, certum eſt, duo corpora eſſe in eodem loco ſucceſsiue, & idẽ corpus in duobus locis, abſq. eo quod talia corpora moueantur ſecundum locum: nã poteſt immotum manens mutare loca per mutationem corporis continentis. Manet ergo dubium, an de potentia abſoluta id fieri poſsit ſimul, & eodem tẽpore.

De potentia abſoluta duo corpora in eodem loco.

Sit 1. aſſertio, de potentia abſoluta poſſunt duo corpora eſſe ſimul in eodem loco. Hanc tenent omnes ſere ſcholaſtici doctores in 4. diſtin. 44. & alij diſtinct. 49. Præterea D. Tho. 3. p. q. 45. art. 1. & adeo certa eſt, vt non liceat chriſtiano Philoſopho de eſſila dubitare; nam ſcriptura ſacra docet, Chriſtum natum fuiſſe ex Virgine matre, illæſo eius puriſsimo vtero: clauſo ſepulchro reſurrexiſſe, & ad diſcipulos clauſis ianuis ingreſſum fuiſſe. Præterea beati omnes erunt in cœlo per penetrationem dimenſionum: nimirum vna ex dotibus corporis glorioſi eſt ſubtilitas, quæ nihil aliud eſt, quam poteſtas penetrandi ſe cum alio corpore. Hæc vera eſſe nõ ſolũ confirmant multi ſcholaſtici doctores, ſed etiam eſt communis cõſenſus patrum: ita enim tenẽt Leo magnus ſermone 2. de Natiuitate Dñi. Cyrillus hieroſolymitanus in oratione de Chriſti occurſu, & Simeone D. Gregorius homilia de octaua Paſchæ, D. Damaſcenus 4. fidei orthodoxæ, cap. 19. D. Auguſtinus ſæpe, præſertim libro de quinque hæreſibus aduerſus manicheos, & lib. 22. de ciuitate Dei c. 8. & alij, quos referunt Conimbricenſes 4. Phyſ. c. 1. q. 2. art. 2.

Duo corpora ſimul nõ niſi penetratione.

Secunda Aſſertio. Duo corpora non poſſunt eſſe in eodẽ loco: niſi ſe penetrẽt. Probatur aſſertio. Duo corpora, quorũ quoduis ſit æquale cum ſuperficie continente, ſi non ſe penetrent, habent maiorẽ extenſionem, quam habeat ſuperficies cõtinentis: ſed quantitas maior non poteſt cõtineri a minori, ita vt ab illa ambiatur: ergo duo corpora non poſſunt eſſe in eodẽ loco, niſi penetratiue ſe habeant.

Tertia aſſertio. Vnum corpus poteſt eſſe in multis locis de potentia abſoluta. Probatur aſſertio. Multa corpora, ſi ſe penetrent, poſſunt eſſe in eodem loco: ergo multa corpora locantia, ſi ſe penetrẽt, poſſent continere, & locare idem corpus. Probatur conſequentia. Non minus requirũt duo corpora, duo loca; quam duo loca, duo corpora; ſed, hoc non obſtante, per penetrationem dimenſionum in corporibus locatis, poſſunt duo corpora eſſe in eodem loco: ergo per penetrationem dimenſionum poterunt etiam duo corpora locare idem corpus.

Idem corpus multis locis.

Quarta aſſertio. Idem corpus non poteſt eſſe in multis locis: niſi corpora locãtia ſe penetrent. Probatur aſſertio. Ex ſuperioribus: quia proportionabiliter, vt ſe habent multa corpora ad eũdem locũ: ita ſe habent duo loca ad idem corpus locatum.

S. Tho. 3. p. q. 77. art. 1. in ſolut. ad 3. & 4. contra gentes, cap. 64. Durandus in 4. diſtin. 10. q. 2. & alij innumeri exiſtimant, vnum corpus non poſſe eſſe in multis locis, idq. cõfirmant ægregiis rationibus præſertim multi ex iunioribus, quæ tamen facile ſoluẽtur ſi obſeruemus; tantum probare 4. aſſert. v. g. ſit hoc primum argumen. Si idem corpus poteſt eſſe in duobus locis: ergo in tribus, in viginti, in centum, in millesimo in toto vniuerſo; ſed hoc eſt abſurdum: ergo, &c. Secundum argumẽtum. Idem corpus poteſt eſſe in duobus locis. Sit ergo hic, & Romæ: ergo hoc corpus poterit ſimul calefieri, & frigefieri. Probatur conſequentia: quia ſi Romæ iuxta ponatur illi nix, frigefiet: & ſi hic apponatur illi ignis, calefiet. Reſpondemus, primum non eſſe abſurdum: ſi corpora locantia penetrentur. Secun-

dum

dum vero argumentum tantum probat, abſque penetratione dimenſionum, quod docemus in 4. aſſert. eodem modo cætera argumenta ſoluuntur.

Sententia Durandi.

Durandus in 4. diſtin. 44 q. 6. exiſtimat, neque de potentia abſoluta poſſe duo corpora eſſe in eodem loco; quamuis iudicet probabilem contrariam ſententiã. Reſpondetq. teſtimoniis ſacræ Scripturæ, quibus confirmauimus 2. aſſert. dicens, abſq. penetratione dimenſionum illa eueniſſe: quia natus fuit Christus ex Virgine, manente virgine; eo quod prius erat in vtero, deinde foras, abſq. eo quod penetrã ſſet medium: ſic itidem ſurrexiſſe a ſepulchro, ingreſſumq. fuiſſe ad diſcipulos. Reſpondet etiam ſecundo, ingreſſum fuiſſe ad diſcipulos clauſis ianuis; ſed nõ per ianuas, ſed per aliam, vel feneſtras; vel ianuas fuiſſe per quam ſubito apertas, & ſubito clauſas. Quæ videntur diuinæ potentiæ derogare.

Rationes Durandi.

Durandus ita 1. diſputat. Vt ſe habent duæ albedines reſpectu eiuſdem ſubiecti numero; ita duo corpora reſpectu eiuſdẽ loci: ſed duæ albedines nõ poſſunt eſſe in eodẽ ſubiecto numero: ergo, &c. Reſpon. negãdo maio. Eſt enim diſpar ratio: nam albedines ſunt quid intrinſecũ ſubiecto; corpora vero, quid extrinſecum loco.

Secunda ratio. Sicut de ratione temporis eſt ſucceſſio; ita de ratione corporis quantitatiui poſitio, & ſitus: ergo cũ duæ partes temporis non poſſunt coexiſtere; ita neq. duo corpora eſſe ſimul. Reſpondemus, negãdo antecedens: nam de ratione corporis eſt extenſio: ſitus vero, & poſitio eſt accidens illius.

Dices 3. vt indiuiduantur accidentia a ſubiectis; ita locata a loco, & locus a locato, ſed duo accidentia nõ poſſunt eſſe in eodẽ ſubiecto; ergo, &c. Reſpond. negãdo antec. vt cõſtat ex ſuperioribus q.

Quarta ratio. Duo corpora non minus diſtinguuntur ſitu, quam duæ partes eiuſdem corporis: ſed iſtæ nequeunt eſſe ſimul; ergo, &c. Reſpondemus, diſtinguẽdo min. ita. Abſq. penetratione, concedimus: cum illa, negamus min. Similiter diſtinguitur conſequens. Sed dices. De ratione quantitatis eſt, vt habeat quamuis partem extra aliam: ergo partes quantitatis non poſſunt ſe penetrare. Reſpond. negando conſequentiam: nam etiam ſi ſe penetrẽt, diſtinctæ ſunt, & vna extra aliam. Sed dices. Per penetrationẽ poſſunt multa corpora eſſe ſimul: ergo magnus mons poteſt eſſe in exigua magnitudine; quod videtur pugnare cum illo Euãgelij. Sicut impoſſibile eſt camelum intrare per foramen acus, &c. Reſpond. concedendo conſequen. & negando pugnare cum Euãgelio: imo ex illo deducitur: Mathæi enim c. 19. inquit Christus, *Iterum dico vobis facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum.* Non enim dixit impoſſibile, ſed difficilius. Et ſtatim id magis explicat: cũ enim hoc durũ viſum fuiſſet diſcipulis, dixerunt ſtatim. *Quis ergo poterit ſaluus eſſe?* Reſpõdet. *Apud homines hoc impoßibile eſt, apud Deũ vero omnia ſunt poßibilia.*

Hugo de ſancto Victore, lib. 2. de Sacramentis p. 8. c. 11. Scotus, & Ricardus in 4. d. 10. q. 2. Ocham, q. 4. Marſilius, q. 7. & alij quam plurimi volunt, poſſe vnũ corpus eſſe in multis locis abſq. penetratione. Eſt ergo 1. illorum ratio. Non minus agens plura corpora pluribus locis: quã plura loca pluribus corporibus: ſed poteſt eſſe plura corpora in eodem loco; ergo, &c. Reſpondemus, ſi loquamur abſque penetratione, falſam eſſe minor.

Secunda ratio. Poteſt eſſe idem corpus in multis locis non circumſcriptiue: ergo & circũſcriptiue. Proba. conſequen. quia hoc minus repugnat; cum ſit magis conſonum corporibus. Reſpon. negan. conſeq. Probationi dicimus, nõ minus repugnare; ſed magis: quia corpus, quod eſt circũſcriptiue, ſecundum ſe totum dicit ordinẽ ad totum locum: & ſecundum partes, ad partes loci, vt in ſuperioribus diximus.

QVAESTIO VI.

An locus habeat vim attrahẽdi, & conſeruandi locatum.

Diuiſio quæſt.

DIVIDITVR quæſt. in 3. partes: prima proponemus obſeruationes 2. aſſertiones, 3. contrarias rationes ſoluemus.

IN PRIMA parte quæſt. ſit 1. obſerua. q. procedit de loco naturali, nõ ſolum proprio & determinato, qualis eſt locus cuiuſuis elementi; ſed de loco non determinato, qualis eſt locus cuiuſuis mixti. Quid ſint iſti loci, diximus quæſt. 3.

Ordo vniuerſi.

Secunda obſeruatio. Inter alia multa, quæ Dei ſapientiam menſura & pondere omnia facientem commendant, vnum eſt rerum ordo, & ſingulorum corporum naturalis ordinata pro cuiuſq. natura diſpoſitio; in prima enim rerũ moitione, cuncta a ſe procreata cum expẽderet naturæ autor, tanti muneris artifex, illi viſa ſunt valde bona. Inquit enim Moſes Geneſeos, cap. 1. vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Omiſſis ergo corporibus cæleſtibus, quę vt perfectiora, ita in naturæ ſede altis ſunt ſuperiora; inter elementa, terra, quæ infimæ eſt dignitatis, in infima mũdi regione cõquieſcit. Hanc aqua aliquantulum perfectior ambit: ſupra aquam aer eminet, vtraq. nobilior. Ac tandem, propter ſummam inter elementa perfectionem, quæ in igne reperitur, ſupremum elementorum eſt ignis, a concauo orbis lunæ immediate contentus. Hanc eſſe naturalem elemẽtorum diſpoſitionem, quotidiana experientia teſtatur. Conatur enim flamma ignis in piramidis figuram acuminata, aerem tranſcendere, & lunæ concauum, tanquam proprium locum petere. Aer præterea, ſi aquam ſubeat, ſtatim per ampullas quaſi ſcaturiendo emergit; et ſi in terræ viſceribus ſit abſconditus, & accreſcat, ſtus in craſſetur, vt libere in ignis concauum abeat, tamdiu circũ clauſtra fremit, & impetu maximo terram concutit, donec indomitæ naturæ ſuæ effrenata vi inſtat terræ fortiſsimis vinculis fractis viam aperit, & naturæ pulſu foras erumpit, vt in altum vehetur, & in ignis conſortio commoretur. Aqua inſuper in aerem demiſſa, in terræ ſuperficiem deſcendit. Terra denique in aquam deiecta, in imum labitur, centrumq. ſuo pondere petit.

Duæ qualitates in quouis elemento.

Tertia obſeruatio. Vnumquodq. ex elementis duas habet ex primis qualitatibus: vnam in ſummo gradu; aliam vero in gradu prope ſummo. Terra namq. ſicca eſt in ſummo, & frigida prope ſummũ. Aqua frigida eſt in ſũmo, & humida prope ſummum. Aer humidus in ſummo, & calidus prope ſummum; ignis deniq. calidus eſt in ſũmo, & ſiccus prope ſummũ. Vnum ergo elementum dicitur locus alterius propter ſymbolam qualitatem, in qua conueniunt: vt ignis conuenit cum aere in calore; aer cum aqua in humiditate; aqua cum terra in frigiditate. Ex quo infero, non ſolum ſuperius elementum locũ eſſe inferioris; ſed etiam e contra: quia quemadmodum elementum inferius propter ſymbolam qualitatem conſeruatur a ſuperiori; ita ſuperius conſeruatur ab inferiori propter ſymbolam qualitatem: nulla enim eſt maior ratio in vno, quam in alio. Huius ſententiæ fuit Themiſtius, c. 5. huius lib. & alij multi ex græcis interpretibus.

Influentia cœli regũt hæc inferiora.

Vltima obſeruatio. Cœlorum influentiis hæc inferiora conſeruantur: oportet enim (teſte Ariſt. 1. Metheo. cap. 2.) hunc mundum inferiorem contiguum eſſe ſuperioribus lationibus, vt omnis eius virtus inde regatur, & gubernetur. Quare ſymbolæ elementorũ qualitates influentiis cæli modificatæ, cauſa ſunt, cur elementa in ſuis locis naturalibus conſeruentur.

Locus naturalis habet uim attrahendi, & conſeruandi.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit 1. aſſertio. Loca naturalia vim habent cõſeruãdi locata. Hæc ſatis manifeſta eſt ex dictis, & illam probauit Ariſt.

Secun-

Secunda aſſertio. Loca naturalia vim habent attrahendi locatum. Hæc eſt expreſſe Ariſt. cap. 1. & cōſtabit ſatis ex ſolutione argumentorum.

IN TERTIA parte quæſt. dices primo contra ea quæ diximus in 2. obſeruatione. Aqua, & terra continentur ab aere; & ibi conſeruantur: ergo non rectè diximus, hunc eſſe elemētorum ordinem, vt terra contineatur ab aqua, & aqua ab aere. Reſpondemus nos fuiſſe locutos in ſecunda obſeruatione de elementis iuxta proprias naturas, & vt ſe habebāt in prima mundi conſtitutione: modo vero aliter ſe habent propter ordinem totius vniuerſi.

Dices deinde in primam aſſertionē. Si locus haberet vim cōſeruandi locatū, maxime propter ſymbolas qualitates: ſed hæc ratio eſt nulla: ergo, &c. Probatur minor; quia ſymbolæ qualitates non ſunt in elemētis in gradibus æqualibus, tum etiam quia elementa habent qualitates diſſimbolas. Reſpondemus negando minorem. Probationi dicimus illas qualitates ſimul cū influentiis cæleſtibus habere vim conſeruandi locatum; licet ſint aliquantulum in gradibus inæqualibus.

Dices in tertiam aſſertionē cum Valleſio. Locus habet vim attrahēdi locatū: ergo imprimit illi aliquam qualitatē media qua attrahatur; quemadmodum magnes ferrō; quod certe eſt abſurdum. Reſpond. diſtinguendo antecedēs, ita. In genere cauſæ finalis concedimus: in genere cauſæ efficientis negamus antecedens: ad hoc vero vt attrahat in genere cauſæ finalis, non eſt neceſſe imprimat qualitatem. Sed dices. Si non imprimit illi qualitatē qua ergo ratione quo mobile magis accedit ad locum naturalem, velocius mouetur. Reſpōdemus velocius moueri ab extrinſeco, ſcilicet propter maiorem vnitationem partiū aeris, a quibus mobile magis impellitur: tum etiam quia minor eſt reſiſtentia: nam partes, quæ pelluntur a mobili, facilius diuidunt alias partes proximiores medij, & proinde eſt minor reſiſtentia.

QVAESTIO VLT.

An primum cœlum ſit in loco.

HANC quæſt. commodius multo pertractabimus in libris de cœlo: quia tamē illam modo pertractauit Ariſt. cap. 5. aliqua obiter dicemus.

Omiſſis ergo variis dicēdi modis Philoſophorum, exiſtimamus, primum cœlū eſſe in loco ſecundum ſe, & actu; non tamen ſecundum vtramq. ſuperficiem, ſed ſolum ſecundum ſuperficiem concauam, ſecundum quam tangit ſuperficiem extimam penultimi cœli, in qua eſt tanquam in loco. In orbibus enim duplex reperitur ſuperficies, vt diximus q. 3. obſeruatione 4. præterea quæuis ſuperficies, penes quam ſit contactus cum alia, eſt locus illius, vt eadem quæſtione docuimus. *Primū cœlum eſt in loco per ſe & actu*

Sed dices. Hæc ſententia eſt vera: ergo datur corpus ex inferioribus, quod non ſit in loco. Probatur: quia vltima Sphera eſt in penultima, & illa in antepenultima, & ſic de cæteris vſque ad Spheram lunæ, quæ eſt in ſuperficie extima ignis, & ignis in extima aeris, & aer in extima aquæ, & aqua in extima terræ; terra vero a nullo continetur. Reſpond. negando conſequentiam. Probationi dicimus terram eſſe in loco; quia cōtinetur a ſuperficie aquæ: in corpore enim globoſo quale eſt terra, tātum reperitur vna ſuperficies; ac proinde tantum continetur ſecundum illam: ſuperficies enim eadem per diuerſas rationes eſt continens & contenta, vt late diximus quæſt. 3. Vt enim non eſſet in corporibus locatis proceſſus in infinitū, hic ordo neceſſario obſeruādus erat; vt ſcilicet infimum corpus tantum eſſet in loco ſecundum ſuperficiem extimam, ſupremum vero ſecundum internam: & corpora media ſecūdum vtramq. Quemadmo-

aquam recipere, niſi aer expellatur. Hanc ergo rationē impugnandi vacuum reputat inefficacem: eo quod nō impugnat verum vacuum, in quo nullum corpus ſit, quale plurimi admiſere Philoſophi.

Rationes quibus cōfirmabant veteres eſſe vacuū.

Hi vero hoc primum, &c. Inducit rationes, quibus ducti veteres vacuum cōſtituebant. Prima eſt. Si nō eſſet vacuū, nihil moueri poſſet motu locali, aut accreſcere. Id probant: quia ſpatium plenum nequit aliquod corpus recipere, niſi ſint duo corpo ſimul; imo multa: quia nulla eſt maior ratio de multis, quam de duobus. Quod ſi ita eſt, ſequitur etiā, corpus magnum in paruo recipi poſſe: quia magnum diuidi poteſt in partes minutiſsimas ad loci parem capacitatē accommodatas; quæ cum ſint abſurda, conſtituēdum eſſe vacuū eſt neceſſe. His fauet ſententia Meliſi iudicātis, vacuum ita neceſſariū eſſe ad obeundum motū localem; vt quia illud minime dari arbitraretur, mundum immobilem appellarit. Exiſtimarunt ergo iſti Philoſophi, motum localem nō poſſe fieri ſine vacuo. Hanc ſententiam ſic cecinit lucretius.

Quapropter locus eſt intactus, inane, vacansq́;.
Quod ſi non eſſet, nulla ratione moueri
Res poſſent; namq́; officium, quod corporis extat
Officere, atq́; obſtare, id in omni tempore adeſſet
Omnibus: haud igitur quicquam procedere poſſet.

Alij autem, &c. Secunda ratio. Dum corpora comprimuntur, & denſantur; ita in minorem magnitudinem rediguntur, vt experientia teſtetur, vinum, quod dolium refert, in vtrem immiſſum ſimul cum vtre iterū intra dolij capacitatem poſſe contineri: quod certe videtur promanare ex eo, quod in corporibus ſunt quidā inanes meatus, in quibus partes cōpreſſæ recipiuntur.

Atq́; etiam accretio, &c. Tertia ratio. Accretio; & nutritio in viuentibus fit per intus receptum, & diſtributū alimentum, quod quidē corpus eſt; quod certe conſtare nō poſſet, niſi in corporibus alitis ſint inanes partes, per quas alimentum permeādo diffundatur; quam rationem Lucretius primo ſui pœmatis ſic conſcripſit.

Diſſipat in corpus ſeſe cibus omne animatum:
Creſcunt arbuſta, & fœtus in tempore fundunt.
Quod cibus in totos vſq; ab radicibus imis
Per truncos, ac per ramos defunditur omnes
Quod niſi inania ſint, qua poſſent corpora quæque
Tranſire, aut vlla fieri ratione videres.

Idem etiã. &c. Quarta ratio. Vas cineribus plenũ, tantum aquæ excipiet, quantum inane accepiſſet; quod nec fingi quidem poſſet, niſi inanibus & vacuis meatibus cineres eſſent referti.

Pythagorei quoq;, &c. Quinta ratio deſumitur ex pythagoricorum teſtimonio, qui conſtituebant inane infinitum, quod cum extra cœlum eſſe ſentirent, illud in ipſum cœlum ingredi arbitrati ſunt; perinde atq; ſpiritum quendam, quem ad ſe reſpiratione traheret cœlũ; in eum tamen vſum, vt receptum mediis influentiis à mundo inferiori res ſeiungantur, & circumſcribantur ita tamen, vt hanc inanis vim primo recipiant numeri, & illorum beneficio reliqua.

CAP. VII. QVID SIT VACVVM.

Definitiõ vacui A- riſtot.

VTRA autem ſententia, &c. Recto ordine ſeruato illius nõ ſolũ laudator, ſed maximus obſeruator Ariſto. antequam an ſit vacuum ſtatuat, definitionem nominis ipſius ſcrutatur, id ergo præſtat eius ſignificationes ex placitis antiquorum referendo Inquit igitur. Videtur inane locus, in quo nihil cõtinetur, cuius deſcriptionis aſſignat cauſam dicens, ſenſiſſe antiquos, omne ens eſſe corpus, & omne corpus in loco eſſe, idque eſſe inane, in quo nullum eſt corpus: quia vero idẽ corpus tactu definiebãt dicentes, id eſſe corpus, quod ſub tactum cadit; & corpus tactile cenſebant eſſe illud, quod grauitate, aut leuitate erat affectum; ex illorũ ſententia docet, vacuum ita etiã definiri. Locus in quo nec eſt corpus graue, nec leue. Obſeruat tamen, nullam ex his definitionibus poſſe puncto conuenire; quia nec punctũ eſt

eſt locus, nec pūctum aliquā dimenſionem capere poteſt.

Itaq; hoc quærat, &c. Reprehēdit d finitionē traditam; eo quod ſequeretur inde, interuallum alio corpore præditum, vacuū eſſe: quod eſt abſurdum.

Alio antē modo, &c. Platonici definiebant vacuū, id, in quo nulla eſt corporea ſubſtātia: quam definitionem ex eo impugnat; quia ſequitur ex illa, materiam eſſe inane, cum in materia nullū ſit corpus, ſed ſola forma; imo ſequitur materiam eſſe locum, quod non debet admitti: quia inde ſequeretur, poſſe res ab illa, vt à loco ſeparari.

Definitio vacui Ariſtot. *Quoniam autem & de loco, &c.* Statuit ex propria ſententia quid ſit vacuū. Docet ergo, vacuum eſſe locū omni corpore deſtitutum, quę deſtitutio debet eſſe priuatio ita, vt locus ille aptus ſit corpore repleri. Deinde contra veteres docet, in natura rerū nec eſſe vacuum cum rebus ipſis coniunctum, nec ab ipſis ſeparatū; etſi videatur ad efficiendum motum neceſſario eſſe vacuum conſtituendum.

Nec vero neceſſe eſt, &c. Diluit argumēta, quibus veteres vacuum eſſe confirmabant. Primo argumento reſpōdet, ad motum ſaltim alterationis, non eſſe neceſſe conſtituere vacuum; ſiquidem abſq. locali motu, quod eſt in loco, poteſt alterari: deinde neq. deſideratur vacuum ad efficiendum motum localem, vt falſo exiſtimauit Meliſus; cum poſsint corpora viciſsim in eodem loco ſuccedere: alia enim aliis cedunt; id vero fieri poſſe apparet maxime in conuerſionibus tam in corporibus ſolidis, quam in diffluentibus. Quam ſentētiam hoc modo refellit Lucretius.

Cedere ſquammigeris latices nitentibus aiunt
Et liquidas aperire vias, quia poſt loca p'ces
Linguam, quo poſſint cedentes fluere vndæ:
Sic alias quoq; res inter ſe poſſe moueri,
Et mutare locum; quamuis ſint omnia plena;
Scilicet id falſa totum ratione receptum eſt.
Nam quo ſquammigeri poterunt procedere tandem,
Ni ſpatium dederint latices? concedere porro
Quo poterunt vnda, cum piſces ire nequibunt?
Aut igitur motu priuandum eſt corpora quæq;,
Aut eſſe ad miſtum dicendum rebus inane
Vnde initium capiat res primum quæq; mouendi.

Fieri etiam poteſt,&c. Reſpōdet ſecundo argumēto poſſe denſari,& comprimi corpora;non quia ſit vacuum; ſed quia expulſis media cōpreſſione leuibus partibus,occupat corpus minorem partē ſpatij. Tertio etiam argumēto reſpondet, non ſolum ex compreſsione, & dilatione rem occupare maiorem, vel minorem locum, ſed etiam ex conuerſione vnius in alterum; vt cum ex aqua fit aer, maiorem locum, quam occupabat antea aqua.

Omninoq; ea ratio,&c. Tertiā rationē de accretione, quā ſuperius ſoluere cæpit; & quartam de cineribus, ſe ipſas impedire docet: nam intendentes probare vacuum, accretionē funditus tollunt. Nā ſi accretio fit per vacuū, vel non creſceret res ſecundum omnes partes, vel tota res eſſet vacua, vel eſſent duo corpora ſimul: quæ omnia ſūt abſurda. Iſti ergo volūt, communem dubitationē diſſoluere; ſed non demonſtrant dari inane: eodem modo ſoluitur ratio de cineribus, vt nos diximus ſuperiori diſputatione quæſtione quinta. Quare cōcludit, facillimum eſſe diſſoluere rationes, quibus veteres demonſtrant dari inane.

CA. VIII. NON DARI INANE SEPARATVM.

N*ON eſſe autem inane, &c.* Oſtēdit iam, nō poſſe dari vacuum à corporibus ſeparatum, vt multi docebant; cum enim vnaquæque ex ſimplicibus rebus habeat ſuā naturam, à qua ſi res leuis ſit, tendit ſurſum; et ſi grauis, deorſum, nō eſt cur illi cōſtituāt, neceſſarium eſſe vacuum ad motum localem: cum vacuū non ſit cauſa motus.

Præterea ſi quid eſt,&c. Secundo idem impugnat: quia ſi conſtituant inane, non vt ſit cauſa motus; ſed quia requiritur inane ſpatium, in quo corpora quæ mouentur, recipiantur, non ſolū hac de cauſa non eſt neceſſariū, ſed potius illo cōſtituto nō poteſt fieri motꝰ, aut quies: quia in inani nulla eſt poſitionis differentia; ac proinde non eſt maior ratio cur hic, quam illic moueatur, aut quieſcat.

Quo autem modo erit, &c. His verbis

verbis, quæ difficillima ſunt, conatur deducere conſtituẽtes vacuũ ſeparatum ad hoc abſurdum, vt affirment partes totius, quæ non ſunt ſeparatæ, eſſe per ſe in loco: hoc vero eſſe abſurdum docuit in diſputatione de loco; imo illius loci expoſitionem diximus cũ Simplicio ab hoc loco eſſe petendã. Ratio igitur eſt. Quia ſi corpus eſſet in vacuo, tamquam in loco, quemadmodum totum corpus eſſet per ſe in toto vacuo; ita quælibet pars in qualibet illi correſpõdẽte. Quare quælibet pars per ſe eſſet in loco.

Si quis autem rem, &c. Pergit, & ad maiores anguſtias redigit conſtitutores vacui docens, vacuum potius motum impedire, quã iuuare. Vt enim terra, ſicut teſtatũ reliquit Plato in phædone, in medio mundi conquieſcit, cum paribus vndiq. ſpatiis à mundi phœriferia, ſiue ab extremis diſtet, nullaque ſit ratio, ob quam magis in partẽ hãc, quam in illam feratur: ita ſane id, quod in vacuo eſſet, quieſceret neceſſario; cũ corpus in vacuo conſtitutum, ſimiliter affectũ ſit ad omnes vacui partes: cum illæ nullã inter ſe differentiã habeant, ob quam ad vnã potius, quã ad aliam corpus feratur. Hic tamen ſilentio prætereundẽ non eſt, (vt Alex. docet referente Simplicio hic) hanc rationem non legi in quibuſdã exemplaribus, & non immerito: tũ quia paulo ante fuit concluſa; tum etiam quia rationem, quæ ſequitur, adferens Ariſt. inquit *ac primũ quidẽ, &c.* quaſi nulla ratio fuiſſet prius adducta, ſed exordiatur ad demonſtrandũ inane motui eſſe impedimento.

Ac primum quidem, &c. Iterũ idem probat prolixa quadã, & adeo facili, tritaq. ratione, vt expoſitione nõ ægeat; ac proinde à multis interpretibus prętermittitur: imo Vicomer. minutiſsimorum verborum Ariſt. diligentiſsimus obſeruator, & ſcrutator clariſsimus monet explanatione non ægere: quare illã prætermittimus.

Prætereà nunc mouentur, &c. Oſtendit quadã ratione motum violentum qui fit cauſa quæ primum mouit abſente nõ poſſe fieri ſi eſt inane. Sed vt rationem intelligas obſerua. Platonem in thymeo reduxiſſe cauſã huiuſmodi motus ad vim circumfuſi aeris raptim atergo confluẽtis ad occupandum locum à corpore proiecto derelictũ; alios vero Philoſophos ſẽſiſſe, pro-

iecta moueri, eo quod aer ſemel percuſus à proiciẽte, alias partes aeris concitãs impetu ſuo proiecta ferat, neq. ipſa labi aut à motu ſiſtere ferat, dum proiectorum naturalem vim ſuperat. Demõſtrat ergo Ariſt. non dari vacuum: quia in eo neutro ex his modis proiecta moueri poſſunt: ſed quid hæc ratio concludat, examinabitur poſtea.

Præterea nemo quidquam. &c. Vlterius hac ratione progreditur. Inane eſt vniformæ, & ſimile; ergo nulla eſt maior ratio cur mobile cõſiſtat in vna illius parte quam in alia: quare aut ſemper quieſcet, aut, ſi ſemel moueatur, numquam à motu ceſſabit; quod plane abſurdũ eſt. Nec audiendi ſunt inquit, aſſerentes commodum eſſe vacuum ad motum; cum facile cedat, & impetum motus nõ demoretur; cum demõſtratum ſit, nullum motum in illo fieri poſſe.

Ex his etiam, &c. Vt amplius probet, motum vacuo impediri, aſſumit prius, vnum mobile tardius, aut celeriꝰ alio moueri; cum propter ſimilitudinem, aut diſsimilitudinẽ medij; tum etiam propter inæqualitatem ponderis: nam cæteris paribus celerius deſcendit corpus præditum maiori pondere.

A. igitur per B. &c. Ariſtot. more ſuo ſumptis elemẽtis, lõga oratione adhibita hãc proſequitur rationem. Eadẽ proportio, quæ ſeruatur inter tenuitatem & craſitiẽ ſpatij, ſeruatur inter tarditatem, & celeritatẽ motus: ſed nulla eſt proportio quatenus ad tenuitatem, ſeu craſsitiem inter ſpatium plenum, & inane, ergo nulla erit proportio inter celeritatem, & tarditatem in motu per vacuum, & plenum: quare per vacuum fiet motus in inſtanti; quod eſt abſurdum.

Ex eorum autem exuperantia, &c. Probat deinde ratione deſumpta ab ipſo motu, per inane nõ poſſe fieri motum: quia, inquit, ſequeretur inde, duo corpora quãtumuis diſsimilia in figura, & pondere; vel quantumuis inęqualia in magnitudine poſſe eodem tẽpore idem percurrere ſpatium. Probatur conſequentia. Proinde corpus præditũ maiori pondere, & magnitudine celerius tendit in ſuum locum; quia ſua maiori vi facilius ſcindit mediũ corpus illi reſiſtens; ſed in vacuo nullũ eſt corpus quod reſiſtat; ergo omnia poſſunt æquali celeritate moueri: eadem ra

tio fieri poteſt de figura: nã plumbum, verbi gratia figuræ rotundæ celerius deſcendet per aquam, quam ſi eſſet figura plana præditum: quia in figura rotunda facilius diuidit mediũ; quod nullo modo contingit in vacuo.

CAP. IX. NON DARI VAcuum coniunctum cum corporibus.

Illi quidam inane &c. Admonet, ſe ſatis demonſtraſſe non ſolum nõ eſſe neceſſarium inane ad motum, ſed potius motum impedire.

Ac ſi per ſe rem, &c. Deinde conatur deducere illos, qui inane conſtituebant, ad incõmodum. Aſſumit vero prius rationẽ, qua illi conuicti inane conſtituebant, quæ talis erat. Quia ſcilicet ſi non eſſet vacuum, in quocumq. motu, eſſet neceſſario dimẽſionum penetratio: idẽ ergo ex inani ſequi oſtendit ita. Quãdo res mouetur per corpus, ꝙ, cedit, tãtum cedit corporis, quanta eſt res, quæ per illud mouetur; ſin minus eſſet penetratio dimenſionum: ſed in vacuo non poteſt aliquod corpus cedere; cum vacuum ſit omni corpore deſtitutũ: ergo, ſi per illud ſit motus, datur dimenſionum penetratio. Hanc rationem prolixe ... nis proſequitur, ſed ad ea, quæ diximus cũ expectant; ad alia accedamus, quæ noſtro inſtituto vtiliora ſunt.

Sunt autem nonnulli, &c. Proponit iam rationem illorũ, qui probabant dari vacuum cõiunctum cum corporibus, quæ talis eſt. Nõ poſſunt corpora denſari, niſi in illorum partibus ſint meatus inanes; ergo, cũ de facto denſentur, conſtituendum eſt, dari neceſſario vacuum corporibus coniunctum.

Quo ſublato, &c. Quod ſi aliquis reſponderet, non dari corporum compreſsionem, ſtatim hæc ſequi abſurda obiiciunt, nimirum nullum poſſe dari motum hanc rerum vniuerſitatem fluitare, aquã verti in aerem æqualis magnitudinis; aut aſſerendum eſſe neceſſario dari vacuum: aliter enim nihil poſſet comprimi, aut dilatari.

Si igitur rarum dicunt, &c. Impugnat iam aſſertores vacui intra corpora exiſtentis. Ratio ergo ita habet. Rarum,

pro-

propter quod illi conſtituebant inane, aut eſt id, quod continet multa vacua ſeparata aut quod refertum eſt vacuo non ſeparato: ſi primum dicant, contrariũ conuincemus eiſdem argumentis, quibus ſuperius vacuum ſeparatum impugnauimus; ſi ſecundum, neceſſe eſt cõcedant, vacuum nõ eſſe cauſam omnis motus. Si quidẽ raritas, quã comitatur leuitas, non deſeruit niſi motui ſurſum, & denſitas, ex qua grauitas ortum habet, ſolum deſeruit motui deorſum: imo etiam contra illos alia multa ſequũtur incommoda.

Deinde motus cauſa, &c. Demonſtrat, vacuum non poſſe eſſe cauſam motus eo modo, quo vtres, qui corpus illis cõiunctum & applicatum euehunt; quia ſequeretur inde, vacuum moueri; & eſſe in loco; atq. ita dari vacui vacuũ: cum locus ſit vacuũ. Si enim ſtatuãt vacuum cauſam eſſe, cur leuia tendant ſurſum; ergo nõ erit cauſa motus deorſum: nam idẽ non poteſt eſſe cauſa motuum differentium ſpecie; ſequeretur etiam vacuum mouere corpora maxima celeritate; cum hæc ſummam raritatem ſequatur.

Sed quoniam iane, &c. Quia difficile eſt argumentũ ſumptum à raritate & denſitate, quo veteres vtebantur, illud iterũ proponit, & obſeruat non ei ſatisfieri poſſe dicendo, corpora moueri in orbẽ abſque vacuo, & compreſsione: ſuperſunt enim motus recti, qui ſine aliquo ex his fieri non poſſunt. Quare alia eſt adhibenda ſolutio.

Nos autem ex his, &c. Docet cauſam, cur corpora fiant rara, & condenſentur, non eſſe inane; ſed materiam ipſam, quæ raritati, & denſitati, & aliis accidẽtibꝰ ſubiecta eſt: ad quod explicandum repetit multa ex his, quæ de natura materiæ docuit 1. Phyſico.

Eadem igitur ratione, &c. Corporum compreſsionẽ, & dilatationem oſtendit ſimilitudine materiæ: vt enim, inquit materia varias recipit formas tam ſubſtantiales, quam accidentarias; ita corpus nulla extrinſecus facta adiectione dilatatur, & nulla facta detractione, comprimitur; qua tamen ratione id eueniat, clarius in quæſtionibus dicemꝰ.

Eſt autem id quod craſſum, &c. Crediderunt cõſtituentes vacuum cũiunctum, raritatem & denſitatẽ cauſam eſſe motus; proinde modo explicat Ariſt. rationem, qua rarum, & denſum ad leuitatẽ & grauitatẽ ſe habeãt dicẽs quod

eſt,

eſt graue, eſt dẽſum; quod vero leue rarum: tum etiam rarum mole eſt; denſum vero durum. Hoc ſecundum non eſt perpetuo verũ, vt patet in plumbo, & ferro.

Ex his ergo quæ dicta ſunt, &c. Concludit dicens, perſpicuũ eſſe ex dictis nec dari inane coniunctum, nec ſeparatum.

DISPVTATIO DE VACVO.

Quæſtio I. An ſit vacuum, ſiue inane.

Ex his, quæ docuit Ariſt. capitibus ſuperioribus cõſtabat ſatis, non dari vacuum; nihilominus vt manifeſtior ſit diſputatio, nõ dari vacuum confirmabimus amplius, & aliquas rationes contrarias ab Ariſt. inductas ſoluemus. Prius tamen obſeruãdum eſt, inane definiri, locum corpore priuatũ: defectus enim corporis in loco, ad hoc, vt locus ſit vacuus, non debet eſſe negatio, ſed priuatio.

Inane quid.

Varia experimenta de uacuo.

Dari vacuum ſuadent r. varia experimenta. Follium enim latera, ſi ſint conſtricta, dirumpi poſſunt; ſed nulla naturali vi ad inuicem ſeparari, ſi orificiũ, per quod ingreditur aer, quando extenduntur, ſit clauſum: hoc vero ideo fit; quia non poteſt dari vacuum in natura. Cucurbitulæ inſuper carnem ſurſum trahunt: quia nimirum extincta flamma, aer cõdenſatur; ne ergo maneat inane, caro ſurſum aſcendit. Vtres præterea compreſſi, & recte alligati ita, vt aer illos ingredi nequeat nõ poſſunt dilatari propter eandẽ cauſam. Inſuper ſi amphora habeat intra ſe aliquod corpus ignitum, & amphoræ os ponatur ſupra aliquod vas aqua refertum, ſtatim aqua ſurſum aſcendit; id vero fit, ne detur vacuum, nam aer calore rarefactus, aquæ frigiditate condenſatur, & occupat minorem locum: ne igitur ſit vacuum, aqua ſurſum aſcendit. Id etiam in clepſidra fit manifeſtum; ſi enim illius orificium ſuperius claudatur, etſi ſit plena aqua, tamen non diffunditur aqua per foramina inferiora: quia non eſt orificium apertum, per quod poſſit intrare aer. Id idem fit manifeſtum in vaſis, in quibus orificium anguſtũ eſt.

Exhorreſcit vero natura tantopere vacuum propter finem rerum naturaliũ qui eſt earundem conſeruatio: conſeruantur enim res naturales per virtutes corporũ cæleſtium, a quibus nõ ſolum in fieri, ſed etiam in conſeruari pendent, vt diximus ſatis in diſpu. de cauſis. Has tamen virtutes recipere nequeunt, niſi mutuo cõſortio iungantur; vnita enim melius conſeruantur; nam virtus vnita fortior eſt ſeipſa diſperſa.

Cur natura aborreat ad uacuũ.

Sed quæres. Qua vi natura declinat vacuum. Reſpõd. omnes res naturales prius intendere vniuerſi cõſeruationem, quam propriam: vnde hoc eſt illis a natura tributum, vt vim, quam habent, applicent, & contra propriam naturam moueãtur, ne detur vacuum. Id ergo præſtare ſolet natura aliquando mouendo quæuis corpora naturalia verſus quamuis differentiã poſitionis, prout occaſio poſtulat: interdum rarefaciendo, aliquãdo vero vas frangendo vt aer ingrediatur: ac tandem alia quandoq. applicando remedia.

Sed dices. 1. Extra cœlũ datur vacuũ; ergo etiam in rerum natura. Reſpond. ſua gando antece. Nam ibi non eſt niſi mera negatio corporis locati; non vero priuatio. Sed dices. Si modo hoc ſpatium eſſet

corpore deſtitutum, eſſet vacuum: ergo etiam modo extra cœlum eſt vacuum illud ſpatium. Probatur conſequentia. Vt ſe habet modo illud ſpatium extra cœlum: ita ſe habebat hoc ſpatium ante mundi conſtitutionem: ſed tunc hoc ſpatium erat inane: ergo, & modo illud. Probatur min. quia hoc ſpatium erat ante mundi conſtitutionem deſtitutum corpore, poterat tamen repleri, & ſic ſe habet ſpatium, quod eſt extra cœlum. Reſpond. negando antec. Probationi negando min. Probationi illius dicimus, ante mundi conſtitutionẽ ſpatium hoc, quod eſt corpore repletum, non fuiſſe priuatum corpore: quia non habebat aptitudinem ad recipiendum corpus: ſed illa aptitudo fuit ſimul facta cum his corporibus.

Dices 2. Sit vas plenum aqua calida, & recte obclauſum, ſi conſtituatur in loco maxime frigido, ſtatim aqua condenſabitur; ergo tunc temporis erit vacuũ. Probatur conſequentia: quia aqua condenſata, occupat minorem locum; cum ergo ibi non poſsit intrare aliquod corpus, manebit vacuum. Reſpond. 1. negando antece. quia natura tunc non pateretur talem cõdenſationem; vel ſi illam pateretur, aſcenderent vapores ex aqua, qui rarefacti replerent ſpatium ab aqua derelictum: ſi vero iſti non ſufficerent, frangeretur vas, vt aer ingrederetur ad ſuplendum vacuum.

1. Sed dices. Sit tale vas omnino rotũdum, & applicetur illi frigefaciens ſecũdum ſe totum æqualis perfectionis, & ab illo vndique æqualiter diſtãs; ita vt tam ex parte vaſis, quam ex parte condenſantis omnia æqualiter diſtent, fractio non poteſt fieri ſecundum omnes partes; quod certiſsimum eſt: neque eſt maior ratio, cur per vnam partem, quam per aliam frangatur: ergo tunc eſſet inane intra vas. Reſp. 1. omiſsis variis reſpõſionibus forſan rẽ non ſatis attingentibus, tunc naturam partem condenſantis poſſe determinate frangere vas; ſed in iſto caſu determinationẽ partis ad authorẽ naturæ pertinere. Vel dicemus 2. in iſto caſu nec aquã poſſe cõgelari, nec vas dirumpi: corpus enim vndique æqualiter reſiſtens, nec cedit, nec frangitur, vt experientia demonſtrat. Nã ſi ouum prematur, qua parte ſe porrigit in longum, & geminos vertices, nec a fortiſsimo homine comminui valet; ex eo ſolum, quod ſub tali figura vndiq. æqualiter partes diſtant, & proinde reſiſtunt.

Dices 3. duæ tabulæ recte leuigatæ, ſi ſint coniunctæ ita, vt ſe contangant immediate, poſſunt adinuicem ſeparari: ergo poteſt dari vacuum. Probatur conſequẽtia, Quia ſi perpendiculariter ſeparentur, ſeparatio fiet in inſtanti; aer vero, quod ingredi debet ad ſuplendum vacuũ, neceſſario ingreditur in tempore; cum ingrediatur per motum localem, & conſequenter antequam ad medium perueniat, debet neceſſario reperiri vacuum. Reſpõdemus negando antecedens. Nam quæ immediate ſe contangunt iſto modo, nõ poſſunt perpendiculariter ſeparari; quod docuit Ariſto. 2. de Anima, cap. 11. certiſsimum eſt, & docent aliquæ experientiæ: videmus enim, tabulam ſupra aquam poſitã ſucceſsiue, facile ſeparari ab aqua; perpendiculariter vero difficile: quia aqua cedit, & dirumpitur; tabula vero ſecum partem aquæ trahit, quæ, cum tabula eſt aliquantulum ſeparata, deſcendit: quod certe ſignum eſt euidens, quæ immediate ſe contangunt, ſi ſolida ſint, non poſſe adinuicem viribus naturæ ſeparari.

Dices 4. Quando ex ſuperiori elemento generatur elementum inferius, illud quod generatur, occupat minus ſpatium; ergo tunc datur vacuum. Reſpond. negando conſequentiam; quia tunc rarius fit ſuperius elementum.

Dices vltimo. Si aliquis eſſet conſtitutus in vltima parte primi cœli, illæ poſſet porrigere manum: ergo extra primum cœlum datur vacuum. Probatur conſequentia: quia illud ſpatium corpore deſtitutum, cum recipiat corpus, poteſt recipere corpus; quod vero corpore deſtitutum

eſt,

eſt. & corpus recipere poteſt, vere eſt vacuum. Reſp. negando antecedens. Nam qui eſſet in vltima parte cœli, non poſſet porrigere manum; quia extra primum cœlum nec eſt ſpatium vacuum, nec plenum, ſed mera negatio. Sed dices. Vt multi Theologi docent, vltimum cœlum non eſt figuræ rotundæ, ſed quadratæ: ergo extra primum cœlum datur proprie vacuum. Probatur conſequentia. illud corpus eſt compoſitum ex materia, & forma; ergo eſt mobile: ergo poteſt moueri, moueatur ergo, tunc per motum, vbi prius non erat corpus, erunt anguli illius corporis: ergo illud ſpatium, cũ recipiat corpus, aptũ erat recipere corpus; & conſequenter erat inane. Reſp. admittendo antecedens. Probationi illius dicimus, illud corpus conſtare ex materia, & forma, & eſſe mobile; ex ſe tamen non poſſe moueri propter defectum ſpatij, per quod debet fieri motus. Quare naturaliter nõ poteſt moueri; poſſet tamen de potentia abſoluta.

QVAESTIO II.

An poßit dari vacuum.

PRÆSENS quæſt. non procedit de potentia naturali alicuius corporis, quia de hac diximus ſuperiori q. ſed de potẽtia Dei abſoluta: tum etiam inquirit, an ab aliquo Angelo poſſit effici vacuum.

Diuiſio quæſt. IN PRIMA ergo parte huius q. explicabimus quæſtionẽ de potentia abſoluta: in ſecũda vero de potentia Angelica.

Vacuum eſt poßibile. IN PRIMA parte quæſt. ſit aſſertio. De potentia abſoluta poteſt dari vacuum in natura. Hæc manifeſtiſſima eſt, quia dari vacuum nõ repugnat, & probatur: quia certum eſt, poſſe Deum annihilare totam terram, & cõſeruare cætera corpora vbi modo ſunt: eſt enim Deus auctor naturæ, & ſubiacent illi omnia, poteſtq. pro ſua voluntate illa diſponere.

Sed dices. Dari vacuum eſt contra ordinem vniuerſi: ſed quod eſt contra ordinem vniuerſi, videtur nõ fieri poſſe ab ipſo Deo ergo, &c. Probatur minor. Quia quod eſt præter ordinem vniuerſi, eſt inordinatum; quod vero inordinatũ eſt, videtur diuina potentia fieri non poſſe: cum omnia ſint a Deo in ordine põdere & mẽſura. Reſp. negando min. Probationi dicimus, non eſſe abſolute contra ordinem, ſed cõtra vniuerſi ordinem, quod nullum eſt abſurdum.

Angelus non poteſt efficere vacuum. IN SECVNDA parte quæſt. ſit hæc alia aſſertio. Viribus naturæ Angeli ex non poteſt dari vacuum. Probatur aſſertio. Ius immutandi vniuerſi ordinem Deus ſibi ipſi reſeruauit; ſed vacuum immutat vniuerſi ordinem; ergo vacuum ſolum poteſt fieri ab ipſo Deo. Minor certa eſt ex dictis quæſt. ſuperiori; maior probatur ex illo Diui Pauli cap 2 Epiſto. ad Hebræos. *Nõ enim Angelis ſubiecit Deus orbem terræ.* Et ex illo Iob. cap. 34. *Quem conſtituit alium ſuper terram? aut quem poſuit ſuper orbem quem fabricatus eſt?* Quaſi diceret: ſolus Deus poteſt eſt ordinem vniuerſi immutare.

Sed dices Quando aer cõdenſatur, aſcendit aqua, ne detur vacuum, vt patet in exemplis adductis: ergo, ſi non aſcenderet aqua, daretur vacuum: ſed poteſt efficere Angelus vt aqua tunc non aſcendat: ergo poteſt efficere vacuum. Probatur minor. Virtus maior poteſt reſiſtere minori, & impedire illius actionem; ſed virtus Angeli eſt maior virtute aquæ: ergo poteſt impedire actionem aquæ, ne aſcẽdat ſurſum. Reſpõ. concedendo primum enthymema, deinde negando minorem. Probationi reſpondemus diſtinguendo minorem ita: ſi ſumantur virtus Angeli, & virtus aquæ abſolute, concedimus; ſi vero ſumatur virtus aquæ vt eſt virtus quædam ad ſupplẽdum vacuum & conſeruandum ordinem totius vniuerſi, negamus minorem: nam totius vniuerſi ordo ſolum ſubiectus eſt authori naturæ nempe Deo, & conſequenter

I, ſolum poteſt ab illo impediri. Sed dices. Poteſt Angelus mouere quoduis corpus quauis magnitudine præditũ, vt diximus in 3 p. diſputationis de cauſis. q. 3. in vltima parte illius: ergo poterit etiam impedire motum cuiuſuis corporis. Reſp. Angelũ poſſe mouere quoduis corpus, & impedire motum cuiuſuis corporis, dũmodo ex hoc non peruertatur ordo totius naturæ. Virtus enim qua grauia mouentur ſurſũ, aut leuia deorſum pro conſeruatione totius vniuerſi, non eſt naturalis illis ſecundum proprias naturas, ſed ſecundum naturam vniuerſi. Verum autem huiuſmodi actiones fiāt ab iis rebus, vel a ſolo Deo, non eſt cur modo perquiratur diffuſa diſputatione; ſat ſit intelligere, quamuis partem poſſe defendi, & eſſe grauiſsimorum Philoſophorum ſententiam.

QVAESTIO III.

An per vacuum poßit fieri motus.

QVÆSTIO procedit de motu ad quātitatem, qualitatem, & vbi; tum etiam de potentia naturali, & de abſoluta.

Non datur motus in uacuo. Sit prima aſſertio. De potentia naturali nullus motus poteſt fieri in vacuo. Probatur eodem modo, quo in ſuperioribus docuimus, non poſſe dari vacuum: omnis namq. virtus inferiorum regitur, & gubernatur a corporibus cæleſtibus: cum ergo in vacuo non poſsit recipi cæleſtis influxus; proinde in vacuo, naturaliter loquendo, nullus motus fieri poteſt.

Poteſt dari motus in uacuo. Secunda aſſertio. De potentia abſoluta poteſt fieri motus in vacuo. Hæc communis eſt. Nullum enim eſt dubium, poſſe Deum in nihilũ redigere Spheram ignis, & poſtea per ſpatium, quod illa occupabat, mouere aerem vſque ad concauum lunæ. Probatur etiam ratione. Deus poteſt ſupplere vices cauſæ efficientis; ſed corpora cæleſtia concurrunt ad motum harũ rerum inferiorum in genere cauſæ efficiẽtis: ergo poteſt Deus ſupplere vices illorum; ſed ſi res in vacuo reciperent influentiam a corporibus cæleſtibus, poſſent in vacuo moueri: ergo poterunt ibi moueri de potentia abſoluta.

Dices in primam aſſertionem. Res naturalis in vacuo conſtituta, haberet ſuam virtutem; ergo poſſet moueri. Reſpondemus negando conſequentiam: quia nõ ſolum requiritur propria virtus, ſed etiam influentia cœli. Sed dices. Per calefactionem multa rareſiũt; ergo ſi in vacuo eſſet ignis, & iuxta illum aliquod corpus aptũ rareſieri, illud rareſieret ab igne. Reſpondemus eodem modo: nam ignis in vacuo conſtitutus, non poſſet rarefacere, cum careret cæleſti influxu.

Sed quæres. An ſuppoſito vacuo, poſſet aliquod corpus moueri actualiter ad ſupplendũ illud. Reſpõdemus, non poſſe; ratio eſt, quia tunc adhuc egeret concurſu primi cœli.

QVAESTIO IIII.

An ſi res moueretur in vacuo, moueretur in tempore vel inſtanti.

DIVIDITVR quæſt. in quatuor partes. Prima proponemus obſeruationes. 2. aſſertiones. 3. ſoluemus cõtrarias rationes. 4. pertractabimus quãdam breuem dubitationem. *Diuiſio quæſt.*

IN PRIMA parte quæſt. ſit prima obſer. Quæſtio procedit de motu ad vbi; procedit etiam de potentia abſoluta.

Secunda obſer. Præſens quæſt. pendet ex alia, qua inquiritur, an de ratione motus ſit ſucceſsio: ſi enim de intrinſeca ratione motus, eſt ſucceſsio, certum eſt, non poſſe fieri in inſtanti.

Tertia obſer. Succeſsio, & temporanea

Duratio in motu oritur ex triplici cap.

duratio in motu locali, ortũ habet ex quadruplici cap. ſcilicet ex defectu virtutis in mouente, ex reſiſtentia medij, ex incompoſsibilitate terminorum, & ex diuiſsibilitate, & extenſione partium mobilis; ſi enim adſit in motu aliquod ex his neceſſario debet fieri motus in tempore: nam omne corpus, quod mouetur motu locali, habet extenſionem in ordine ad ſe, & in ordine ad locum, ita vt totum corpus dicat ordinem ad totam ſuperficiem, qua continetur, & pars ad partem. Vnde ſequitur, ſemper in motu locali neceſſariam eſſe ſucceſsionem: quia terminus a quo habet diſtinctam extenſionem ab illa, quam habet locus, qui eſt terminus ad quem extrinſecus motus localis. Quare mobile non poteſt eſſe ſimul in termino a quo, & in termino ad quem: ac conſequenter de ratione motus localis eſt ſucceſsio.

Quarta obſer. De ratione motus proprie dicti in communi nõ eſt ſucceſsio; ſed ſolum, quod fiat a poſitiuo in poſitiuum, vt diximus 5. Phy. q. 3. Eſt tamẽ ſucceſsio de intrinſeca ratione motus localis propter rationem adductam.

Quinta obſer. Certum eſt, mixtum nõ poſſe moueri in inſtanti: quia in illo ſemper reperitur defectus virtutis in elemento prædominante propter reſiſtentiam ex parte aliorum elemẽtorum: tum etiã idem eſt certum de motu violento ſimplicis corporis; quia ſemper fit talis motus cum reſiſtentia ex parte mobilis; idem itidem dicendum eſt de motu progreſsiuo, in quo ſemper reſiſtit membrorum grauitas. Manet ergo dubitatio de motu naturali corporis ſimplicis.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit prima aſſert. Motus localis per vacuum, fieret in minori tempore, quam per ſpatiũ plenũ; dummodo cætera eſſent paria. Probatur aſſertio: quia in vacuo non eſſet reſiſtentia ex parte medij, quæ ſolet eſſe impedimento motui locali.

Secunda aſſer. Motus localis in vacuo non poteſt fieri in inſtanti. Probatur primo. Vt conſtat ex 3. obſeruat. de ratione motus eſt ſucceſsio: ſed ſucceſsio non poteſt fieri in inſtanti: ergo motus localis adhuc in vacuo, non poteſt fieri in inſtanti. Probatur ſecũdo. Motus localis fit ex vno loco in alium, tanquam ex vno termino extrinſeco ad alium; ita vt illa loca, nõ ſint in corporibus, quæ ſe penetrant: ergo neceſſario debet fieri in tempore. Probatur conſequentia: quia ſi fieret in inſtãti, ſimul eſſet idem corpus in duobus locis abſque penetratione in locantibus, quod abſurdũ eſſe docuimus, q. 5. de loco. Probatur tertio. Quia de facto corpora cœleſtia mouentur in tempore, & abſque reſiſtentia medij. Nec valet ſolutio Pererij aſſerentis, cœlum non moueri prout poteſt, ſed prout debet; reliqua vero corpora moueri prout poſſunt: quia etiam reliqua corpora mouentur a virtute finita, quemadmodum cœlum; tum etiam & cum incompoſsibilitate terminorum. Nec valet ſolutio Alberti aſſerentis, cæleſtia corpora non poſſe moueri in inſtãti: eo quod mouentur a principio extrinſeco: inferiora vero poſſe: quia mouentur a principio intrinſeco: quæſtio namq. procedit de potentia abſoluta. Quare parum refert, moueantur modo a principio intrinſeco, vel ab extrinſeco.

IN TERTIA parte quæſt. dices primo. Quãdo minor eſt reſiſtentia ex parte ſpatij, minori tempore fit motus; ergo ſi ex parte ſpatij nulla eſt reſiſtentia, fiet motus localis in inſtãti: ſed in vacuo nulla eſt reſiſtentia ex parte ſpatij; ergo, &c. Reſpondemus negando conſequentiã; nã, vt diximus obſeruatione 3. ſucceſsio, & temporanea duratio, non ſolum ortum habet ex reſiſtẽtia medij, ſed ex alio triplici cap. Sed dices. Hoc eodem argumẽto vſus 1.
eſt Ariſto. ad confirmandum non eſſe vacuum: ergo ſolutio eſt nulla. Reſpõdemus negando conſequentiam: nam argumentũ Ariſt. aſſumit falſum, ſcilicet durationem in motu, ſolum habere ortum ex reſiſtentia medij; recte tamen argumẽtabatur A-

tiſt. quia diſputabat ad hominem; admittebant enim veteres illud principiũ. Quare ex conceſsis argumentabatur, & recte quidem. Nos vero exiſtimamus, ſucceſsionem in motu, præcipue habere ortum ex

1. incompoſsibilitate terminorum. Sed dices. Illuminatio, non obſtante incompoſsibilitate terminorum, fit in inſtanti: ergo etiam motus localis poteſt fieri in inſtanti. Reſpondemus, aliud eſſe accidens produci: & aliud accidens, vel corpus localiter moueri. Poteſt ergo produci lux in aere in inſtanti: quia producitur abſque reſiſtentia, & ſic producitur ſimul: at vero lux, quæ eſt in vna parte aeris, non poteſt tranſire in aliam in inſtãti, & multo minus poterit moueri localiter corpus in inſtanti.

Dices 2. Motus in vacuo fit in tempore; ergo poteſt corpus moueri æquali tempore per vacuum, & per plenum. Probatur conſequentia: quia ſi per plenum mouetur, per ſpatium vnius horæ a mobili virtutis vt duo, & per vacuum ab eodem, per ſpatium dimidiæ horæ, poteſt augeri virtus mouentis in motu per plenũ, quouſque moueatur corpus per ſpatium dimidiæ horæ. Reſpondemus concedendo totũ diſcurſum: nullum enim eſt abſurdũ, dummodo cætera non ſint paria, rem moueri eodem tempore per plenum, & per vacuũ: eſſet tamen abſurdum, ſi cæteris paribus tantum conſumeret temporis mobile per ſpatium vacuum, quãtum per ſpatium plenum. Ratio eſt: quia duratio motus etiam ortum habet ex reſiſtentia medij.

IN QVARTA parte quæres. An de potentia abſoluta poſsit aliquod corpus acquirere locum in inſtanti in vacuo. Reſpondemus per accidẽs certũ eſſe poſ- *Obſerua.*
ſe: nam poteſt Deus, ſi eſſet vacuum, creare in illo in inſtanti ſubſtantiam corpoream, quæ in inſtanti per accidens acquireret locum. Manet ergo dubium, an per ſe poſsit acquirere locum. Pro ſolutione obſerua, corpus aliquod eſſe in loco dupliciter. Primo circumſcriptiue, quando totus locus correſpondet toti locato, & pars, parti. 2. per præſentialitatem, nõ tamen circumſcriptiue. Reſpondemus ergo corpus non poſſe, adhuc de potentia abſoluta, acquirere locum circumſcriptiuum per ſe in inſtanti: quia talis locus per ſe, non acquiritur niſi medio motu locali: implicat autem, motum localẽ fieri in inſtanti. Secũdo vero modo, & per præſentialitatem poteſt corpus per ſe acquirere locũ in inſtanti: imo de facto per vltimum inſtãs prolationis verborũ eſt corpus Chriſti præſens loco ſpecierum cõſecratarum, non tamen circumſcriptiue: qua etiam ratione ſimul eſt præſens multis locis, quando eſt in pluribus hoſtiis conſecratis.

CAP. X. DE TEMPORE.

S*EQVITVR vt de tẽpore diſſeramus, &c.* Aggreditur tertiã huius lib. partem, quæ eſt de tempore, docetque ſtatim in principio inquirendũ eſſe, an ſit tempus; quod præſtat hoc cap. & deinde inquirit, quid ſit.

Ac illud quidẽ, &c. Prima ratio. Id cuius partes non ſunt, non eſt; ſed partes temporis, ſcilicet præteritum, & futurum non ſunt, quia præteritum iam non eſt, & futurum nondum eſt: ergo tempus nõ eſt.

Præterea omni rei qua, &c. Secun-

cunda ratio. Quod diuidi poteſt in partes, nō poteſt in rerum natura, niſi ſitit omnes eius partes, vel aliquæ: ſed tēporis, quod diuiſibile eſt, nulla eſt pars; ergo nō datur tempus. Probatur min. Quia pars præterea iam nō eſt, futura nō dū eſt; id vero, quod eſt pręſens, non eſt pars, cum quæuis pars continui poſsit menſurare continuum: at id, quod habemus præſens de tēpore, indiuiſsibile eſt, & non poteſt menſurare tempus.

Praterea hoc ipſum, &c. Quod ſi aliquis reſpondeat, tempus eſſe: quia eſt inſtans, quod eſt initium futuri temporis, & finis præteriti, id impugnat ex eo; quod ſi eſſet tale inſtās vel eſſet idem in toto tempore, vel aliud, & aliud. Nō eſſe aliud, & aliud probat: quia aut eſſet ſimul, aut ſucceſsiue; nō ſimul: quia duæ partes temporis nequeūt eſſe ſimul, niſi vna ab altera cōtineatur, vt dies à menſe, eo quod vna ſit maior altera, at vnum inſtans non eſt maius alio: nec ſucceſsiue; quia ſequeretur inde hoc abſurdum, ſcilicet inſtās corrumpi, quod abſurdum eſſe oſtendit ex eo, quia vel interiret in ſe ipſum, vel in aliud: quorum neutrū fieri poteſt.

Nec vero idē ſemper, &c. Quod vero non ſemper maneat idē inſtans, probat primo: quia nullum continuum finitū cōſtat vnico tātum indiuiſsibili, ſed pluribus. Secūdo: quia cum illa dicantur eſſe ſimul tempore, quæ ſunt in eodem inſtanti, ſi vnum inſtans eſſet in toto tempore, ea, quæ multis diſtinctis ſeculis ſtitere, omnia fuiſſent ſimul: quod plane eſt abſurdum.

Quid autem ſit tempus, &c. Accedit ad explicādum quid ſit tempus, quod ait non eſſe minus difficile, ac ea, quæ antea dixit: nam quidam exiſtimāt, tempus eſſe motum vniuerſi, id eſt cœli: alij ipſum cœlum. Hos impugnat primo: quia illorum iudicio pars conuerſionis cœli eſt tempus, & tamen pars conuerſionis non eſt cōuerſio. Deinde: quia cū ſint plures orbes cæleſtes, eſſent etiam plura tempora: quod eſt abſurdum.

Spheram autem, &c. Dicentes tempus eſſe cœlum ducebantur hoc argumento. Cœlum cōplectitur omnia: ſed tempus complectitur omnia; ergo, &c. Quæ argumētandi ratio ſtulta inquit eſt.

Quoniam autem motus, &c. Impugnat etiā eos, qui dixerūt motum eſſe tempus: quia motus eſt in re, quæ mouetur; tēpus vero in qualibet re natura-

turali. Secundo: quia omnis motus eſt velox, vel tardus; tempus autem neque dicitur velox, neque tardum: nam velox dicitur id, quod breui tẽpore magnum percurrit ſpatium; tardum vero quod multo tempore paruum ſpatium percurrit: at tempus nec ſecundum quantitatem, nec ſecũdum affectiones definitur per tempus, quare perſpicuũ eſt, tempus non eſſe motũ ſiue motus ſumatur proprie, ſiue pro mutatione.

CAPVT XI. QVID SIT TEMPVS.

AT vero non ſine motu eſt, &c. Demonſtrauit tempus nõ eſſe motum. Initio huius cap. docet non eſſe abſq. motu, quod ita oſtẽdit. Non poſſumus percipere tempus niſi cõiunctum cum motu & per motum: ergo tẽpus non eſt motus; eſt tamen ſemper coniunctum cum motu. Antecedens probat, ſumpto quodam exemplo de quibuſdam dormientibus.

Sed nobis quoniam quid ſit, &c. Quoniam inquit inquirendũ nobis eſt, quid ſit prius, vidẽdũ eſt quid ſit in motu, quod poſsit eſſe tẽpus: nam ſimul motum & tẽpus percipimus. Id probat Ariſto. non ſolũ in motibus corporeis, ſed etiã in motibus pertinentibus ad intellectum, ſcilicet in intellectionibus. Hæc, aliis ommiſſis, eſt genuina huius loci expoſitio, & conſonat vltimis verbis ſuperioris capitis.

Quoniam autem id quod cietur, &c. Docet, omne quod mouetur, moueri ab vna parte in aliam per ſpatium, quod ſi ſit continuum, motus etiam continuus eſt, & tempus itidem ratione motus.

In loco autem, &c. Docet in ſuper qua ratione reperiantur prius, & poſterius in magnitudine, motu, & tempore, dicens. Prius, & poſterius reperiuntur prius in magnitudine, ratione illius in motu, ratione vero motus in tempore: quamuis in motu prius & poſterius ſolum diſtinguantur ratione à motu.

Quin etiam temporis, &c. Quoniã motus ſumi poteſt, vt eſt actus entis in potentia, & vt habet prius & poſterius, proinde docet, temporis notitiã nos habere, cum percipimus in

in motu prius & poſterius: nã tũc demum iudicamus tẽpus præteriiſſe, cum apprehẽdimus duo puncta motus, ſiue duo mutata eſſe, vnũ prius, & alterũ poſterius, & motũ inter ea: nam tunc apprehendimus etiam duo inſtantia, quæ mutatis eſſe reſponpent, & ſunt idem realiter cũ ipſis: durationem etiam, quæ ſit idem realiter cum motu, qui eſt inter illa duo mutata

Quid ſit tempus. eſſe. Hinc colligit, tẽpus eſſe numerum motus ſecundum prius & poſterius.

Idque hinc, &c. Tempus eſſe numerum motus, ita oſtẽdit. Id quo plus, aut minus in motu iudicamus, eſt numerus motus; ſed tempore iudicamus plus, aut minus, in motu; ideſt, motum eſſe maiorẽ, vel minorem: igitur tempus eſt numerus motus. Sed, quod pace Ariſt. dixerim, hæc ratio eſt nullius momẽti: nam per magnitudinem, ſupra quã fit motus, idem iudicamus; & tamen magnitudo non eſt numerus motus.

Magnitudo non eſt numerus motus. *Quoniam autem, &c.* Cum numerus duplex ſit, ſcilicet numerans, quo numeramus; & numeratus, ſcilicet res quæ numerantur: & hic rurſus cõſtet ex partibus inter ſe diſcretis, vel ex partibus continuis, proinde, docet, tempus eſſe numerũ numeratum cõſtantẽ ex partibus continuis.

Motus cõſiſtit in ſucceſſione. *Et quemadmodum motus, &c.* Vt ſoluat dubitationes ſuperiori capite propoſitas, aliqua obſeruat. Primum eſt. Vt motus conſiſtit in ſucceſsione, ita tempus: fieri enim nõ poteſt, nõ eſſe in ſucceſsione id, quod menſura eſt motus, qui fluxus eſt. Diſtinguuntur tamen: quia tempus ſemper eſt idem apud omnes, motus vero minime: quemadmodum etiam inſtans idem eſt, licet ratione diſtinguatur: nã punctum temporis tempus omne metitur, qua ex parte prius, & poſterius ſumitur: ideſt inſtãs temporis mẽſurat omne tempus; nõ quia extenſionem habeat, ſed quia tempus conſtat ex priori, & poſteriori parte. Prima pars terminatur priori inſtanti. Secunda vero poſteriori. Hæc verba difficillima ſũt & à multis interpretibus intacta prætermittuntur.

Eſt autem, &c. Diluit dubitationem quãdam ſuperiori capite adductã, docens, in toto tempore partim eſſe idem inſtans, & partim nõ eſſe idem. Eſſe idem ſubiecto, quatenus in toto motu vna eſt res, quæ mouetur: eſſe vero multa ratione, quatenus idem nũc metitur hoc mutatum eſſe, & il-

lud: vt enim dictum eſt, ratio motus deſumitur à magnitudine, & ratio temporis à motu: nam mutatum eſſe correſpondet puncto lineæ, & mutatio correſpondet inſtanti temporis: eãdem rem longa quadã orationepro ſequitur.

Illud etiam perſpicuũ, &c. Obſeruat præterea, ſic inter ſe eſſe affecta tempus & inſtãs, vt vnũ ſine alio eſſe non poſſit: nam motus localis, & mobile ita ſũt affecta, vt nõ poſſit eſſe mobile, prout mouetur, abſque motu, nec ẽ contra: ac proinde tempus & inſtans neceſſario ſimul debere eſſe: cum tempus ſit numerus motus, inſtans vero mobilis: nam quemadmodum vnitatibus menſuramus numerum, ita inſtantibus, vt habẽt rationem numeri, ideſt prioris & poſterioris, menſuramus ea, quæ mouentur.

Continuatur enim tempus, &c. Docet tempus fieri cõtinuũ inſtanti, & etiam fieri diſcretum, cum inſtans nõ copulat illius partes: nam inſtans conſequitur motum, & mobile. Dicitur autem vnus motus ille, qui eſt vnius mobilis, non tamẽ quatenus mobile eſt vnares, & vnum ſubiectũ; ſed quatenus ſubeſt motui facto abſque intermiſsione. Quare etiam tempus, quod habebit vnum inſtans copulans, erit vnum, quemadmodũ eſt vnus motus habens vnũ mutatum eſſe.

Hoc etiam motum, &c. Subdit. Eo ipſo, quod inſtans diſtinguit partem temporis, nempe præteritam à futura, quodammodo ſimile eſt puncto: nam punctum etiam copulat & terminat magnitudinem. Idem enim punctum principium eſt vnius partis, & finis alterius. Differunt tamen, ꝙ punctũ manet idem, quo poſſumus vti vt principio, & fine: inſtans vero non manet, ſed ſemper eſt aliud, & aliud.

Quo circa tempus, &c. Ex eo ꝙ inſtãs nõ permanet, colligit non ideo definiri tempus, numerũ motus, eo quod ſit numerus ratione vnius & eiuſdem inſtantis, quod poſsit aſsignari in tempore, quemadmodum pũctum in linea: ſed ratione diuerſorum, quæ tamen inſtantia nõ ſunt partes componẽtes tempus, ac duæ partes lineę cõponunt lineã.

Ac punctum quidem, &c. Concludit caput dicens, inſtãs nõ eſſe partem temporis, cũ ſit finis & terminus illius: tum etiam, perſpicuum eſſe, tempus eſſe numerum prioris & & poſterioris, & eſſe quid cõtinuum.

CAP.

CAP. XII. IN QVO PROPONIT Ariſt. quædam conſectaria.

MINIMVS autem numerus, &c. Pro pleniori intelligentia propoſitæ definitionis, infert quędã conſectaria. Primum eſt, numerum minimũ ſecũdum multitudinem eſſe binarium, at vero ſecundum magnitudinem non dari numerum minimum: vt patet in lineis, ex quibus non poteſt fieri numerus minor ſecundum multitudinem, illo, qui conſtat ex duabus lineis. Iſtæ tamen lineæ, ſic ſe habent, vt poſsint eſſe minores ac minores abſque fine. Tempus etiã eſt numerus certus ſecũdum multitudinem, cum cõſtet ex priori & poſteriori: incertus tamen ſecundum magnitudinem, & extenſionem.

Perſpicuum etiam, &c. Secundum conſectarium. Tempus dicitur multum, vel paucum, longum aut breue; tamen nõ dicitur velox, aut tardũ. Dicitur enim longum & breue, quia eſt continuum: multum & paucum, quia eſt numerus. Tamen nõ dicitur velox aut tardum, quia tempore, tanquam numero, menſuramus id, quod velox eſt, aut tardũ.

Tempus dicitur lõgum, uel breue.

Atq; etiam, &c. Tertium cõſectarium. Tempus quodam modo eſt idem, & quodammodo diuerſum. Eſt idẽ, quia vbique eſt eadem communis duratio, quemadmodum & eadẽ mutatio. Diuerſum vero ratione prioris & poſterioris, quæ reperiũtur in motu; idque non difficile intelligitur ex eo, quod tempus eſt numerus numeratus, qui varius eſſe ſolet pro rerum varietate.

Præterea vt iterum, &c. Quartum cõſectarium. Vt eadem mutatio ſepe redire ſolet, v. g. idem motus cœli, qui quotidie redit: ita idem tempus: vt annus, v.g. &c. Sed hoc nõ eſt intelligẽdum de idẽptitate ſpecifica temporis, vt multi interpretes volunt, ſed de numerica: nam totum primi cœli tempus, certum eſt, eſſe vnum numero, cum ſit continuum. Dicitur tamẽ idem tẽpus redire quotidie, quia quotidie fit cõuerſio eiuſdem rationis cum præterita: omnes tamen ſunt partes continuæ eiuſdem indiuidui.

Nec motum, &c. Quintum cõſectarium. Non ſolum menſuramus motum tẽpore, ſed etiam tempus motu. Id probat.

Tempore menſuratur motus & e contra.

bat. Primo, quia ſicut per numerum cognoſcimus & menſuramus res numeratas, & rurſus per illas cognoſcimus numerum: ita per tēpus cognoſcimus motum, & rurſus per motum in temporis cognitionem deuenimus.

Qua ratione ſe habeat tempus ad ea quæ tēpore menſurantur.

Quoniam autem menſura, &c. Iam in reliqua cap. parte explicat, qua ratione ſe habeat tempus ad ea, quæ tempore continentur. Docet ergo primo, tēpus eſſe menſuram motus, & ipſius moueri: nam medio tempore, inquit, menſuramus partē motus, per quā metimur poſtea totum motum: vt vlna panni v.g. menſuramus totam panni longitudinem.

Nam in tempore, &c. Obſeruat, motum eſſe in tempore, nihil aliud eſſe, quam motum & eſſe motus ab ipſo tempore menſurari. Subdit præterea, non ſolum motum ſed etiam res, quæ mouētur ea ratione qua labuntur, & poſitę ſunt in ſucceſsione, etiam tē pore menſurari. Affert prætere a alios modos, quibus res poſſunt dici eſſe in tempore. Primus modus. Ea ſunt in tēpore, quæ, dum tempus præterit, exiſtunt. Obſeruat tamen hunc modm eſſe in proprium. Secundus modus. Ea ſunt in tempore, quæ, ſunt in illo tanquam in numero. Qui modus contingit dupliciter. Primo, quādo eſt in numero, vt aliquid ipſius: qua ratione exiſtunt in numero vnitates, par, & impar, & cæteræ motus affectiones. Secundo contingit, quando dicuntur eſſe in numero, eo quod ab eo menſurantur: vt decem corpora dicuntur eſſe in numero denario, quia menſurātur ab illo. Cum ergo tempus ſit numerus motus, erit motus in tēpore hoc vltimo modo.

Duo modi quibus aliqua ſūt in tempore.

Quoniam autem, &c. Quoniā res ſunt in tempore tāquam in numero, hinc fit, vt res, quæ tempore cōtinentur vincantur & ſuperentur à tempore: quemadmodum res numeratę à numero. Dato enim quocumque numero, poteſt alter maior aſignari.

Atq; etiam hac, &c. Colligit, res quæ ſunt in tempore pati ab illo extrinſeca quadam denominatione: nam omnia tēpore inveterari & conſumi dicimus. Eſt enim tēpus per ſe cauſa interitus, cum ſit numerus motus, & motus ſoleat à ſuo ſtatu rē, quæ mouetur, dimouere.

Æterna non menſurantur tēpore.

Ex quibus perſpicuum, &c. Ex dictis infert, res ęternas & interitus expertes tempore nō mēſurari, eo ipſo quod ſunt æternæ. Has enim neque amplecti-

plectitur, neque metitur tẽpus. Nihil enim à tẽpore patiuntur. Qua ratione hæc intelligi debeãt, dicemus in diſputatione ſequenti, quæſtione vltima.

Quoniam autem tẽpus, &c. Cũ oppoſitorum eadem ſit diſciplina, ideſt, cum ad eandem ſcientiam pertineat agere de contrariis, docet nunc, tempus etiam eſſe menſurã quietis: tamen non per ſe, ſed per accidens. Reddit cauſam dicens. Hoc fit, quia quies ſolũ eſſe poteſt in tẽpore, eſt enim priuatio motus.

Tempus eſt menſura quietis.

Quod autẽ mouetur, &c. Addit. Quoniam tempus non ſolum metitur motum & quietem, verumetiam res quę ſubiiciũtur motui, & quieti, proinde, inquit, tempus non eſt mẽſura harum rerum, prout ſunt magnæ, ſed ea ratione, qua mouentur, vel quieſcũt. Quocirca, quæ immobilia ſunt tẽpore non menſurantur: tum etiam, quę numquam ſunt, vt figmenta multa.

Ac ea quidem, &c. Proſequitur dicens, eſſe in tẽpore omnia quæ orta ſũt, & intereũt, ita, vt modo ſint, & modo nõ ſint: ideſt, ita, vt ſint ſemper poſita in ſucceſsione & variatione: omnia enim hæc excedit tẽpus diuturnitate & duratione. Obſeruat inſuper, quæ pertinent ad tempus, & non ſunt, in triplici eſſe differentia: nam quædam fuerũt, & iam non ſunt: alia vero nõdum ſunt, & erunt: & quædã & fuerunt, & erũt poſtea: vt homines, qui præceſſere, & poſt iudicium reſurgent, vt fides catholica docet.

Quæ vero, &c. Concludit tãdem dicens, eſſe extra omniũ temporum differentias, & tẽpore non menſurari ea, quæ nec fuerunt, nec ſunt, nec erunt: qualia ſunt illa, quorũ contraria ſemper ſunt.

CAP. XIII. DE QVORVNdam aduerbiorum ſignificationibus.

Æterna non menſurantur tẽpore.

CVNCTVM vero temporis, &c. Explicat hoc capi. multas voces ad tempus pertinẽtes: ſunt vero nunc, aliquando, iam, nuper, quõdam, repẽte. Initiũ ducit ab aduerbio nunc, huiuſque vocis duas proponit ſignificationes. Prima eſt propria, qua ſignificat id, quod cõnectit partes tem-

Nunc.

 poris,

poris, & eſt principium partis futuræ, & finis præteritæ. Quod nō eſt ita accipiēdum, inquit, quemadmodum punctum in linea, quod eſt quid permanens: ſed poteſt, nunc, partes tēporis diſtinguere. Vnde, vt poteſt diſtinguere partes tēporis, eſt multiplex ratione. Eſt vero vnum, quatenus copulat. Idem iudiciū eſſe docet de puncto in lineis mathematicis, & imaginariis

Aliud eſt, &c. Secunda ſignificatio. Nunc, eſt tempus proximum inſtāti, præſenti: ſiue tale tēpus ſit proxime præteritum; ſiue proxime futurū. Qua ratione dicere ſolemus, nūc veni, ideſt tēpore proxime præterito.

Aliquando. *Aliquando autem, &c.* Explicat ſecūdam vocem, ſcilicet, aliquando, docet quæ ſignificare temous diſtans à præſenti nunc, proximum tamen, cū aliquo nunc, quod procul ab eſt; ſiue ſit præteritū, ſiue futurum. Vt aliquādo capta eſt Troia: & aliquando erit innūdatio Hinc videtur deſumere argumentum, vt ſibi ipſi obiiciat, tēpus eſſe finitum: quia ſcilicet, aduerbium aliquādo acomodari poteſt cuiuis tempori, & tamen ſignificat tempus finitum. Sed hoc latius diſcutietur à nobis libro 8. vbi oſtendemus, tempus non eſſe infinitū, ſed potius ſuę durationis principiū habuiſſe.

Iam, proximum, &c. Aduerbium, iam, ſignificat tempus inſtanti pręſenti proximum, ſiue tempus illud ſit præteritum, ſiue futurum. Rem hāc facile exemplis illuſtrat. Modo, ſiue nuper, ſignificat tempus præteritum, proximum tamen inſtāti præſenti. Itaq; latius patet, iam, quā modo. Pridem, ſiue olim ſignificat partem temporis præteriti, maxime diſtantem ab inſtanti præſenti. Repente, ſiue ſubito dicitur illud fieri, quod aliquam ſubit mutationē tēpore quam breuiſsimo. *Iam.* *Nuper.* *Pridem.* *Repente.*

Mutatio autē omnis, &c. Aſſeruit cap. ſuperiori, tēpus magis eſſe cauſā interitus, quā generationis. Hoc apertius exponit, inquit enim. Per motum res dimouētur à ſuo ſtatu: cum ergo tempus ſit numerus & duratio motus, proinde tēpus interitus & obliuionis cauſa erit. Quare, rectius ſenſuit, Paro Pytagoricus vocans tempus ignariſsimū, eo quod tempore omnia æterne tradantur obliuioni: quam Symonides & Plato, appellantes tempus ſapientiſsimū, eo quod tempore homines ſcientias adipiſcātur omnes. Recte ergo, tempori aſcri- *Tempus eſt cauſa interitus.*

ſcribitur rerum interitus, cũ tempus ſit menſura mutationis, quæ ſemper dimouet res à ſuo ſtatu. Cum enim cauſæ corruptionis ſint manifeſtiſſimæ, cauſæ vero ortus interdum ſint occultę; hinc fit, multas rerum corruptiones tempori & ſenectuti tribui: non quia tempus illas per ſe efficiat, ſed quia accidit, vt temporis ſucceſſu eueniant. Concludit caput dicens. Diximus tempus eſſe, quid ſit, & quid quædam illius aduerbia ſignificent.

CAP. XIIII. IN QVO PROponit Ariſt. multas quæſtiones de tempore.

Motus eſt in tempore.

HIS *autem ita, &c.* Docuit cap. 12. motum eſſe in tempore, hoc idem nũc diffuſsius explanat, & probat ita. Omnis motus ſiue mutatio poteſt eſſe celerior, vel tardior alio motu: igitur omnis motus eſt in tempore. Eſt enim ille motus celerior qui prius peruenit ad terminum. Ille vero tardior, qui tardius, ſi motus ſit æquabilis, iter etiã ſiue ſpatium ſit æquale: vt patet in motu in orbẽ. & in motu recto. Cum igitur prius & poſterius deſignent tempus, omnis motus erit in tempore. Eum vocat motum æquabilem, qui non eſt modo velox, modo velocior aut tardior; ſed ſemper ſeruat vniformitatem.

Prius enim ac, &c. Prius & poſterius dici ratione temporis, probat ex eo, quod prius & poſterius dicuntur per ordinem ad inſtãs præſens, quod finis eſt prioris partis temporis, & principium futuræ. Cũ itaque inſtans ſit in tempore, etiam erunt in illo, quod eſt prius: nam vbi ſunt inſtantia, debẽt etiam eſſe, quæ per ordinem ad illa menſurãtur.

Tractat duas q.

Sed conſideratione, &c. Mouet duas quæſtiones maxime neceſſarias pro intelligentia eorum, quę docet. Prima eſt. An tempus poſsit eſſe abſque anima. Secunda eſt. Cur tempus dicatur eſſe vbique, ſcilicet mari, terræ, cœlo, &c. Secundæ quæſt. prius reſpondens docet, tẽpus eſſe in omnibus his rebus, quia eſt menſura motus, & omnes iſtæ res mouentur. *Solu. 2æ quæſt.*

Vltimum autem, &c. Diluit priorem dubitationẽ dicẽs, ſublato animo deſtrui tẽpus. Hãc rẽ ita probat. Deſtructa nume- *Solutio 1æ quæſt.*

numerante deſtruitur res nu merara: anima autem numerat,& tempus eſt res numerata. Qua ratione id intelligatur dicemus in quæſtionibus ſequentis diſputationis.

3. Quæſt. *Quare etiam, &c.* Quærit. 3. An tempus ſit numerus vnius motus tantum, vel potius cuiuſuis. Eſſe numerũ cuiuſuis, probat ex eo, quod omnis motus ſit in tẽpore; vt in dudctione probatur. Cõtrariam partem confirmat: quia ſcilicet euenire poteſt, vt ſimul duo corpora moueantur; & conſequenter erunt duo tempora inter ſe æqualia, quod abſurdum apparet.

Solutio 3. quæſt. *Omne enim tempus, &c.* Soluit quæſtionem dicens. Tempus omne in quo ea fiunt, quæ dicuntur fieri ſimul, vnum & idem eſt: tempora vero, quæ ſimul nõ ſunt, qualia ſunt præteritum, & futurnm, nõ ſunt idem numero, ſed idem ſecũdum ſpeciem. Cõfirmat rem a ſimili. Vt enim, inquit, ſeptem canes numerantur eodẽ numero, quo mẽſurãtur ſeptem homines; ſic eodem numero tempore menſurantur oẽs motus terminati eodem inſtanti: quamuis ex illis motibus vnus ſit localis, alter vero alteratio; vnus velox, alter rardus: ideſt, quamuis motus illi in ratione motus differant ſpecie. Id probat: quia in ratione temporis æquabili menſura menſurantur motus localis, & alteratio; & ob hanc cauſam ſunt motus diſtincti; menſurantur tamẽ tẽpore omnino eodem, cũ omni ex parte ſit vnus & idẽ numerus ſecundum prius & poſterius eorum omnium motuum, qui ſimul ſiũt, & æqualiter durãt. Textus hic eſt obſeruatione dignus.

Quoniam autem, &c. Superiori capite docuit tempore mẽſurari motum, & rurſus motu tempus menſurari: nunc quærit, quodnam tempus ſit regula & menſura omniũ motuum & temporũ. Aſſumit tamen, motũ in orbem eſſe quãdam ſpeciem motus localis: tũc obſeruat. Vt vnũquodq; aliquo ſibi ſimili & cõgeneo numeratur, vt vnitates vnitate; equi equo: ita tempus aliqua ſui parte determinata debet menſurari. Iterum aſſumit poſtea, tẽpus & motum ſe adinuicem menſurare. 4. Quæſt.

Quod ſi primum, &c. Determinat quæſt. dicens, tempus illud eſſe cæterorũ mẽſuram, quod reperitur in motu maxime æquabili, qualis eſt conuerſio primi mobilis: hæc enim motus principatum tenet, ratione vniformitatis. Et quod primum eſt in vnoquoq; Solu. 4. quæſt.

Primum inunoquoque genere menſura eſt cæterorum.

quoq; genere, menſura eſt cæterorũ. Alteratio enim, accretio, & alij mot⁹ inferiores nõ ſunt æquabiles.

Itaq́; ſphera, &c. Docet erraſſe eos, qui dixerunt tẽpus eſſe cõuerſionem cœli, ſed eſſe excuſatione dignos, cum interdũ ſimilitudo ſit cauſa erroris, & conuerſio cœli videatur eſſe tempus, cum cæteros motus menſuret, quod proprium eſt temporis. Præſertim cum rerum humanarum, & omniũ quæ oriuntur & intereunt viciſsitudinem & motũ conuerſionis & circuli nomine frequenter donemus: cum tamẽ tẽpus hui⁹ viciſsitudinis cauſa exiſtat.

Hæc etiam, &c. Quod paulo ante docuerat, ſcilicet temp⁹ nõ variari per motuum varietatem, diffuſius explicat, & rationem aſsignat, cur eundẽ eſſe dicamus numerum decẽ hominum & decem equorũ, & non dicamus eſſe eundem denarium. Ratio inquit eſt, quia denarius denotat rationem inferiorẽ & numericã, quæ diuerſa eſt in decem hominibus & decẽ equis: at vero numerus denotat rationẽ & differentiã ſpecificam, quę eadem eſt vtrobique. Idẽ obſeruat in figuris. Concludit igitur librum hũc dicens. Explicatum eſt, quid ſint temp⁹, & eius affectiones.

DISPVTATIONES

DE TEMPORE, IN QVIBVS diffuſius explicantur ea omnia, quæ docuit Ariſt. hoc libro 4. á cap. decimo vſq; ad finem libri.

QVAE pro exacta temporis cognitione videntur deſiderari, quatuor abſoluemus diſputationib⁹. In prima eas adducem⁹ quæſtiones, quæ ad temporis naturam attinẽt. In ſecunda ſermo erit de partibus temporis. In tertia agemus de inſtantibus. In quarta denique explicabimus temporis affectiones, & quænam res tempore menſurentur.

DISPVTATIO PRIMA DE TEMPORE, in qua agitur de natura illius.

IN hac diſputatione prius pertractabimus an ſit tempus: deinde vero variis quæſtionibus examinabimus, quid ſit tempus. Ariſt. enim cap. decimo quæſiuit an ſit tempus: poſtea vero quæſtiones ad temporis naturam pertinentes diffuſe, & egregie pertractauit.

Quæſtio I. An ſit Tempus.

TEMPORIS natura adeo recondita eſt, vt ex multorum Philoſophorum lectione vix perfectũ aliquod tẽporis veſtigium habere valeamus. Vnde D. Auguſtinus lib. 11. confeſsionum cap. 14. ita habet. *Quid eſt ergo tempus? si nemo ex me quærat, ſcio; ſi quærenti explicare vellim, neſcio, &c.* Cõſulatur libro citato per totũ: nam ibi multa plane, eaq́; egregia de tẽpore docet. Difficilem igitur temporis tractationem nõnullis ornabimus diſputationibus, quibus temporis naturam, & affectiones demonſtrare conabimur.

Diuiſio quæſt. Diuiditur quæſtio in duas partes. In prima ſatisfaciemꝰ quæſt. In ſecũda ſoluemus rationes contrarias.

Datur tẽpus. IN PRIMA parte quæſtionis ſit aſſertio. Conſtituẽdum eſt tẽpus. Probatur primo teſtimonio Ariſt. cap. 10. Probatur ſecũdo ex communi omnium vſurpatione: nam tempus eſſe, nemo eſt qui dubitet. Sæpe enim illud in ore habemus: ſiquidẽ vſurpamus paſsim, hodie, heri, nunc, nuper, cras, & ſimilia quam plurima tempus ſignificãtia, vel ad tempus pertinentia. Eſt vero difficillimum temporis naturam aperire: proindeq́; veteres Philoſophi latentem tẽporis naturam variis tegebant integumentis. Sed vt alios omittam, Egyptij tempus ſignificabant per imaginem ſerpentis occultãtis caudam ſub gutture, cuius corpꝰ in ſpiras erat cõtractum. Per ſpiras enim ſiue circulos in ſe ipſos non recurrentes volubiles annorum ſeries ſignificabant. Per caudã vero ſub gutture

ture latentem temporis difficilem, & abſtruſam naturam deſignabant. Eſt igitur temporis natura, non ſolum cognitu, verumetiam explicatu difficilima. Hincque tam variæ fuerunt Philoſophorum ſententiæ de tẽpore, pro quarum notitia conſulatur inter alios Ariſt. hoc lib. cap. decimo, & Simplicius in ſua docta digreſsione de tempore.

Probatur ratione. Tertio confirmatur ratione: quia ſcilicet eſſe omnis rei menſuratur duratione; ergo eſſe rerum natura cõſtantium menſuratur etiam duratione: ſed omnis duratio, vel eſt ęternitas, vel ęuum, vel tẽpus, vt late dicemus diſputatione quarta; ergo res natura conſtantes menſurantur vel æternitate, vel æuo, vel tempore: ſed non menſurantur ęternitate, nec æuo, vt loco citato dicemus; ergo menſurantur tempore: ergo datur tempus.

Sacræ ſcripturæ teſtimoniis probatur aſſertio. Quarto probatur aſſertio multo efficatius ex variis ſacræ ſcripturæ teſtimoniis. In primis ex illo Gen. 1. *Fiant luminaria magna in firmamẽto cæli, & diuidant diem ac noctem: & ſint in ſigna & tempora, & dies & annos.* Deinde in Pſalmis ſæpe fit mentio temporis vt Pſal. 37. *Tuus eſt dies, & tua eſt nox, tu fabricatus es auroram & ſolem.* Et in lectione euangelica Marci 13. & Matthæi 24. *De die antẽ illo, vel hora nemo ſcit, &c.* Et alibi. *Non eſt veſtrum noſce tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Conſtat ergo ex his ſacræ ſcripturæ teſtimoniis, & ex aliis quãplurimis, conſtituendũ eſſe tempus, licet ex his teſtimoniis non ſatis aperte colligatur, tempus pro formali eſſe ens rei, vt exiſtimat Pererius lib. 12. ca. 1.

IN SECVNDA parte quæſt. dices primo. Illud, *1. Arg.* cuius partes non ſunt, nõ eſt; ſed partes temporis nõ ſunt; ergo tẽpus non eſt. Probatur minor. Partes temporis ſunt tempus præteritum, & tẽpus futurum; ſed futurum, & præteritum non ſunt: quia præteritum iam non eſt, & futurũ nondum eſt; ergo partes temporis nõ ſunt. Hoc eſt primũ argumentum, quo Ariſt. vtitur initio capitis decimi.

Quidam iuniores Philoſophi, multorum veterũ Philoſophorum ſequentes ſententiam, ita facile ſoluũt hoc argumentũ, ac ſi facile eſſet, dicẽtes, entia poſsita in ſucceſſione, quale eſt tempus, non exiſtere ratione ſui, ſed potius ratione momenti, ſiue indiuiſibilis: vnde quamuis nec ſit

tempus præſens, nec præteritum, dicitur tempus exiſtere ratione inſtantis connectentis partem præteritam temporis cum futura. Quantum vero aliena ſit à vera Philoſophia reſponſio hæc, conſtabit ſatis diſputatione 3. de tempore, in qua oſtendemus, nec partes temporis connecti inſtantibus, nec in medio temporis inſtātia inueniri. Reſp. igitur argumēto negādo maiorē propoſitionem: nam ad hoc vt ſit entitas ſucceſsiua, non requiritur quod eius partes ſint, ſed quod fiant: quare cum partes tēporis fiant ſemper, ſemper eſt temp⁹. Sed dices.
1. Partes temporis ſunt præteritum, & futurum; ſed præteritum, & futurum non fiūt, cum preteritum ſit factum, & futurum nondum fiat, ſed poſtea fiet; ergo partes tēporis non fiunt: ergo non eſt tempus. Reſp. negando maiorem propoſitionē: nam partes tēporis non ſunt preteritum, & futurum, ſed potius prius, & poſterius: in priori autem, & poſteriori temporis nō includitur præteritum tempus, ſed quod iam eſt factū, & fit adhuc ſecundum aliquam ſucceſsionem.
2. Sed dices. Partes temporis ſunt prius, & poſterius; ergo non datur tempus. Probatur cōſequentia. Si daretur temp⁹, partes temporis eſſent tempus; ſed partes temporis non ſunt tempus; ergo non datur tempus. Probatur minor. Partes temporis ſunt prius, & poſterius; ſed prius, & poſterius nō ſunt tempus; ergo partes temporis nō ſunt tempus. Probatur minor. Prius non eſt prius & poſterius, & poſterius non eſt prius & poſterius; ſed quod nō eſt prius & poſterius non eſt tēpus; ergo nec prius eſt temp⁹, nec poſterius eſt tēpus: ergo partes tēporis non ſunt tempus: ergo nō datur tempus. Reſp. negando conſequētiam. Probationi negamus primam, & ſecundam minorem, & tertiā minorem: nam in tempore id quod eſt prius, eſt etiā poſterius: & id quod eſt poſterius; eſt etiam prius (licet hoc ſumendum ſit reſpectu diuerſorum) cum prius, & poſterius in tēpore nihil aliud ſit, quā ſucceſsio in duratione rei cuius eſt tempus, quæ ſucceſsio reperitur in qualibet parte tēporis, cum quælibet ſucceſsiua ſit, & extēſa. Qua ratione aliqua pars temporis poſsit eſſe in tēpore prior, & prior & poſterior ſimul, reſpectu tamen diuerſorum, dicemus late in ſecūda diſputatione, ne modo

modo huius quæſtionis fines ſuperemus.

2.Argu. Dices ſecūdo.Eſſe rei,quæ eſt ab alio,(vt ſūt omnia præter Deum) ſupponit fieri;ergo fieri eſt prius,& poſtea eſſe:ergo quæ non ſunt poſt fieri,non ſunt : ſed tempus non eſt poſt fieri ſui ipſius, quia nō eſſet ens ſucceſsiuum, ſed per manens; ergo tempus nō eſt. Reſp. diſtinguendo antecedens ita. In permanētibus, cōcedo:in ſucceſsiuis,interq; tempus numeratur, negamus antecedēs: nā eſſe ſucceſsiuorum nihil aliud eſt, quam eorum fieri,cum in ſucceſsione & fluxu cōſiſtant.Imo in permanentibus fieri eſt etiā eſſe, ſi eſſe ſumatur vt diſtinguitur contra non eſſe:non vero ſi ſumatur vt ſignificat cōſeruari. Cōueniūt enim ſucceſsiua, & permanētia, quia fiūt: diſtinguūtur tamen,quia ſucceſsiua non conſeruātur, ſed fiunt:permanentia vero,poſt quam ſunt facta, conſeruantur. Sed dices. Succeſsiuum
1\. v.g.tempus ſi fieret, vel fieret in tempore,vel in inſtāti; ſed neutro modo ; ergo non fit. Probatur min. In primis non fit in tēpore,quia de illo maneret idem dubium. Neq; fit in inſtanti, cum hoc omni careat latitudine,& fieri temp⁹ dicat extenſionem. Reſp. negando maiorem: nam quemadmodum exiſtentia non exiſtit,ſed eſt id,quo res exiſtit, ita tempus non ſit in tempore,vel in inſtāti,ſed eſt duratio motus, per quē ſit res per motum. Et eodem modo motus non fit per ſe, ſed eſt fieri & via rei per illū factæ à mouente.

Dices vltimo. Entia rationis non ſunt ; ſed tempus eſt ens rationis; ergo tempus nō eſt. Pro ſolutione huius rationis pertractanda eſt quæſtio ſequens. *3.Argu.*

QVAESTIO II.

An tempus ſit ens rationis, vel ens rei.

HAEC quæſtio ortum habet ex illis verbis Ariſt. cap.14. *Vtrum autem ſublato animo, &c.* Docuit enim hoc textu, deſtructo intellectu nō manere tēpus: quare videtur Ariſt. concedere, tēpus habere eſſe beneficio intellectus, & cōſequenter eſſe ens rationis. Et licet aliæ quæſt. prius ortum habeant ex contextu, merito tamen hanc prius pertractam*, quia recta ratio poſtulat, vt antequam inquiramus affectiones reales tēporis, cognoſcamus prius, an ſit

ẽns rei, vel rationis: tumetiã, quia pro ſuperioris quæſtionis abſoluta intelligẽtia hæc quæſt. deſideratur.

Diuiſio quæſt. Quæſtio diuiditur in tres partes. In quarum prima proponemus quaſdam obſeruationes. Secũda ſatisfaciemus quæſtioni. Tertia ſoluemꝰ cõtraria argumẽta: propter hoc enim vltimum præcipue præſens quæſtio exagitatur.

In tempore ſunt tria. IN PRIMA parte quæſtionis ſit prima obſeruatio. In tempore tria reperiuntur. Primo quod ſit duratio ſucceſsiua, vt dicemus in ſequentibus, & docet Ariſt. cap. 11. dicens, quod quemadmodum motus ſemper eſt alius, & alius, ita tempus: hoc vero eſt de intrinſeca ratione temporis & omnino independẽs ab intellectu. Secundo reperitur in tẽpore menſurabilitas, ratione cuius dicitur menſurabile, vt numerus dicitur numerabilis. Tertio reperitur in tẽpore actu numerari per prius & poſterius tanquam per vnitates, & partes componẽtes numerum: & hoc cõuenit extrinſeca denominatione tẽpori, ſcilicet per actum numerandi exiſtentẽ in intellectu.

Menſura duplex. Secunda obſeruatio. Vt diximus in Logica in prima diſputatione capitis de quantitate, menſura duplex eſt: alia actiua, & alia paſsiua. Numerabilitas etiam, cum ſit quædam ratio menſuræ, vna erit paſsiua, quæ nõ diſtinguitur à partium extenſione: & alia actiua, quæ ſita eſt in intellectu numerante.

Vt procedat quæſt. Tertia obſeruat. Quæſtio exagitatur de tempore ſecundum propriam rationem extenſionis, nõ vero ſecundum rationẽ menſuræ, ſiue numerabilitatis actiuę aut paſsiuę: nã de tempore hoc modo ſumpto agemꝰ diſputatione quarta.

2. Senſus quæſt. Quarta obſeruat. Quæſtio ſic explicata duplicem poteſt reddere ſenſum. Primus eſt, an tempus realiter ſumptum ſit ens rei. Secundus eſt, an tẽpus acceptum formaliter ſit ens rei, vel rationis. In primo ſenſu ſupponimus modo, tẽpus eſſe idem reipſa cum motu, vt quæſt. 4. oſtẽdemus, ac proinde eſſe vere ens rei. Procedit itaq; quæſt. in ſecundo ſenſu. Eſt vero tempus formaliter ſumptũ nihil aliud, quã duratio motus ſucceſsiui.

Tempus eſt ens rei. 1. Argu. IN SECVNDA parte quæſtio. ſit prima aſſertio. Tempus ſecundum ſuum eſſe eſt quid reale, & omnino independens ab intellectu. Hãc aſſertionem tenent D. Tho.

hic

hic lectione 22. & opuſculo de tempore cap. 1. Simplicius hic circa verba Ariſto. ex Iunioribꝰ P. Toletus quæſt. 15. P. Pererius lib. 12. cap. 1. Vallesius controuerſia 28. & alij quā plures. Hæc aſſertio probatur primo ex Ariſt. in Logica capite de quantitate, vbi cōmunerauit tempus formaliter ſumptum inter ſpecies quantitatis: conſulantur quæ nos ibidem diximus in diſputatione de quantitate continua. Probatur ſecundo: quia nullo conſiderante intellectu reperitur in rebus: nam motꝰ durat nullo conſiderante intellectu, ſin minus ceſsāte intellectus cōceptione ceſſaret motus. Tertio: quia ratio formalis, quæ eſt tempus, eſt realiter motus; ergo cum motus ſit ens rei etiā tempus. Quarto: quia ſi loquamur de tempore primi mobilis, eſt menſura motuum harum rerum inferiorum, modo quo inſequentibus dicemus; & mēſura, quæ eſt ens rationis, non poteſt mēſurare ens rei. Quinto probatur aſſertio, ſi fiat inductio per tria genera entiū rationis à nobis adducta in Logica in ſecūda parte diſp. de vniuerſis præcipuæ quæſtione tertia.

1. Argu. IN TERTIA parte q. dices primo. Ariſt. cap. 14. huius lib. ita habet. *Certe ſublato animo tēpus eſſe nullo modo poteſt, &c.* ergo pēdet ab intellectu: ergo formaliter eſt ens rationis. Reſpō. ex prima obſeruatione, Ariſto. intelligendum non eſſe de tempore ſecundū ſe, & vt eſt duratio, ſed vt actu mēſuratur ab intellectu, & ſic non procedit modo quæſt. Sed dices. Ariſt. verbis ſtatim ſequentibus ita habet. 1.
Prius autem & poſterius eſt in motu, quæ ſunt tempus, hoc ipſo quod numerari poſſūt; ergo exiſtimat Ariſt. non ſolū quoad actualem numerationem prioris, & poſterioris partis motꝰ pēdere tempus ab intellectu, verumetiam quoad potentiam paſsiuam, ſiue menſurandi. Reſp. hæc omnia eſſe vera: nā actu numerari tempus ſecundum prius & poſterius eſt in tempore denominatio quædam extrinſeca ab actu numerādi, qui eſt in intellectu. Potentia vero numerandi, licet ſecundum rem ſit ipſamet extenſio temporis ſecūdum durationem, & ex conſequenti indepēdens ab intellectu, formaliter tamen deſumitur per ordinem ad intellectum potētem numerare: ſi enim non eſſet intellectus potēs numerare, nec eſſet tempus formaliter

liter numerabilis: quemadmodum ſi nec eſſet nec poſſet eſſe viſus, non eſſet color formaliter viſibilis: quia nõ eſſet id, quod hanc habitudinẽ terminaret. Eodem modo occurrendum eſt teſtimonio de ſupto ex D. Aug. 11. lib. confeſsionum cap. 28. vbi præteritum tempus, & futurum in ſola animi cogitatione conſiſtere ſcribit, & quãplurimis D. Th. teſtimoniis. Ex his manet ſoluta ratio dubitandi adducta in fine ſuperioris quæſtionis.

2. Argu. Dices ſecundo. Numerus in rebus continuis eſt per intellectum; ſed tẽpus eſt quid cõtinuum; ergo cum ſit numerus, erit per intellectum.

3. Argu. Dices tert. In numero partes ſunt diſcretæ; ergo cum tẽpus ſit numer⁹, eius partes debẽt eſſe diſcretę: ſed ſunt diſcretæ per intellectum, & non à parte rei; ergo tẽpus eſt per intellectũ, & non à parte rei: ergo eſt ens rationis. Reſpõ. his argumentis eodem modo ac primo: nam ſolum procedunt de tẽpore vt numerabile eſt, nõ vero ſecundum ſuã propriam exiſtentiam, & vt eſt extenſio ſecundum durationem. Sed dices. Numerus in tempore conſiſtit in priori & poſteriori parte; ſed temp⁹ nullo conſiderante intellectu habet priorem, & poſteriorẽ partem; ergo nullo conſiderãte intellectu eſt numerus: ſed vt numerus eſt ens rationis; ergo nullo conſiderante intellectu eſt ens rationis. Reſpõ. diſtinguẽdo maiorem propoſitionẽ ita. Numerus formaliter conſiſtit in priori & poſteriori parte, ſi iſtę ſint inter ſe continuæ, nego: ſi iſtæ ſint inter ſe diſcretæ, concedo maiorem: quare negamus minorẽ: nam nullo conſiderante intellectu non reperitur in tempore prior & poſterior pars diſtinctè & determinatè, ita vt poſsint efficere numerum formaliter, ſed determinãtur potius per intellectum concipiẽtẽ has partes vt diſtinctas ad inuicẽ & ſeparatas, & proinde hoc modo tempus pendet ab intellectu. In tẽpore enim à parte rei reperitur prius & poſterius fundamentaliter, id eſt ſucceſsio quædam ſecundum durationem: tamen non reperitur determinata partiũ diſtinctio, quę deſideratur ad rationem numeri. Sed dices. Ariſt. agit de tempore vt eſt affectio quædam rerum naturalium; ſed ſic eſt à parte rei; ergo agit de illo vt eſt à parte rei: ſed agit de illo vt eſt numerus; ergo à parte rei eſt numerus.

merus. Probatur minor: quia definiuit illud per numerum. Reſp. Ariſt. definiſſe tempus per numerum fundamentaliter ſumptum: nõ vero per numerum formaliter ſumptum, vt magis conſtabit quæſt. ſequenti.

QVAEST. III.

An definitio tẽporis ab Ariſt. tradita ſit recta.

Diuiſio quæſt. DIuiditur quæſtio in quatuor partes. In prima quibuſdam obſeruationibus definitionem temporis ab Ariſt. adductam explicabimus. In ſecunda proponemus quædam fundamẽta. In tertia ſoluemus quæſt. In quarta ſatisfaciemus contrariis rationibus.

IN PRIMA parte quæſtionis ſit prima obſeruatio. Definitio tradita ab Ariſtot. cap. 10. ita habet. *Numerus motus ſecundũ prius & poſterius.* *Definitio temporis.* Numerus igitur, vt eodem loco docet Ariſt. & cum eo omnes fere Peripatetici, duplex eſt, ſcilicet ſeparatus, quo numeramus, & coniunctus, qui eſt res ipſæ numeratæ. In ſuper numerus numeratus duplex: alter qui componitur ex partibus diſcretis à parte rei, vt numerus duorum hominum: & alter qui conſtat ex partibus diſtinctis ratione tantum & mentis conſideratione, vt numerus binarius factus ex duabus medietatib' alicuius continui diuiſi beneficio intellectus tantum, dummodo in continuo ipſo ſupponatur fundamẽtum. Tempus igitur eſt numerus cõcretus ſiue numeratus conſtans ex partibus non actu diuiſis, vt late dicemus diſp. 4.

Secunda obſeruatio. Secũda particula definitionis traditę eſt, *motus*. Nomine igitur motus ſolum intelligimus illum, qui fit cum ſucceſsione: *Quid nomine motus.* nam eo ipſo quod numerus ſignificat partium extenſionẽ, aut partes extenſas, ſequitur nomine motus intelligẽdum eſſe illum, qui fit media ſucceſsione, minime vero illum, qui fit abſq; latitudine & extenſione partiũ, qualis eſt inſtantanea mutatio.

Tertia obſeruatio. Tertia particula eſt *ſecundum prius & poſterius*. Pro cuius intelligentia obſeruandum eſt in motu reperiri quinq; extenſiones, *In motu ſint quinque extenſiones.* vt diximus lib. 3. in diſputatione de motu quæſt. 3. obſeruatione tertia, nempe extenſionem ex parte ſubiecti, medij, formæ adquiſitæ per motum, tẽporis, & ex parte pro-

priæ naturæ motus. Ex his ex
tenſionibus, quę deſumuntur
ab ſpatio, & mobili ſiue ſub-
iecto, permanēt, & tranſacto
motu poſſunt mēſurari: tum
etiam permanet, quæ deſumi
tur à forma adquiſita, ſi ſit ta
lis forma quantitas, ideſt tri-
na dimenſio, vel qualitas. Ex
tenſio vero propria motus, &
temporis non eſt permanens,
ſed ſucceſsiua. Dicitur ergo
tempus menſura motus ſecun
dum prius & poſterius, ſi ſu-
mantur partes motus ſecun-
dum rationem propriæ extē-
ſionis: ſic enim ſi vſurpetur
motus, cum cōſiſtat in fluxu
& ſucceſsione, habet prius &
poſterius, in quo priori & po
ſteriori temporis ratio conſi-
ſtit. Ex his manet explicata
definitio temporis ab Ariſto.
tradita. Hūc enim reddit ſen-
ſum. Mēſura partium motus
pro vt durant, ita vt aliæ labā
tur prius, & alię poſterius, cū
hac, vel illa duratione.

Senſus definitionis temporis.

In motu ſunt multa.

IN SECVNDA par-
te quæſt. ſit primū fundamen
tum. In realitate quæ eſt mo
tus hæc omnia reperiūtur: flu
xus, hunc eſſe ab agente, reci
pi in paſſo, & illius fieri dura
re. Realitas ergo hæc, eſt mo-
tus, vt fluit, ſiue vt eſt fluxus:
eſt actio, vt eſt à agente: eſt
paſsio, vt recipitur in paſſo:
& eſt tempus, vt durat. Qua-
re tempus nihil aliud erit quā
motus ea ratione qua durat:
prius enim & poſterius in flu
xu nihil aliud ſignificāt, quā
durationem.

Duratio triplex eſt.

Secundum fundamentum.
Duratio triplex eſt. Quędam
eſt omnino permanēs & tota
ſimul, vt æternitas. Alia om-
nino ſucceſsiua & fluens. A-
lia vero veluti media, quæ li-
cet ſecūdum ſe ſit permanēs,
tamē coniuncta eſt motui ſe-
cundum prius & poſterius: &
hæc dicitur æuum, qua men-
ſura menſurantur Angeli: nā
hi ſecūdum ſuam ſubſtantiā
immutabiles ſunt à principio
intrinſeco, ſunt tamen muta-
biles ſecūdum operationem.
Tempus eſt duratio ſecundo
modo. De his menſuris non-
nulla dicemus in quarta diſ-
putatione.

Recta eſt temporis definitio.

IN TERTIA parte q.
ſit prima aſſertio. Definitio
temporis tradita ab Ariſt. re-
cta eſt. Probatur primo ex cō
muni Philoſophorū conſen-
ſu. Probatur ſecundo: quia
perfecte temporis naturā ex-
planat, & tēpus à quocunque
alio ſeparat. Hunc enim red-
dit ſenſum. Mēſura partium
motus prout durant, ita vt a-
liæ labantur prius, & aliæ po
ſterius, vt diximus in fine ter

tiæ

tiæ obſeruationis. Eſt enim quædam affectio motus, quæ conſiſtit in extēſione fluxus ſecundum prius & poſterius, vt ex tertia obſeruatione cōſtat.

1. Argu. IN QVARTA parte quæſt. dices primo. Quātitas continua, & quantitas diſcreta diſtinguuntur ſpecie; ſed tēpus eſt quātitas continua, & numerus quantitas diſcreta; ergo tempus, & numerus diſtinguuntur ſpecie: ergo tēpus non erit numerus; quare non erit recta definitio temporis tradita ab Ariſt. Reſpō. diſtinguēdo maiorē ita. Quātitas diſcreta conſtans ex partibus à parte rei diſcretis, concedimus: cōſtans verò ex partibus diſcretis beneficio intellectus, negamus maiorem: at tempus eſt numerus ex partibus diſcretis beneficio intellectus, vt in prima obſeruatione retullimus ex Ariſt. Sed dices. Partes temporis diſtinguuntur per intellectum; ergo illa compoſitio temporis pertinens ad numerū erit ens rationis. Reſpō. negando primam conſequentiam: nam licet illa compoſitio fiat ab intellectu numerante, reperitur tamen fundamentum in tempore, ſcilicet prius, & poſterius, ratione quorum tempus eſt numerus motus, vt diximus ſuperiori quæſt. Sed dices. Prius, & poſterius explicantur per tempus; ergo tempus non poteſt explicari per prius, & poſterius: talis enim definiēdi modus vitioſus eſt, cum fiat per circulū. Reſpon. tempus explicari per prius & poſterius mot⁹, ideſt per priorem & poſteriorem partē motus, prout iſtæ ſucceſſiuæ ſūt & fluunt. Sed dices. Prius & poſterius in motu explicantur per prius & poſterius in tempore, nam illa pars motus eſt prior, quę fit in priori parte temporis, & illa eſt poſterior, quæ fit in poſteriori parte temporis; ergo in hoc modo definiendi ſemper cōmittitur circulus. Reſpō. negando conſequentiam: nam non ſolum tempus menſurat motū, ſed etiam motus menſura eſt temporis, vt docuit Ariſtot. cap. 12. his verbis. *Nec motum ſolum tempore metimur, ſed etiam tempus motu, &c.* Sed dices. Mēſura debet eſſe certior, cū per illam certi reddamur de menſurato; ſed tēpus eſt ignotius motu; ergo tēpus non eſt mēſura motus. Reſp. diſtinguendo minorem ita. Secundum ſuam naturam, concedimus: in ratione menſurę, negamus minorem: nam nō poſſumus

[Margin numbers: 2. (beside "Sed dices." in left column, line "ne retullimus"); 2. (right margin beside "mus ſuperiori quæſt. Sed di-"); 3. (right margin beside "& fluunt. Sed dices. Prius &"); 4. (right margin beside "tempus motu, &c. Sed dices. Mē-")]

apprehendere in motu, v. g. locali velocitatem aut tarditatem, niſi per tēpus tanquā per menſuram, quia ſcilicet mobile in motu paruam, aut longam moram facit.

2a Argu. Dices ſecundo. Tēpus non ſolum eſt numerus motus, verumetiam quietis; ergo non fuit recte definitum per motum tantum. Reſpō. negando conſequentiam: quia tempus debet definiri per id, cui' eſt menſura per ſe, non vero per id, cuius eſt menſura per accidens: at tempus eſt menſura per ſe motus, & per accidens quietis, vt docuit Ariſt. cap. 12. his verbis. *Quoniam autem tēpus motus eſt menſura, menſura eſt etiam aduentitia quietis, quādoqui dē in tēpore eſt omnis quies.* Quotieſcunq; enim poſitiuo conuenit aliquid per ſe, idem cōuenit per accidens priuatiuo illius: vt tenebræ per accidēs percipiuntur à viſu, quia lumē per ſe percipitur: ita quies priuatiua per accidens menſuratur à tempore, quia mot' cuius eſt priuatio per ſe tempore menſuratur: ſolus enim motus ſucceſsiuus tēpore mēſuratur.

1. Sed dices. Tempus etiam eſt menſura mutationis inſtantaneæ, v. g. generationis pro introductione formæ ſubſtantialis; ergo non recte fuit definitum per motum ſecundū prius & poſterius. Probatur antecedens. Illa mutatio inſtātanea durat; ergo habet durationem: ſed talis duratio nec eſt æternitas, nec æuum; ergo à ſufficienti diuiſione adducta in ſecundo fundamento debet eſſe tempus. Reſpō. negando antecedens. Probationi negamus ſimiliter antecedens: nam illa mutatio non durat, ſed eſt terminus durationis, initium ſcilicet durationis rei, quæ generatur: de ratione vero durationis, quæ eſt tempus eſt ſucceſsio, vt conſtat ex ſecunda obſeruatione.

2. Sed dices. Generatio ꝓ introductione formæ ſubſtantialis eſt mutatio diſtincta à qualibet alia mutatione; ergo debet fieri in duratione diſtincta à duratione cuiuſlibet alteri' mutationis: ergo debet eſſe diſtincta duratio. Reſp. diſtinguēdo antecedens ita. Vt includens ab incluſſo, concedimus, vt diximus 1. Phy. cap. 2. quęſt. 2. obſeruat. 2. vt res à re, negamus antecedens. Quare non eſt neceſſe quod habeat durationē realiter diſtinctā à quacunq; alia, ſed includatur vt principium in alia duratione.

3. Sed dices. Generatio ſubſtantialis eſt productio per ſe ſubſtā-

tiæ; ergo non poteſt eſſe principium alterius mutationis. Probatur conſequentia: quia mutatio in tota ſua latitudine vel eſt generatio, aut corruptio ſubſtantiæ, vel alteratio, vel mot⁹ ad qualitatem, vel ad vbi; ſed generatio ſubſtantialis nec eſt principium motus localis, nec alterationis, nec mot⁹ ad quantitatẽ; ergo non eſt principium alicuius mutationis. Reſp. negã do conſequentiam. Probatio ni dicimus, præter has dari etiam mutationem, ratione cuius ſemper eſt poſita in perpetua ſucceſsione illa ſubſtãtia, quæ tempore menſuratur, vt diximus 3. Phyſi. cap. 3. in diſputatione de motu quæſt. 3. (cõſulatur quæſtio per totã) & dicemus abunde libro 5. in diſp. de motu quæſt. qua diſponemus categoriam motus.

QVAEST. IIII.

An tempus diſtinguatur à motu, et à mobili.

Diuiſio quæſt. QVæſtio diuiditur in tres partes. In prima proponem⁹ obſeruationes. In ſecunda ſtatuemus aſſertiones. In tertia adducemus oppoſitas ſentẽtias, & ſoluemus illarum rationes,

1. Obſeru. IN PRIMA parte quæſtionis ſit prima obſeruatio. Per motum intelligimus ſucceſsiuum, per mobile vero intelligim⁹ rem quæ mouetur. Quid nomine temporis intelligamus, conſtat ex ſuperioribus quæſtionibus.

2. Obſeru. Secunda obſeruatio. Quæſtio procedit de diſtinctione reali, & de diſtinctione rationis. Quid ſit diſtinctio realis, & quid diſtinctio rationis, & quotuplex diximus abũde 1. Phyſic. cap. 2. quæſt. 3. Ex his manifeſtus eſt quæſt. ſenſus.

Tẽpus diſtinguitur formaliter a motu. IN SECVNDA parte quæſtio. ſit prima aſſertio. Tempus diſtinguitur à motu formaliter, ideſt diſtinctione rationis ratiocinatæ. Probatur primo aſſertio teſtimonio Ariſt. hic. 1. Probatur ſecũdo: 2. quia diuerſa ratione diuidũtur: nam tempus diuiditur in horas, dies, mẽſes, &c. Motus vero in localem, in alterationem, accretionẽ, &c. Probatur tertio: 3. quia habent diſtinctos terminos, cum terminus tẽporis ſit inſtans, & terminus motus ſit mutatũ eſſe. Quarto: 4. quia quædam prædicãtur de motu, ſcilicet velox, tardum, quæ nõ prædicantur de tẽpore; ergo ad minus diſtinguũtur formaliter. Quinto: quia motus formaliter & præciſſe tantũ importat viam ad

ad terminũ, & fieri illius, tẽpus vero dicit moram, & per
6. manentiam quandam. Vltimo probatur aſſer. hac efficaci ratione. Quæ ſunt eadẽ realiter, & formaliter, ita ſe habẽt, vt nõ poſsit eſſe vnũ realiter, & formaliter, quin ſit alterũ realiter, & formaliter; ſed tempus & motus ſunt idẽ formaliter; ergo quotieſcũq; eſt aliquis integer motus formaliter & realiter, debet eſſe idem tẽpus formaliter & realiter; ſed hoc eſt abſurdum; ergo illud ex quo ſequitur. Probatur minor: nam ſi integrã circulationem efficeret primum mobile ſpatio vnius horæ, haberet motus tantam extenſionem realiter ac formaliter, quantam haberet, ſi efficeret eandem circulationem vigintiquatuor horarum ſpatio, vt nunc cõficit: nam eſſet motus ſupra idẽ omnino ſpatium; & tamen non eſſet eadem extenſio durationis, ſiue in tẽpore eiuſdẽ motus: nam modo durat duratione viginti quatuor horarum, tunc vero vnius horæ. Quare aſſerendum eſt, diſtingui ſaltim formaliter.

Tẽpus diſtinguitur à mobili. Secũda aſſertio. Tẽpus diſtinguitur ſaltim formaliter à mobili. Hanc aſſertionem profitetur Ariſto. hic cap. 10. & illam confirmat. Probatur etiam hac ratione. Idem non eſt in ſeipſo formaliter ſumpto tanquam in tempore; ergo tempus diſtinguitur formaliter à mobili. Probatur conſequentia: quia cum corpus cæleſte, v.g. primũ mobile moueatur, neceſſario in ſuo motu conſumit tempus; ergo eſt in tempore: ſed tempus eſt idem realiter & formaliter cũ mobili: ergo primum cœlum eſt in ſeipſo formaliter & realiter tãquam in tẽpore, quod eſt maximum abſurdum. Probatur tertio: quia tempus formaliter eſt accidens, & mobile ſubſtãtia. Inſuper, quia tẽporis partes in ſucceſsione cõſiſtunt, permanent vero partes omnes orbium cęleſtium: imo vt obiter dicemus diſpu. 4. cæleſtes orbes non menſurãtur tẽpore, ſed potius æuo.

Tempus eſt idem cũ motu. Tertia aſſertio. Tẽpus non diſtinguitur realiter à motu cuius eſt duratio, ſed ſolum formaliter. Hæc eſt communis: tenent enim illam D. Tho. hic, & in opuſculo de tẽpore. Durandus in 2. diſt. 2. quæſt. 2. Scotus in 4. diſt. 48. quæſt. 2. Soto hic quęſt. 4. Pererius cap. 1. lib. 12. Valleſius controuerſia 28. Toletus quæſtio 13. & alij innumeri. Probatur ergo primo ratione ita.

Quæ

Quæ ſunt eadē vni tertio, ſūt eadem inter ſe; ſed tempus & motus ſunt idem cum aliquo tertio; ergo ſunt idem inter ſe. Maior certiſsima eſt. Minor probatur. Tempus & motus ſunt idem cū priori & poſteriori parte motus; ergo ſūt idem inter ſe. Probatur antecedens. In primis tēpus nihil aliud eſt quam prius & poſterius in motu, vt conſtat ex eius definitione, & ex communi omnium ſententia; ſed motus etiam eſt idem cū priori & poſteriori motus: ergo motus & tempus ſunt idem inter ſe. Probatur minor ex Ariſt. ca. 11. vbi ita ſcribit. *Sed in motu prius & poſterius re quidem ipſa nihil ſunt aliud quam motus: at ratione ab eo diuerſa ſunt, non motus ſunt.* Ex hoc teſtimonio cōfirmatur etiam prima aſſertio.

Probatur ſecundo. Temp⁹ diſtinguitur realiter à motu cuius eſt tempus: ergo temp⁹ non eſt motus realiter. Modo ſic. Omne quod fit ſucceſſiue, fit per motum; ſed temp⁹ fit ſucceſsiue; ergo fit per motum: ſed quod fit per motū, eſt terminus motus; ergo terminus motus eſt tēpus: quod certe eſt maximum abſurdū. Nec valet ſi dicas, tempus fieri per ſeipſum, cum dicas, realiter non eſſe motum.

Confirmāt etiam cōmuniter iuniores Philoſophi hanc aſſertionem quibuſdā rationibus illorum iudicio efficaciſsimis. Inquiunt enim, non eſſe multiplicandas entitates realiter diſtinctas abſq; vrgēti & graui neceſsitate: at nulla eſt quæ nos cogat cōſtituere temp⁹ realiter diſtinctum à motu. Tum etiā, dicunt tempus eſſe numerū numeratū, qui nō differt à re numerat: cū ergo res numerata ſit motus, proinde tempus nō diſtinguitur realiter à motu. Afferunt etiam, multa dici de tempore, quæ non dicūtur de motu. Et tādem docent, tempus & motum non poſſe ſeparari. Hę tamē rationes nullius ſūt momenti, vt conſtabit ex ſequentibus, & præcipue ex 4. diſput. in qua explicabimus, multo aliter ac intelligūt iſti iuniores, qua ratione tempus ſit menſura motus.

Tandem Magiſter noſter P. Suarez 2. Thom. ſuæ Metaphy. ſect. 9. de rerum duratione ſtatim initio confirmat aſſertionē hanc: quia inquit, duratio non diſtinguitur ab illo eſſe cuius eſt duratio. Cū igitur tempus ſit duratio motus, non diſtinguitur realiter à motu. Quæ ratio ſatis probabilis eſt, & de re quam inuoluit

uoluit ſpecialis fiet à nobis quæſtio diſp. quarta.

Quarta aſſertio. Tēpus diſtinguitur realiter à mobili. Probatur aſſert. primo: quia partes temporis non ſunt ſimul, ſed vna eſt poſt aliam: at omnes partes mobilis v. g. octauæ Spheræ ſunt ſimul.

Probatur ſecūdo. Tempus eſt idem cum motu; ſed mobile diſtinguitur realiter à motu; ergo mobile diſtinguitur realiter à tēpore. Conſequentia recta eſt: nā quotieſcunq; duo ſunt idem ſecūdum rem, à quocunq; diſtinguitur vnū realiter, debet etiam alterum diſtingui realiter, vt diximus lib. 1. in quæſt. de toto & partibus. Maior etiam cōſtat ex tertia aſſertione. Minor vero probatur in primo mobili: illud enim in principio, in quo fuit creatū à Deo, fuit extra cauſſam in illo met principio ſiue inſtanti, & tamen tunc nondum erat motus, ſed fuit potius immediate poſt. Si aliquis neget propoſitam maiorem, quam aſſertione 3. demōſtrauimus, nihilominus nondum ſoluit argumētum: nam licet tēpus diſtinguatur realiter à motu cuius eſt tempus, tamen non poteſt exiſtere antequā exiſtat motus cuius eſt tempus: at primum mobile fuit antequam eſſet motus.

Probatur vltimo aſſertio: quia motus qui eſt idem cum tēpore, diſtinguitur realiter à termino motus, vt dicemus lib. 5. & tamen terminus motus interdum nō diſtinguitur realiter à mobili.

IN TERTIA parte q. ſoluendæ ſunt oppoſitę ſentētiæ rationes. Sūt enim aliqui Philoſophi tenentes ſententias noſtris aſſertionibus omnino oppoſitas. Opinio ergo quæ contraria eſt primę aſſertioni, & ſecundæ, habet rationes nullius momenti, & impugnatur ſatis ab Ariſt.

Capreolus in ſecundo d. 2. q. 2. Erueus, & Ferrariēſis eadem d. cenſent, tempus realiter diſtingui à motu cuius eſt tempus: quā ſententiam probabilem etiam iudicat Toletus in fine quęſt. 13. quamuis cōtrariam tueatur. Dices igitur primo cōtra tertiam aſſertionem. Motus eſt cauſſa temporis; ſed cauſſa & effect⁹ diſtinguūtur realiter; ergo, &c. Reſp. negando aut maiorem, aut minorem, quia vtraq; eſt falſa: nam mobile quod eſt cauſſa motus conſequēter & neceſſario eſt etiā cauſſa durationis eiuſdem, quæ temp⁹ eſt. Quidam iuniores hanc tenentes ſententiam confirmāt maio-

maiorem ex Ariſtot. qui cap. 11. huius libri docuit; prius & poſterius in motu, eſſe cauſsã prioris & poſterioris in tempore. Reſp. tamen, nũquam in hoc capite rem hanc docuiſſe Ariſt. Minor etiam eiuſdem argumenti falſa eſt, nam quã plures ſunt cauſſæ quæ non differũt reipſa à ſuo effectu.

Dices ſecũdo. Tempus eſt menſura motus; ſed menſura diſtinguitur re ipſa a menſurato; ergo tempus diſtinguitur reipſa à motu. Reſpõ. ita. Si maior intelligatur de mẽſura paſsiua, tranſeat, vt dicemus diſputatione quarta: hęc vero nõ differt neceſſario re ipſa à menſurato, vt dicemus diſp. quarta: quare negamus
1. minorẽ. Sed dices. Motus & tempus, cũ ſint mẽſura & mẽſuratum, ſunt relata; ſed hæc diſtinguuntur realiter; ergo, &c. Reſpon. maiorem eſſe falſam, ſi intelligatur de relatis realibus: minorem etiã, ſi intelligatur de relatis rationis, qualia ſunt tempus, & motus cuius eſt tempus.

Deinde cõfirmatur hęc ſententia ita. Primo: quia Ariſt. docuit in textu, tempus non eſſe motum, quamuis ſit aliquid illius. Secũdo: quia motus dicitur velox, vel tardus: tempus vero minime. Tertio: quia tempus eſt ſpecies per ſe quantitatis pertinens ad categoriam illius, motus vero minime. Reſp. tamen, hæc argumenta ſolum concludere, dari diſtinctionem rationis inter motum & tempus, quam libenter admittimus. Sed dicunt. Motus & tẽpus poſſũt ad inuicem ſeparari, nam tẽpore Ioſue non fuit motus orbium cæleſtiũ, fuit tamẽ tempus; ergo, &c. Reſpõ. cuiuſuis motus durationẽ eſſe formaliter tẽpus, vt infra dicemus: vnde, quia precibus Ioſue ceſſauit motus cæleſtis, non erat tẽpus motus illius orbis, qui quieſcebat (nõ quero modo; vtrum ceſſauerit tunc ſolum orbis ſolis: nam hoc parũ refert ad ſoluendum argumentũ) erat tamẽ tempus in aliis orbibus, qui mouebantur: & ſi omnes quieſcebant, non erat tempus in corporibus cæleſtib9, ſed ſolum in rebus inferioribus, quæ tunc temporis mouebantur. Quare tempus non poteſt ſeparari à motu. Sed dices. Quæ quieſcunt, 2.
menſurantur tempore, & tamen non mouẽtur; ergo tempus & motus poſſunt ad inuicem ſeparari. Reſp. non menſurari per ſe tempore, ea quæ quieſcunt, ſed ſolum per accidens, vt alibi dictum eſt.

Soluũtur alia argumenta.

1.

Vltimum argum. Tandem confirmatur hæc ſentētia ita. In eodem motu, facto ſcilicet ſupra aliquod integrum ſpatium, poteſt eſſe maius vel minus tempus: maius, ſi fiat mot⁹ tarde: minus, ſi fiat velociter; ergo mot⁹ & tēpus diſtinguuntur realiter. Cōſequentia probatur: quia hæc eſt aliqua ſeparatio motus à tēpore determinato, ab hoc ſcilicet, vel illo, quæ ſeparatio eſt ſufficiens ſignum diſtinctionis realis inter motū & tempus. Reſp. diſtinguendo antecedens ita. Maius, aut min⁹ formaliter, cōcedimus: maius, aut minus realiter, negamus antecēdes. Vnde ſolū concludit argumentum, inter motum & tēpus cōſtituendā eſſe diſtinctionem rationis. Quemadmodum enim quantitas ceræ, v. g. fit maior per rarefactionem, & minor per condenſationem, modaliter tamē, & abſq; aliqua reali acquiſitione, aut deperditione propriæ quantitatis: ita motus ſupra idem ſpatiū, per velocitatē deperdit durationē modaliter, & per tarditatem acquirit illam maiorem modaliter: materialiter tamē eādem ſemper habet extenſio-
1. nem talis duratio. Sed dices. Tēpus habet propriam extenſionem diſtinctam ab extenſione motus, ſcilicet durationē; ſed in motu tardo eſt maior duratio; ergo in illo tempus habebit maiorē propriā extenſionem, & erit maius. Reſp. diſtinguendo maiorem ita. Diſtinctū formaliter ab extenſione motus, concedo: diſtinctum realiter, nego maiorem: quare idem concludit argumētum hoc, ac ſuperius.

In vltimā aſſertionē. *1. Argu.* Contra vltimam aſſertionem obiiciunt primo ita Ocham, & alij nominales. Temp⁹ diſtinguitur realiter à mobili; ergo tempus poteſt eſſe abſq; mobili. Probatur conſequentia: quia ea quæ realiter diſtinguuntur, poſſunt ad inuicem ſeparari. Reſp. negādo conſequentiam. Probatio ni dicim⁹, ex diſtinctione reali vnius ab alio, nō ſemper licere inferre mutuam permanentiam inter illa adinuicem ſeparata. Mobile enim poteſt manere abſq; tempore materiali & intrinſeco; tempus vero non poteſt manere abſque mobili, cum eſſentialiter, & realiter dicat dependentiam in fieri ab illo mobili: & conſequenter in conſeruari, cum in ſucceſsiuis idem ſit fieri, & eſſe, vt diximus quæſtione prima.

2. Argu. Obiiciūt ſecūdo illud Geneſeos cap. 1. fiant luminaria magna

magna vt ſint tempora; ergo ex ſacra ſcriptura aperte conſtat, tẽpus nõ diſtingui à mobili. Reſp. Geneſeos cap. 1. nõ legi illa verba, ſed hæc poti⁹. *Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem: & ſint in ſigna & tempora, & dies & annos.* Ex hoc enim teſtimonio ſolum colligitur, ſolem, & lunã fuiſſe facta à Deo, vt diuiderẽt diem & noctem, & eſſent ſigna diei, noctis, menſium, & annorum: quod non eſt contra nos. Sunt enim ſigna, quę viſum noſtrum mouent, & præ nimio radiorum ſplẽdore facile ducunt nos in cognitionem motuũ horum orbium cæleſtium, per quorũ motuum durationem de noctibus, diebus, tẽporibus, mẽſibus, & annis red imur quã certiſsimi: de ratione autem ſigni eſt, ducere nos in cognitionem rei ſignificatæ, vt abũde diximus lib. de enunciatione diſputatione prima de ſignis.

Pro pleniori hui⁹ quęſtionis intelligẽtia, conſulantur quæ diximus in Logica in diſputatione de quantitate in communi quæſtione octaua.

QVAEST. V.

An tempus ſit ſubſtantia vel accidens.

QVia quæ ad hanc quæſt. pertinent, fere omnia dicta ſunt à nobis in Logica in diſputationibus de quãtitate, proinde hęc quęſtio in duas tãtum diuiditur partes. In prima noſtram aperiemus ſententiam. In ſecunda ſoluemus contrarias rationes. *Diuiſio quæſt.*

IN PRIMA parte quæſtionis ſit prima obſeruatio. Quæſt. procedit de accidente reali, nam quæſt. 2. demõſtrauimus, tempus eſſe ens rei. *1. Obſeru.*

Secunda obſeruatio. Licet eadẽ dubitatio ſit de aliis durationibus, ſcilicet de æuo, & de mutationis inſtãtaneæ duratione, modo tamen ſolum exagitatur quæſt. de tempore, quod eſt duratio mot⁹ materialis & ſucceſsiui. *2. Obſeru.*

Sit aſſertio. Tempus eſt accidens reale. Hæc aſſertio cõfirmata fuit à nobis in Logica in diſp. de quantitate continua quæſt. 3. *Tẽpus eſt accidens reale.*

IN SECVNDA parte quæſt. dices primo pro ſententia Pithagoreorum, quam impugnat Ariſto. in fine cap. 10. docetq; eſſe confutatione indignam. Tẽpus omnia cõtinet; ſed prima ſphera omnia continet; ergo tempus eſt prima ſphera: ſed prima ſphera eſt ſubſtãtia; ergo tempus eſt ſubſtantia. Reſpõ. non minus infir- *1. Argu.*

Fff 2

infirmum eſſe argumentum, quam ſententiam: nam eſt ex duabus affirmantibus in ſecũda figura. Inſuper maior illi⁹ falſa eſt: nam multæ ſunt ſubſtantiæ, quæ non menſurantur tempore. Ad hæc, ſi tempus contineret omnia, contineret illa vt menſura durationis: at vero prima ſphera continet omnia, id eſt ſuo ambitu complectitur omnia inferiora: hæ vero continentiæ rationes maxime diſtinguũtur inter ſe.

Argu. Dices ſecũdo. Duratio rei eſt idem cum exiſtentia eiuſdem; ſed tempus eſt duratio ſubſtãtiæ; ergo eſt idem cum exiſtentia ſubſtantiæ: ſed exiſtentia ſubſtãtiæ eſt ſubſtantia, ſaltim ſecundum rem; ergo tempus aliquando eſt ſubſtantia ſecundum rem. Reſp. maiorem eſſe falſam, ſi abſolute ſumatur: nã licet hoc verum ſit in duratione, quæ eſt æternitas, vel in illa, quæ eſt æuum, tamẽ eſt falſa in duratione, que eſt tẽpus. Cauſſam diſparitatis reddemus diſputatione quarta.

QVAEST. VI.

An tẽpus ſit Quãtitas, vel Quãlitas.

Diuiſio quæſt. QVæſtio hæc, non parum difficilis, diuiditur in tres partes. In prima proponemus quaſdam obſeruationes. In ſecunda proponemus aſſertiones. In tertia adducemus varias ſententias, illas impugnabimus, illarumq; rationes ſoluemus.

IN PRIMA parte quæſtionis ſit prima obſeruatio. Ad hoc vt aliquid pertineat ad aliquã ex categoriis, ſufficit, quod habeat rationem categoriæ, & modum illius. Doctrinam hãc propoſuimus in Logica quæſt. 6. diſp. de ſubſtantia, & quæſt. 5. diſput. de quantitate in communi. *1. Obſeru.*

Secunda obſeruatio. In entitate motus inueniũtur multæ rationes, ſcilicet fluxus, hunc eſſe ab agente, recipi in paſſo, & durare: & inſuper reperiuntur in illo multæ extẽſiones, ſcilicet extenſio ratione ſubiecti, ſpatij, formæ quæ adquiritur, fluxus formæ, & durationis, vt diximus quæſtione tertia. Quæſtio igitur procedit de ratione formali motus, quæ eſt duratio ſecundum propriã durationem extenſionis, & inquirimus, ad quam categoriã pertineat per ſe hæc ratio formalis motus, quæ eſt tempus formaliter, vt queſ. ſequẽti magis cõſtabit. *2. Obſeru.*

IN SECVNDA parte quæſtio. ſit prima aſſertio. *Tẽpus eſt quãtitas.*

Tem-

Tempus eſt quantitas. Hæc aſſertio communnis eſt apud Philoſophos (licet multi dubitent, an ſit quantitas per ſe, an vero per accidens) & expreſsis verbis illã profitetur Ariſt. paſsim in Logica capi. de quantitate, & 5. Metaphyſico cap. 13.

Tẽpus eſt quantitas per ſe.

Secunda aſſertio. Tempus eſt quantitas per ſe. Hęc aſſertio ſatis communis eſt apud Ariſt. interpretes: tenẽt enim illam quamplures cum eodẽ Ariſt. in Logica cap. de quantitate, vbi expreſsis verbis diuidit quãtitatem, quæ eſt genus ſupremum, in cõtinuam, & diſcretam: rurſus ſubdiuidit diſcretam in numerum, & orationem: & continuam, in lineã, ſuperficiem, corpus, locum, & tempus: & harum rerum naturis explicatis, paulò poſt ſubdit hæc verba. *Sed propriè quanta nominantur ea quæ diximus, impropriè & caſu cætera omnia, &c.* Dicunt contrariæ ſententiæ authores, Ariſt. egiſſe in Logica de quantitate non ſub ratione extenſionis, & vt quantitas eſt, ſed potius ſub ratione menſuræ: & ſic, inquiunt, tẽpus eſt ſpecies quãtitatis per ſe, non vero ſub ratione extẽſionis. Hanc tamẽ ſolutionẽ impugnauimus in Logica in diſput. de quantitate in cõmuni quæſtione 6. tribus rationibus, & ſatisfecimus huius ſententiæ argumẽtis: & impugnat illã doctiſsimus magiſter noſter pater Suarez 2. tomo ſuæ Metaphyſicę diſputatione 40. ſectione 9. Cum vero ipſe exiſtimet, tempus non eſſe quãtitatem per ſe, occurrit teſtimonio adducto, dicẽs, Ariſt. in Metaphyſica emendaſſe, vel declaraſſe hanc opinionem: nam in Logica non exactè rerum naturas inueſtigabat, & ideo minus rectè connumerauit multas quantitatis ſpecies iuxta vulgarem loquendi modum. Sed hic modus ſoluendi, Ariſtotelis doctrinæ non eſt alligatus, & cum illo facile ego diſſoluerem omnia argumenta ab Ariſtot. teſtimonio deſumpta. Repugnare ergo videtur Ariſt. doctrinæ, ſi hæc attente inſpiciatur. Et vt hinc ducamus initiũ, Ariſt. in antecategoriis proponit duas diuiſiones, vt colligat inde rationes communes, quæ ſunt decem genera ſuprema: vt poſtea in quauis categoria illa proponat, quæ ad eam per ſe ſpectant. Cũ ergo cap. de ſubſtantia agat de primis & ſecũdis ſubſtantiis, doceatq; per ſe pertinere ad rectã ſeriem: & cap. de quãtitate dicat, ſpe-

Probatur ex Ariſt.

Reſpõſio quorundã.

Alia reſponſio P. Suarez.

Reiicitur.

cies quantitatis continuæ, inter quas cõnumerat tempus, per ſe pertinere ad categoriã quantitatis: & capite de relatione excludat relata, quæ talia erant iuxta veterum ſentẽtiam, & doceat, quænam relata ad illud prædicamentũ pertineant: & cap. de qualitate proponat etiam ſpecies qualitatis per ſe: cur queſo dicemus, Ariſt. in omnibus categoriarum capitib⁹ recte & ex propria ſententia, quæ ad illos ſpectãt, attigiſſe, falſaſq; veterum ſententias reiiciſſe: in hoc vero cap. de quãtitate nec vere, nec ex propria, ſed ex veterum potius Philoſophorum ſententia fuiſſe locutum? Certe diſparem rationẽ nemo aſsignabit. His accedit, verũ eſſe, Ariſt. in Metaphyſica connumeraſſe tempus, & motum inter quanta per accidens: tamen hoc non ita eſſe accipiendum, vt non habeant propriam & eſſentialẽ rationem quantitatis per ſe: nam in Logica connumerat albũ, actionem, & paſsionẽ, inter quanta per accidens: in Metaphyſica vero non connumerauit motum, & tempus inter quanta per accidens huius generis; nam cõnumeratis quãtis per ſe, id eſt quæ nõ ſupponunt aliam extenſionem, ſubdit poſtea hæc verba. *Eorum autem quæ per accidens quanta dicuntur, alia ſic dicuntur vt diximus: nam quia quantum eſt quiddam id cui muſicum in eſt ac albũ, ideo ipſa quanta dicuntur: alia vt motus ac tempus: etenim hæc quanta quedã continuaque dicuntur, quia illa diuiſibilia ſunt quorũ ſunt, iſta affectus, atq́ non dici id quod mouetur, ſed id ſuper quod efficitur motus, &c.* Quaſi diceret. Quædã dicuntur quanta per accidens; quia ſolum habent extenſionem ſubiecti, non vero propriam: vt album, muſicũ, &c. Alia vero, vt motus, & tempus, dicuntur quanta per accidens, quia ſupponunt neceſſario quantitatem in alio ſubiecto, ſcilicet in ſpatio. Loquitur enim de motu locali: hinc tamen non ſequitur, non habere propriam exteſionem.

Sed agamus rationib⁹. Eſt igitur prima. Quãtitas diſcreta eſt quãtitas per ſe; ergo tẽpus eſt quantitas per ſe. Conſequentia recta eſt: nam oratio, quæ connumeratur inter quantitates diſcretas, cõſiſtit in multitudine morularũ, ſiue temporum, quę in proferẽdis ſyllabis interdum conſumũtur. Cum igitur fiat ex diuiſione temporis, vel ex temporibus diuiſis, ſi oratio eſt quantitas per ſe, neceſſario tẽpus *Probatur aſſertio ratione.*

pus

pus debet eſſe quantitas per ſe. Antecedẽs vero probatur ita. Species alicuius generis participãt per ſe rationem illius, vt inductione cõſtat; ſed quantitas diſcreta eſt ſpecies generis ſupremi quantitatis; ergo, &c. Maior eſt certa. Minor conceditur à P. Suarez diſpu. 41. ſect. 4. §. 4. ibi enim expreſſe fatetur, diuidi primo genus ſupremum prædicamenti quantitatis in duas primas ſpecies ſubalternas, ſcilicet in quãtitatem continuã, & diſcretam. Cum vero in ſuperioribus reiecerit motum, tempus, locum, numerum, & orationem à ratione quantitatis per ſe: modo ne aliquis exiſtimet, hæc inter ſe pugnare, ſubdit ſtatim, ſufficere ex parte quantitatis diſcretæ, ꝙ in re habeat ſuum modũ quãtitatiuæ extẽſionis diſtinctũ ab alio, qui eſt in quantitate cõtinua, ſub quo poſsit à nobis & concipi, & tractari ad modum entis per ſe. Hæc tamen reſponſio impugnatur ita. Vel ille modus eſt in quãtitate diſcreta ens rei, vel eſt ens rationis: ſi eſt ens rationis; ergo res cõſtituta per modum hunc non poteſt eſſe ſpecies entis rei. Si vero eſt ens rei, vel igitur pertinet ad hanc categoriam, vel non: ſi non pertinet; ergo non poteſt eſſentialiter componere ſpeciem huius categorię. Si vero pertinet, cum per modũ hunc eſſentialiter cõſtituatur quãtitas diſcreta, vel hic modus erit primo diuerſus, vel differentia. Si modus primo diuerſus; ergo quantitas continua & diſcreta non cõueniunt in ratione generica quãtitatis. Si vero eſt differentia; ergo vel eſſentialis, vel accidentaria. Si accidentaria; ergo non componit ſpeciem immediate contẽtam ſub illo genere. Si vero ſit eſſentialis; ergo quantitas diſcreta vere, proprie, & eſſentialiter, erit quãtitas per ſe: nam omne cõpoſitum ex genere ſupremo alicuius prædicamenti, & ex differentia eſſentiali, per quã immediate eſſentialiter diuiditur, vere, proprie, per ſe, & eſſentialiter habet rationem illius prædicamenti. Scio quidem argumẽtum hoc rectius concludere de numero, quam de oratione: nam author hic loco citato §. 9. per quantitatem diſcretam intelligit numerum, non vero orationem. Sed hoc repugnat, primo Ariſtoteli, qui loquens de quantitate diſcreta, diuiſit illã in numerũ, & orationem. Deinde repugnat etiam doctrinæ, quam

Reiicitur ſolutio.

quam ex eodem authore retulimus: nam quemadmodum poſſumus concipere in numero modum quantitatiuę extēſionis diſtinctum, ita in oratione: in illa enim cōcipimus quandam morularum extenſionem.

Confirmatur ſecundo aſſert.

Secūda ratio. Tempus per ſe habet extenſionē; ergo per ſe eſt quantitas. Reſp. contrariæ ſententiæ authores, negādo antecedens: nā, inquiunt, tempus ſolum habet extēſionē ratione motus: motus vero ratione ſpatij. Duo ergo ſunt nobis impugnanda. Primum eſt, tēpus habere diſtinctam extenſionem ab extenſione motus. Secundū eſt, motum habere diſtinctam extenſionem ab extenſione ſpatij.

Temporis extēſio nō eſt extēſio motus.

Eſt ergo ratio. Motus & tempus habent diſtinctas partes, & diſtincta indiuiſibilia: nā partes temporis ſunt durationes, & partes motus ſunt ſucceſſiones: & indiuiſibilia tēporis ſunt inſtātia, & indiuiſibilia motus ſunt mutata eſſe: ergo habent diſtinctas extenſiones. Occurrunt argumento dicentes, temporis partes, & indiuiſibilia diſtingui ſola ratione à partibus & indiuiſibilibus motus, ab illiſque ſumere ſuum eſſe. Eſt tamen contra reſponſionem hoc argumētum.

1. Aut per diſtinctionem rationis intelligunt diſtinctionem rationis ratiocinatæ, aut ratiocinantis: ſi primam, hoc idem docem⁹: nam in noſtra ſententia motus & tempus ſolum diſtinguuntur ratione ratiocinata, quæ diſtinctio ſufficiens eſt ad conſtituendas diſtinctas ſpecies, imo & diſtincta genera, vt patet in actione, & paſsione: ſiue in quantitate, & figura. Si vero intelligunt diſtinctionē rationis ratiocinantis, doctrina eſt difficilis: nam nullo conſiderante intellectu datur in motu ſucceſsio in fieri formæ quæ producitur, & duratio illius: tum etiā datur mutatum eſſe, & inſtās: quod ſatis aperte conſtat ex eo, quod Philoſophus naturalis, cuius munus nō eſt diſputare de ente rationis, ſed de ente rei, agit in Phyſicis de tempore, & motu, vt de diſtinctis affectionib⁹ corporis naturalis. Reſpon. tamen, tempus habere diſtinctā rationem à motu, non tamen diſtinctā extēſionem.

2. Sed cōtra. In motu velociſsimo parua eſt extenſio temporis, & magna motus: & in motu tardo magna temporis, & parua motus; ergo habent diſtinctas extenſiones. Reſpon. P. Suarez diſpu. 40. ſectione 9. §.

9. §. 11. dicens, motum poſſe comparari ad duplex temp⁹: & ad extrinſecum nempe ad tempus primi cœli: & ad intrinſecum, ſcilicet ad propriā durationem. Dicit ergo, argumentum hoc ſolum probare, durationem vnius motus eſſe diſtinctam à duratione alterius, non tamen durationem intrinſecā motui eſſe diſtinctam extenſionem ab extenſione eiuſdem motus. Docet etiam, durationem intrinſecā motus poſſe ſumi ſecundum ſuam realem entitatem: & ſic falſum eſſe antecedens. Poſſe itidem ſumi per comparationem, & quaſi coexiſtentiā ad ſucceſſionem imaginariā, quam apprehendimus vt infinitam: & ſic verum eſſe antecedēs: inde tamē nō ſequitur durationem intrinſecam motus eſſe diſtinctam ab extenſione illius, ſed potius in motu celeri comprimi, quemadmodum comprimitur mot⁹: & in tardo veluti dilatari.

Hæc tamen ſolutio multa continet aliquantulum incerta. Infringitur ergo primo: quia ſi intrinſeca duratio motus non eſſet diſtincta à motu, cuius eſt duratio (loquimur de diſtinctione formali: nā de reali res eſt certa in noſtra ſententia) ergo neq; eſſet formaliter diſtincta à duratione alterius mot⁹: quod ita oſtēdo in motu locali. Vnus motus localis in ratione motus non diſtinguitur formaliter ab alio motu locali; ergo motus localis v. g. Petri non diſtinguitur formaliter à motu locali primi mobilis: ergo neq; tempus, quod eſt intrinſeca duratio mot⁹ localis Petri, diſtinguitur formaliter à tēpore, quod eſt duratio primi mobilis. Cōſequentia probatur: nam motus localis nō diſtinguitur formaliter ab alio motu locali in ratione motus; ergo neq; in ratione durationis, ſi ratio durationis non diſtinguitur formaliter à ratione mot⁹. Deinde ſi duratio motus per comparationem ad imaginariam illā durationem eſt maior in motu tardo, quā in veloci facto ſupra idem ſpatium, vt reſponſio docet: vel ergo id, ratione cuius talis duratio in motu tardo eſt maior quam in veloci, eſt imaginarium quemadmodum & duratio cui coexiſtit; & ſic tranſeat: nam etiam oppoſitū poſſumus imaginatione concipere. Vel habet fundamentū in motu tardo: & ſi ita eſt, debemus neceſſario concedere diſtinctionem rationis ratiocinatæ in-

ter motum, & intrinſecam il lius durationem, quā nos intendimus demonſtrare. Præterea id efficatius oſtenditur: quia cùm per menſuram reddamur certi demenſurato, debent eſſe menſura & menſuratum eiuſdem ſpeciei, vt infra diſpu. 4. diffuſſe oſtendemus. Cum igitur de duratione motuum inferiorum poſsimus reddi certi per motū primi mobilis, vel ille menſurabit hos motus ſecundum extenſionem motus, vel ſecundum extenſionem temporis. Si ſecundum extenſionem tēporis; ergo extenſio temporis in motib⁹ diſtincta eſt ab extēſione partium motuum. Si vero ſecundum motum; ergo per motum vnius circulationis cœli poſſemus menſurare motum factum à quocūque toto vitæ tempore, etiam ſi ad decrepitudinē perueniret, & toto vitæ ſuæ tempore celeriter moueretur: nam mille annorū ſpatio nullus poſſet efficere motum ſupra tantum ſpatium, quātum eſt cœlum. Quare per motum cœli non poſſemus reddi certi de motu harum rerū inferiorū, ꝙ certe rationi, & totę Philoſophiæ repugnat.

Probādum etiam nobis erat, motū habere diſtinctam extenſionē ab extenſione ſpatij: ſed hoc præſtabimus lib. ſequenti in diſputatione de motu. Alia etiam, quę contra ſuperiorem ſententiam habēt vim, attingemus in diſput. de menſuris.

Tertia aſſertio. Tēpus eſt quātitas continua perſe pertinens ad categoriam quantitatis. Hæc aſſertio, ſuppoſita ſuperiori, facilis eſt, & fuit cō firmata à nobis in Logica in diſp. de quantitate continua quæſt. 3. & argumēta, quæ in huius concluſionis confirma tionem adducūtur, omnibus ſunt notiſsima. *Tēpus eſt quantitas continua perſe.*

IN TERTIA parte q. proponendæ ſunt contrariæ ſententiæ. Prima ſentētia docet, tempus eſſe ens per accidens, & conſequenter ad nullam pertinere categoriā. Sed reiicitur hæc ſententia. Primo: quia de illo datur ſciētia in Logica, in Phyſica, & in Metaphyſica. Secundo: quia habet extenſionem per ſe, vt diximus in Logica: nā ſi per intellectū ſecludamus in motu propriam illius extenſionem, inſuper extenſionē formæ adquiſitæ, ſpatij, & mobilis, adhuc cōcipere poterit intellectus extenſionem in duratione. Eſt igitur prima ratio huius ſententiæ. Tempus *1. Senten. tēpus eſſe ens per accidens. Reiicitur ſententia. 1 Ratio huius ſen.*

habet

habet extẽſionem ratione alterius; ergo tempus eſt quantitas per accidens. Antecedẽs probatur ex Ariſto. 5. Metaphy. cap. 13. Reſp. Ariſt. intelligendum eſſe non de extenſione propria tẽporis, ſed de illa accidentaria, quam habet ratione motus, vel ſpatij.

2. Ratio. Secũda ratio. In motu nulla eſt propria extenſio; ergo neque in tempore. Reſpõ. negando antecedens, & conſtabit magis ſolutio lib. quinto.

3. Ratio. Tertia ratio. Duratio rei non eſt quantitas rei, quia in re non eſt aliud ab exiſtẽtia, & ſi eſt aliud, ad ſumum cõcipi poteſt vt proprietas illius; cum igitur temp⁹ ſit duratio motus, non eſt aſſerendũ eſſe quantitatem. Reſp. negando antecedens, vt infra magis cõſtabit.

4. Ratio. Quarta ratio. Si in motu eſſet aliqua quãtificatio ſiue ratio quãtitatis, illa eſſet ſucceſsio continua; ſed hãc non habet motus à tempore, imo habet tempus à motu; ergo tẽpus neq; eſt quãtitas per motũ, neq; per ſe. Probatur minor ex Ariſt. in Metaph. lib. 5. cap. 13. vbi concludit, tempus eſſe quãtum per motum, & motum per tempus. Reſp. maiorem eſſe veram de propria quantificatione motus: illa vero non eſt ratio per ſe temporis, nam temporis quãtificatio ſiue extẽſio non eſt ſucceſsio, ſed duratio.

Secũda ſententia docet, tẽpus in ratione menſuræ eſſe quantitatem per ſe: in ratione vero extenſionis eſſe quãtitatem per accidens. Tenent hanc ſententiam viri grauiſsimi, quos citauimus in Logica in diſp. de quantitate in cõmuni quæſt. 6. in ſecunda parte: vtũtur hac diſtinctione, vt concilient, quæ docuit Ariſt. de quãtitate in Logica, & in Metaphyſica. Hęc tamen ſententia non eſt admittenda, & facile poteſt impugnari trib⁹ rationibus à nobis adductis, quæſt. citata pro confirmatione noſtræ ſentẽtiæ. Reiicitur etiam: quia vel illa ratio mẽſurabilitatis ſumitur formaliter, & ſic eſt extrinſeca denominatio ab actione intellectus proueniens, vt diximus ſupra, & diſp. quarta dicem⁹: vel ſumitur fundamẽtaliter: & ſic vel tẽpus eſt per ſe fundamentum huius mẽſuræ, vel per accidẽs. Si per ſe; ergo habet extenſionem per ſe, & cõſequenter eſt quantitas per ſe in ratione extenſionis. Si vero habet tale fundamentum per accidens; ergo in ratione menſuræ etiam erit quãtitas *2. Senten.*

per

per accidens: nam ſi minus, maxime diminut⁹ fuiſſet Ariſt. in Logica connumerans ſpecies quātitatis per ſe in ratione mēſuræ. Si enim ad cōſtituendam ſpeciem quantitatis per ſe in ratione menſuræ, ſufficeret extenſio per accidens; ergo albedo, quæ habet extenſionem per accidens, eſſet quantitas per ſe in ratione menſuræ: & idem eſſet iudicium de aliis omnibus accidentibus per accidens extenſis. Quare diminutus certe fuiſſet Ariſtot. connumerans ſpecies quātitatis per ſe in ratione menſuræ.

Huius ſententiæ argumenta fere omnia ſupponūt, tempus non habere propriam extenſionem: vel innituntur teſtimonio Ariſt. deſumpto ex 5. Metaphy. cap. 13. quare facile ex dictis ſoluuntur, & ſoluta ſunt à nobis in Logica quæſt. citata.

3. Senten. Nō deſunt qui exiſtimēt, tempus eſſe qualitatem. Suā ſententiam probāt primo ex Ariſt. hic docente, tempus eſſe cauſſam corruptionis rerū. *Probatur primo.* Reſp. tamen, tempus dici cauſam, nō vt formaliter eſt tempus, ſed vt realiter eſt motus, medio quo omnes res ad interitum ducuntur, vt infra dicemus diffuſius.

Proba. 2. Secūda ratio deſumitur ex teſtimonio ſacræ Scripturæ Geneſeos cap. 1. vbi legūtur hæc verba. *Appellauitque lucem diem, & tenebras noctem:* lux autem qualitas eſt. Reſp. ibi nō loqui ſacram ſcripturam de die naturali, qui conſiſtit in integra ſolis circulatione, ſed de artificiali, qui cōmuniter ſolet definiri, præſentia ſolis ſupra noſtrum emiſpherium: & hæc definitio, vt exiſtimo, huic innittitur teſtimonio. Dicitur ergo dies lux, quia ea pars temporis, quæ conſumitur in motu ſolis, dum eſt ſupra noſtrum emiſpherium illud luce replēdo, appellatur dies: nō vero quia lux formaliter ſit dies. Et ſic eodē capi. docuit, ſolem præeſſe diei, & lunam nocti.

4. Senten. vult tempus eſſe Quando. Vltima ſententia docet, tēpus ſecūdum propriam rationem, & vt eſt duratio, pertinere ad categoriā Quando. Hāc nouiſsime profitetur D. Magiſter N. Suarez 2. tomo Metaph. diſpu. 50. ſect. 12. §. 8. & vt illam confirmet, ſupponit, *Fundam. ſenten.* in omni prædicamento reperiri formam denominantem, vel afficientem, ſubiectū affectum ſeu denominatū, & denominationem ipſam, quę ſolum interdum per nomen cōcretum ſolet ſignificari: vt in

præ-

prædicamento qualitatis patet in albedine, in ſubiecto illa affecto, & in concreto ſcilicet albo. Docet itaq; tempus ſiue durationem eſſe formam in prædicamento Quando, & ſubiectũ eſſe motum ſiue aliã rem: concretum vero eſſe id, quod appellatur durans. Hoc poſito fundamẽto probat ſuã

1. Ratio. ſententiam. Primo: quia nullus alius mod⁹ explicãdi prædicamẽtum Quando apparet

2. Ratio. probabilis: Secundo: quia denominatio, à qua dicitur res durans, realis eſt, & intrinſeca, & nõ eſt aliud prædicamẽtum ad quod poſſit pertinere.

3. Ratio. Tertio à ſimili: nã Vbi eſt forma intrinſeca, ſumpta ab intrinſeco modo; ergo & Quãdo ſumetur ab intrinſeca duratione, ſcilicet à tempore.

Deſtruitur fundamentum. Fundamẽto ſuperioris ſententiæ dicimus, verũ eſſe, in quouis prædicamento accidẽtis ſolum reperiri illa tria realiter: nihil tamen obſtare, aliq̃ ex his eſſe multiplex formaliter. Vnde forma, ratione cuius res pertinet ad prædicamẽtum Quando, eſt tempus, nõ ſub ratione durationis abſolute, nam ſic pertinet ad categoriam Quãtitatis, ſed ſub ratione certæ & determinatæ durationis: nam Quando nõ eſt rem eſſe in tẽpore, ſed eſſe in differentia temporis certa & determinata. Quemadmodum enim ratione longitudinis, latitudinis, & profunditatis dicitur res quãta, & eſt cõcretum quãtitatis; ratione vero earũdem dimẽſionum ſub certa & determinata ratione dicitur res qualis, ſcilicet figurata, & eſt concretum quartæ ſpeciei qualitatis, nẽpe figuræ: ita ratione durationis dicitur res eſſe in tẽpore, & eſt concretum quantitatis: & ratione certæ & determinatæ differẽtiæ durationis dicitur res eſſe Quando, & eſt concretum categoriæ Quando. De hac re nonnulla diximus in Logica in diſput. de ſex vltimis categoriis, & dicemus etiam libro quinto diſputatione ſecunda.

Ex his patet ſolutio argumentorum ſuperioris ſententiæ. Ad primũ enim dicimus, non illo, ſed hoc modo à nobis propoſito debere diſponi prædicamẽtum Quando. Ad ſecũdum dicimus, denominationem, à qua res dicitur durãs abſolute, pertinere ad prædicamentum Quantitatis, & eſſe realem: denominationẽ vero, à qua res dicitur durans in certa temporis differẽtia, pertinere ad prædicamentum Quando. Tertio argumẽto di- *Soluuntur argumen. 4. Senten.*

cimus, Quando eſſe intrinſecam denominationem, & ſumi à tempore: inde tamen nõ ſequi, eſſe idem formaliter cũ tempore: quemadmodum vbi ſumitur à loco, & tamen nec eſt idem formaliter cum loco, nec realiter.

Quãdo ſumitur à tẽpore intrinſeco.

Sed quæres, an Quando ſumatur à tempore intrinſeco, vel potius ab extrinſeco. Reſ. ſumi ab intrinſeco: nã quemadmodũ ſi res eſſet in vacuo, haberet vbi, quamuis nõ ambiretur loco, vt diximꝰ ſupra quęſt. 3. de loco in quarta parte illius: ita ſi Petrus v.g. moueretur, eſſet in certa temporis differentia: & conſequenter haberet Quando, etiam ſi ceſſaret motꝰ primi cœli. Verum tamen eſt, quod quemadmodum vbi, etſi ſit res intrinſeca rei, quæ eſt in loco, ſumitur per ordinem fundamentalem ad locum vel ambiẽtem, vel qui poteſt ambire: ita Quãdo, etſi ſit res intrinſeca rei, quæ eſt in tempore, deſumitur tamen per ordinẽ fundamentalem ad tempus extrinſecum, à quo vel extrinſece menſuratur, vel poſſet menſurari, ſi eſſet.

Loco citato proponit M. noſter Suarez alias rationes, quibus impugnat quaſdã ſententias de hac re, ſed nõ ſunt contra nos: nam nos non explicamus ſententiam hanc illo modo, quo illam impugnat, vt eos reiiciatis, ſatis ſit illum conſulere.

QVAEST. VII.

Quid ſit tempus.

Diuiſio quæſt.

DIuiditur quæſ. in tres partes. In prima proponemꝰ quaſdam obſeruationes. Adducemus in ſecunda definitiones temporis. In tertia deniq; ſoluemus rationes cõtrarias.

IN PRIMA parte quæſtionis ſit prima obſeruatio. Cum ex ſuperioribus cõſtet, tempus eſſe quantitatem continuam, & conſiſtere in duratione motus, facillimum modo erit colligere eius definitionem, ſi obſeruemus, continuum dici duobus modis, ſcilicet, id quod eſt diuiſum, & id quod perpetuo & ſemper durat. Tum etiam ſi obſeruemus, quod ſi accidentia definiantur in concreto, ſubiectũ ponitur loco generis: ſi vero in abſtracto, ponitur loco differentiæ, vt diximus ſupra in diſput. de motu quæſt. 4.

Continuũ dupliciter ſumitur.

1. Definit. temporis.

IN SECVNDA parte quæſtio. ſit prima aſſertio. Tempus ita definitur. Duratio motus, ſiue motus vt durans.

rans. Prima eſt definitio temporis in abſtracto. Secūda definitio temporis in concreto. Sic enim debet accidens definiri in concreto, & in abſtracto, vt diximus in quarto fundamento. Hanc definitionem rectam eſſe, probatur primo ita. Tempus eſt quędam extēſio motus; ergo eſt duratio motus. Probatur conſequentia. In motu quinq; poſſunt excogitari extenſiones, quas adduximus obſeruatione tertia; ſed tempus nec eſt extenſio ſubiecti, nec medij, nec formæ adquiſitæ, nec fluxus; ergo eſt extenſio durationis. Probatur min. In primis non eſt extenſio ſubiecti, nec medij ſiue ſpatij: quia iſtæ permanēt, & trāſacto motu poſſunt actu menſurari: tempus vero poſitum eſt in ſucceſsione, qua tranſacta cū non maneat, non poterit menſurari. Deinde nec eſt extenſio formę adquiſitę: quia hęc poteſt eſſe permanens, vt ſi ſit quantitas, ſcilicet trina dimenſio, vel ſit qualitas. Præterea neque eſt extenſio fluxus: quia per hanc formaliter conſtituitur motus in eſſe motus; ergo à ſufficiēti diuiſione tempus debet eſſe extēſio motus, quę conſiſtit in duratione.

Probatur ſecūdo. Tempus eſt idem realiter cum motu, vt ſæpe docet Ariſto. cap. 10. & omnes quotquot ſunt Philoſophi; ergo eſt duratio motus. Probatur conſequētia ex primo fundamento quæſt. 3. quia ſcilicet in realitate, quæ eſt motus, hæc ſolum reperiũtur, fluxus, hunc eſſe ab agente, recipi in paſſo, & duratio ipſius fluxus; ſed tempus non eſt fluxus formaliter; quia per hoc formaliter conſtituitur realitas, quæ eſt motus, in eſſe motus: neque tempus eſt motus prout eſt ab agente; quia per hanc rationem conſtituitur motus in eſſe actionis formaliter: neque vt recipitur in paſſo; quia per hāc rationem cōſtituitur motus in eſſe paſsionis formaliter; ergo tempus debet eſſe motus vt durat, ſiue duratio motus.

Probatur tertio. Tempus eſt menſura exiſtentiæ alicuius rei; ergo eſt duratio. Probatur conſequentia: quia omnis menſura exiſtentiæ abſq; controuerſia eſt duratio; ſed nec eſt duratio rei, cuius exiſtentia eſt tota ſimul; nam talis duratio eſt æternitas: neq; eſt exiſtentia rei permanentis, coniunctæ tamē motui ſecundum prius & poſterius; quia talis duratio eſt æuum; ergo erit duratio exiſtentiæ

rei,

rei, quæ eſt poſita in motu & ſucceſsione: ergo tempus erit duratio motus. Probatur penultima conſequentia ex ſecundo fundamento quæſt. 3.

2. Defini. temporis. Secunda aſſertio. Tempus ita definitur eſsẽtialiter. Quãtitas continua ſucceſsiua extẽſa in partes durationis. Superior definitio, ſi explicetur coincidit cum hac: hæc tamẽ magis explicite explicat naturam temporis per genus ſupremum, & per omnes differentias eſſentiales illius. In primis prima definitionis particula eſt genus ſupremũ temporis, vt oſtendimus ſupra. Per vocem, *cõtinua*, ſeparatur eſſentialiter à numero, & oratione. Per vocem, *ſucceßiua*, differt eſsẽtialiter à linea, ſuperficie, corpore, & loco. Tandem, licet per illam vocem, *quãtitas*, diſtinguatur à motu, nam per illã intelligimus genus ſupremum categoriæ quãtitatis, à qua excluditur motus, vt diximus in Logica diſput. de quantitate continua, quæſt. 4. nihilominus tamen additur vltima definitionis particula, vt intelligamus clarius propoſitam temporis definitionẽ. Hæc aſſertio ſic explicata facilis eſt, in opinione præſertim, quæ docet, tempus eſſe quantitatem per ſe. In ſententia vero, quæ docet, tempus eſſe Quando, rectior eſt ſuperior aſſertio, dummodo per durationem non intelligamus quantitatem, ſed formam denominantem Quando. Cõſulantur quæ diximus in Logica in diſp. de quantitate in communi quæſt. 7. vt hæc aſſertio facilius intelligatur.

IN TERTIA parte q. dices primo. Quæ habent eſſe poſitum in ſucceſsione, nõ durant; ergo tempus non durat: ergo non eſt duratio. Reſpõ. antecedens ſolum eſſe verum de duratione in permanentibus, non vero in ſucceſsiuis. *1. Argu.*

Dices ſecundo. Partes temporis nõ copulãtur aliquo termino communi; ergo tempus non eſt quantitas continua. Probatur antecedens: quia ſi copularẽtur, maxime præſens cum futura, aut cum præterita; ſed non cum illa, quia nõdum eſt: neq; cum hac, quia iam non eſt; ergo, &c. Reſpõ. partes temporis copulari modo explicato in Logic: ideſt non eſſe diuiſas. Probationi dicimus, tempus non componi ex partib⁹ præteritis & futuris, ſed ex his, quæ ſemper ſunt, eo quod labãtur ſucceſſione quadam, vt diſp. ſequẽti conſtabit. *2. Argu.*

Dices

3. Argu. Dices tertio. Quando dicitur à tempore; ſed generatio ſubſtantię viuētis eſt aliquādo: ergo dicitur eſſe aliquando à tēpore: ſed generatio ſubſtantiæ viuentis non fit cum ſucceſsione, & extenſione ſecundum partes durationis: ergo non omne tempus eſt quātitas ſucceſsiua extēſa in partes durationis: quare, &c. Reſpon. Quando non ſolum dici à tempore, ſed etiam ab inſtāti, vt infra conſtabit.

DISPVTATIO SECVNDA IN qua agitur de partibus temporis.

IN hac diſputatione agemus prius de partibus ſubiectiuis temporis, ſcilicet, an ſit vnum tempus, & qua vnitate ſit vnum. Poſtea vero agemus de partibus integrantibus ipſius: & in fine dicemus an præter hoc tempus noſtrum ſit aliud conſtituendum.

Quæſtio I. An ſit vnicum tantum tempus.

Diuiſio quæſt.

DIVIDITVR q. in tres partes. In prima proponemus quaſdam obſeruationes. In ſecunda adducemus aſſertiones. In tertia proponemus oppoſitas ſententias, illarūq; rationes ſoluemus.

Quid requiratur ad menſuram molis

IN PRIMA parte quæſtio; ſit prima obſeruatio. In menſura quantitatis molis requiritur conuenientia ſecundum ſpeciem infimam: debēt enim menſura, & menſuratū eſſe eiuſdem rationis & ſpeciei, vt demonſtrabimus diſp. 4. Et nunc obiter probatur ex eo, quod inter menſuram & menſuratum talis requiritur proportio; vt per illā habeat menſuratum adæquationem, vel extenſionem cū menſura. Vnde longitudo ſolum menſuratur lōgitudine æquali, ſuperficies ſuperficie æquali, corpus corpore, & ſic de cæteris. Colligo inde, tempore ſolum menſurari poſſe per ſe tēpus, vt diſp. 4. conſtabit.

Tempus ſumitur ut duratio, & ut menſura.

Secunda obſeruatio. Tempus poteſt ſumi dupliciter. Primo vt dicit intrinſecā durationem motus. Secundo vt eſt ex ſe menſura extrinſeca om-

omnium motuum ſecundum prius & poſterius in illis: vel ſaltim vt ex ſe magis aptum eſt, ad hoc vt ſit talis menſura: & vtroque modo procedit quæſtio.

Quædam duratio motus eſt tempus. IN SECVNDA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Si temp⁹ ſumatur primo modo, pro duratione ſcilicet motus, & vt locuti ſum⁹ de illo in ſu periotib⁹, cuiuſuis motus ſucceſsiui duratio eſt formaliter tempus. Hanc tenent omnes Nominales præſertim Gregorius Ariminen. in 2. d. 2. q. 1. & ex Iunioribus Philoſophis P. Toletus quæſt. 14. 4. libri Phyſi. P. Pererius lib. 12. cap. 4. P. Fonſeca 5. Metaph. cap. 11. ſect. 1. & alij multi. Et videtur cõſona Ariſt. nam cap. 14. docet, tempus eſſe vbique, ex eo quod mot⁹ eſt vbique;

1. Ratio. Prob. igitur rationibus primo ita. Tẽpus eſt duratio motus ſecundum prius & poſterius; ſed in quouis motu ſucceſsiuo reperitur intrinſece talis duratio; ergo reperitur tempus intrinſece in quouis motu. Reſpondent contrariæ ſententiæ authores, in motibus harum rerum inferiorum ſolum reperiri durationem ſecundum prius & poſterius denominatione extrinſeca, per ordinem ſcilicet ad motũ primi mobilis. Infringitur tamẽ ſolutio: quia ceſſante motu orbium cæleſtiũ, ſi hæc inferiora mouerentur, in illorũ motibus eſſet ſucceſsio; ergo eſſet duratio ſecũdum prius & poſterius: ergo hæc non eſſet in illis extrinſeca denominatione, à motu ſcilicet cœli. Reſpõ. verum eſſe, in his motibus inferioribus eſſe tempora intrinſeca, hæc tamen eſſe impropria. Reijcitur vero ſolutio ita. Tempus proprie dictum ex natura ſua ſequitur motum ſucceſsiuum; ergo vbicunq; erit motus ſucceſsiuus, erit tempus intrinſecum proprie dictum. Reſp. tẽpus proprie dictum non ſequi quemcumque motum, ſed ſolum ſe qui motum omnino vniformem, nempe motũ primi mobilis. Impugnatur tamen ſolutio ita. Tempus, quod eſt duratio mot⁹ primi mobilis, eſt tempus proprie dictum; ergo tempus quod eſt duratio cuiuſuis motus eſt etiam temp⁹ proprie dictum. Probatur cõſequentia. Tempus motus primi mobilis, & tempora omnium motuum ſunt eiuſdem ſpeciei; ergo ſi illud eſt proprie tẽpus, etiam & alia. Cõſequentia tenet. Antecedens probatur primo. Quia ſũt menſura molis & menſuratum, inter

2.

3.

ter quæ neceſſario deſideratur vnitas ſpeciei infimæ, vt diximus in prima obſeruatione. Probatur ſecūdo: quia nulla eſt maior ratio, cur duratio motus primi mobilis ſit quātitas, nō vero durationes motuum inferiorū: ſi igitur tam illa tempora, quam hæc, ſunt quantitates, aſsignent rationem, ob quam non ſint eiuſdem ſpeciei, & doceāt ad quā ſpeciem quantitatis hæc inferiora tempora ſpectent.

2. Ratio pro noſtra ſententia. Probatur etiam aliter. quia poſſet Deus creare ſupra primum cœlum aliud, quod celerius moueretur: vnde illi⁹ motus duratio eſſet formaliter tempus, tum etiā & motus primi mobilis, quod modo habemus: cū tēpus in illo ſit quid reale, abſolutū, & non deperderetur per creationem ſuperioris orbis. Inſuper probatur: quia tempore Ioſue quando quieuit ſol, forſan alij omnes orbes quieuerunt: & tamen vere durabant motus humum rerum inferiorum.

2. Aſſer. Secunda aſſertio. Tempus primi mobilis ex ſe aptus eſt ad hoc, vt ſit menſura extrinſeca omnium rerum, quę tempore menſurantur. Hæc communis eſt apud oēs, & proinde multi conciliant noſtram ſententiā cū oppoſitis, quas ſtatim adducemus, dicentes alias ſententias intelligi debere de tempore ſub ratione primæ menſuræ, non vero ſub ratione intrinſecæ durationis. Probatur ergo aſſertio: quia tempus hoc primi mobilis eſt certiſsimū, communiſsimū, vniforme, primum, & notiſsimum, quæ cōditiones deſiderantur ad rationē primę menſuræ.

Tertia aſſertio. *3. Aſſer.* Actu non eſt menſura ex ſe tempus primi cœli omnium temporum. Probatur aſſertio: quia tempus primi mobilis eſt menſura actiua, quæ ſolum cōuenit tēpori beneficio intellectus, vt dicem⁹ diſputatione quarta, in qua dicemus nonnulla de mēſuris pertinentia ad omnia tempora: quę conſulto in hac quæſt. prætermittimus.

IN TERTIA parte q. *1. Sent.* prima ex oppoſitis ſentētiis. docet, eſſe vnum tempus numero, in motu ſcilicet primi mobilis. Hanc tenent Albertus 4. Phyſ. tractatu 3. de tēpore, D. Tho. 1. p. q. 10. art. 6. in argumēto ſed contra, & in corpore articuli, Capreolus in 2. diſtinct. 2. quæſt. 2. Durādus quæſt. 5. Soto 4. Phyſ. q. 4. dubio 2. & alij innumeri. Probatur primo teſtimonio Ariſto. qui in fine capitis 14. *1. Ratio.*

 in-

inquit, tempus eſſe vbique, & eſſe [illegible] rerum omnium, & omnia continere; ſed hoc ſolum conuenit tempori primi mobilis; ergo tantum datur vnicum tempus, ſcilicet primi mobilis. Reſp. hoc Ariſt. teſtimonium, intelligendum eſſe de tempore non ſub ratione extenſionis ſumpto; ſed vt eſt ex ſe magis aptum ad hoc, vt ſit menſura omnium durationum, vt diximus. Eodem modo occurrendum eſt aliis teſtimoniis Ariſt. quibus videtur docere, tantum eſſe vnum tempus.

2. Ratio. Probatur etiã à Soto: quia, inquit, ſi multi ambularent hora 3. eſſent multæ horæ tertiæ; & multi dies Martis, vel Iouis poſſent etiam eſſe ſimul. Inſuper cum aliud ſit horologium Salmãticæ, & aliud Romæ, eſſet vnũ tempus Salmanticæ; & aliud Romæ; quæ omnia ſunt abſurda. Reſpondetur tamen eodem modo; nullum enim eſt abſurdum eſſe ſimul multa tempora æqualia; imo tot ſunt neceſſario, quot ſunt motus æqualis durationis intrinſecæ: licet vnum tantum ſit tempus, quod eſt duratio motus ex ſe magis vniformis & primi, ſcilicet primi mobilis.

3. Ratio. Probatur 3. Tempus debet ſequi regulariſſimum motum; ſed motus regulariſſimus ſolum reperitur in primo mobili; ergo non ſunt plura tempora. Reſpondetur negando maiorem: nam tempus neceſſario conſequitur quemuis motum.

2. Sententia. Secunda ex oppoſitis ſententiis tenet, tantum eſſe vnũ tẽpus proprie, eſſe vero multa improprie. Hæc ſententia primo ſolet confirmari Ariſt. teſtimoniis, illis tamen occurrendum eſt modo explicato in ſolutione primæ confirmationis ſuperioris ſententiæ. Probatur deinde hac ratione. 1. Ratio. Tẽpus proprie dictum eſt quædam generalis menſura omnium, quæ generantur & intereunt; ſed talis mẽſura ſolum reperitur in motu primi mobilis; ergo, &c. Probatur tertio: quia tempus proprie dictum debet eſſe menſura vniformis, & immutabilis; ſed hoc ſolum reperitur in primo mobili; ergo, &c. Reſp. negando vtramque maiorem: nam de ratione temporis proprie dicti ſumpti ſecundum ſe, ſolum eſt duratio motus. Alias rationes ſimiles adducunt huius ſententiæ authores, quas nec propono, nec ſoluo, quia non ſunt alicuius momenti.

Vlt. argu. Dices vltimo contra aſſertionem: Tot ſunt tempora numero, quot ſunt motus; ergo

tot

tot ſunt tempora ſpecie, quot ſunt motus ſpecie: quod perte repugnat veritati & his, quæ diximus in Logica in diſp. de quantitate in communi q. 5. Pro ſolutione perte tractāda eſt quæſtio ſequens.

QVAEST. III.

Qua unitate tempus ſit unum.

Diuiſio quæſt. DIuiditur quæſtio in tres partes. In prima proponemus obſeruationes, & adducemus quæ ſunt certa. In ſecūda adducemus aſſertiones. In tertia ſoluem' rationes cōtrarias.

1. Obſeru. IN PRIMA parte quæſtio. ſit prima obſeruatio. Docuimus ſuperiori quæſt. eſſe multa tempora, & ſupra diximus, contineri tempus in categoria Quantitatis; proinde nūc videre oportet, an ſit ſpecies infima, vel interiecta.

2. Obſeru. Secūda obſeruatio. Quæſt. procedit tam de temporibus aliarum rerum inferiorum, quam de tempore primi mobilis, & inquirimus, an omnia habeāt vnitatem ſpeciei infimæ.

3. Obſeru. Tertia obſeruatio. Modo præcipue exagitatur quæſtio cum his, qui aſſtruunt, tempus eſſe quantitatem per ſe, non vero cū illis, qui docent, conſtituere categoriā Quando, vt retulimus quæſt. 6.

In hac igitur re certum eſt, tempus non ſolū non eſſe genus ſupremū categoriæ Quātitatis, verum etiā nec immediate cōtineri ſub illo, ſed potius ſub quantitate continua, quam diuidit per ſucceſſionē tanquam per differentiam eſſentialem illius. Certum etiā eſt, habere tempus minorem vnitatem, quā habet motus: nam mot' diuagatur, licet reductiue per categorias termini, vt communis fere ſententia docet: vel conſtituit peculiarem categoriam, vt nos dicemus libro quinto. Manet ergo dubitatio, an omnia tempora, id eſt omnes durationes tam orbium cœleſtium, quam inferiorum rerum, ſint eiuſdē ſpeciei infimæ, vel potius inter ſe ſpecie diſtinguātur.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit prima aſſert. Quāuis motus diſtinguantur generice inter ſe, non tamen tempora, quæ ſunt illorum durationes. *Tempora non diſtinguuntur genere.* Probat. aſſertio: quia tempus nō ſequitur motum ea ratione quā motus eſt ſucceſſio quædam productionis termini, ſed vt eſt quædā ſucceſſio abſtrahens à productione termini: vnde non diſtinguuntur tempora, quemadmodum

motus, vt ſequenti aſſertione conſtabit.

Omnia tẽpora ſunt eiuſdẽ ſpeciei.

Secũda aſſertio. Omnia tẽpora ſunt eiuſdem ſpeciei infimæ. Probatur ex Ariſt. cap. 14. vbi ita habet, *Omne enim tẽpus vnum peræque eſt & ſimul: ſpeciei autem eiuſdem ſunt ea tempora quæ non ſunt ſimul.* Quaſi diceret, vt in commentariis diximus, omne tempus, quod eſt continuum, & quaſi ſimul, vt eſt tempus primi mobilis, eſt vnum numero: reliqua vero tempora ſũt eiuſdem ſpeciei, ideſt differũt inter ſe ſolo numero. Hæc expoſitio probatur ex verbis ab Ariſt. paulo poſt adhibitis, quæ ſic habẽt. *Si enim hi ſint canes, illi equi, vtrique autem ſeptem, vnus erit numerus, ſic etiam motuũ qui ſimul ſunt terminati idem eſt tempus.* Quaſi diceret. Quemadmodum ſeptem canes, & ſeptem equi ſũt vnus numerus vnitate ſpeciei infimæ, licet ſint duo numeri in indiuiduo, ſic omnia tẽpora eodẽ termino terminata licet numero inter ſe differãt, ſunt tamen eiuſdẽ ſpeciei infimæ.

Probatur etiam aſſertio rationibus, primo ita. Per tempus primi mobilis poſſumus menſurare quodlibet tempus cuiuſuis motus rerũ inferiorum; ergo tẽpus primi mobilis eſt eiuſdem ſpeciei cũ his temporibus inferioribus: ergo omnia tempora ſunt eiuſdem ſpeciei. Conſequentia recta eſt: nam tenentur omnes admittere menſuram, & menſuratum (loquimur de menſura molis, qualis eſt temp⁹) debere eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ: ſin minus aſsignet aliquis rationem, cur linea non menſuremus corpus, nec ſuperficie lineam, nec motũ accretionis formaliter ſumptũ per motũ localem, aut per alterationem: imo res hæc adeo certa eſt, vt inter menſuram & menſuratum non ſolum requiratur vnitas ſpecifica, verumetiam cum negatione exceſſus & defectus in extenſione partium, vt diximus in Logica agẽtes de relatione æqualitatis: ſicque fit, menſuram debere eſſe æqualẽ vel minorem, vt per repetitionem habeat coextenſionem cum mẽſurato. Antecedens etiam certũ eſt apud omnes: nam nullus eſt inter Philoſophos, qui non exiſtimet, motum primi mobilis ratione ſuæ durationis eſſe menſuram durationũ omnium motuum rerum inferiorum, vel ſaltim ad hoc eſſe aptiſsimũ: per menſuram autem poſſumus reddi certi de re menſurata.

Pro-

Probatur ſecundo aſſertio: quia inter omnia tēpora poteſt reperiri omnimoda relatio æqualitatis, quæ neceſſario ſupponit vnitatē ſpeciei infimæ, vt abūde diximus in Logica.

In 1. aſſer. IN TERTIA parte q. dices in primam aſſertionem. Motus diſtinguuntur ſaltim genere interiecto: ergo & tēpora. Probatur conſequētia: quia tempora conſequuntur motus ipſos. Reſpō. negando conſequentiam. Probationi dicimus, illam rationem non ſufficere.

1. Sed dices: Diſtinctionem quam habēt inter ſe eſſentiæ, habent etiā proprietates, quæ illas cōſequuntur; ergo cum tēpora ſint proprietates conſequentes motus ipſos diſtinguentur eadē diſtinctione qua motus. Reſpō. diſtinguendo antecedens ita. Si oriantur ab eſſentiis ſecundū vltimas illarum differentias, concedimus: ſi vero oriantur ſecundum rationem communem, negamus antecedens, vt patet in potentia viſiua in homine & leone, quæ eſt eiuſdē ſpeciei infimæ, quia non habet ortū ab homine vt homo eſt, & leone vt leo eſt, ſed ab vtroque, vt conueniunt in ratione animalis. Eodem modo tempora cōſequuntur motus genere interiecto diſtinctos, non tamen ſecundum inferiores differētias, ſed ſecundum rationem communem, in qua conueniunt, nempe ſecundū rationem ſucceſsionis in fieri formæ.

In 2. aſſer. Dices primo in ſecundam aſſertionem. Omnia tempora ſunt eiuſdē ſpeciei; ergo poſſunt eſſe duo accidentia ſolo numero diſtincta in eodē ſubiecto. Probatur conſequētia: quia ſimul poteſt aliquis moueri pluribus motib⁹, ſcilicet motu locali, alterationis, & accretionis. Reſp. hæc omnia eſſe veriſsima.

1. Sed dices. Accidentia ſumūt vnitatem numericā à ſubiecto, vt diximus 1. Phyſic. quæſt. vltima; ergo non poſſunt eſſe duo accidentia ſolo numero diſtincta in eodem ſubiecto numero. Reſpon. loco citato nos docuiſſe, accidentia, quæ inhærent immediate, ſumere vnitatem numericā à ſubiecto quod: quæ vero inhærent mediate, deſiderare etiam vnitatem ſubiecti quo: vnde, quia tēpora inhærēt mediis motibus, & motus in exēplo adducto diſtinguuntur, proinde non eſt abſurdum, illa multa tēpora ſolo numero diſtincta in eodē numero ſubiecto inueniri.

Arg. Dices ſecundo. Duratio regula-

gularis, & irregularis diffe-runt ſpecie; ſed duratio, quæ eſt tẽpus primi mobilis eſt re-gularis, & quæ eſt tempus ha-rum rerum inferiorum eſt ir-regularis; ergo hæc ſaltim tẽ-pora diſtinguũtur ſpecie. Reſ-pon. negando maiorem: nã ſolum differunt accidentaria ratione, ſi ſumantur in ratio-ne temporis. Præterea nega-mus minorẽ: nã omnia quot-quot ſunt tempora, tempora ſunt regulariſsima, vt infra conſtabit, licet motus, quarũ ſunt tempora, nõ ſint vnifor-mes inter ſe, & regulares. Per-tractanda erat nunc quæſtio, an præter hoc noſtrũ tempus ſit aliud conſtituendum, quo menſurarentur motus angeli-ci, & alia id genus: illam ta-mẽ pertractabimus in fine hu-ius diſputationis, abſolutis his, quę ad hoc noſtrum tem-pus attinent.

QVAEST. III.

An aliqua pars tẽporis ſit præſens.

Diuiſio quæſt.

HAEC quæſtio de partib^9 integrãtibus tẽporis diffi-cilior eſt omnib^9, quæ de tempore ſolẽt pertractari. Di-uiditur ergo in quatuor par-tes. In prima proponemus quaſdam obſeruationes. In ſe-cunda adducemus fundamen-ta. In tertia noſtram appone-mus ſententiam. Adducemus in quarta oppoſitas ſententias & illarum argumentis ſatisfa-ciemus.

IN PRIMA parte quę-ſtionis ſit prima obſeruatio. *1. Obſerua.*
Cũ tempus aliud ſit materia-le, & aliud ſpiritale, inſuper aliud cõtinuum, & aliud diſ-cretũ, vt late doctiſsimus Ma-giſter noſter Pater Suarez in Metaphyſica diſput. 50. quæ-ſtio ſolum exagitatur de tem-pore materiali continuo, de il-lo ſcilicet, q eſt duratio mo-tus cõtinui rei materialis: nã de alio dicemus infra in fine diſputationis.

Secunda obſeruatio. Cum *2. Obſerua.* tempus hoc communiter tan-quam in partes integrãtes di-uidatur a quibuſdam in præte-ritum & futurum; ab aliis in præſens præteritum & futurũ; & ab aliis in præteritũ & præ-ſens, proinde non immerito inquirimus, qua ratione con-ſtituendæ ſint huiuſmodi par-tes in tẽpore, an ſcilicet à par-te rei, vel potius beneficio in-tellectus hãc harum partium diſtinctionem cócipientis: ſu-pra enim ſatis ſuperque oſtẽ-ſum eſt, temporis eſſentiam in duratione motus conſiſtere, hoc vero extenſionem habet, & cõſequenter partes, de qui-bus

quæſtio procedit. Quæ dicemus de tempore in hac quæſtione, intelligi poſſũt de motu: nam hæc quæſtio tempori & motui communis eſt.

3. Obſeru. Tertia obſeruatio. Cũ iuxta multorũ ſententiam in tẽpore ſint partes inſtãtibus copulatæ, quæſtio poteſt intelligi in duplici ſẽſu. Primus ſenſus eſt, an aliqua pars temporis ſit præſens ſecũdum ſe. Secundus ſenſus eſt, an ſit præſens ratione inſtantis. Ex his manifeſtus eſt quæſtionis ſenſus.

Tempus eſſe præſens, & exiſtere diſtinguuntur. IN SECVNDA parte quæſtionis ſit primũ fundamentum. Aliud eſt tẽpus exiſtere actu ratione propriæ extenſionis, quæ eſt duratio, & non inſtans, & aliud tempus eſſe pręſens. Hęc enim inter ſe maxime diſtinguũtur: nam ad hoc vt tempus ſecundum ſe exiſtat, ſufficit, quod eius partes fiant, & ſucceſsione quadam labantur, licet nõ habeãt permanentiã ſiue exiſtentiam aliquam totã ſimul. Ad hoc vero vt tẽpus ſit præſens, requiritur temporis exiſtentia aliquo modo tota ſimul, per coexiſtentiam cum aliqua duratione ſiue reali, ſiue imaginaria, quæ nõ ſit omnino pręterita, vel omnino futura, vt ſtatim magis conſtabit. Tempus igitur exiſtit per ſuũ eſſe poſitũ extra cauſſas: eſt vero præſens per coexiſtẽtiam cum alio: coexiſtẽtia vero eſt relatio, vt dicemus quæſtione quarta.

Secundum fundamentum. Præſens præteritum & futurum ſic ſe habent in tempore, vt futurum abſolute nil dicat extra ſuam cauſſam: præteritum tamen dicat id, quod nõ eſt, ſed fuit extra cauſſam: pręſens vero dicat tẽpus actu habẽs eſſe extra ſuas cauſſas exiſtẽs ſecundũ aliquid ſui. Pro huius rei pleniori intelligentia obſeruandum eſt, tempus duobus modis poſſe appellari præſens, formaliter, ſcilicet, & fundamentaliter. Appellatur tẽpus præſens formaliter illud, quod actu & formaliter dicit habitudinem ad menſuram durationis, cui coexiſtit, ſiue talis menſura ſit realis, ſiue imaginaria, licet talis menſura importet etiam habitudinem negationis coexiſtentiæ ad partem præteritam, & ad partem futuram. Dicitur tempus fundamentaliter præſens illud, quod formaliter & actu non dicit hanc habitudinem coexiſtentiæ ad mẽſuram durationis, dicit tamen fundamentum, in quo poteſt intellectus hanc habitudinem fundare. *Præſens, præteritũ & futurũ in tẽpore.*

dare. Iſtud vero fundamentũ eſt temporis exiſtentia, licet in quodam fluxu & partium lapſu conſiſtat.

Tempus reſpectiue dicitur præſens. Tertium fundamẽtum. Vt ex dictis colligitur, tẽpus nõ dicitur abſolute præſens, ſed per reſpectũ ad aliud, cui coexiſtit, vel ad præteritum & *Obſerua.* futurum. Vnde quemadmodum quantitas continua permanẽs, verbi gratia corpus ſecundũ eſſentiam dicit trinam dimenſionem, & ſecundũ exiſtentiam dicit hãc trinam dimẽſionem extra ſuas cauſſas conſtitutã, dicitur vero æqualis in ordine ad aliam habentem extẽſionem eiuſdem ſpeciei abſque exceſſu & deffectu in dimenſionum extenſione, & conſequenter per ordinem ad quamcunque minus extẽſam dicitur maior, & per ordinem ad quamcunque magis extenſam dicitur minor, & ſi nulla alia eſſet quãtitas continua extra ſuam cauſſam actuali reali, aut imaginaria exiſtentia, talis quãtitas nec eſſet æqualis formaliter, nec maior, nec minor, ſed fundamentaliter tantum, quia ſcilicet talis quantitas haberet extenſionem, qua poſſet cõmenſurari cum alia æqualis extẽſionis, poſſet excedere quantitatem minoris extenſionis, & poſſet ſuperari à quantitate maioris extenſionis, at abſolute ſolum eſſet trina dimẽſio exiſtens: ita tempus ſecũdum eſſentiam dicit durationem motus, & ſecundum exiſtentiam dicit hanc durationem extra ſuas cauſſas conſtitutam, dicitur etiam præſens in ordine ad aliam durationẽ motus cui coexiſtit, & conſequenter per ordinem ad quãcumque durationem motus, quæ iam extitit dicitur etiam præſens, tum etiam per ordinem ad quamcũque durationem motus, quæ nõdum exiſtit, & ſi nulla alia eſſet duratio motus extra ſuam cauſſã reali, aut imaginaria exiſtentiã, tale tempus nec eſſet præſẽs formaliter, nec præteritũ, nec futurum, ſed eſſet præſens fundamentaliter tãtum, quia ſcilicet tale tẽpus haberet durationẽ, qua poſſet coexiſtere cum alio tempore exiſtente, non tamen cum præterito, aut futuro, at abſolute ſolum eſſet tempus exiſtens. Verſantur tamen duo diſcrimina inter corpus & tempus. Primũ eſt: quia corpus, cũ ſit permanens, habet totum ſuum eſſe ſimul: tempus vero, cũ ſit ſucceſsiuum, habet eſſe poſitum in fluxu. Secundum diſcrimẽ eſt: quia corpus per ordinem ad a-

ad aliud æque extenſum dicitur æquale: per ordinẽ ad minus extenſum dicitur maius: & per ordinẽ ad magis extenſum dicitur minus. At vero tẽpus existens dicitur præſens tam in ordine ad præteritum & futurum, quam in ordine ad coexiſtens modo quo explicabimus quæſtione 4. Ratio huius ſecundi diſcriminis eſt primum diſcrimẽ: nam eo ipſo quod tempus habet eſſe poſitum in ſucceſsione, ſolũ poteſt appellari præſens id, ꝙ actu exiſtit: vnde tam per ordinem ad tempus quod extitit & exiſtet, quam per ordinem ad tempus coexiſtens dicit relationem præſentialitatis fundatam in actuali exiſtẽtia. Ex his diſcriminibus ortũ habet tertium cui fere tota q. innititur, quod ſcilicet præſens in ſucceſsiuis & permanentibus diuerſimode ſe habent: nam præſens in permanentibus debet habere totum ſuum eſſe ſimul, præſens vero in ſucceſsiuis ſatis eſt ꝙ actu habeat eſſe per exiſtentiã partium, quæ actu labũtur, licet totum illud ſecundum ſe totum ſimul non exiſtat, dummodo illæ partes, quæ ſuccedunt, coexiſtant partibus alicuiꝰ durationis ſucceſsiuæ eodem modo ſe habentis. Vtrũ autem relatio hæc præſentialitatis in tẽpore ſit realis vel rationis, facillimum erit iudicare, ſi inſpiciantur conditiones relationis realis & rationis, quas adduximus in Logica in diſp. de relatione quæſ. 2. ex hoc tertio fundamento clarius conſtat primum fundamentum huius quæſt.

IN TERTIA parte q. ſit prima aſſert. Tempus nec eſt præſens, nec exiſtit ratione inſtantis. Probatur aſſertio. Si tempus eſſet præſens, vel exiſtens ratione inſtãtis, maxime ratione inſtantis copulantis partem præteritam illius cũ futura, vt omnes authores huius ſententię volũt; ſed non eſt præſens, aut exiſtens ratione huius inſtantis; ergo tempus non eſt præſens aut exiſtens ratione inſtantis. Probatur minor. In tempore non reperiuntur inſtantia copulantia partes temporis; ergo tempus non eſt præſens vel exiſtẽs ratione huius inſtantis. Antecedens hoc falſum iudicatur ab omnibꝰ doctoribus contrariæ ſentẽtiæ, tamen verum eſt, & illius veritatẽ demonſtrabimus diſp. ſequenti, ne modo confundamus, quæ ad diuerſas diſputationes pertinent.

Tempus nec eſt præſens, nec exiſtens ratione inſtantis.

Secunda aſſertio. Tempus

Tempus

exiſtu ſecūdum ſe.

quod eſt extra ſuam cauſſam ita vt non ſit omnino tranſacta eius duratio, quale eſt tēpus cuiuſuis motus poſiti in fieri, exiſtit ſecundum ſe. Prima pars huius aſſertionis, ſcilicet tale tempus exiſtere, certiſsima eſt: nam exiſtere nihil aliud eſt, quam rem eſſe extra ſuas cauſſas. Secūda vero pars, ſcilicet exiſtere ſecūdū ſe, probatur primo ex prima aſſertione: ſi enim nō exiſtit ratione inſtantis, neceſſario debet exiſtere ſecundum ſe: nam in tēpore ſolū poſſumus concipere partes illius, vel inſtantia. Probatur ſecundo. Tempus non exiſtit ſecundum ſe, ſed ratione inſtantis, ſit igitur modo præſens ratione inſtātis: vel ergo poſt hoc inſtans ſequetur immediate poſt inſtans, vel ſequetur tempus: ſi tempus; ergo immediate poſt iā exiſtet ratione ſui, & non ratione inſtantis: ſi vero inſtans; ergo in continuo erunt duo indiuiſibilia immediata, imo quā plurima, nam eodem modo fieri poteſt argumentum in infinitum: quare tēpus, quod eſt extenſum, componeretur ex inextenſis & indiuiſibilibus. Reſpōdent communiter, poſt inſtans exiſtens ſequi immediate tempus nō ratione ſui, ſed ratione inſtantis. Infringitur tamen ſolutio: quia vel illud inſtans copulat partes tēporis, vel inſtantia: ſi partes temporis; ergo inter hęc duo inſtātia iam exiſtit tempus ſecundum ſe: ſi vero copulat inſtātia; ergo continuum tempus componetur ex indiuiſibilibus. Probatur tertio. Modo verū eſt dicere, partes dici externæ extitiſſe; ergo aliquando verum fuit dicere, partes temporis ſecundum ſe exiſtunt. Probatur conſequentia: quia non poſſunt exiſtere in vno inſtāti, quia in illo non datur latitudo: neque in duobus, quia in illis non datur latitudo, & ſic in infinitum. Quarto probatur: quia nullum continuū exiſtit ratione indiuiſibiliū, vt late dicemus ſexto Phyſico. Quinto probatur hac efficaciſsima ratione. Tēpus exiſtit ratione inſtātis, incipiat igitur aliquod tempus: vel ergo exiſtet ratione inſtātis initiantis tale tempus, vel ratione alicuius, ꝙ deinde ſequetur; ſed neutro modo; ergo, &c. Probatur minor. In primis non exiſtet ratione inſtātis initiātis tempus: nam quādo eſt tale inſtās, nec fuit aliqua pars temporis extra ſuas cauſlas, nec adhuc eſt; ergo nondum exiſtit: nam abſur-

dum

dũ eſt affirmare, exiſtere id, ꝙ nec fuit, nec eſt extra ſuas cauſſas. Deinde neq; exiſtit ratione inſtãtis ſequentis: nã cum tempus ſit ens rei à parte rei exiſtens, & non beneficio intellectus, vt conceditur ab omnibus, cum quibus modo diſputamꝰ, & probauimus diſput. 1. quæſt. 2. & incipiat exiſtere per aliquod determinatum inſtans exiſtens à parte rei, de illo inſtanti, cum nõ ſit initians, vt eſt demonſtratum, rogo, an ſequatur immediate poſt inſtãs initians, vel mediate: ſi immediate; ergo erunt duo inſtantia immediata in cõtinuo, quod eſt abſurdum: ſi mediate, cũ igitur me diet tempus, iam tempus exiſtet ratione ſui, imo erit temporis pars illa quæ anteceſsit abſque inſtãti. Alij doctores reſpondent his argumẽtis, tẽpus exiſtere ratione inſtantis fluentis, ex cuius ductu fit tẽpus, vt Mathematici imaginãtur: ſolutionẽ tamen hanc fictitiam eſſe, & imaginariam, indignamque, vt à Philoſophis proferatur, oſtendemus Deo dante diſp. ſequenti, & 6. lib. Phyſico in diſp. de continuis & indiuiſibilibus.

Tempus abſolute nõ eſt præſens.

Tertia aſſertio. Nullum tẽpus abſolute ſumptum & ſecundum ſe eſt præſens. Hæc aſſertio ſuppoſitis his, quæ dicta ſũt, facile poteſt probari: præſentialitas enim in tempore conſiſtit in habitudine coexiſtentiæ temporis exiſtentis cũ alio, cui coexiſtit; ergo ſecundum ſe & abſolute ſumptum tempus nõ dicetur præſens. Probatur ſecundo: quia nullũ corpus dicetur præſens ſecũdum locum alteri corpori, niſi ſit alterũ corpus: neq; tempꝰ dicetur præſens alicui tempori, niſi ſit tempus; ergo nullum tempus dicetur præſens, niſi ſit aliud, cum quo cõ menſuretur, & cui coexiſtat.

Quodlibet tẽpus eſt præſens à parte rei.

Quarta aſſertio. Tẽpus cuiuſuis motus actu exiſtentis eſt præſens à parte rei, & nullo conſiderante intellectu. In primis de omnibus temporibus, excepto tempore primi mobilis, probatur aſſertio: quia omnes, dum fiunt, coexiſtunt cum aliqua parte temporis primi mobilis, quod tẽpus ex natura rei eſt menſura omnium temporũ, vel ſaltim aptum eſt, vt ſit omnium tẽporum menſura, vt demõſtrauimus quæſt. 1. huius diſput. De tẽpore etiam primi mobilis probatur aſſertio: quia ſemper coexiſtit temporibus orbium inferiorum, & aliis temporibus motuum harum rerum ſublunarium.

Pars temporis eſt exiſtens, et præſens

Quinta aſſertio directe reſpondens quæſt. ita habet. Aliqua pars temporis non ſolũ eſt exiſtens, ſed etiam eſt præſens ratione coexiſtẽtiæ, quã habet cum aliqua parte alterius tẽporis. Hæc aſſertio manifeſte deducitur ex ſuperioribus: nam ſi tempus ſecundum ſe totum eſt exiſtens, vt probauimus aſſertione ſecunda; ergo etiã exiſtet ratione partis, quę actu labitur & ſuccedit. Tum etiam ſi totũ tempus poſſet dici præſens modo explicato aſſertione quarta, etiã quæuis pars illius coexiſtens alteri parti alterius temporis, quæ etiam labitur.

4. Senten. IN QVARTA parte quæſt. prima ex oppoſitis ſententiis opponitur primæ aſſertioni, docetque tempus eſſe præſens & exiſtere ratione inſtantis. Hæc fere communis eſt apud Ariſt. interpretes & docetur à D. Thoma in opuſculis de inſtantibus & de tẽpore, cõmuniterq. eam amplectũtur Thomiſtæ. Eſt igitur

1. Ratio. prima ratio huius ſententiæ deſumpta ex Ariſt. teſtimoniis; nam ſępe Ariſt. docet de tempore non habere nos niſi inſtãs: imo cap. 11. huius lib. habet ita. *Et punctum temporis tẽpus omne metitur, qua ex parte prius & poſterius ſumitur.* Reſp. Ariſto. teſtimonia aliter eſſe accipienda: nam vt quidam interpretes volũt, locutus eſt in illis Ariſt. non phyſicorũ, ſed potius Mathematicorum more, vt ſic temporis naturã explanaret. Vel dicimus ſecũdo, Ariſt. nomine inſtantis ſępe intelligere partem temporis exiſtentem poſitam in ſuo fluxu actuali, vt videre eſt apud ipſum cap. 13. huius libri in quo expreſſe docet punctũ temporis interdum ſignificare inſtans copulans, & interdum partem temporis. Tertio dicimus, docuiſſe Ariſt. de tẽpore nunquam habere nos niſi inſtans, quia per inſtans, quod mente concipimus in tempore, iudicamus de tempore præterito & futuro: & hoc voluit ſignificare ſuperioribus verbis ſcilicet, dicitur punctum, id eſt inſtans temporis, metiri omne tẽpus, qua ex parte ſumitur prius & poſterius.

Secunda ratio. Præſens diſtinguitur contra præteritum & futurum; ſed omne tempus vel eſt præteritum, vel futurũ vel habet aliquid præteriti & futuri; ergo quod eſt præſens non eſt tempus, ſed potius inſtans: quare, ſi tempus eſt pręſens & exiſtẽs, hoc erit ratione inſtantis. Reſpõ. negando minorem: nam datur tempus *2. Argu.*

præ-

preſens, illud ſcilicet q̄ eſt duratio alicuius motus poſiti in fieri: præteritum enim abſolute dicitur illud, quod iam nō eſt ſecundum aliquam ſui partem: futurum abſolute quod nondum eſt ſecūdum aliquā ſui partem: exiſtens vero abſolute illud, cuius partes actu labuntur, quod dicitur præſens ſi alteri coexiſtat.

3. Argu. Tertia ratio. Mot⁹ dicitur exiſtens & præſens, ex eo q̄ eius mutatum eſſe correſpondet inſtanti temporis; ergo tēpus etiam erit exiſtens & præſens ratione inſtantis. Reſpō. negando antecedens: nā idem omnino eſt iudicium de motu & tempore, vt diximus obſeruatione 3.

4. Argu. Quarta ratio. Quævis res dicitur talis à forma; ſed in tēpore partes ſunt materia, & inſtans copulās eſt veluti forma; ergo ſi tēpus dicitur præſens, erit præſens ratione inſtantis, & nō ratione partiū. Reſp. negādo minorem: nam aſſumit falſum, ſcilicet in tēpore dari inſtantia copulantia, vt dicemus diſp. ſequenti de inſtātibus: tum etiam quia etſi in tēpore admittamus inſtantia, tamen temporis forma conſiſtit in duratione motus ſucceſſiui.

2. Senten. Secunda ex oppoſitis ſententiis docet, tempus eſſe præſens ſecundum ſe, & nō ratione inſtātis, ita, vt quoduis tēpus exiſtens abſolute ſumptū & abſque coexiſtētia cum alio dicatur præſens. Hæc tamen ſentētia, quæ opponitur tertiæ aſſertioni, à Iuniorib⁹ dupliciter explicatur: primo à quibuſdam conceditur, tempus eſſe præſens ratione ſui, ex eo ipſo quod exiſtat: & admittunt iſti indiuiſibilia copulātia partes temporis inter ſe, quę duo certe manifeſte inter ſe pugnant, vt demonſtrabimus impugnantes tertiam ſententiam. Alij vero admittunt tempus ſecundum ſe, & negāt dari indiuiſibilia in tēpore: & hi minus pugnantia loquūtur: nam, meo iudicio, qui aſſerūt tempus eſſe præſens aut exiſtens ſecūdum ſe, neceſſario tenētur negare inſtantia copulantia, vt loco citato probabimus.

Eſt igitur huius ſententiæ primum argumentum. *1. Argu.* Omnia, quæ mente concipimus, vel habent ſolam eſſentiam, vel eſſentiam & exiſtentiam; ſed tempus ſecundum ſe non ſolum habet eſſentiam; ergo habet exiſtentiam: ergo ſecūdum ſe eſt præſens. Secūdum *2. Argu.* argumentū eſt, quia ſi de tempore nō haberem⁹ niſi inſtās

præ-

præſens, vel poſt illud immediate fieret præſens inſtãs, vel tempus, ſed non inſtans; ergo tempus: ergo datur tẽpus præſens. Tertium. Moueatur mobile per ſpacium finitum, non poterit eſſe in magnitudine determinata ſpacij, niſi cum motu & tempore præſenti; ergo datur tempus præſens. Tũ etiam quia datur pars magnitudinis, ſupra quam pertranſiuit mobile, & pars per quam actu pertranſit; ergo datur tẽpus præſens. Quartũ eſt: quia per ſenſus externos apprehendimus motũ; ergo datur motus præſens: nam ſenſus externi ſolũ percipiunt præſentia: ergo datur etiam tempus præſens, cũ motus & tempus ſint idem ſecũdum rem. Nec valet ſolutio illorum, qui dicunt, percipere ſenſus externos motum ratione mutati eſſe: nam etiam in fine motus datur primum mutatum eſſe, vt cum Ariſt. omnes Philoſophi docent, & tamẽ nemo affirmabit, ſenſus externos percipere motum in primo non eſſe motus. Si dicas, tunc ſenſus externos percipere motũ rõe quietis priuatiuæ, quæ in illo mutato eſſe reperitur, vera dices, ſed aperte noſtrã cõfirmabis ſententiam: nam dũ fit motus, non percipiunt illum ſenſus externi ratione quietis priuatiuæ, ſed potius percipiunt ſenſus motum poſitiuũ. Quintum eſt: quia caliditas introducitur in aquam, & non ſolum eſt introducta, aut erit introducta; ergo cum introductio fiat in tempore, neceſſario conſtituendum eſt tẽpus præſens, in quo fiat introductio. His omnibus argumẽtis ſatisfaciemus vnica ſolutione, ſi dicamus, ſolũ probare, conſtituendum eſſe tempus exiſtens ſecundum ſe, nõ vero præſens: nam præſentialitas ſuper exiſtentiam temporis addit relationẽ ad aliud cui coexiſtit. Iſta enim argumenta efficaciſsime probant noſtram ſecundam aſſertionẽ. Si enim iſti authores nomine temporis præſentis intelligant tempus exiſtens ſiue præſens fundamentaliter, recte quidem argumentãtur.

Tertia ex oppoſitis ſententiis docet, tempus à parte rei appellari poſſe exiſtens ſecũdum ſe; tamẽ nec ratione ſui, nec ratione inſtantis eſſe præſens à parte rei, quæ ſententia directe pugnat cũ quarta aſſertione. Hanc tenent nõnulli Iuniores doctiſsimi. Prima pars huius ſententiæ certa eſt. Secũda vero eſt manifeſte falſa, vt conſtat ex quarta aſſertione.

Marginalia: 3. Argu. 4. Argu. 5. Argu. 3. Senten.

tione. Probatur igitur primo. Tempus ſecundū omnes ſuas partes eſt ens ſucceſsiuum; ergo ſecundum ſe ſiue ſecundū ſuas partes nō poteſt eſſe præſens. Conſequētia probatur: Quod eſt præſens, debet eſſe totū ſimul; ſed nec totum tēpus, nec aliqua eius pars eſt tota ſimul; ergo, &c. Reſp. negando conſequentiā. Probationi reſp. ex tertio diſcrimine tertij fundamenti diſtinguendo maiorem ita. In permanentibus, concedimus: in ſucceſsiuis negamus maiorē: nam ſucceſsiuum dicitur præſens non per ſuum eſſe ſimul, ſed per ſuū eſſe exiſtentiæ poſitū in fluxu partium per coexiſtentiam cum alio.

2. Argu. Probatur ſecundo. De motu, præter partem præteritam & futurā, nihil habemus præſens niſi mutatum eſſe; ergo de tēpore præter partem præteritam & futuram nihil habemus niſi inſtans præſens. Reſpō. negando antecedens: nam de motu nunquam habemus mutatum eſſe niſi in fine motus: ſemper enim dum res mouetur habemus motū exiſtentem ſecundum ſe.

3. Argu. Probatur tertio. Ideo linea dicitur præſens, quia exiſtit in vnico inſtanti; ergo tēpus ideo dicetur præſēs, quia exiſtet in vnico inſtanti, non vero ſecundum ſe. Reſpō. negando antecedēs: nam linea poteſt dici præſens extenſione, & tēpore: dicitur præſens extēſione per ordinem ad aliam: dicitur præſens tempore per coexiſtentiam temporis quo menſuratur cum alio tempore. Eſt ergo præſens linea primo modo non ratione puncti, ſed ratione ſolius ſuæ extenſionis: ſecūdo vero modo ratione ſui temporis, quo menſuratur. Reſp. ſecundo, & melius, argumentum aſſumere falſum: nā phyſice loquendo non datur punctum, nec linea, vt abūde dicemus 6. Phyſicorum.

4. Argu. Probatur quarto. Tempus motus coexiſtentis alteri eſt præſens; ergo totum tempus primi mobilis dicetur præſēs. ergo Adamus, qui aliquando coextitit motui primi mobilis, dicetur modo præſens. Reſpon. concedendo primam cōſequentiam, & negando ſecundam: nam totum tempus primi mobilis dicitur præſens, quia coexiſtit alteri tempori: Adamus vero, eſti aliquando fuerit præſens reſpectu temporis primi mobilis, modo tamē non dicetur præſens, quia cum non exiſtat, non poteſt coexiſtere alteri, quod deſideratur

ratur ad rationem præſentiæ.

4. Senten. Quarta ſententia opponitur quintæ aſſertioni, & docet, nullo modo conſtituendã eſſe partem temporis præſentem. Eſt igitur prima illius ratio. Quæuis pars temporis eſt duratio motus; ſed de intrinſeca ratione durationis mot⁹ eſt ſucceſſio; ergo de intrinſeca ratione cuiuſuis partis temporis eſt ſucceſſio: ergo de intrinſeca ratione cuiuſuis partis temporis eſt, quod non ſit ſimul; ſed quod eſt præſens debet eſſe totum; ergo nulla pars temporis eſt præſens. Reſp. concedendo primam & ſecundam conſequentiam, & diſtinguendo vltimam minorem ita. In permanentibus, concedimus: in ſucceſſiuis, quale eſt tempus, etſi ſit exiguum, negamus

1. minorem. Sed dices. In primo fundamento docuimus, id quod eſt præſens debere eſſe totũ ſimul; ergo ſi detur pars temporis præſens, illa erit tota ſimul. Reſp. ibi nos non docuiſſe, tempus præſens debere eſſe totum ſimul, ſed quodam modo debere eſſe totũ ſimul, id eſt debere coexiſtere alteri tempori, cuius partes etiã ſint poſitæ in fluxu, vt ibidem, & in tertio fundamento late ex-

2. plicauimus. Sed dices. Vel illa pars temporis, quæ eſt præſens, eſt diuiſibilis, vel indiuiſibilis: ſi indiuiſibilis; ergo non eſt tempus, nam quoduis tempus, etſi exiguum, diuiſibile eſt, cum ſit quantitas cõtinua: ſi diuiſibilis; ergo vel in partes totas ſimul, & permanentes, vel in partes, quarum vna ſit prior & tranſacta, alia vero poſterior & præſens: ſi in partes totas ſimul; ergo non eſt tempus, nam tempus eſt numerus motus ſecundum prius & poſterius: ſi vero in partes, quarũ vna ſit prior & tranſacta, alia vero poſterior & præſens, immerito illa pars, quæ diuiditur in has duas, erit præſens, cũ ſolum hæc poſterior ſit præſens, & cum idẽ argumentũ fieri poſſit de hac ſecunda parte, & rurſus de ſecunda parte eiuſdem, & ſic in infinitum, nullo modo aſſerendum eſt, dari aliquam partẽ temporis ſecundum ſe pręſentem à parte rei. Reſpon. illam partem temporis, quę à nobis conſtituitur præſens, eſſe diuiſibilem in partes diuiſibiles, quarum prior reſpectu poſterioris poteſt appellari præterita, & alia exiſtens, omnes tamen iſtæ ſimul ſumptæ, & vt efficiunt vnum continuũ, dicuntur pars pręſens, eo quod, etſi ad inuicem cõparatæ trãſierit vna, & labatur alia, coexi-

exiſtunt tamen tempori primi mobilis, ratione cuius coexiſtentię tempus dicitur pręſens; ſi enim aliqua pars temporis, quæ ratione coexiſtentiæ eſt præſens, diuidatur beneficio intellect⁹ in duas partes, quarum vna ſit omnino tranſacta, altera vero ſucceſsiuorū more labatur, illa prior dicetur præterita, hęc vero poſterior per ordinem ad illam non dicetur præſens, ſed exiſtens; licet hæc diſtinctio nō ſit realis, ſed rationis & beneficio intellectus, vt dicemus quæſti. ſequenti.

2. Argu. Secunda ratio. Tempus incipit per vltimū non eſſe: quẽ admodum motus per vltimū non moueri; ergo non datur temporis pars pręſens: nam ſi eſſet pars præſens, non inciperet tempus per vltimum non eſſe, ſed poti⁹ per primū eſſe. Ratio hæc quibuſdam efficax apparet, eſt tamē nullius momenti. Reſp. igitur, negando conſequētiam: nam pars pręſens diuiſibilis eſt, & iuxta Ariſt. & veritatem nihil poteſt incipere per diuiſibile, ſſ nūquam inciperet.
1. Sed dices. Nihil incipit, quādo non eſt; ſed tempus ſolum eſt per partem præſentem, ſiue exiſtentem; ergo nequit incipere niſi per illam. Reſpon. negando maiorē: nam omnia ſucceſsiua incipiunt, & deſinunt quādo non ſunt: imo etiam ſubſtantiæ viuētes incipiunt fieri, quando non ſunt, ſcilicet in termino à quo generationis, licet incipiant eſſe, quando ſunt, vt diximus agētes de principiis, & dicemus lib. 6.

3. Argu. Tertia ratio. Nulla res exiſtit, quando fit; ſed tempus fit per ſuas partes; ergo non exiſtit per ſuas partes: ergo neq; eſt præſens per illas, cum eſſe præſēs ſupponat eſſe exiſtēs. Reſpon. maiorem eſſe falſam tam in ſucceſsiuis, quā in inſtantaneis.

4. Argu. Quarta ratio. Temp⁹ recte diuiditur in præſens, præteritū, & futurū; ſed quæuis pars temporis eſt tēpus; ergo quęuis pars tēporis recte diuiditur in præſentem, præteritā, & futurā: ergo male dixim⁹, dari à parte rei partes præſentes temporis. Ratio hæc eget pro ſolutione ſequentis quæſtionis ſolutione.

QVAEST. IIII.

De diuiſionibus, & relationibus temporis.

Diuiſio quæſt. HAEC quæſt. diuiditur in duas partes. In prima explicabimus, quæ pertinēt ad diuiſiones temporis. In ſecunda

 da

da adducemus ea, quæ ad rela tionẽ eiuſdem attinent.

IN PRIMA parte quæſtionis quæres primo, qua ratione ſit diuidẽdum tempus. Sit in hac re hæc obſeruatio. Dubitatio procedit de diuiſione temporis, vt eſt totum vniuerſum, & totum integrũ. Eſſe totum vniuerſum cõſtat ex quæſt. 2. huius diſp. in qua docuimus, tempus in communi eſſe vnũ vnitate ſpeciei infimę. Eſſe vero totum integrũ accidentarium, conſtat etiam ex ſuperiori quæſt. in qua demonſtrauimus quæſt. 7. tempus eſſe quantitatem continuam per ſe.

1. Diuiſio. Eſt igitur prima diuiſ. Tẽpus in communi diuiditur diuiſione eſſentiali, ſpeciei ſcilicet in ſua inferiora, in omnia tempora indiuidua & numerica. Hæc aſſertio probatur: quia tempus in communi reſpectu omnium temporũ eſt ſpecies infima, vt docuimus quæſt. 2. huius diſputationis.

2. Diuiſio. Secunda diuiſio. Tempus in cõmuni diuiditur diuiſione ſubiecti in accidẽtia in preteritum, exiſtẽs, & futurum. In primis hanc diuiſionẽ eſſe rectam, ita probatur. Omne ens, quod eſt de genere eorũ, quæ aliquando debent eſſe, (ita loquimur, vt excludamus ea, quæ ſolum ſunt poſſibilia, nunquam vero futura) vel fuit, vel eſt, vel erit: ſed quoduis tempus ſic ſe habet: ergo vel eſt, vel fuit, vel erit: ergo quoduis tempus vel eſt præteritum, vel exiſtens, vel futurum. Deinde diuiſionem hanc eſſe ſubiecti in accidentia, cõſtat: nam certum eſt, accidere tempori illud fuiſſe, eſſe, vel fore.

Sed dices: In hac diuiſione vnum membrum continetur ſub alio; ergo non eſt recta. Probatur antecedens: quia tẽpus definitur ab Ariſt. numerus motus ſecundum prius & poſterius; ergo quoduis tempus habet prius & poſterius: ſed prius in tempore eſt tempus præteritum, & poſterius in tempore vel eſt tẽpus præſens, vel futurum; ergo quoduis tempus eſt præteritũ, exiſtens, vel futurum: ergo ſuperioris diuiſionis vnum membrum ſub altero continetur, & conſequenter nõ eſt recta.

Reſp. negando primam minorem: nam prius in tẽpore non eſt tempus præteritũ, ſed pars tẽporis præterita: at ſuperior diuiſio non eſt in partes integrantes temporis, ſed potius in partes ſubiectiuas, licet accidentarias, ſcilicet in tempora numero diſtincta, & tota-

lia,

lia, etſi accidentaria ratione differant.

Antequam proponamus diuiſionem cuiuſuis temporis in ſuas partes integrantes, obſeruandum eſt, tempus omnino præteritum non poſſe diuidi in partē præteritam existentem, & futurā: quia tam ſecundum ſe totum, quam ſecūdum omnes ſuas partes eſt præteritum: neque tēpus omninó futurum poſſe diuidi in has partes, nam tam ſecundū ſe totum, quam ſecūdum omnes ſuas partes eſt futurum. Dicitur vero tempus omnino præteritum illud, cuius tota duratio extitit. Dicitur, vero tēpus omnino futurum illud, cui⁹ tota duratio exiſtet. Manet igitur dubitatio de tēpore exiſtente, qua ſcilicet ratione temp⁹ hoc diuidatur in partes integrantes.

3. Diuiſio. Sit igitur tertia diuiſio. Tēpus exiſtens diuiditur in partem præteritam, partem exiſtentem, & partem futuram. Probatur: quia licet tempus, quod eſt duratio motus cōtinui, qui adhuc fit ſecūdum ſe totum & abſolute loquendo dicatur exiſtens modo ſuperius explicato, tamē poteſt diuidere intellectus tempus illud in partem omnino præteritā: in partem, quæ labatur, & hæc præſens eſt: & in partem omnino futuram: v.g. 1ē p⁹ primi mobilis abſolute dicitur exiſtēs, eo quod eius partes labantur: poteſt tamen intellect⁹ illud diuidere in partem præteritam, exiſtentem, & futuram: vt ſi illud diuidat in annos præteritos, annos futuros, & annū, qui modo pertranſit.

Sed dices. Vnum membrū diuidens non poteſt exaurire totum diuiſum in recta diuiſione: quare ſuperior diuiſio non erit recta, cum totum diuiſum ſit tempus exiſtens, & diuidatur in tempus præteritum, exiſtens, & futurum. Reſp. membra diuidentia nō eſſe tempus præteritum, exiſtens, & futurum, ſed potius eſſe partem præteritam, exiſtentem, & futurā. Sed dices. Quæuis pars temporis eſt tēpus; ergo pars exiſtēs temporis eſt tempus: ergo eſt tempus exiſtēs: ergo vnum membrum diuidēs exaurit totum diuiſum. Reſpond. negando primum antecedens: nam modo ratione temporis non intelligimus partem temporis, ſed illud potius, quod eſt indiuiduum quoddam per ſe cōtentum ſub ſpecie, quæ eſt tēpus: vnde pars exiſtens temporis non eſt tempus exiſtēs in

in recto, ſed in obliquo.

2. Argu. Dices ſecundo. Diuiſio & ſubdiuiſio membri diuiſionis non debent conſtare ex eiſdē membris; ergo cum tertia diuiſio ſit ſubdiuiſio membri ſecundi diuiſionis, ſecunda, & tertia diuiſio nō poterunt cōſtare ex eiſdem membris: ſed cōſtant; ergo ſaltim altera ex illis non eſt recta. Reſp. negādo minorem: nām membra ſecundę diuiſionis ſunt tempus præteritum, exiſtens, & futurum: at membra tertiæ diuiſionis ſūt pars præterita, pars exiſtens, & pars futura.

4. Diui. Ratione accidentium, quæ ſunt relationes, primo poteſt diuidi tempus in longum, & breue. Illud dicitur longum, quod nimis durat. Illud vero dicitur breue, quod parū durat. Habent enim ſe longum & breue ratione tēporis quēadmodum magnum & paruū ratione corporis: vnde quemadmodum idem corpus reſpectu diuerſorum poteſt appellari magnum & paruum, ita idem tempus reſpectu diuerſorum motuum poterit appellari longum & breue.

5. Diuiſio. Item ratione alterius relationis, quę eſt pręſentialitas, poteſt diuidi tempus in præſens, & non præſens ſiue abſens. Dicitur præſens illud, quod coexiſtit alteri. Dicitur verō abſens, quod non coexiſtit alteri quemadmodū corpus diuiditur in æquale, & in inæquale. Vnde queādmodū inæquale vel eſt maius, vel minus: ita abſens ſiue non præſens vel eſt præteritū, vel futurum.

Sed dices. Prædicata abſoluta & relatiua temporis diſtinguuntur inter ſe; ergo tēpus vt quid relatiuum nō poteſt diuidi, eo modo quo diuiditur, vt quid abſolutum, ideſt per diuiſionem conſtantem ex eiſdem membris: ergo hæc vltima diuiſio non eſt recta. Probatur hæc vltima conſequentia: quia tēpus vt quid abſolutū diuiſum fuit ſupra in præteritum, exiſtens, & futurum. Ergo modo ſumptum vt quid relatiuum nequit diuidi in præſens & abſens, cū nomine abſentis intelligamus tempus præteritum, vel futurum. Reſp. diſtinguendo primū antecedens ita: diſtinguūtur inter ſe realiter, negamus: diſtinguuntur inter ſe realiter vel formaliter, cōcedimus antecedens: vnde argumentū nihil cōcludit contra nos: nā præteritum & futurum vt ſūt membra ſecūdæ & quintæ diuiſionis, ſolum differunt inter ſe ratione. Dicitur enim

in ſecunda diuiſione tempus præteritũ, quia iam non exiſtit: futurum vero, quia nondum exiſtit: in hac vero diuiſione tẽpus præteritum & futurum dicuntur tempus non præſens ſiue abſens, eo quod non habẽt coexiſtentiam cũ aliquo tempore actu exiſtente. Inquires tamen, an temp⁹ quod exiſtit, debeat appellari præſens vel abſens, cum reuera nõ coexiſtat tẽpori præterito aut futuro. Reſp. tempus exiſtens ſemper appellari præſens formaliter in ordine ad aliud actu exiſtens: reſpectu vero temporis præteriti & futuri dicitur fundamentaliter præſens (ita intelligẽdum eſt, quod diximus in ſecũdo diſcrimine adducto fundamẽto tertio ſuperioris quæſtionis) formaliter tamen vocatur abſens ſiue nõ præſens. Reſponſio hæc facile deducitur ex fundamẽto citato: nã, vt ibi diximus, cũ temp⁹ ſe habeat veluti magnitudo, quẽadmodum hæc dicit relationẽ æqualitatis ad quamcumque aliam æqualem, quæ relatio fundatur in vnitate quantitatis abſque exceſſu, & deffectu in gradibus; & dicit relationẽ inæqualitatis ad quamcunq; minorem vel maiorẽ, quæ relatio fundatur in exceſſu exten ſibniſi: ita tempus exiſtens dicit relationem præſentialitatis ad quodcunque aliud exiſtens fundatam in coexiſtentia: & dicit relationem abſentiæ, ſiue non præſentialitatis ad quodcumque aliud temp⁹ præteritum & futurum fundatam in non coexiſtentia, ſicut in eſſentiis non coexiſtentibus.

Vltima diuiſio. Quemadmodum tẽpus exiſtens diuiſum fuit ſupra in partem præteritam, exiſtẽtem, & futurã, ita tẽpus præſens diui poteſt in partem præſentem, & partem futuram. Quæ pro hac diuiſione deſiderantur facile cõſtant, ex dictis ſupra dum adduceremus tertiam temporis diuiſionem.

IN SECVNDA igitur quæſtionis parte ſupereſt iam vt nonnulla dicamus de relationibus temporis, an ſcilicet relationes, per quas dicitur tẽpus præſens & abſens, ſint reales vel rationis. In hac re primo reuocãdæ ſunt in memoriam conditiones relationis realis à nobis adductæ in Logica in diſput. de relatione quæſt. 2. Sunt vero quæ ſequuntur, vt ſcilicet extrema ſint realia, realiter diſtincta, fundamenta ſint etiã realiter diſtincta, extrema ſint eiuſdẽ ordi-

ordinis. Prima & ſecunda ex his conditionibus intelligendæ ſunt etiã de relatione non mutua vt loco citato demonſtrauimus.

Deinde obſeruandum eſt, dubitationẽ procedere de relationibus tam in diuerſis tẽporibus, quam in partibus eiuſdem temporis.

Explicantur temporis quædã relationes

In hac re primo certum eſt, in tempore exiſtente, partem præſentem non dicere relationem realem ad partem præteritam, vel ad partem futurã. Probat. primo: quia iſtæ partes non ſunt extrema realiter inter ſe diſtincta, quod deſideratur ad relationem realẽ. Tum etiam quia pars præterita & futura nõ exiſtũt. Præterea quia diſtinctio inter has partes ſit beneficio intellect⁹; ergo & relatio inter illas erit beneficio intellectus, & conſequẽter erit rationis. Vltimo: quia infinitis modis, ſaltim ſyncathegorematice poteſt intellectus diuidere tempus exiſtens in partem præteritam præſentem & futuram: vnde, ſi relationes harum partium eſſeat reales, in tempore exiſtente eſſent fere infinitæ relationes reales, quod nullo modo eſt aſſerendum.

Secundo certum eſt, quamuis partem præſentem temporis dicere relationem realem præſentialitatis ad aliam quãcunque partem temporis cui parti coexiſtit. Probat. quia inter has partes ſimul exiſtẽtes reperiuntur omnes conditiones requiſitæ ad relationẽ realem.

Tertio certum eſt, tempus omne exiſtẽs quod à parte rei dicitur præſens, dicere relationem præſentialitatis ad quodcunque tempus præſens, cui coexiſtit. Probatur: nam etiã inter huiuſmodi tempora inueniuntur omnes cõditiones deſideratæ ad relationem realem.

Quarto certum eſt, relationem temporis præſentis ad tẽpus abſolute præteritum, & abſolute futurũ non eſſe realem, ſed rationis. Probatur, quia pars præterita, & futura non exiſtunt; at relatio realis ſolum verſatur inter extrema realia, & actu exiſtentia, vt conſtat ex conditionibus relationis realis. Cũ igitur conſtet, tempus præſens dicere relationem rationis ad præteritum & futurum, merito quæret aliquis, an talis relatio ſit præſentialitatis, vel potius abſentiæ ſiue non præſentialitatis. Reſp. dicere relationẽ abſentiæ, non vero præſentialitatis: nam quemadmodũ, nec

tempus præteritum, nec tempus futurum coexiſtit tempori præſenti: ita tẽpus præſens nec coexiſtit tempori futuro nec præterito: cum igitur relatio præſentialitatis fundetur in coexiſtentia, quemadmodũ relatio æqualitatis in quantitate abſque exceſſu, & deffectu, proinde inter hęc tẽpora nequit reperiri relatio præſentialitatis. Probatur ſecundo: nam quod eſt æquale reſpectu æqualis, reſpectu maioris & minoris dicitur inæquale; ergo quod eſt præſens ratione coexiſtentis, ratione præteriti & futuri nõ erit pręſens, ſed potius erit abſens.

Vltimo certum eſt, tempus pręteritum omnino dicere relationem rationis ad tempus omnino futurum: nam relatio hæc verſatur inter extrema non exiſtentia: tamen nõ eſt relatio præſẽtialitatis, ſed abſentiæ, ſiue non pręſentialitatis, cum extrema non coexiſtant.

Ex dictis infertur, tempus præſens eadem relatione, ſaltim ſecũdum ſpeciem referri ad tempus præteritum & futurum, cum reſpectu nullius horũ dicatur coexiſtens, quẽadmodũ ꝙ eſt æquale reſpectu vnius, per relationẽ inæqualitatis refertur ad quodcũque maius, & ad quodcũque minus.

QVAEST. VI.

In qua aliqua dubitationes pertractantur.

IN hac quæſtione, nonnulla ſũt pertractãdá, quæ pro exacta hui⁹ diſputationis cognitione videntur deſiderari.

Quæres igitur primo, an ſit recta diuiſio tẽporis, quæ à Logicis & Grammaticis adducitur in præſens, præteritũ & futurum: an vero ſit admittenda illa, quæ communiter adducitur à Philoſophis, qua diuiditur tempus in præteritum, & futurum. Reſpõ. diuiſionem hãc à Philoſophis adductam non eſſe rectam, cum nõ exauriat totum diuiſum: nam ex ſuperioribus ſatis cõſtat, præter tempus præteritũ & futurũ reperiri tempus exiſtens, quod per coexiſtentiã dicitur præſens modo ſuperi⁹ explicato. Eſt ergo recta diuiſio adducta à Logicis & Grãmaticis, quod non leuiter ſuadetur ex eo, quia ſi non eſſet conſtituendum tempus præſens, vel exiſtens, nulla ratione poſſent ſaluari ea, quæ Ariſt. docet in libro de enunciatione de enũciationibus temporis præſentis, præteriti, &

futuri: docet enim, enūciationes futuri & præteriti temporis eſſe veras, ex eo quod ad tempus præſens reducuntur: vt hæc enunciatio eſt vera, inquit Ariſt. ſcilicet Socrates fuit Philoſoph9, quia aliquādo fuit verum dicere, Socrates eſt Philoſophus, de tēpore præſenti. Reſpō. contrariæ ſententiæ authores appellare tempus præſens partem præteritā ratione inſtantis, quod de illa exiſtit. Sed hęc ſolutio nullius eſt momenti; nam ſequeretur inde, tempus omnino tranſactum ſecundum totam ſuam extenſionem poſſe appellari præſens ratione inſtantis, quod quidem eſt primum non eſſe illius, quod eſt abſurdum. Sequeretur etiam, nullo modo poſſe fieri hāc diuiſionem in tempus præſens, præteritum, & futurum, vel ſaltim in partem præſentem, & futuram: nam ſi pars præterita ratione inſtantis copulātis diceretur præſens, quænā queſo erit appellanda præterita? Inſuper ſequeretur ex hac ſententia, totum tempus primi mobilis debere appellari præſens; nam diuidatur, vt ab illis diuiditur, in partem præteritam, & futurā: ſi pars præterita appellatur præſens ratione inſtantis copulantis, cur queſo pars futura non appellabitur pręſens ratione huius inſtantis, cum copulet vtramque partem? Si dicant, cauſſam eſſe, quia futura pars non dum exiſtit: etiam pars præterita iam non exiſtit ſecundum ſe, ſed ſolum ſecundum indiuiſibile illud, quemadmodum & pars futura. Vltimo reiicitur: quia, vt conſtabit ex dicendis diſp. ſequēti, non dantur inſtantia copulātia in tempore.

Circa hāc ergo exactam tēporis diuiſionem in præteritum tempus, præſens, & futurum, obſeruandum eſt, nomine temporis præſentis non intelligere Grāmaticos, & Dialecticos tēpus formaliter præſens, ſed fundamentaliter potius, ideſt tempus exiſtens. Illud vero appellant præſens, quia ita eſt exiſtēs, vt neceſſario coexiſtat alteri. Obſeruandū etiam eſt, per tempus præteritū intelligere illud, quod omnino eſt tranſactum, per præſēs intelligere illud, quod adhuc fluit, etſi ſit mille annorum: per futurum vero illud, quod nondum fluit: licet interdū nomine temporis præſentis, præteriti, & futuri intelligant partem præteritā, præſentē, & futurā eiuſdem temporis exiſtentis. Huic diuiſioni *Obſeruat.*

ni temporis in partē præteritam, præſentem, & futurā non parū fauet teſtimoniū Ariſt. in Logica capite de Quantitate, vbi ita habet. *Nam & id tempus quod adeſt quodque præſens eſt, cum præterito & futuro copulatur.* Quaſi diceret Ariſt. in tempore exiſtente pars quæ à nobis ſumitur exiſtens, & ratione coexiſtentiæ præſens, efficit quid continuum cū parte præterita & futura. Vnde infertur, Ariſtoteli repugnare authores cōtrariæ ſententiæ, dū docent, per tēpus præſens intelligendum eſſe illud, quod ſecundum ſe præteritum eſt, exiſtit tamen ratione inſtantis.

Quæres ſecundo, an præter tempus, quod eſt duratio motus Phyſici, & rei materialis, ſit aliud conſtituendum. Ratio dubitandi eſt: quia ſunt motus rerū ſpiritalium, quales ſunt motus locales Angelorum, motus intenſionis in qualitatib⁹ ſpiritalib⁹, & alij ſimiles, qui in ſua ſucceſsione habent continuatam quādam durationem.

1. Aſſer. Quia dubitatio hæc, præſens ſuperat inſtitutū, breuiter dico primo. Omnes mot⁹ rerū ſpiritalium habentes cōtinuā ſucceſsionem neceſſario menſurātur tempore. Probatur aſſertio: quia nulla eſt maior ratio, cur ſucceſsiui rerum materialium motus tempus intrinſecū in ſuis productionibus conſumant, non vero motus hi.

Dico ſecundo. Actiones tranſeuntes rerum ſpiritaliū, verbi gratiā actiones, quibus Angeli mouent ſecundum locum hæc inferiora, tametiam actiones vegetādi, ſentiendi, & loco mouendi in homine, quæ omnes tanquam à primo principio fluunt ab anima rationali, vt dicem⁹ in libris de Anima, iſtæ omnes menſurātur intrinſeco tempore Phyſico. Probatur aſſertio: quia licet primum mouens ſit ſpiritale, tamen terminus productus, & ſubiectum in quo recipitur motus, ad Phyſicam pertinent tractationem. Vtrū autem abſolute omnia tēpora harum rerum ſint eiuſdem ſpeciei cū tempore Phyſico, perfecte explicare, incumbit Metaphyſico: quare hæc, & alia ſimilia de tempore diſcreto Angelorū, quæ hic à multis & immature, & parū accurate pertractantur, in Metaphyſica, Deo dante, diffuſa diſputatione à nobis diſcutientur. 2. Aſſer.

DISPVTATIO TERTIA DE Tempore, in qua agitur de Inſtantibus.

FATEOR libenter multa ex his, quæ pro huius diſputationis intelligentia deſiderātur, ex ſexto Phyſico eſſe petenda: quia tamen omnino hæc diſputatio pro abſoluta ſuperiorum cognitione deſideratur, merito à nobis ſuſcipitur. In illa enim ſupponemus nonnulla ſexto Phyſico probanda; & quia negamus dari inſtantia in tempore, proinde vnica quæſt. illam abſoluemus.

Quæſtio vnica. An in tempore reperiantur inſtātia.

Diuiſio quæſt. DIVIDITVR quæſtio in quatuor partes. In prima proponem⁹ obſeruationes. Adducemus in ſecunda fundamenta. In tertia ſatisfaciemus quæſtioni. In quarta oppoſitas ſententias adducemus, & ſoluemus illarum rationes.

Inſtās durationis, & naturæ IN PRIMA parte quæſtionis ſit prima obſeruatio. Inſtans duplex eſt, nempe naturæ & durationis. Inſtās naturæ eſt, prioritas quædam ſiue antegreſsio, qua cauſa, vel quaſi cauſſa ſuū præcedit effectū, non duratione, ſed in ratione principij influentis, vel ſaltim quaſi influētis. Cauſſa enim eo ipſo quod producit effectum, quodammodo videtur effectum anteire. In eodē namque durationis inſtanti poſſunt eſſe cauſſa & effect⁹, & poſſunt eſſe quamplura inſtantia naturæ: imo poſſunt aliqua eſſe ſimul ſecundū inſtans durationis, & poteſt quoduis ex illis eſſe prius & poſterius alio ſecundum inſtans naturæ. Sit exemplum: in generatione leonis leo genitus qui eſt effectus, & eius forma quæ eſt cauſſa illius, ſunt in eodem inſtanti durationis, & forma eſt prior natura ipſo leone: tametiam in eodem inſtanti huius generationis reperiuntur inſtans naturæ cauſſæ materialis & inſtans naturæ cauſſæ formalis: & inſuper materia & forma, quæ ſūt ſimul ſecundū inſtās dura-

durationis in prædicta generatione, ſic ſe habent, vt in genere cauſſæ materialis materia ſit prior, & forma poſterior: & in genere cauſſæ formalis forma ſit prior, & materia poſterior. Quæſtio igitur procedit de inſtanti durationis.

Duratio triplex eſt

Secunda obſeruatio. Cum duratio ſit triplex, ſcilicet æternitas, æuum, & tempus, vt dicemus diſputatione ſequenti, triplex etiam poteſt imaginari inſtans, ſcilicet æternitatis, æui, & temporis. Quæſtio igitur hæc ſolum procedit de inſtanti temporis: nam de aliis inſtantibus diſputare pertinet ad Metaphyſicum in diſputatione de menſuris, & ad Theologos in diſputatione de æternitate Dei, tumetiã in diſputatione de Angelis. Inſtans ergo temporis vel eſt tẽporis diſcreti, vel cõtinui: nos hic ſolũ agimus de inſtanti tẽporis continui: nam modo de tẽpore continuo ſuſcepta eſt diſputatio.

Inſtans tẽporis duo ſignificat

Tertia obſeruatio. Inſtans temporis continui duo ſignificat, vt conſtat ex Ariſt. cap. 13. huius libri. Primo ſignificat punctum, momẽtum, ſiue indiuiſibile quoddam temporis. Secũdo ſignificat partem temporis proxime præteritã. Quæſtio non procedit de inſtanti temporis in ſecunda ſignificatione, ſed in prima.

Inſtans copulans, & terminans

Quarta obſeruatio. Inſtãs temporis, quod eſt indiuiſibile illius, ſolet diuidi in copulans, quod ſcilicet reperitur in medio temporis, illiuſque partes inter ſe coniungit: & in terminãs, quod ſcilicet eſt principium, vel finis temporis. Eſt igitur quæſtio, an in tempore reperiantur inſtantia tam copulantia, quam terminantia, id eſt an in principio, in fine, & in medio temporis reperiantur actu inſtantia.

Inſtans intrinſecum & extrinſecum

Quinta obſeruatio. Philoſophi diuidunt inſtãs temporis continui in intrinſecum, & extrinſecũ. Nomine inſtãtis extrinſeci intelligunt quidam inſtans in tempore primi mobilis reſpectu cuiuſuis tẽporis inferioris. Alij intelligunt inſtans quoddam imaginariũ. Alij verò mobile ipſum, prout fluit. Alij deniq; aliud intelligunt: quidquid verò ſit de hac re, modo non agimus de inſtanti extrinſecô, de quo nonnulla dicemus in quarta parte quæſtionis, ſed de intrinſeco, de illo ſcilicet quod inhæret in tempore cui⁹ eſt inſtãs, ſiue terminet, ſiue copulet. Ex dictis manifeſtus

feſtus eſt quæſtionis ſenſus, inquirimus enim, an in tempore continuo Phyſico & materiali reperiatur inſtans durationis omnino indiuiſibile copulans tempus, aut terminans illud.

IN SECVNDA parte quæſtionis fit primum fundamentum certiſsimũ. Tempus eſt ens reale exiſtẽs à parte rei nullo cõſiderante intellectu: vnde quidquid inhæret tempori, & actu reperitur in illo, debet eſſe ens reale. Fundamentum hoc manifeſtũ eſt ex ſuperiorib', & admittitur ab illis, cum quibus modo diſputamus.

2. Funda. Secundum fundamentum. Quantitates, quæ ſunt idẽ ſecundũ rem, debent habere eadem indiuiſibilia ſecundum rem: vnde, cum motus & tempus ſint idem ſecundum rem, neceſſario debent habere eadem indiuiſibilia: quod ergo in motu eſt mutatum eſſe ſiue non moueri, eſt in tempore inſtans. Fundamẽtum hoc eſt Ariſt. 6. Phyſico, & admittitur à Philoſophis.

3. Funda. Tertium fundamẽtum. In continuo nequeũt reperiri ſimul & immediate duo indiuiſibilia. Hanc rem docuit expreſſe Ariſt. initio 6. lib. Phyſicorum. Certum etiam eſt, cõtinuum nõ poſſe componi ex indiuiſibilibus, vt omnes docent, & probatur: nã quæ omni extenſione carent, etiam ſi coniungantur, nequeũt efficere extenſionem.

IN TERTIA parte q. fit prima aſſert. In medio tẽporis non datur inſtans copulãs partes illius. Probatur primo. In medio continui non dantur indiuiſibilia; ergo in medio temporis non dantur inſtãtia. Probatur conſequentia: quia temp' eſt continuũ, & indiuiſibilia eius ſunt inſtantia. Primum antecedens iudicatur omnino falſũ, imo & abſurdũ ab authoribus contrariæ ſententiæ: illud tamen demonſtrabimus 6. Phyſi. modo abſque probatione relinquitur. *In tempore nõ ſunt inſtantia copulãtia*

Probatur ſecundo. Si eſſet inſtans copulãs, vel illud vniret & copularet partes temporis, vel inſtãtia; ſed nec copulat partes, neque inſtantia; ergo nõ datur inſtans copulãs. In primis non copulat inſtantia; quia ſequeretur inde, eſſe multa inſtãtia immediata in eodem continuo, quod repugnat tertio fundamẽto, & veritati. Deinde ſi copulat partes temporis; ergo verum erit dicere, poſt illud inſtans ante quodlibet aliud reperiri tempus,

pus,& conſequenter iam erit tempus abſque inſtanti copulante:vel ſi non erit verum dicere, poſt illud inſtans ante quodlibet aliud ſequi temp⁹; ergo poſt illud ante quodlibet tempus ſequetur aliud inſtans:quare erunt duo inſtantia immediata. Reſpondent, poſt illud inſtãs ſequi immediate tempus ratione inſtantis. Sed ſolutio hæc non euacuat vim argumẽti:nam ſi argumentum inquirit, an ante quodlibet aliud inſtãs ſequatur tempus,male reſpondent, ſequi temp⁹ ratione alterius inſtantis copulãtis:nam ſi ſequitur ratione alterius copulantis; ergo ante illam partẽ iam eſt aliud inſtãs: vnde male reſpondent.

Probatur tertio.Tẽpus eſt ens reale;ergo omnia,quę ſũt in tempore, ſunt entia realia & exiſtentia à parte rei in ipſo; ſed inſtãtia copulãtia nõ exiſtunt à parte rei in tempore; ergo in tempore non ſunt conſtituenda inſtantia copulantia.Probatur minor: quia vel illa eſſent actu finita, vel actu infinita: ſi eſſent actu finita; ergo in illis eſſet primum inſtans copulans,ſecundum inſtans,tertium,quartũ, & ſic vſque ad vltimum:ergo cum inter primum, & ſecundum non eſſet aliud, vel illa eſſent immediata,vel mediaret tempus:ſed non eſſent immediata vt conſtat ex fundamentis; ergo mediaret tempus:ergo eſſet pars temporis, quæ careret inſtanti copulanti, quod certe directe pugnat cum oppoſita ſententia: nam eadem eſt ratio de toto tẽpore,& de qualibet parte illius. Eodẽ modo res ſe haberet in parte poſita inter ſecũdum & tertium inſtans, tum etiam in qualibet parte poſitã inter duo inſtantia. Si vero inſtantia illa copulantia eſſent actu infinita ſequerẽtur inde multa incommoda. Primum eſt, dari numerum actu infinitũ in natura rerum. Secundum eſt,in quolibet tempore,imo in qualibet parte illius reperiri neceſſario omnia inſtantia, quæ reperiuntur in omnibus temporibus: nam infinitum eſt,quod continet omnia in ſuo genere:vnde quemadmodum nequeũt eſſe duo corpora actu infinita (in noſtra ſententia, nec vnum dari poteſt,vt diximus in diſp.de infinito) ita neque poſſunt eſſe duo numeri actu infiniti:infinito enim nequit fieri additio. Reſpõdẽt primo, nõ eſſe abſurdum,dari numerum infinitum dummodo, ille non ſit quan-

quantitatiuus, ſed tranſcendens. Hoc tamen eſt voluntarie dictum, aut aſsignent rationem, ob quam entitates & vnitates componentes numerum quantitatiuum nequeãt efficere illũ infinitũ, poſsint tamen numeri trãſcendentes. Secundo incommodo reſpondent, vnius temporis inſtantia non contineri in alio ab illo diſtincto: quia in quouis inquiunt, ſunt infinita; vnde tot ſunt numeri tranſcendentes inſtãtium, quot ſunt tempora vnde ad hoc vt inſtantia vnius temporis ſint infinita, nõ eſt neceſſe quod in illo alterius temporis inſtantia inueniãtur. Reiicitur tamen ſolutio primo vt ſupra: quia ſcilicet infinitum in ſuo genere omnia continet, & nõ eſt maior ratio cur ſint duo numeri infiniti quã duo corpora. Reſpondent non ſolum quodlibet tẽpus numero habere inſtantia infinita, verumetiam quãlibet partem temporis illa habere. Hanc vero ſententiam nec intelligere poſſum, nec intelligere valeo, illã ab aliquo intelligi poſſe. Hoc oſtendo primo, quia infinito nequit fieri additio: nã illud cui additur, aliquid adquirit, & fit maius quam antea erat ſiue ſecundũ quãtitatem molis, ſiue ſecundum quantitatẽ perfectionis: quare antea nõ erat infinitum, nam infinito nil datur maius: igitur cũ vna pars temporis addat alteri inſtantia, non erunt infinita cuiuſuis partis inſtantia. Si dicant, nõ fieri additionẽ; quia inſtãtia vnius partis, cum ſint infinita, aliarum partium inſtantia continent, ſolutio eſt manifeſte falſa: præſertim cũ manifeſtum ſit, inſtantia cuiuſlibet partis realiter diſtingui ab inſtãtibus alterius: nã poſſunt ad inuicem ſeparari: & fieri poteſt, ꝙ vnius partis inſtantia exiſtant, alterius vero vel extiterint, vel adhuc debeant exiſtere. Si tamẽ reſpõdeãt, fieri additionẽ, at proinde non euadere maiorem numerum inſtantium cuiuſuis partis, eo quod infinitus eſt, & infinito nil datur maius, cõmittunt petitionem in reſpõdendo. Reiicitur ergo ſolutio: quia id quod habet omnia, quæ antea habebat, & inſuper habet aliquid amplius ab illis realiter diſtinctũ, neceſſario maius euadit: cũ igitur quælibet pars temporis, ſi ei addantur inſtãtia alteriusq; habeat inſtãtia, quæ prius habebat, & inſuper illa quæ illi adduntur à prioribus realiter diſtincta, neceſſario aſſerendum

dum

dum eſt, numerũ euadere maiorem.

Probatur quarto ad hominem. Vt in ſequenti aſſertione cũ oppoſita ſententia oſtẽdemus, initio temporis datur inſtans illud initians; ergo in tempore non datur inſtãs copulans. Conſequentia probatur. Poſt inſtans initians nunquam erit verum dicere, modo ſunt aut immediate, aut ſimul duo, aut multa, aut infinita inſtantia copulantia; ergo ſi poſt inſtãs initians ſunt inſtantia copulãtia, cætera omnia antecedit vnũ, quod prius exiſtit alijs omnibus: ſed illud & initians non ſunt immediata; ergo inter illud & initiãs mediat tempus abſq. inſtanti copulante: ergo iam datur pars temporis non copulata; & cũ eadem ſit ratio de toto tempore, & de qualibet parte illius, ſequitur, in tempore non eſſe inſtãtia copulantia.

Probatur vltimo. Nullum inſtans copulat partes temporis; ergo in tempore non dantur inſtantia copulantia. Vt añs probem, aſſumo primo in tẽpore primi mobilis inſtans præſens. v.g. A. Hoc inſtans, cum indiuiſibiliter, & abſq. ſucceſſione exiſtat, incipit per primum ſui eſſe, & deſinit per vltimũ ſui eſſe. Aſſumo ſecundo, etiam iuxta oppoſitam ſententiam, omne inſtans vel eſſe initians, vel terminans, vel copulãs. Aſſumo tertio, inſtãs eſſe initians, dũ actu exiſtit: & terminans ſolum eſſe terminans, dum actu exiſtit. Aſſumo quar. in quolibet tẽpore inſtans initians, copulans, & terminãs reipſa diſtingui (quod certiſſimum eſt in opinione eorũ, qui conſtituũt multa inſtantia copulantia, cum quibus præcipue modo diſputamus. His poſitis probatur añs. Quoduis inſtãs dum exiſtit, vel determinate actu & reuera initiat, vel determinate actu & reuera copulat, partes ipſius temporis interſe, vel determinate actu, & reuera terminat; ſed illud inſtans præſens A. quod illi conſtituunt, dum exiſtit, nec determinate initiat, quia nõ eſt in principio tẽporis; nec determinate actu & reuera terminat, quia non eſt in fine; neq. reuera actu & determinate copulat; ergo nõ eſt conſtituendũ tale inſtãs. Probatur vltima pars minoris. Pars præterita temporis iam non eſt, futura nondum eſt; ergo non copulat partem præteritam cum futura: ergo non copulat. Si dicas, præteri-

tam & futuram eſſe, non in ſe ipſis, ſed ratione illius inſtantis copulãtis. Cõtra. Dũ exiſtit, vel reuera actu & determinate eſt copulans, vel non: ſi non; ergo falſo aſſerũt copulare. Si eſt copulans; ergo, ſiue ſequatur, ſiue non ſequatur poſtea tempus, erit copulans in fine temporis. Poteſt enim Deus ſuſpẽdere curſum mobilis in quouis inſtãti. Si dicas, eſſe copulans, ſi ſequatur tempus; terminans vero, ſi non ſequatur, eſt argumentum. Pars temporis, quæ ſequitur, non efficit, quod inſtans præcedens in ſe actu & determinate ſit copulans; ergo, ſi dum eſt in ſe, eſt copulans, ſiue ſequatur, ſiue non ſequatur pars temporis, erit copulans. Probatur antecedens. Quando ſequitur pars temporis, iam nõ eſt inſtans præcedens, quia inſtans deſinit per vltimum ſui eſſe; ergo ſi copulans, debet eſſe copulãs antequã ſequatur pars temporis: ergo ſiue ſequatur, ſiue non, erit copulans: quod eſt abſurdum. Probatur vltima conſequentia, quia quod prius eſt, nequit pendere ſecũdum eſſe actuale à poſteriori non exiſtente. Aliis firmiſsimis rationibus poteram noſtram ſentẽtiam confirmare, ſed conſtabit ſatis ex iis, quæ dicemus. 6. Phyſic. in diſp. de indiuiſibilibus.

Secunda aſſertio. In principio temporis datur inſtans initians, & in fine inſtãs terminans. Adeo certa eſt, vt cõmuniter Philoſophi illã ſupponant, & ſolum inquirant, an in toto tempore ſit vnicũ tantũ inſtans, vel potius multa. Paſsim etiam illam demõſtrat Ariſt. in ſequentibus. Illius ratio præcipue conſiſtit in hoc, quod omne finitũ debet terminis claudi, qui nequeunt eſſe continui: nam, cum omne continuum ſit diuiſibile in infinitum, ſi termini cõtinui eſſent diuiſibiles, nunquam deueniri poſſet ad terminos vltimo claudentes. *In prin. & in fine temporis dãtur inſtantia.*

IN QVARTA parte queſt. prima ex oppoſitis ſententiis docet, partes temporis inſtanti copulari. Hæc adeo cõmunis eſt, vt oppoſitæ ſentẽtiæ auctores omnes fere citra controuerſiam illam ſupponant. Probatur igitur primo. Tempus eſt quantitas cõtinua; ſed eſſentia quantitatis cõtinuæ eſt, quod eius partes copulentur termino cõmuni; ergo tẽporis partes copulantur termino communi, ſcilicet inſtãti. Huic, & aliis rationibus ſatisfecimus in Logica. *Sent. cõſtituẽs inſtãtia copulantia.*

gica in diſput. de quantitate continua quæſt. 1. Diximus enim, copulari termino communi nihil aliud eſſe, quam extenſionẽ quantitatis abſq. diuiſione. Sed dices. Ariſtot. paſsim hoc lib. 4. 5. & 6. & multoties in Metaph. admittit inſtantia copulantia in tẽpore; ergo, &c. Reſp. Ariſtot. eſſe intelligendum de inſtantibus non actu exiſtentibus, ſed in potentia. Hãc vero eſſe Ariſtot. mentem apertiſsime oſtẽdemus. 6. Phyſi. diſp. cit.

Inſtãs copulãs eſſe vnicũ.

Secunda ſententia docet, in tempore reperiri copulãs, illud tamen eſſe vnicum inſtans in toto tempore. Huius ſentẽtiæ auctores, & argumẽta prætermitto, quia nõ ſunt contra nos; nam non ſolum non conſtituimus multa inſtantia copulantia, ſed abſolute negamus, dari aliquod.

Inſtantia copulantia eſſe infinita.

Vltima ſententia, quã multi grauiſsimi Iuniores ſequũtur, affirmat, in tempore actu reperiri multa, immo infinita inſtantia copulantia. Probãt illam primo ita. Vt ſe habent puncta in linea, ita inſtãtia in tempore; ſed pũcta intrinſeca, & copulantia ſunt multa, tot ſcilicet, quot ſunt partes copulatæ; ergo, &c. Probant ſecundo. Tempus eſt totum continuum; ſed in continuo aſsignandi ſunt tot termini copulãtes, quot ſunt partes, quæ copulantur; ergo in tempore, &c. Reſp. negando vtriuſq. argumenti minorem. Eodem modo ſoluuntur aliæ leuiſsime rationes ab illis adductæ. Alias igitur grauiores proponamus.

1. Argu.

Dices ergo primò in. 1. aſſer. Cuiuſuis motus ſucceſsiui duratio formaliter eſt tẽpus, vt demõſtrauimus diſp. 2. q. 1. ergo in tempore ſunt conſtituenda inſtantia copulantia. Probatur conſeq. Sumatur motus finitus factus tempore vnius horæ; huius motus duratio eſt tempus finitũ; ergo in principio illius datur inſtãs initiãs, & in fine aliud terminans. Tum ſic. Tempus hoc menſuratur tempore primi mobilis, quod ex natura ſua eſt menſura ceterorũ, vt docuit Ariſt. c. 14. huius libri; ergo eius indiuiſibilia menſurãtur indiuiſibilibus temporis primi mobilis: ſed illa non ſunt terminãtia, cùm nec ſint in principio, nec in fine tẽporis primi mobilis, ſed potius in medio illius; ergo ſunt copulantia.

r. Reſp. indiuiſibilia huius tẽporis vnius horæ non menſurari indiuiſibilibus temporis primi mobilis. Sed dices. To-

ti huic tempori vnius horæ cor-
reſpondet vna hora temporis
primi mobilis; ergo illius indi-
uiſibilibus debent correſponde
re indiuiſibilia in tempore pri-
mi mobilis. Reſp. neg. conſeq.
Sed dices. Illis correſpondet
aliquid in tempore primi mo-
bilis; ſed hoc non eſt quid di-
uiſibile, quia durationi indiui-
ſibili nequit correſpondere du-
ratio diuiſibilis; ergo correſpō-
dent illis indiuiſibilia, ſcilicet
inſtantia copulantia temporis
primi mobilis. Reſp. nihil rea-
le correſpondere illis, ſed tan-
tum inſtans quoddam imagina-
rium, ſiue negationem quandã
durationis ſucceſſiuæ in tem-
pore primi mobilis, vt ſequen-
ti argum. magis conſtabit.

Dices igitur. 2. Motus rei
2. Argu. animatæ & inanimatæ interdũ
efficiunt vnum numero motũ;
ſed nequeunt illum efficere,
niſi copulentur aliquo indiui-
ſibili: ergo tempora, quæ ſunt
durationes horum motuum,
etiam efficient vnum numero
tempus, & conſequenter co-
pulatum aliquo inſtanti. Pro-
batur. Deſcendat per aërem ca
nis pregnãs, & in medio ſpatii
animetur fœtus, ſicq; deſcen-
dat vſq; ad terram, tunc motus
fœtus prius inanimati, & po-
ſtea animati efficient vnũ nu-
mero motum; ergo, &c. Pro-
batur antecedens. Ille motus
eſſet continuus, & abſq; inter-
miſſione factus; ergo eſſet vnus
numero. Reſp. neg. ant. proba-
tioni ſimiliter. Et probationi
illius, dicimus, ſucceſſionem
illam fœtus inanimati, & ani-
mati non eſſe vnum motum
continuum, ſed potius duos
contiguos tãtum, vt docet Ariſt.
lib. 5. cap. 4. ad vnitatem nũ-
mericam motus requiritur in-
ter alia, vnitas numerica mobi- 1.
lis. Sed dices. Motus matris, &
motus fœtus ſunt ſupra idem
omnino ſpatium, & eodem
tempore; ergo, ſi vnus eſt con-
tinuus, alter etiam, & ſimiliter
tẽpora. Reſp. neg. conſeq. quia
motus matris non intercipe-
retur quiete; motus vero fœ-
tus interciperetur duplici ne-
gatiua, quarum vna eſſet pri-
mum nõ eſſe motus fœtus ina-
nimati, & altera vltimum non
eſſe motus fœtus animati. Sed
dices. Vel inter has quietes me
diaret motus, vel non. Si me- 2.
diaret: ergo horũ motuũ dura
tio eſſet maior: ſi nõ, ergo eſ-
ſent duo indiuiſibilia motus
immediata. Reſp. illos duos mo
tus fore cõtiguos, & conſequẽ
ter illas quietes immediatas.
Hoc vero non eſt abſurdum,
ſed potius neceſſarium: nam
vt docuit Ariſt. 6. Phy. cap. 1.
contigua ſunt, quorum vlti-
ma

ma ſunt ſimul, & immediatà. Sed quæres, quid correſpõ-
3. deat illis duobus indiuiſibilibus in motu matris, & in tempore illius, an duo, vel potius vnũ indiuiſibile. Reſp. nullũ, Ratio eſt, quia nec indiuiſibile habet extenſionem, nec additum indiuiſibili illam facit. Si enim eſſent duo tempora æqualia, & per poſsibile, vel impoſsibile alteri illorum adderentur in principio, vel fine multa inſtãtia immediata, nõ proinde eſſet longius tempus. Res eſt manifeſta in loco, & re locata: nam licet ſupra ſuperficiem locati ſit ſuperficies locans, eo quod iſta indiuiſibilia immediata ſunt, non eſt maior ſuperficies locans. Immo nec à centro locati magis diſtat vna, quam alia, eo quod indiuiſibile additum indiuiſibili nullã facit extenſionẽ. Res hæc magis conſtabit. 6. Phyſi. in diſp. de indiuiſibilibus.

3. Argu. Dices in. 2. aſſer. Tempus & motus ſunt idem ſecundũ rem; ſed in principio motus non datur indiuiſibile; ergo nec in principio temporis datur indiuiſibile, ſcilicet inſtans. Probatur min. ex Ariſt. 6. Phyſi. cap. 5. docente, in fine motus dari primum mutãtum eſſe, quo motus terminatur: in principio vero nõ dari, à quo motus incipiat. Reſp. neg. min. probationi dicimus, Ariſt. ſolum docuiſſe, indiuiſibile poſitũ in principio motus non eſſe appellandum mutatum eſſe, cum non ſupponat motum; ſed debet appellari vltimum non moueri.

Dices vlti. Ex Ariſto. hoc 4. Argu.
lib. cap. 11. idem eſt inſtans in toto tẽpore; ergo, vel in principio, vel in fine temporis nõ datur inſtans. Reſp. Ariſt. loqui de inſtanti extrinſeco, cuius natura longe diſtat à natura inſtantis, de quo modo eſt ſermo. Nomine enim inſtantis tunc intellexit ipſum mobile in ordine ad motum vnũ, & quiete non interceptum, quod mobile ſuo fluxu, ac ſi inſtans flueret, videtur cauſa ipſius temporis. Sæpe enim grauiſsimi Philoſophi iuxta communem dicendi modum loquuntur. Communiter enim dicitur, ex ductu puncti fieri lineam, & ex ductu inſtantis, ſiue mobilis fieri tempus, non quia res ita ſe habeat, nam hoc in intelligibile eſt.

DISPVTATIO QVARTA DE TEMPORE, IN QVA DE durationibus agitur.

IN hac diſputatione.1.agemus de durationibus:deinde de ęternitate & æuo:tandem dicemus,quęnam tempore mẽſurentur,& an tempus ſit duratio motus.

Quæſtio prima de durationibus in communi.

QVAERES.1.quid ſit duratio. Durationem eſſe aliquid in rebus, per ſe notum eſt, & ex dicendis manifeſtum fiet.

Sit prima obſeruatio. Supponendum eſt, nos modo loqui non de imaginaria duratione,ſed de reali;non de extrinſeca,ſed de intrinſeca,per quam res dicitur proprie, & intrinſece durare. Hæc enim neceſſaria eſt in omni re cum mora exiſtente, quia ſecluſa omni extrinſeca duratione, quæuis res exiſtens propriè durare dicitur, etiam ſi ſola ipſa in ſuo eſſe permaneret. Sic enim Deus ex ſua æternitate durauit, etiã ſi nihil eſſet præter ipſum. Etſi initio tẽporis ſolum creaſſet vnum indiuiduum, illud propriè diceretur durare, ſi in ſuo eſſe permaneret, etiam ſi nõ eſſet aliqua extrinſeca duratio, cui cöexiſteret.

Secunda obſ. Duratio includit in ſe aliquam rationẽ quantitatis,cum omnis duratio menſurabilis ſit, & menſurabilitas ſit afectio quantitatis,beneficio cuius rebus cõuenit,vt docet Ariſt.10.Met. cap.1.ſiue quantitas ſit magnitudinis,vt corpus: ſiue multitudinis,vt numerus, & oratio:ſiue perfectionis,vt cuiuſuis rei eſſentia: ſiue durationis,de qua modo diſputamus.

Tertia obſ. Duratio,vt docet D. Thom. in.1.d.19.q.2. art.1. tantum eſt rei actualis & exiſtentis,nõ vero rei poſſibilis,futuræ,aut præteritæ. Vnde duratio erit aliquid diuerſum ab eſſentia ſaltem ratione, cum nequeat intelligi abſq; exiſtentia, ſine qua bene poteſt animo concipi, & diffiniri eſſentia ipſius rei.

Eſt

Eſt enim rei eſſentia neceſſaria, exiſtētia vero & duratio non ita. Poteſt itidem in variati eſſentia duratio eſſe maior. l. minor. Ex his infertur, hæc tria eſſentiā, ſcilicet, rei, exiſtentiam, & durationem illius, veluti cognatione quadam eſſe affecta inter ſe. Vt enim duratio videtur ſupponere exiſtentiam, ita hæc eſſentiam. Ex his facile colligitur durationis diffinitio.

Duratio quid ſit.

Sit igitur. 1. aſſertio. Duratio eſt mora ſiue perſeueratio actualis eſſe ſiue exiſtentiæ rei. Hæc communis eſt, & ex Iunioribus recte illam explicant P. Pererius. 12. lib. Phyſic. cap. 5. & magiſter noſter Suarez in Metaphyſica diſp. 50. ſect. 2. probantq; illam ex communi loquendi modo: res enim, non dicūtur durare antequam ſint, nec quando iam non ſunt; nec in inſtāti, in quo fiunt. Eſt enim durare (ſi rigoroſam vocis vim ſpectes) permanere, ſiue perſeuerare in eſſe actuali: nō vero primum & indiuiſibile fieri. Nonnullas de hac re ſententias loco citato docte proponit M. noſter Suarez, modo enim diſputationem hanc obiter tractamus.

Duratio rei nō differt ab exiſtent.

Sed dices. Generatio ſubſtantialis, & alia inſtantanea durant ſaltem per inſtans, & tamen non permanent in ſuo eſſe actuali; ergo falſa eſt aſſertio. Reſpondemus, inſtantanea fieri, & exiſtere, ſed non durare.

Secunda Aſſertio. Duratio non differt reipſa ab exiſtentia rei. Hanc confirmat Pererius loco citato, primo quia idem eſt quærere, quādiu res duret, & quamdiu exiſtat. Secundo quia duratio, ſi diſtingueretur ab exiſtentia reipſa, eſſet progreſſus in infinitum: nam cum illa duratio eſſet extra cauſas, exiſteret, & conſequenter haberet aliā durationem reipſa diſtinctā, quę etiā exiſteret, & ſic in infinitum.

Sed dices pro oppoſita ſententia. Durare non conuenit rei exiſtenti, vt exiſtens eſt; ergo duratio differt reipſa ab exiſtentia. Probatur antecedens, quia in inſtanti, in quo producitur viuens; verbi gratia hic leo, exiſtit, & tamen tunc non durat, ſed durat tēpore ſequenti. Reſpondemus negādo antecedens, ſi redupli catio illa, *Vt exiſtens eſt*, dicat realitatem, non vero rationē formalem. Probationi dicimus, verum eſſe, in illo inſtanti rem non durare, & exiſtere; quia duratio non identificatur cum initio exiſtentiæ, ſed cum

cum exiſtentia, quam deinde habet res. (loquimur de his, quę fiunt per generationē, vel quamcunq; aliam ſimilē productionem.)

2. Argu. Dices. 2. Quæ adinuicē ſeparata poſſunt exiſtere, reipſa diſtinguūtur; ſed ſic ſe habent exiſtentia, & eius duratio, ergo &c. Probatur minor. Imprimis exiſtētia ſeparabilis eſt a duratione, vt viſum eſt in inſtantaneis, quæ exiſtunt, & nō durant. Deinde duratio eſt ſeparabilis ab exiſtentia, nā humanitas Chriſti nō habet propriam exiſtentiam, & habet propriam durationem creatā. Duratio enim humanitatis Chriſti nō eſt æterna & increata. Reſpondemus negando minorem. Primæ parti probationis dicimus, durationem non eſſe idem cum exiſtentia inſtantanea, vt diximus: vnde nil contra nos. Secundæ parti dicimus, humanitatem Chriſti propriam habere exiſtentiam; licet non habeat propriam, & creatam ſubſiſtentiam.

Duratio & exiſt. non diſtinguūtur, ex natura rei.

Tertia aſſertio. Duratio ab exiſtentia non diſtinguitur ex natura rei. Hanc tenet Ocam in. 2. q. 10. Gabriel. d. 2. q. 1. art. 1. Capreolus. q. 2. art. 1. & illam videtur ſignificare Scotus. q. 1, licet iſti doctores loqui videantur de permanentium, non vero de ſucceſsiuorum duratione. Sed de omnibus illā tuetur M. noſter Suarez diſp. cit. ita numero. 5. & illam probat, non eſt cur nos illam probemus, quia non admittimus diſtinctionem ex natura rei, ſed omnem eſſe realē, aut rationis demonſtrauimus in Logica præſertim. q. 1. diſputationis cócretorum & abſtractorum.

Soluamus igitur argumenta appoſitæ ſententię, quā inter alios Thomiſtas tenet Bañez. 1. p. q. 3. art. 4. dub. 1. Dices ergo primo. In rebus creatis duratio includit ſucceſsionē; ſed non omnis exiſtentia illam includit; ergo duratio, & exiſtentia diſtinguūtur ex natura rei. Reſpondemus maiorem eſſe falſam, vt infra magis conſtabit.

Dices. 2. Tempus, quod eſt duratio motus, diſtinguitur ex natura rei à motu; ergo à ſimili ſiue à fortiori, omnis duratio diſtinguitur ex natura rei ab exiſtentia, cuius eſt duratio. Reſpondemus tempus ſolum diſtingui ratione ratiocinata à motu, vt demonſtrauimus diſp. 1. de tempore. q. 4.

Dices. 3. De ratione durationis creatæ eſt conſeruatio; ſed de ratione exiſtentiæ non eſt conſeruatio, ſed ſufficit ad

illam

illā inſtantanea productio; ergo diſtinguuntur ex natura rei. Reſp. P. Suarez ſectione citata n. 10. ſolum probare argumentum diſtinctionē rationis. Sed iuxta eius doctrinam ſolutio hæc non euacuat vim argumētinam, vt ipſe docuit Diſp. 40. de quantitate continua. n. 35. indiuiſibilia re ipſa diſtinguuntur ad inuicem interſe, tum etiā à continuo, & partibus illius; ergo ſi de ratione durationis creatæ eſt conſeruatio, & ad rationem exiſtentiæ creatę ſufficit inſtantanea productio, duratio, & exiſtentia pluſquam ratione diſtinguūtur. Reſp. ergo, durationem non identificari cum omni exiſtentia, ſed ſolum cum illa, in qua res conſeruatur; non vero cum illa in qua producitur, prędertim ſi ſit inſtantanea, verbi gratia productio leonis.

Dices. 4. Omnis mēſura realis diſtinguitur ex natura rei à menſurato; ſed duratio eſt mēſura exiſtentiæ; ergo diſtinguitur, &c. Reſp. durationem non eſſe menſuram rei durātis, ſed illā potius reddere menſurabilem, vt ex Ariſt. docte deducit P. Vazquez. 1. p. diſp. 31. n. 13. & 14. quemadmodum nec quantitas molis menſurat ſubſtantiam, in qua eſt, ſed illam reddit menſurabilem alia quātitate, vt docte obſeruauit Durand. in. 2. d. 2. q. 1. & Albertus in primo. d. 8. a. 8. ad 11.

Quarta aſſertio. Duratio & exiſtentia diſtinguuntur ratione ratiocinata. Ex dictis facile probatur: quia de his diuerſa attributa prædicantur. De duratione enim formaliter prædicantur longum, & breue, finitum, & infinitum; quę non prædicantur vere de exiſtentia præciſſe ſumpta, vt exiſtentia eſt.

QVAEST. II.

In qua aliquæ tractātur quæſtiones de æternitate, & æuo.

QVAERES primò, quotuplex ſit duratio. Communis ſententia eſt, triplicem eſſe durationem, ſcilicet æternitatem, æuum, & tempus. In aſsignādis harū durationū differentiis, non ſatis conueniunt philoſophi: cum tamen de quauis harū ſermo erit, illius differentiā, & naturā aſsignabimus.

Quæres igitur. 2. quid ſit æternitas, & quæ res ęternitate mēſurentur. Breuiter ab hac dubitatione me expediam, quia alterius eſt negotii. Omiſſa igitur opinione Aureoli apud Capreolum in. 1. diſt. 9. a. 2. exiſtimantis, in Deo nullam eſſe durationem, ſupponimus cum communi ſententia, durationem primo diuidi in increatā, quę eſt æternitas, & creatam,

Non om-

omnē.ſ.aliā ab æternitate. Omiſſis itaq; aliis æternitatis ſignificationibus, quibus vſurpari ſolet prolongiſsima, & multis ſeculis contenta duratione, æternitatis nomine intelligimus durationem ex ſe in capacem termini. Vnde debet eſſe increata, nam omnis creata ex ſe principij, & finis capax eſt, poteſtq; incohari, & finiri, ſaltem à principio extrinſeco: hæc ergo eſt duratio, a qua ſolus Deus vocatur æternus. Eſt namque æternitas duratio ipſius eſſe per eſſentiam. Vt ergo illud eſſe eſt ipſa plenitudo eſſendi, ſic æternitas (vt ſic loquamur) eſt ipſamet plenitudo durandi. Eſt nãque de ratione illius, quod ſit totius eſſe, totius perfectionis & actus rei æternæ plena, & perpetua duratio. Recte ergo D. Thomas. 1. p. q. 10. aſsignauit diſcrimen inter æternitatem & alias durationes dicens, æternitatem nullam ſucceſsionem admittere, neque in eſſe, neque in actibus propriis, & internis ſeu operationibus rei æternæ. Quod diſcrimen non obſcure deducitur ex illa celebri, & receptæ æternitatis definitione adducta à Boetio. 3. de conſolat. proſa. 2. quę ſic ſe habet. Interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſsio.

Hinc præclare Philoſophi, & Theologi docent, in re æterna ſecundum ſe ſumpta, & quantum ad ipſam expectat, nec eſſe præteritum, nec futurum, nec in eſſe, nec in perfectione, nec in actu interno: nam quidquid eſt in æterno, durat per veram æternitatem; ergo nihil eius trãſire, aut ſuccedere poteſt in eo. Si vero res æterna ſumatur admodũ, quo nos illam concipimus, & de illa loqui poſſumus, ſic futuri, & præteriti locutiones admittit: dicere enim ſolemus, Deum ſemper fuiſſe, & ſemper futurum eſſe per cöëxiſtentiam cum noſtro tempore vero, ſiue imaginario. Prima huius doctrinę pars non ſolum eſt conformis modo loquendi ſanctorum patrum Nazianzeni oratione. 35. & 42. Damaſceni ſecundo de fide capite. 1. Euſebii. lib. 11. de præparatione cap. 7. Dionyſii. cap. 10. de diuinis nominibus, Auguſtini in illa verba pſalmi ſecundi, *Ego hodie genui te*, Gregorii. 16. Moralium cap. 21. verum etiam expræſsis verbis illam propoſuit Plato in Timeo, dicens, *Erat & erit non rectè æternæ ſubſtantiæ aſſignamus*. Secunda etiam eiuſdem doctrinæ pars videtur cõſona modo loquẽdi ſcripturæ Sacrę. Exod. 3. Dixit Deus Moyſi, *EGO SVM, QVI SVM. ait, ſic dices filiis Iſrael; QVI EST. miſit*

miſit me ad vos. Loquebatur enim de ſe in ordine ad ſe, & ſic nec vtitur verbo ſubſtantiuo præteriti, nec futuri temporis, ſed præſentis. Dixit vero, *Miſit me ad vos*, loquens in ordine ad nos. Et Ioan. 8. dixit Chriſtus, *Antequā Abraham fieret, ego ſum*, non dixit, *eram*.

AEui. 3. ſignifi. Quæres. 3. quid ſit æuum, & quę illo menſurentur. Prima obſeruatio. Si vim nominis græci, à quo deducitur æuum ſpectes, ſignificat ęternitatem. Idē enim eſt æuum, quod ſemper exiſtens. Vnde proprie loquendo, æuum & æternitas pro eodem vſurpantur. Hinc intelliguūtur multa Ariſt. & veterum Philoſophorum teſtimonia, qui bus nomine æui æternitatem intelligunt. Hæc enim ſignificatio apud illos frequens eſt, tertia vero adducenda parum vſitata. Sumitur etiam pro diuturna duratione, quæcumque illa ſit. Vſu tamen factum eſt, vt pro rerum à principio intrinſeco incorruptibilium duratione vſurpetur. In qua ſignificatione, prioribus omiſsis, breuiter de illo modo agemus: diffuſa enim diſputatione pertractare ea, quæ pro exacta naturæ æui cognitione deſiderantur, primæ Philoſophiæ ex officio incumbit, vt diſputatio etiā de æternitate.

Secunda obſeruatio. Cum rerum duratio alia ſit permanens, & alia ſucceſsiua, explicandum prius eſt, an æuum ſit ſucceſsiua, vel permanens duratio. Et ſupponendum primo, non ſolum durationem increatam, æternitatem ſcilicet, ſed etiam creatam eſſe poſſe permanentem. Patet, quia, vt ſtatim conſtabit, datur eſſe creatum durans, & permanens abſque ſucceſsione, varietate, ſiue innouatione. Datur enim eſſe exiſtentiæ creatæ inuariabile à principio intrinſeco; ergo & duratio inuariabilis, & permanens.

Tertia obſeruatio. In hoc dubio inquirentes, quænam æuo menſurentur, non loquimur de menſura propriè, quæ neceſſario ſupponit extēſionem, ſiue ſit menſura actiua, ſiue paſſiua. Per menſurari enim intelligimus durare: loquimur enim communi dicendi modo Philoſophorum. Vnde idem ſunt inquirere, quænam menſurentur æuo, & inquirere, quarum rerum æuum ſit duratio. Hinc facile intelligentur ea, quæ docebimus in fine ſecundæ aſſertionis, dum dicemus, quænam æuo menſurentur. Loquimur ergo in hoc dubio de menſura intrinſeca improprie ſumpta, pro vt idem eſt, quod intrinſeca rei duratio.

Sit igitur prima aſſertio. æuũ in tertia ſignificatione ſumptũ, vt modo de illo loquimur, eſt duratio permanens. Prob. 1. Eſt duratio rerum incorruptibilium à principio intrinſeco; ergo eſt duratio rei inuariabilis ſecundum ſuum eſſe: ſed duratio rei inmutabilis debet eſſe permanens; ergo æuum debet eſſe duratio permanens. Probatur. 2. nequit eſſe in duratione ſucceſsio, niſi ſit in rei exiſtẽtia; ſed nequit eſſe in rei exiſtẽtia ſine mutatione; ergo nequit in duratione eſſe ſucceſsio ſine mutatione in exiſtentia: ſed in exiſtentia rerum incorruptibilium à principio intrinſeco non datur mutatio; ergo neq; in illa rei duratione, ſcilicet æuo. Probatur vltima minor. Non poteſt eſſe mutatio in rei exiſtentia abſq; mutatione in eſſe ipſius rei; ſed in eſſe harum rerum non datur talis mutatio; ergo &c. Probatur min. quia omnis mutatio in eſſe ſubſtantiali rei aut eſt adquiſitio, aut deperditio ſubſtantię; iſtæ vero non inueniuntur in rebus à principio intrinſeco incorruptibilibus.

Quid ſit Æuum. Secunda aſſertio. AEuum eſt duratio permanens rei creatæ, incorruptibilis à principio intrinſeco. Vide Caiet. 1. p. q. 10. a. 5. & 6. quem multi ex recentioribus Thomiſtis ſequuntur. Hæc aſſertio euidenter deducitur ex dictis. Explicatur ergo ita. Illa particula, *Duratio*, eſt ratio communis, & veluti genus in hac diffinitione. Dicitur, *Permanens*, ad differentiam rerum, quæ tempore menſurãtur. Dicitur, *Rei creatæ*, ad differentiam æternitatis. Dicitur, *Incorruptibilis à principio intrinſeco*, vt æui vltima differentia explicetur, quæ deſumitur ab incorruptibilitate intrinſeca rei, quam menſurat. Hinc cõſtat, Angelos, cœleſtia corpora, & animas rationis participes æuo menſurari. De materia prima non eſt res adeo certa, vt communiter aſſeritur. De illa enim dicam quæſt. ſequenti. Menſurantur etiã æuo accidentia, quę neceſſario conſequuntur hæc incorruptibilia, vt voluntas, & intellectus Angeli.

Dices in primam aſſertionẽ. Eſſe rei, quę menſuratur æuo, conſeruatur a Deo; ergo eſt poſitum in ſucceſsione quadam: ergo & eius duratio, nempe æuum: quare non eſt menſura permanens, ſed ſucceſsiua potius. Prima conſequentia probatur (cætera enim certa ſunt) Conſeruatio eſt dependẽtia in genere cauſæ efficiẽtis; ſed hæc dependentia eſt per mutationem, quia, vt diximus. 2. Phyſi. p. 2. diſp. de cauſis. q. 3. cauſalitas efficientis eſt dare eſſe effectiue. Conſule D. Bonauent. in 2. d. p. a. 1. q. 3.

ctiue formam diſtinctam communicando: & cauſatio eius in actione conſiſtit; ergo conſeruatio eſt per mutationem: ergo res, quę conſeruatur, mutatur perpetuo: ergo non habet eſſe permanens. Reſp. negando primã conſequentiam. Probationi negamus minorem, nã ſolum eſt vera de cauſa efficiẽti phyſica, nõ vero de illa, à qua res fluit per ſimplicem emanationẽ. Conſeruatio vero a Deo eorum, quę incorruptibilia ſunt à principio intrinſeco, eſt continuata creatio ſine productione noui eſſe. Hæc enim dicuntur conſeruari a Deo, quia eſſe ſubſtantiale ab illo acceptum per creationem retinent diuino concurſu immutatum.

Dices. 2. Durationi creatæ repugnat eſſe totam ſimul; ergo nequit eſſe permanens. Antecedens probatur, quia ſi eſſet tota ſimul, ſimul etiam in illa eſſent præſens, præteritum & futurum. Reſp. negando antecedens. Probationi dicimus, aſſumere falſum: nam falſum eſt in tali duratione dari præteritum & futurum intrinſece per propriam exiſtẽtiam, licet detur de nominatione extrinſeca, & per coëxiſtentiam ad res ſucceſsiuas. Sed hoc non eſt cõtra aſſertionem.

Dices. 3. Res æuiternæ poſſunt annihilari à Deo, & iterum produci; ergo in illarum duratione poteſt eſſe ſucceſsio: ergo æuum natura ſua non eſt duratio permanens. Probatur prima conſequentia, quia poſt primam exiſtentiam ſuccederet illa reproducta. Grauiſsimi ex Recẽtioribus, vt argumẽto ſatisfaciant, inquirũt, an illa exiſtentia & duratio reproducta ſit eadem cum præexiſtenti, & multas adhibent ſolutiones. Quidquid tamen ſit de hac re, reſpondemus argumento negando conſequentiam; nam ex illo antecedẽte ſolum infertur multiplicatio in æuo, ſiue ſit intrinſecè, ſiue per coëxiſtẽtiam, non tamen ſucceſsio in illo. Si enim modo eſſet productio alicuius inſtantanei, & poſt aliquod tẽporis ſpatiũ eſſet reproductio eiuſdem, inde non liceret colligere in inſtantaneo eſſe ſucceſsionem, ſed potius eſſe multoties productum, ſi eſſet idem, vel multiplex inſtantaneum, ſiue multiplicatio inſtãtanei, ſi forte eſſent diuerſa. Eodem modo, ſi illa exiſtentia, & duratio reproducta eſſet vna, & eadẽ cũ anichilata, inde liceret colligere multiplicem eiuſdem ęuiterni productionem, & conſequenter exiſtentię, & durationis illius. Si vero eſſet diuerſa, liceret colligere multiplicitatẽ durationis eiuſdẽ æuiterni, nõ vero ſucceſsionẽ in illa.

Vt multis ſanctorum Patrum teſtimoniis ſatisfaciamus, quibus docere videntur, ſolam æternitatem eſſe abſque ſucceſſione, & ſolum Deum carere illa, obſeruandum eſt primo, loquutos fuiſſe non de entitate, & duratione incorruptibilium à principio intrinſeco, ſed de quibuſdam illorum accidentibus, & operationibus, quæ ſucceſsionem admittunt. Vel loquutos fuiſſe de incorruptibilitate, & immutatione tam à principio intrinſeco, quam extrinſeco. Sic enim ſolus Deus incorruptibilis eſt, & immutabilis: cætera vero omnia ab illo poſſunt annihilari.

Dices primo in ſecundã aſſertionem. Duratio vnius æuiterni, verbi gratia primi mobilis, poteſt eſſe maior duratione alterius: ergo ſuſcipit magis, & minus: ergo & ſucceſsionem. Probatur antecedẽs, quia potuit Deus creare illud corpus cœleſte prius aliis, & poteſt illo manente cætera in nihilum redigere. Respond. argumentum ſolum concludere, ſucceſsionem reſpectu denominationis ſiue coëxiſtentiæ extrinſecæ, non vero reſpectu exiſtentiæ, & durationis intrinſecæ, vt ex dictis patet.

Dices ſecundo. Etiam res corruptibiles a principio intrinſeco habent durationem permanentem in ſuo eſſe; ergo per hoc non differunt ab æternis. Probatur antecedens. Eſſe illarum non eſt poſitum in continua varietate, quia multæ ſunt, quæ diu permanent ſine acquiſitione, aut deperditione alicuius partis entitatis, vel ſubſtantiæ ſuæ, vt videre licet in auro, & lapidibus pretioſis; ergo neque illarum duratio poſita eſt in continua varietate: ergo eſt permanens. Huic argumento ſatisfaciemus quæſtione tertia, nam eſt præcipua illius difficultas.

Dices 3. Durationi viſionis beatificæ conuenit ſuperior æui definitio: ergo, vel nõ eſt recta, vel cõuenit etiã illi, quod non eſt dicendum, cũ communis Theologorum dicendi modus doceat, illam durationem eſſe ęternitatem participatam. Reſp. cum Scoto in 2. d. 2. q. 4. & in 4. d. 49. q. 6. concedendo ſecundã conſequẽtis partẽ: nã æuũ eſt ſuperius ad ęternitatẽ participatam, & durationem cuiuſuis æuiterni. Per antonomaſiam tamen ſic appellatur, quia eſt altioris ordinis. Sed hæc obiter dicta de hac re modo ſufficiant: ſunt enim iſtę res altioris negotii.

Quæres quarto, an ſit vnicum tantum æuum. D. Tho. 1. parte quęſtione decima articulo ſexto, Opinio D. Tho.

to, & aliis in locis exiſtimat, vnum tantum eſſe æuum æuiternorum, vt eſt vnicum tantum tempus omnium rerum corruptibilum, tempus ſcilicet primi mobilis. Fundamentum huius opinionis eſt, duratione formaliter conſtitui per ratione menſuræ. Et hinc huius ſententiæ Autores deducunt, æuum eſſe menſuram per manentem menſurantem eſſe omnium rerum creatarum incorruptibilium. Sic enim loquuntur, Caietanus in commento articuli citati, Capreolus in ſecundo, diſtinctione ſecunda, quæſtione ſecunda, articulo primo, & alii permulti.

Sit prima Aſſertio, non eſt conſtituendum illud æuum extrinſecum, quod ſit menſura omnium æuiternorum. Probatur aſſertio. Vel illud eſſet mēſura intrinſeca, vel extrinſeca æuiternorum; ſed neutra; ergo, &c. Maior certa eſt à ſuffi cienti diuiſione. Minor probatur. Imprimis nequit eſſe menſura intrinſeca, quia æuiterna ſunt multa, & vna menſura numero nequit intrinſece menſurare multa numero diſtincta. Deinde neque extrinſeca, quia vel eſſet menſura perfectionis, vel molis ſiue magnitudinis, vel durationis; ſed nulla harum; ergo &c. Imprimis non perfectionis, quia perfectio ſuperior perfectionem ſolum mē ſurat inferiorem, vt docuimus in logica, non vero durationem illius. Præterea neque eſſet menſura molis, cum hæc debeat eſſe corpus aut vna ex tribus dimenſionibus de prædicamento quantitatis: at vero æuum, nec eſt corpus, nec longitudo, nec profunditas. Tandem neque durationis. Primo, quia, vel menſuraret æuum perfectiones æuiternorum, & hoc conſtare non poteſt: nam duratio rei, quę re ipſa eſt idē cum eiuſdem exiſtentia, vt ſupra quæſtione prima docuimus, nequit menſurare niſi aliam durationem, & quę ſit eiuſdem rationis, non vero entitatem ſiue ſubſtantiam rei. Quia cum inter mēſuram molis, & durationis, & res illis mēſuratas debeat eſſe æqualitas, neceſſario menſura actiue, & menſura paſsiue, ſiue quod idē menſurans, & menſurabile debent eſſe eiuſdem rationis: & duratio rei, & ſubſtantia ſiue entitas illius non ſic ſe habent. Vel mēſuraret durationes ęuiternorum, & ſic æuiternorum quęuis duratio eſſet etiam ęuū, cum menſura durationis & menſuratum debeant eſſe eiuſdem rationis. Quare tot eſſent iſtæ durationes, quot eſſent æuiterna: ergo non eſſet conſtituendum vnicū tantum æuum.

Se-

2. Aſſer. Secunda aſſert. Æuiterna non habent menſuram extrinſecam. Probatur primo. Æuũ eſt quid indiuiſibile; ergo non eſt menſurabile: ergo æuiterna non habent menſuram extrinſecam: nam quæ menſurabilia non ſunt, menſura extrinſeca carent. Prima conſequentia recta eſt, quia indiuiſibilia, cum careant extẽſione molis, & ſucceſsionis, nequeunt menſurari: nam menſura propriè dicta (de hac enim procedit dubitatio) ſolum eſt eorum, quæ diuiſibilia ſunt & extenſa. Antecedens vero probatur, quia certũ eſt, æuum carere extenſione molis, & ſupra demonſtrauimus, æuũ eſſe durationem permanẽtem, carentemque ſucceſsione. Probatur ſecundo aſſertio. Menſura durationis ſupponit æqualitatem cum re mẽſurabili; ſed nihil habet æqualitatem cum duratione æuiterni; ergo nihil poteſt menſurare durationem æuiterni. Maior eſt certa. Minor probatur. 1. Æqualitas, & inæqualitas durationis fundantur in extenſione; ſed æuiternorum duratio extenſione caret; ergo nequit eſſe fundamentum æqualitatis. Probatur minor, quia illi, cum quibus modo diſputamus, affirmant, æuũ eſſe menſuram permanentem, carẽtemq; omni intrinſeca ſucceſsione. Probatur. 2. minor. Illa inter quæ nequit dari inæqualitas, non poſſunt habere æqualitatem; ſed inter durationes æuiternorum nequit dari inæqualitas; ergo &c. Probatur minor: quia inæqualitas ſupponit extenſionem, quę non reperitur in iſtis, cum vnum æuum ſecundum ſe non ſit maior duratio altero. Solum enim poteſt reperiri in illis æqualitas negatiue, quia ſcilicet nec habent maiorem, nec minorem extenſionem: non vero, quia illam habeant æqualem, cum omni extenſione careant.

Tertia Aſſertio. Duratio exiſtentiæ cuiuſuis incorruptibilis creati à principio intrinſeco eſt formaliter æuum. Hanc tenet Enricus quod lib. 5. quæſ. 13. & Ægidius in tractatu de menſura Angelorum. Probatur ex ſecunda Aſſertione ſuperioris dubitationis. Probatur. 2. Certum eſt, dari æuum; ſed non eſt maior ratio, cur duratio primi Angeli ſit æuum, quam duratio cuiuſuis alterius incorruptibilis creati: ergo, &c. Probatur minor, quia ratio, perquam cõuenit durationi primi Angeli diffinitio æui, reperitur etiam in duratione cuiuſuis rei creatæ incorruptibilis à principio intrinſeco. 3. Aſſer.

Dices in. 1. Aſſer. Datur vnũ tãtum tempus; ergo datur vnũ primũ æuũ. Reſp. primo diſtinguendo

-guendo antecedens ita. Extrinſecum, concedimus: intrinſecū, negamus antecedens. Reſp. 2. negando conſequentia: nā tempus eſt menſura, æuum vero minime.

Dices in. 2. aſſer. Primū in vno quoq; genere eſt menſura cæterorum; ergo duratio primi & ſupremi æuiterni eſt menſura durationis cæterorū. Reſp. antecedens ſolum eſſe verum de menſura perfectionis.

Dices in. 3. aſſer. Menſura debet eſſe extrinſeca; ſed ænū eſt menſura æuiterni; ergo debet eſſe extrinſecum: ergo duratio cuiuſuis æuiterni non eſt æuum. Reſp. concedendo maiorem de menſura actiue: negamus tamen minorem, nam æuū non eſt menſura.

AEuūeſt ſpecies infima. Quæres vltimo, an æquè diſtinguatur vnū æuum ab alio, ac diſtinguuntur res æuiternæ. Reſp. in omnibus æuiternis eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ. Huius ſententię videtur D. Thomas. 1. p. q. 10. art. 6. ad 2. & facile patet ex dictis diſp. 2. de tempore. q. 2. ex quibus facile poteſt à ſimili confirmari hæc aſſertio.

Magiſter noſter Suarez d. 50. de rerum duratione nu. 10. cōtrariam ſententiam iudicat veram: & addit nu. 13. etiam eſſe veram in ſubſtantia, & eius accidentibus. Primam partē probat. 1. quia duratio non diſtinguitur re ipſa ab exiſtentia; ſed in his exiſtentiæ ſunt ſpecie diuerſæ; ergo &c. Reſp. negādo conſequētiam, nam ſufficit diſtinctio rationis inter durationem & exiſtentiam. Probat. 2. quia ſubſtantiæ ſpiritales hābent longe nobiliorem modū incorruptibilitatis. Reſp. hoc ſolum probare diſtinctionem inter naturas. Secundam verò partem probat nu. 13. ſed eodem fere modo: vnde ex dictis manet ſoluta probatio.

QVAESTIO. III.

De duratione rerum corruptibiliū, & accidentiū illarum.

QVAERES primo, quā durationem habeant ſubſtantiæ corruptibiles à principio intrinſeco, & illarum partes. Loquimur de partibus phyſicis: nam metaphyſicę proculdubio duratione carent. Loquimur etiam de duratione intrinſeca, quæ conuenit illis ratione exiſtentiæ, entitatis, ſiuè ſubſtantiæ.

Sit primum fundamentum. Subſtantiæ corruptibiles, elementa ſcilicet, & ex illis mixta ſunt per ſe generabiles, & corruptibiles; illarum verò partes (animam rationis participem excipe) ſcilicet materia & forma per accidens: Inſuper corrupti-

ruptibilia hæc, ſiue loquamur de cópoſitis, ſiue de partibus, alia ſunt corruptibilia & generabilia ſecundum rem & entitatem, alia verò ſecundum modum tantum: vt hic leo per ſe generatur ſecundum ſuam entitatem, & per ſe corrumpitur ſecundum illam; Petrus verò eſt per ſe generabilis, & corruptibilis ſecundum modum quẽdam ſubſtantialem. Generabilis quidem, quia ſupponitur tota eius entitas nempè materia, quæ eſt primum ſubiectum, & anima rationis particeps facta per creationem. Corruptibilis verò, quia iſtæmet partes re ipſa manẽt corrupto potro. Adhæc omnes formæ naturales ſunt generabiles, & corruptibiles ſecũdum entitatem, licet per accidẽs, & ratione totius: materia verò prima ſolũ ſecundum modum ſubſtantialem, ratione cuius incipit, vel deſinit eſſe pars eſſentialis huius, vel illius compoſiti, vt dictum eſt lib. 2. par. 2. diſputationis de principiis quæſtione octaua.

Secundum fundamentum. Vt ſæpè dictum eſt, menſura alia eſt intrinſeca, & alia extrinſeca, modo eſt ſermo de intrinſeca, quæ non menſurat rẽ, ſed illam potius reddit menſurabilem. vt quantitas panni non menſurat intrinſece illum, ſed reddit aptum, vt poſsit vlnæ menſurari.

Tertiũ fundamentum. Menſura intrinſeca alia conuenit per ſe rei, quę ſcilicet debetur illi iuxta propriam naturam: & alia per accidens, quæ conuenit vel ratione alicuius principii extrinſeci operantis circa illam aliter, quam eius natura poſtulare videatur, vel ob defectum alicuius actionis connaturalis tali rei.

Sit prima aſſertio. Loquendo de mẽſura intrinſeca & per ſe, omnes ſubſtantiæ inferiores, elementa ſcilicet, & mixta menſurãtur duratione ſucceſſiua, nempè tempore. Probatur primo, quia ſunt tranſmutabiles à principio intrinſeco, imo de facto hæc omnia ferè ſemper paulatim adquirunt, & deperdunt ſubſtantiam, & entitatem propriam. Probatur. 2. quia omnia mixta facta ſunt per generationem, & omnia elementa poſſunt fieri per illã, & ad inuicem tranſmutari: tum etiam & omnia hæc per corruptionem deſinunt; ergo à principio intrinſeco, & propria natura inſpecta tranſmutabilia ſunt, habent ſuum eſſe poſitum in ſucceſsione, & conſequenter duratio illorum debet eſſe ſucceſsiua. Sed dices. Nullum elementũ ſecundũ ſe totũ eſt trãſmutabile ſecũdum entitatem: ergo

Subſtantię inferiores mẽſurantur tẽpore.

ergo ſecũdum ſe totum nullum elementum habet durationem ſucceſsiuam. Reſp. primo eſſe tranſmutabile per partes, & hoc ſufficere. Reſp. 2. & melius, quoduis elementum ſecundum ſe totum eſſe tranſmutabile, licet de facto nullum actu ſecundum ſe totum trãſmutetur, ob defectum agentis naturalis id potentis præſtare.

Non mẽſurantur menſura permanẽte. Secunda aſſertio. Loquendo de menſura intrinſeca & per ſe, iſtæ ſubſtantiæ nequeunt menſurari duratione permanente, ſed ſolum tempore, bene tamen menſura per accidens. Contrarium huius aſſertionis expreſſe profitetur M. N. Suarez diſput. 50. ſect. 2. Reiicitur ergo hæc ſententia, & confirmatur ſimul aſſertio hoc argumento ad hominem. Duratio cœli intrinſeca & per ſe, vt ipſe docuit hac diſp. eſt æuum; ergo eſt permanens: nam vt ipſe docuit ſect. 6. nu. 9. permanentia eſt propria, & eſſentialis æui differentia: ergo, à contrario, duratio intrinſeca, & per ſe cuiuſuis corruptibilis debet eſſe ſucceſsiua. Probatur vltima conſequentia. Vt ſe habet permanentia reſpectu durationis rei incorruptibilis à principio intrinſeco, ſic ſe habet ſucceſsio reſpectu rei corruptibis à principio intrinſeco; ſed permanentia ſic conuenit rei incorruptibili à principio intrinſeco, vt ſucceſsio, & deperditio ſubſtantiæ ſolum poſsit conuenire per accidens; ergo ſucceſsio, & variatio ſic conuenit rei corruptibili à principio intrinſeco, vt permanens duratio ſolum poſsit illi conuenire per accidens. Maior patet in cœlo, quod per ſe eſſe permanens habet, poteſt tamen ſolum per accidens habere eſſe poſitum in ſucceſsiua deperditione & adquiſitione ſuę ſubſtantię, ſi hoc Deus de potentia efficeret. Maior probatur. Permanentia conuenit durationi, quæ eſt æuum, quia eſt duratio rei incorruptibilis, & immutabilis a principio intrinſeco; ergo ſucceſsiua duratio conueniet rei corruptibili, eo ipſo quod corruptibilis eſt à principio intrinſeco. Si dicas, menſuram permanentem conuenire rei incorruptibili a principio intrinſeco, nõ ſolum propter cauſam aſsignatã, ſed quia habet totum ſuum eſſe ſimul, vnde conueniet etiam rebus corruptibilibus, cum interdum habeant totum ſuum eſſe ſimul, reiicitur ſolutio. Primo, quia res corruptibiles, & ſi demus aliquando habere totum ſuum eſſe ſimul, aliquando tamen habent eſſe fluens, & ſucceſſiuum: & quando habent permanens, hoc eſt per accidens.

Reiicitur 2. quia hoc, quod eſt habere totū ſuū eſſe ſimul, eſt veluti effectus immutabilitatis, & incorruptibilitatis: nā eo quod res immutabilis, & incorruptibilis eſt, eius eſſe ſucceſsione caret, & conſequenter perſe eſt totum ſimul, licet per accidens, & ab extrinſeco tale eſſe ſucceſsionem ſubire poſſit: ergo rem habere eſſe poſitum in ſucceſsione, eſt veluti effectus corruptibilitatis, & variationis. Vnde ſi res ab intrinſeco corruptibilis eſt, eius duratio ab intrinſeco erit ſucceſſiua, licet per accidens interdū ſit permanens.

Oppoſ. ſen. probatio. Probat doctor hic ſuam ſententiam. 1. quia quale eſt eſſe, talis eſt duratio. 2. quia nō poteſt eſſe ſucceſsio in duratione, niſi ſit in ipſo eſſe. Reſpondet tamen, eſſe harum rerum non eſſe ſimpliciter permanens, nō ſolum quia ex nō eſſe tranſit ad eſſe, & ex eſſe ad non eſſe, ſed quia ipſamet illarum entitas poſita eſt in continua acquiſitione ſuarum partium. Obiicit tamen, ſolutionem adhibitam falſam eſſe, vt patet in auro, & lapidibus, quæ diu permanent ſine acquiſitione, aut deperditione alicuius partis. Dicimus tamen nos, permanentiam hāc (ſi forte illam habent) eſſe ob defectum generantis, aut corrumpentis: quare conuenit illis per accidens, cum ſecundum ſe aptæ ſint, vt adquirant, & deperdant partes. Hinc igitur ſolum probatur, durare per accidens duratione permanente. Vt enim incorruptibilia à principio intrinſeco poſſunt deſtrui per accidens à principio extrinſeco, ita corruptibilia poſſunt permanere per accidens abſque mutatione ob defectum principij trāſmutantis. Sed dices. Quomodocumq; ſit eſt concedenda in illis duratio permanens, licet ſit per accidens. Reſp. concedendo conſequentiam, quia habent interdum quietem priuatiuam, quæ eſt priuatio motus, ſiue mutationis ſucceſsiuæ, qua poterant moueri. Sed dices: ergo per hāc redduntur menſurabiles menſura extrinſeca; ſed hæc nec eſt æuum, nec æternitas, vt conſtat, nec tempus; ergo &c. Probatur vltima pars minoris, quia tēpus, quod eſt menſura extrinſeca, & actiua, ſolum poteſt mēſurare aliud tempus, vt dicemus quæſt. 3. huius diſp. Reſp. eſſe menſurabiles tempore, nō vero mēſura perſe, ſed per accidens: nā à quo mēſurantur perſe motus, menſuratur per accidens quies illius, vt docuit Ariſtoteles cap. 12. huius lib. his verbis. *Quoniam autem tēpus motus eſt menſura, menſura eſt etiam aduentitia quietis,* *quan-*

quandoquidem omnis quies eſt in tempore.

Duratio materię. I. euum. Tertia aſſertio. Duratio materiæ primæ ſumptæ ſecundum rem, & ſuam entitatem eſt æuũ. Probatur aſſertio, quia materia prima, vt ſic, eſt ingenerabilis incorruptibilis, & omnino intranſmutabilis à principio intrinſeco, cum ſit primum ſubiectum. Sed dices. Materia prima, quæmodo eſt ſub forma alimẽti, poſtea eſt ſub forma viuentis; ergo eſt tranſmutabilis. Reſp. hoc ſolum probare, eſſe tranſmutabilem ſecundum modum ſubſtantialẽ, non vero ſecundum entitatem.

Duratio materię. 2. tẽpus. Quarta aſſertio. Materia prima ſumpta ſecũdum hunc modum ſubſtantialem menſuratur tempore. Probatur aſſertio. Vt ſic eſt generabilis, & corruptibilis; ergo vt ſic menſuratur tẽpore. Antecedens probatur, quia quando eſt ſub forma alimenti, habet modum ſubſtantialem, ratione cuius eſt pars eſſentialis illius: & ſimiliter quã do facta trãſmutatione eſt ſub forma viuentis. Sed dices. Eſt primum ſubiectum; ergo non eſt trãſmutabilis: ergo non mẽſuratur tempore. Reſp. ſolum probare, non eſſe tranſmutabile ſecundum entitatem.

Quinta aſſertio. Formæ rerum naturalium menſurantur tempore. Probatur, quia fiunt per generationem, & deſinunt per corruptionem compoſiti, imo in nutritione ſimul cũ parte materiæ producitur pars formæ, & cum deperditur pars materiæ, deperditur etiam pars formæ, præſertim in plantis, & animalibus imperfectis. Sed dices. Formæ ſubſtantiales rerũ natura conſtantiũ conſiſtunt in indiuiſibili; ergo carent latitudine: ergo adquiſitio, vel deperditio illarũ, nequit eſſe ſucceſsiua. Reſp. metaphyſice ſcilicet ſecundum genus, & differentiã in indiuiſibili conſiſtere, at ſic ſumptæ non durant. Si vero ſumantur phyſicè, & ſecundum entitates, extẽſionem habent, licet per accidens, & ratione ſubiecti.

Quæres. 2. quã habeant durationem harum rerum accidẽtia. Ex dictis ſeruata proportione facillimum eſt dubio ſatisfacere. Harum enim rerum accidentia, quorum eſſe ſucceſsiue acquiritur, & deperditur, tempore menſuratur tanquam propria duratione. Res eſt manifeſta in quantitatibus, & qualitatibus, de quarum productione copioſe agemus lib. 5. diſ. I. Sed dices. Tempus fuit à nobis diffinitum, duratio motus; ergo ſolus motus poteſt tempore menſurari. Propter hoc argumentũ pertractatur ſequens dubitatio. Menſura rei naturalis eſt tempus.

Quæres igitur. 3. an tempus ſit mēſura motus. Habet dubiū ortū ex illis verbis Ariſtotelis cap. 12. huius libri, *Nec motum ſolum tempore metimur, ſed etiam tempus motu.* Pro dubii ſolutione obſerua primo, ſermonem eſſe ſolum de menſura, quæ eſt duratio. Obſerua ſecundo in motu ſucceſsio, de quo modo eſt dubitatio, quinque reperiri extēſiones, vt docuimus lib. 3. quæſt. 3. de motu obſeruatione. 3. ſcilicet ratione ſubiecti, ratione ſpatii, ratione formæ per illum acquiſitæ, ratione durationis, & ratione ſucceſsionis mobilis à termino in terminum. Hæc vltima extenſio, & diuiſibilitas conuenit per ſe motui, reliquæ vero per accidens. Inquirimus ergo, an motus ſecundum hanc propriā extenſionem menſuretur extēſione temporis. Non enim eſt ſermo de realitate motus: nam cum motus & tempus ſint idē ſecundum rem, certum eſt, tēpus non eſſe menſuram motus, quia idem non eſt menſura ſui ipſius. Obſerua. 3. quæſtionem poſſe intelligi de menſura per ſe, & per accidens: de menſura actiua & paſsiua. Si loquamur de mēſura per accidens, ſecūdo certum eſt, motum poſſe tempore menſurari. Manet ergo dubium de menſura per ſe actiua, & paſsiua.

Sit prima aſſertio. Omnis motus ſucceſsiuus eſt menſurabilis. Probatur, quia omnis motus ſucceſsiuus eſt extenſus, quod ſufficit ad rationem mēſurabilitatis. Idē iudicium eſt de tempore.

Secunda aſſertio. Quoduis tempus poteſt mēſurare aliud quoduis æqualis durationis. Probatur, quia per durationem certam cuiuſuis temporis poſſumus reddi certi de duratione, & extenſione alterius propter æqualitatem extenſionis illorum.

Tertia aſſertio. Nullum tempus poteſt mēſurare motū, cuius eſt duratio. Probatur, quia inter menſuram actiuam, & paſsiuam, vt ſæpè demonſtrauimus, requiritur diſtinctio realis. Nunquam enim reddemur certi de duratione motus per tempus intrinſecum illius. *Tempus non mēſurat motum.*

Quarta aſſertio. Quiuis motus redditur menſurabilis à tēpore extrinſeco alterius ſcilicet motus per tempus, quod eſt intrinſeca eius duratio. Probatur aſſertio, quia per hoc habet extenſionem eiuſdem rationis cum duratione cuiuſuis alterius motus. Probatur ſecūdo, quia per hoc ſolum poteſt habere æqualitatem cum alio, quod eſt conditio, & ratio omnino neceſſaria ad menſurabilitatem. *Motus tēpore eſt menſurabilis.*

Quin-

Quinta aſſertio. Nec motus poteſt měſurari à tempore, nec tempus à motu. Probatur aſſertio, quia inter menſuram actiuam & paſsiuam requiritur vnitas ſpecifica in natura, vt dubio ſequenti dicemus, quam non habent motus, & tempus. Probatur. 2. quia tempore vnius horę poteſt eſſe maior, vel minor motus: & eadem extenſio motus poteſt fieri in maiori tempore; ergo nec motus eſt menſura per ſe temporis, nec tempus motus. Probatur antecedens, quia poteſt eſſe maior, vel minor ſucceſsio mobilis ſupra ſpatium: nam maiorem efficiet ſucceſsionem velociſsimus equus, quam teſtudo eodem ſpatio horæ.

Vltima aſſertio. Nullus motus ſecundum propriam extěſionem poteſt alio motu menſurari. Probatur aſſertio, quia extenſio motus, vt motus eſt, non eſt duratio, ſed ſucceſſio.

Motus non měſuratur těpore, nec contra.

Dices in primam aſſertioně. Vt diximus quæſt. 2. in diuiſibile, vel exiſtens per indiuiſibile non eſt menſurabile; ſed motus, & tempus exiſtunt per indiuiſibilia, quia de tempore iuxta cõmunem philoſophorũ ſententiam ſolũ exiſtit inſtans, & de motu mutatum eſſe (ſic enim loquitur Seneca lib. 6. naturalium quæſtionum fere in fine: *Fluit tempus, & auidiſſimos ſui deſerit, nec quod futurum eſt meũ eſt, nec quod fuit in puncto fugientis temporis pendeo*: ergo tẽpus & motus nõ ſunt res menſurabiles. Omiſsis variis ſolutionibus illorum, qui exiſtimãt, partes temporis copulari inſtantibus, & partes motus mutatis eſſe, facile reſpondemus, motum & tempus ſucceſsiuorum more exiſtere per ſuas partes fluentes, vt diximus ſupra diſput. de inſtantibus.

Dices in tertiã aſſertionem. Res ſucceſsiua menſuratur per ſuam durationem; ergo motus menſuratur per ſuam durationem: ergo per ſuum tempus, nam tempus fuit diffinitum à nobis, duratio motus. Reſp. negando maiorem, nam res ſucceſsiua redditur quidě menſurabilis ſua duratione, ſed non menſuratur illa.

Dices in quintã aſſertionem. Per motum interdum reddimur certi de tempore, & è cõtra; ergo motus poteſt eſſe měſura per ſe temporis, & è contra. Reſp. negando conſequentiam, quia per motum reddimur per accidens, & arbitrio humano certi de tempore, & per tempus de motu, & hoc per ordinem ad cõexiſtentiam extrinſecã alterius, quia ſcilicet inſpecto alio motu velocitatis deter-

Vt multis ſanctorum Patrum teſtimoniis ſatisfaciamus, quibus docere videntur, ſolam æternitatem eſſe abſque ſucceſſione, & ſolum Deum carere illa, obſeruandum eſt primo, loquutos fuiſſe non de entitate, & duratione incorruptibilium à principio intrinſeco, ſed de quibuſdam illorum accidentibus, & operationibus, quæ ſucceſſionem admittunt. Vel loquutos fuiſſe de incorruptibilitate, & immutatione tam à principio intrinſeco, quam extrinſeco. Sic enim ſolus Deus incorruptibilis eſt, & immutabilis: cætera vero omnia ab illo poſſunt annihilari.

Dices primo in ſecundã aſſertionem. Duratio vnius æuiterni, verbi gratia primi mobilis, poteſt eſſe maior duratione alterius: ergo ſuſcipit magis, & minus: ergo & ſucceſſionem. Probatur antecedẽs, quia potuit Deus creare illud corpus cœleſte prius aliis, & poteſt illo manente cætera in nihilum redigere. Reſpond. argumentum ſolum concludere, ſucceſſionem reſpectu denominationis ſiue coëxiſtentiæ extrinſecæ, non vero reſpectu exiſtentiæ, & durationis intrinſecæ, vt ex dictis patet.

Dices ſecundo. Etiam res corruptibiles a principio intrinſeco habent durationem permanentem in ſuo eſſe; ergo per hoc non differunt ab æternis. Probatur antecedens. Eſſe illarum non eſt poſitum in continua varietate, quia multæ ſunt, quæ diu permanent ſine acquiſitione, aut deperditione alicuius partis entitatis, vel ſubſtantiæ ſuæ, vt videre licet in auro, & lapidibus pretioſis; ergo neque illarum duratio poſita eſt in continua varietate: ergo eſt permanens. Huic argumento ſatisfaciemus quæſtione tertia, nam eſt præcipua illius difficultas.

Dices. 3. Durationi viſionis beatificæ conuenit ſuperior æui definitio: ergo, vel nõ eſt recta, vel cõuenit etiã illi, quod non eſt dicendum, cũ communis Theologorum dicendi modus doceat, illam durationem eſſe ęternitatem participatam. Reſp. cum Scoto in. 2. d. 2. q. 4. & in 4. d. 49. q. 6. concedendo ſecundã conſeqnẽtis partẽ: nã æuũ eſt ſuperius ad ęternitatẽ participatam, & durationem cuiuſuis æuiterni. Per antonomaſiam tamen ſic appellatur, quia eſt altioris ordinis. Sed hæc obiter dicta de hac re modo ſufficiant: ſunt enim iſtę reş altioris negotii.

Quæres quarto, an ſit vnicum tantum æuum. D. Tho. 1. parte queſtione decima articulo ſexto, — Opinio D. Tho.

to, & aliis in locis exiſtimat, vnum tantum eſſe æuum æuiternorum, vt eſt vnicum tantum tempus omnium rerum corruptibilum, tempus ſcilicet primi mobilis. Fundamentum huius opinionis eſt, duratione formaliter conſtitui per ratione menſuræ. Et hinc huius ſententiæ Autores deducunt, æuum eſſe menſuram permanentem menſurantem eſſe omnium rerum creatarum incorruptibilium. Sic enim loquuntur, Caietanus in commento articuli citati, Capreolus in ſecundo, diſtinctione ſecunda, quæſtione ſecunda, articulo primo, & alii permulti.

Sit prima Aſſertio, non eſt conſtituendum illud æuum extrinſecum, quod ſit menſura omnium æuiternorum. Probatur aſſertio. Vel illud eſſet mẽſura intrinſeca, vel extrinſeca æuiternorum; ſed neutra; ergo, &c. Maior certa eſt à ſufficienti diuiſione. Minor probatur. Imprimis nequit eſſe menſura intrinſeca, quia æuiterna ſunt multa, & vna menſura numero nequit intrinſece menſurare multa numero diſtincta. Deinde neque extrinſeca, quia vel eſſet menſura perfectionis, vel molis ſiue magnitudinis, vel durationis; ſed nulla harum; ergo &c. Imprimis non perfectionis, quia perfectio ſuperior perfectionem ſolum mẽſurat inferiorem, vt docuimus in logica, non vero durationem illius. Præterea neque eſſet menſura molis, cum hæc debeat eſſe corpus aut vna ex tribus dimenſionibus de prædicamento quantitatis: at vero æuum, nec eſt corpus, nec longitudo, nec profunditas. Tandem neque durationis. Primo, quia, vel menſuraret æuum perfectiones æuiternorum, & hoc conſtare non poteſt: nam duratio rei, quę re ipſa eſt idẽ cum eiuſdem exiſtentia, vt ſupra quæſtione prima docuimus, nequit menſurare niſi aliam durationem, & quę ſit eiuſdem rationis, non vero entitatem ſiue ſubſtantiam rei. Quia cum inter mẽſuram molis, & durationis, & res illis mẽſuratas debeat eſſe æqualitas, neceſſario menſura actiue, & menſura paſsiue, ſiue quod idẽ menſurans, & menſurabile debent eſſe eiuſdem rationis: & duratio rei, & ſubſtantia ſiue entitas illius non ſic ſe habent. Vel mẽſuraret durationes ęuiternorum, & ſic æuiternorum quęuis duratio eſſet etiam ęuũ, cum menſura durationis & menſuratum debeant eſſe eiuſdem rationis. Quare tot eſſent iſtæ durationes, quot eſſent æuiterna: ergo non eſſet conſtituendum vnicũ tantum æuum.

2. Aſſer. Secunda aſſert. Æuiterna non habent menſuram extrinſecam. Probatur primo. Æuũ eſt quid indiuiſibile; ergo non eſt menſurabile: ergo æuiterna non habent menſuram extrinſecam: nam quæ menſurabilia non ſunt, menſura extrinſeca carent. Prima conſequentia recta eſt, quia indiuiſibilia, cum careant extẽſione molis, & ſucceſsionis, nequeunt menſurari: nam menſura propriè dicta (de hac enim procedit dubitatio) ſolum eſt eorum, quæ diuiſibilia ſunt & extenſa. Antecedens vero probatur, quia certũ eſt, æuum carere extenſione molis, & ſupra demonſtrauimus, æuũ eſſe durationem permanẽtem, carentemque ſucceſsione. Probatur ſecundo aſſertio. Menſura durationis ſupponit æqualitatem cum re mẽſurabili; ſed nihil habet æqualitatem cum duratione æuiterni; ergo nihil poteſt menſurare durationem æuiterni. Maior eſt certa. Minor probatur. 1. Æqualitas, & inæqualitas durationis fundantur in extenſione; ſed æuiternorum duratio extenſione caret; ergo nequit eſſe fundamentum æqualitatis. Probatur minor, quia illi, cum quibus modo diſputamus, affirmant, æuũ eſſe menſuram permanentem, carẽtemq; omni intrinſeca ſucceſsione. Probatur. 2. minor. Illa inter quæ nequit dari inæqualitas, non poſſunt habere æqualitatem; ſed inter durationes æuiternorum nequit dari inæqualitas; ergo &c. Probatur minor: quia inæqualitas ſupponit extenſionem, quę non reperitur in iſtis, cum vnum æuum ſecundum ſe non ſit maior duratio altero. Solum enim poteſt reperiri in illis æqualitas negatiue, quia ſcilicet nec habent maiorem, nec minorem extenſionem: non vero, quia illam habeant æqualem, cum omni extenſione careant.

Tertia Aſſertio. Duratio exiſtentiæ cuiuſuis incorruptibilis creati à principio intrinſeco eſt formaliter æuum. Hanc tenet Enricus quod lib. 5. quæſ. 13. & Ægidius in tractatu de menſura Angelorum. Probatur ex ſecunda Aſſertione ſuperioris dubitationis. Probatur. 2. Certum eſt, dari æuum; ſed non eſt maior ratio, cur duratio primi Angeli ſit æuum, quam duratio cuiuſuis alterius incorruptibilis creati: ergo, &c. Probatur minor, quia ratio, perquam cõuenit durationi primi Angeli diffinitio æui, reperitur etiam in duratione cuiuſuis rei creatæ incorruptibilis à principio intrinſeco. 3. Aſſer.

Dices in. 1. Aſſer. Datur vnũ tãtum tempus; ergo datur vnũ primũ æuũ. Reſp. primo diſtinguendo

ſequendo antecedens ita. Extrinſecum, concedimus: intrinſecū, negamus antecedens. Reſp. 3. negando conſequentia: nā tempus eſt menſura, æuum vero minime.

Dices in. 2. aſſer. Primū in vno quoq; genere eſt menſura cæterorum; ergo duratio primi & ſupremi æuiterni eſt menſura durationis cæterorū. Reſp. antecedens ſolum eſſe verum de menſura perfectionis.

Dices in. 3. aſſer. Menſura debet eſſe extrinſeca; ſed æuū eſt menſura æuiterni; ergo debet eſſe extrinſecum: ergo duratio cuiuſuis æuiterni non eſt æuum. Reſp. concedendo maiorem de menſura actiue: negamus tamen minorem, nam æuū non eſt menſura.

Quæres vltimo, an æquè diſtinguatur vnū æuum ab alio, ac diſtinguuntur res æuiternæ. Reſp. in omnibus æuiternis eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ. Huius ſententię videtur D. Thomas. 1. p. q. 10. art. 6. ad 2. & facile patet ex dictis diſp. 2. de tempore. q. 2. ex quibus facile poteſt à ſimili confirmari hæc aſſertio.

AEuū eſt ſpecies infima.

Magiſter noſter Suarez d. 50. de rerum duratione nu. 10. cōtrariam ſententiam iudicat veram: & addit nu. 13. etiam eſſe veram in ſubſtantia, & eius accidentibus. Primam partē probat. 1. quia duratio non diſtinguitur re ipſa ab exiſtentia; ſed in his exiſtentiæ ſunt ſpecie diuerſæ; ergo &c. Reſp. negādo conſequētiam, nam ſufficit diſtinctio rationis inter durationem & exiſtentiam. Probat. 2. quia ſubſtantiæ ſpiritales habent longe nobiliorem modū incorruptibilitatis. Reſp. hoc ſolum probare diſtinctionem inter naturas. Secundam vero partem probat nu. 13. ſed eodem fere modo: vnde ex dictis manet ſoluta probatio.

QVAESTIO III.

De duratione rerum corruptibiliū, & accidentiū illarum.

QVAERES primo, quā durationem habeant ſubſtantiæ corruptibiles à principio intrinſeco, & illarum partes. Loquimur de partibus phyſicis: nam metaphyſicę proculdubio duratione carent. Loquimur etiam de duratione intrinſeca, quæ conuenit illis ratione exiſtentiæ, entitatis, ſiuè ſubſtantiæ.

Sit primum fundamentum. Subſtantiæ corruptibiles, elementa ſcilicet, & ex illis mixta ſunt per ſe generabiles, & corruptibiles; illarum verò partes (animam rationis participem excipe) ſcilicet materia & forma per accidens: Inſuper cor-

ruptibilia hæc, ſiue loquamur de cõpoſitis, ſiue de partibus, alia ſunt corruptibilia & generabilia ſecundum rem & entitatem, alia verò ſecundum modum tantum: vt hic leo per ſe generatur ſecundum ſuam entitatem, & per ſe corrumpitur ſecundum illam; Petrus verò eſt per ſe generabilis, & corruptibilis ſecundum modum quẽdam ſubſtantialem. Generabilis quidem, quia ſupponitur tota eius entitas nempè materia, quæ eſt primum ſubiectum, & anima rationis particeps facta per creationem. Corruptibilis verò, quia iſtæmet partes re ipſa manẽt corrupto petro. Adhæc omnes formæ naturales ſunt generabiles, & corruptibiles ſecũdum entitatem, licet per accidẽs, & ratione totius: materia verò prima ſolũ ſecundum modum ſubſtantialem, ratione cuius incipit, vel deſinit eſſe pars eſſentialis huius, vel illius compoſiti, vt dictum eſt lib. 2. par. 2. diſputationis de principiis quæſtione octaua.

Secundum fundamentum. Vt ſæpè dictum eſt, menſura alia eſt intrinſeca, & alia extrinſeca, modo eſt ſermo de intrinſeca, quæ non menſurat rẽ, ſed illam potius reddit menſurabilem. vt quantitas panni non menſurat intrinſece illum, ſed reddit aptum, vt poſsit vlna menſurari.

Tertiũ fundamenrum. Menſura intrinſeca alia conuenit per ſe rei, quę ſcilicet debetur illi iuxta propriam naturam: & alia per accidens, quæ conuenit vel ratione alicuius principii extrinſeci operantis circa illam aliter, quam eius natura poſtulare videatur, vel ob defectum alicuius actionis connaturalis tali rei.

Sit prima aſſertio. Loquendo de mẽſura intrinſeca & per ſe, omnes ſubſtantiæ inferiores, elementa ſcilicet, & mixta menſurãtur duratione ſucceſſiua, nempè tempore. Probatur primo, quia ſunt tranſmutabiles à principio intrinſeco, imo de facto hæc omnia ferè ſemper paulatim adquirunt, & deperdunt ſubſtantiam, & entitatem propriam. Probatur. 2. quia omnia mixta facta ſunt per generationem, & omnia elementa poſſunt fieri per illã, & ad inuicem tranſmutari: tum etiam & omnia hæc per corruptionem deſinunt; ergo à principio intrinſeco, & propria natura inſpecta tranſmutabilia ſunt, habent ſuum eſſe poſitum in ſucceſsione, & conſequenter duratio illorum debet eſſe ſucceſsiua. Sed dices. Nullum elementũ ſecundũ ſe totũ eſt trãſmutabile ſecũdum entitatem: ergo

Subſtantię inferiores mẽſurantur tẽpore.

ergo ſecũdum ſe totum nullum elementum habet durationem ſucceſsiuam. Reſp. primo eſſe tranſmutabile per partes, & hoc ſufficere. Reſp. 2. & melius, quoduis elementum ſecundum ſe totum eſſe tranſmutabile, licet de facto nullum actu ſecundum ſe totum trãſmutetur, ob defectum agentis naturalis id potentis præſtare.

Non mẽſurantur menſura permanẽte. Secunda aſſertio. Loquendo de menſura intrinſeca & per ſe, iſtæ ſubſtantiæ nequeunt menſurari duratione permanente, ſed ſolum tempore, bene tamen menſura per accidens. Contrarium huius aſſertionis expreſſe profitetur M. N. Suarez diſput. 50. ſect. 2. Reiicitur ergo hæc ſententia, & confirmatur ſimul aſſertio hoc argumento ad hominem. Duratio cœli intrinſeca & per ſe, vt ipſe docuit hac diſp. eſt æuum; ergo eſt permanens: nam vt ipſe docuit ſect. 6. nu. 9. permanentia eſt propria, & eſſentialis æui differentia: ergo, à contrario, duratio intrinſeca, & per ſe cuiuſuis corruptibilis debet eſſe ſucceſsiua. Probatur vltima conſequentia. Vt ſe habet permanentia reſpectu durationis rei incorruptibilis à principio intrinſeco, ſic ſe habet ſucceſsio reſpectu rei corruptibis à principio intrinſeco; ſed permanentia ſic conuenit rei incorruptibili à principio intrinſeco, vt ſucceſsio, & deperditio ſubſtantiæ ſolum poſsit conuenire per accidens; ergo ſucceſsio, & variatio ſic conuenit rei corruptibili à principio intrinſeco, vt permanens duratio ſolum poſsit illi conuenire per accidens. Maior patet in cœlo, quod per ſe eſſe permanens habet, poteſt tamen ſolum per accidens habere eſſe poſitum in ſucceſsiua deperditione & adquiſitione ſuę ſubſtantię, ſi hoc Deus de potentia efficeret. Maior probatur. Permanentia conuenit durationi, quæ eſt æuum, quia eſt duratio rei incorruptibilis, & immutabilis a principio intrinſeco; ergo ſucceſsiua duratio conueniet rei corruptibili, eo ipſo quod corruptibilis eſt à principio intrinſeco. Si dicas, menſuram permanentem conuenire rei incorruptibili a principio intrinſeco, nó ſolum propter cauſam aſsignatã, ſed quia habet totum ſuum eſſe ſimul, vnde conueniet etiam rebus corruptibilibus, cum interdum habeant totum ſuum eſſe ſimul, reiicitur ſolutio. Primo, quia res corruptibiles, & ſi demus aliquando habere totum ſuum eſſe ſimul, aliquando tamen habent eſſe fluens, & ſucceſſiuum: & quando habent permanens, hoc eſt per accidens.

Reiicitur. 2. quia hoc, quod eſt habere totũ ſuũ eſſe ſimul, eſt veluti effectus immutabilitatis, & incorruptibilitatis: nã eo quod res immutabilis, & incorruptibilis eſt, eius eſſe ſucceſsione caret, & conſequenter per ſe eſt totum ſimul, licet per accidens, & ab extrinſeco tale eſſe ſucceſsionem ſubire poſſit: ergo rem habere eſſe poſitum in ſucceſsione, eſt veluti effectus corruptibilitatis, & variationis. Vnde ſi res ab intrinſeco corruptibilis eſt, eius duratio ab intrinſeco erit ſucceſſiua, licet per accidens interdũ ſit permanens.

Oppoſ. ſen. probatio. Probat doctor hic ſuam ſententiam. 1. quia quale eſt eſſe, talis eſt duratio. 2. quia nõ poteſt eſſe ſucceſsio in duratione, niſi ſit in ipſo eſſe. Reſpondet tamen, eſſe harum rerum non eſſe ſimpliciter permanens, nõ ſolum quia ex nõ eſſe tranſit ad eſſe, & ex eſſe ad non eſſe, ſed quia ipſamet illarum entitas poſita eſt in continua acquiſitione ſuarum partium. Obiicit tamen, ſolutionem adhibitam falſam eſſe, vt patet in auro, & lapidibus, quæ diu permanent ſine acquiſitione, aut deperditione alicuius partis. Dicimus tamen nos, permanentiam hãc (ſi forte illam habent) eſſe ob defectum generantis, aut corrumpentis: quare conuenit illis per accidens, cum ſecundum ſe aptæ ſint, vt adquirant, & deperdant partes. Hinc igitur ſolum probatur, durare per accidens duratione permanente. Vt enim incorruptibilia à principio intrinſeco poſſunt deſtrui per accidens à principio extrinſeco, ita corruptibilia poſſunt permanere per accidens abſque mutatione ob defectum principij trãſmutantis. Sed dices. Quomodocumq; ſit eſt concedenda in illis duratio permanens, licet ſit per accidens. Reſp. concedendo conſequentiam, quia habent interdum quietem priuatiuam, quæ eſt priuatio motus, ſiue mutationis ſucceſsiuæ, qua poterant moueri. Sed dices: ergo per hãc redduntur menſurabiles menſura extrinſeca; ſed hæc nec eſt æuum, nec æternitas, vt conſtat, nec tempus; ergo &c. Probatur vltima pars minoris, quia tẽpus, quod eſt menſura extrinſeca, & actiua, ſolum poteſt mẽſurare aliud tempus, vt dicemus quæſt. 3. huius diſp. Reſp. eſſe menſurabiles tempore, nõ vero mẽſura per ſe, ſed per accidens: nã à quo mẽſurantur per ſe motus, menſuratur per accidens quies illius, vt docuit Ariſtoteles cap. 12. huius lib. his verbis. *Quoniam autem tẽpus motus eſt menſura, menſura eſt etiam aduentitia quietis,*

quan-

quandoquidem omnis quies eſt in tempore.

Duratio materię. æuum. Tertia aſſertio. Duratio materiæ primæ ſumptæ ſecundum rem, & ſuam entitatem eſt æuũ. Probatur aſſertio, quia materia prima, vt ſic, eſt ingenerabilis incorruptibilis, & omnino intranſmutabilis à principio intrinſeco, cum ſit primum ſubiectum. Sed dices. Materia prima, quæmodo eſt ſub forma alimẽti, poſtea eſt ſub forma viuentis; ergo eſt tranſmutabilis. Reſp. hoc ſolum probare, eſſe tranſmutabilem ſecundum modum ſubſtantialẽ, non vero ſecundum entitatem.

Duratio materię. tẽpus. Quarta aſſertio. Materia prima ſumpta ſecũdum hunc modum ſubſtantialem menſuratur tempore. Probatur aſſertio. Vt ſic eſt generabilis, & corruptibilis; ergo vt ſic menſuratur tẽpore. Antecedens probatur, quia quando eſt ſub forma alimenti, habet modum ſubſtantialem, ratione cuius eſt pars eſſentialis illius: & ſimiliter, quã do facta trãſmutatione eſt ſub forma viuentis. Sed dices. Eſt primum ſubiectum; ergo non eſt trãſmutabilis: ergo non mẽſuratur tempore. Reſp. ſolum probare, non eſſe tranſmutabile ſecundum entitatem.

Quinta aſſertio. Formæ rerum naturalium menſurantur tempore. Probatur, quia fiunt per generationem, & deſinunt per corruptionem compoſiti; imo in nutritione ſimul cũ parte materiæ producitur pars formæ, & cum deperditur pars materiæ, deperditur etiam pars formæ, præſertim in plantis, & animalibus imperfectis. Sed dices. Formæ ſubſtantiales rerũ natura conſtantiũ conſiſtunt in indiuiſibili; ergo carent latitudine; ergo adquiſitio, vel deperditio illarũ nequit eſſe ſucceſſiua. Reſp. metaphyſice ſcilicet ſecundum genus, & differentiã in indiuiſibili conſiſtere, at ſic ſumptæ non durant. Si vero ſumantur phyſicè, & ſecundum entitates, extẽſionem habent, licet per accidens, & ratione ſubiecti.

Quæres. 2. quã habeant durationem harum rerum accidẽtia. Ex dictis ſeruata proportione facillimum eſt dubio ſatisfacere. Harum enim rerum accidentia, quorum eſſe ſucceſsiue acquiritur, & deperditur, tempore menſuratur tanquam propria duratione. Res eſt manifeſta in quantitatibus, & qualitatibus, de quarum productione copioſe agemus lib. 5. diſ. 1. Sed dices. Tempus fuit à nobis diffinitum, duratio motus; ergo ſolus motus poteſt tempore menſurari. Propter hoc argumentũ pertractatur ſequens dubitatio. Menſura rei naturalis eſt tempus.

Quæres igitur. 3. an tempus ſit mẽſura motus. Habet dubiũ ortũ ex illis verbis Ariſtotelis cap. 12. huius libri, *Nec motum ſolum tempore metimur, ſed etiam tempus motu.* Pro dubii ſolutione obſerua primo, ſermonem eſſe ſolum de menſura, quæ eſt duratio. Obſerua ſecundo in motu ſucceſsio, de quo modo eſt dubitatio, quinque reperiri extẽſiones, vt docuimus lib. 3. quæſt. 3. de motu obſeruatione. 3. ſcilicet ratione ſubiecti, ratione ſpatii, ratione formæ per illum acquiſitæ, ratione durationis, & ratione ſucceſsionis mobilis à termino in terminum. Hæc vltima extenſio, & diuiſibilitas conuenit per ſe motui, reliquæ vero per accidens. Inquirimus ergo, an motus ſecundum hanc propriã extenſionem menſuretur extẽſione temporis. Non enim eſt ſermo de realitate motus: nam cum motus & tempus ſint idẽ ſecundum rem, certum eſt, tẽpus non eſſe menſuram motus, quia idem non eſt menſura ſui ipſius. Obſerua. 3. quæſtionem poſſe intelligi de menſura per ſe, & per accidens: de menſura actiua & paſsiua. Si loquamur de mẽſura per accidens, ſecũdo certum eſt, motum poſſe tempore menſurari. Manet ergo dubium de menſura per ſe actiua, & paſsiua.

Sit prima aſſertio. Omnis motus ſucceſsiuus eſt menſurabilis. Probatur, quia omnis motus ſucceſsiuus eſt extenſus, quod ſufficit ad rationem mẽſurabilitatis. Idẽ iudicium eſt de tempore.

Secunda aſſertio. Quoduis tempus poteſt mẽſurare aliud quoduis æqualis durationis. Probatur, quia per durationem certam cuiuſuis temporis poſſumus reddi certi de duratione, & extenſione alterius propter æqualitatem extenſionis illorum.

Tertia aſſertio. Nullum tempus poteſt mẽſurare motũ, cuius eſt duratio. Probatur, quia inter menſuram actiuam, & paſsiuam, vt ſæpè demonſtrauimus, requiritur diſtinctio realis. Nunquam enim reddemur certi de duratione motus per tempus intrinſecum illius. Tempus non mẽſurat motum.

Quarta aſſertio. Quiuis motus redditur menſurabilis à tẽpore extrinſeco alterius ſcilicet motus per tempus, quod eſt intrinſeca eius duratio. Probatur aſſertio, quia per hoc habet extenſionem eiuſdem rationis cum duratione cuiuſuis alterius motus. Probatur ſecũdo, quia per hoc ſolum poteſt habere æqualitatem cum alio, quod eſt conditio, & ratio omnino neceſſaria ad menſurabilitatem. Motus tẽpore eſt menſurabilis.

Quinta aſſertio. Nec motus poteſt mẽſurari à tempore, nec tempus à motu. Probatur aſſertio, quia inter menſuram actiuam & paſsiuam requiritur vnitas ſpecifica in natura, vt dubio ſequenti dicemus, quam non habent motus, & tempus. Probatur. 2. quia tempore vnius horę poteſt eſſe maior, vel minor motus: & eadem extenſio motus poteſt fieri in maiori tempore; ergo nec motus eſt menſura per ſe temporis, nec tempus motus. Probatur antecedens, quia poteſt eſſe maior, vel minor ſucceſsio mobilis ſupra ſpatium: nam maiorem efficiet ſucceſsionem velociſsimus equus, quam teſtudo eodem ſpatio horæ.

Vltima aſſertio. Nullus motus ſecundum propriam extẽſionem poteſt alio motu menſurari. Probatur aſſertio, quia extenſio motus, vt motus eſt, non eſt duratio, ſed ſucceſſio.

Motus non mẽſuratur tẽpore, nec contra.

Dices in primam aſſertionẽ. Vt diximus quæſt. 2. in diuiſibile, vel exiſtens per indiuiſibile non eſt menſurabile; ſed motus, & tempus exiſtunt per indiuiſibilia, quia de tempore iuxta cõmunem philoſophorũ ſententiam ſolũ exiſtit inſtans, & de motu mutatum eſſe (ſic enim loquitur Seneca lib. 6. naturalium quæſtionum fere in fine: *Fluit tempus, & auidiſſimos ſui deſerit, nec quod futurum eſt meũ eſt, nec quod fuit in puncto fugientis temporis pendeo*: ergo tẽpus & motus nõ ſunt res menſurabiles. Omiſsis variis ſolutionibus illorum, qui exiſtimãt, partes temporis copulari inſtantibus, & partes motus mutatis eſſe, facile reſpondemus, motum & tempus ſucceſsiuorum more exiſtere per ſuas partes fluentes, vt diximus ſupra diſput. de inſtantibus.

Dices in tertiã aſſertionem. Res ſucceſsiua menſuratur per ſuam durationem; ergo motus menſuratur per ſuam durationem: ergo per ſuum tempus, nam tempus fuit diffinitum à nobis, duratio motus. Reſp. negando maiorem, nam res ſucceſsiua redditur quidẽ menſurabilis ſua duratione, ſed non menſuratur illa.

Dices in quintã aſſertionem. Per motum interdum reddimur certi de tempore, & è cõtra; ergo motus poteſt eſſe mẽſura per ſe temporis, & è contra. Reſp. negando conſequentiam, quia per motum reddimur per accidens, & arbitrio humano certi de tempore, & per tempus de motu, & hoc per ordinem ad coëxiſtentiam extrinſecã alterius, quia ſcilicet inſpecto alio motu velocitatis

deter-

determinatæ, in tanta duratione alicuius alterius temporis, arbitrio humano, ſeruata proportione poſſumus ferre iuditium de æqualitate inter illos.

Dices in vltimam aſſertionem. Omnis extenſio eſt menſurabilis alia extenſione eiuſdẽ ſpeciei; ergo extenſio motus, vt motus eſt, erit mẽſurabilis alia extẽſione eiuſdẽ ſpeciei. Reſp. ex prima obſeruatione negando antecedens, nam loquimur de menſura, quę eſt duratio, nõ vero de illa, quæ eſt ſucceſsio. Ex dictis ſatisfit teſtimonio Ariſtotelis initio adducto: intelligendus enim eſt de mẽſura modo explicato in ſolutione argumenti contra quintam aſſertionem. Menſura enim, & res mẽſurata debent eſſe neceſſario eiuſdem ſpeciei, vt dubio ſequenti demonſtrabimus.

Quæres igitur vltimo, an mẽſura & menſuratum debeant eſſe eiuſdẽ ſpeciei infimæ. Obſeruandum eſt, omnẽ menſuræ rationem conuenire rebus ratione quantitatis, & cum hæc ſit duplex, molis ſcilicet, & perfectionis, etiam menſura erit, duplex. Nomine menſuræ molis intelligimus nõ ſolum trinã dimenſionem, ſed etiam durationem ſucceſsiuam, & ſucceſsionem ipſius mobilis.

Sit aſſertio. Menſura & mẽſuratum in menſura ſucceſsionis, & durationis debent eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ. Probatur primo. In menſura molis, ſcilicet in linea, ſuperficie, corpore, & loco hoc requiritur; ergo etiã in menſura durationis, & ſucceſsionis: aut reddenda eſt diſparitas rationis. Probatur. 2. quia iſtæ menſuræ neceſſario requirunt ęqualitatem cũ re mẽſurata: non enim ſunt ſicut menſura perfectionis, quæ res menſurat non per æqualitatem, ſed per maiorẽ, vel minorem acceſſum rei mẽſuratæ ad illam. In aliis vero menſuris aliter res ſe habet: nam mẽſura actiua non menſurat per acceſſum, vel receſſum naturæ menſurati ad illam, ſed potius per ęqualitatẽ extẽſionis eiuſdem ſpeciei in fimæ in vtroque. Hæc obiter dicta de durationibus, & menſuris modo ſufficiant: quæ omnia Romanæ Eccleſiæ, ſicut cætera, ſubiecta eſſe volumus.

Finis quarti libri Phyſicorum.

COM-

COMMENTARII VNA CVM QVÆSTIONIBVS in 5. lib. Phyſicorum Ariſt.

HOC libro,& aliis tribus,qui ſequuntur,diſputat Ariſt. copioſiſsime de motu. Dixit enim lib.3. quid ſit motus,& cui inhæreat: in his quatuor libris reliqua ad conſiderationem motus pertinentia pertractat. Hic liber 5. qui ſex capitibus continetur,tres habet partes: nam primis duobus capitibus agit Ariſt. de ſpeciebus motus.3. &4. de vnitate motus diſſerit: ac tãdem 5.&6. diſputat de motus contrarietate. Nos etiam tribus diſputationibus huius libri quæſtiones abſoluemus.

CAPVT I. DE MODIS QVIBVS aliquid mouet,& mouetur.

M*OVETVR autem omne,&c.* Tria præſtat Ariſt. in hoc capite: primo proponit modos,quibus aliquid mouet,& mouetur: ſecundo docet, motũ non eſſe in termino à quo, neque in termino ad quem, ſed in eo quod mouetur: tertio ꝓponit varias ſpecies motus,& mutationis. Primo ergo docet,trib⁹ modis aliquid moueri: primo per accidens, vt muſicus,quia accidit,vt is, qui mouetur, ſit præditus muſica. Secundo per partem, vt corpus dicitur curari,quia cũratur occulus,aut pectus. Tertio mouetur aliquid per ſe,vt egrot⁹ per ſe curatur. Subdit poſtea:hæc quæ mouẽtur per ſe, non omnia eodem genere motus moueri: nã aliqua ſolum poſſunt moueri ſecundũ locũ,vt cœleſtia corpora;alia vero etiam poſſunt alterari, vt hæc inferiora.

Quod etiam ſit in eo quod mouet, &c. Proponit eãdẽ diuiſionẽ in eo quod mouet: nam id ꝙ mouet, aut per accidens mouet, vt muſicus mouet lapidẽ

per accidens; aut per partem, vt homo mouet lapidem per manum: aut mouet per ſe, vt medicus per ſe curat.

Quoniam autem, &c. Iam, vt probet, motũ non eſſe in termino ad quem, nec in termino à quo, ſed in re, quæ mouetur, monet in motu quinque reperiri, ſcilicet, id quod primo mouet, id quod mouetur, tempus, in quo fit motus, terminũ à quo, & terminum ad quem. Aſſumit præterea id ꝙ primo mouet, terminũ à quo & terminum ad quem eſſe diuerſa. Oſtendit ergo motum, nõ eſſe in termino ad quem, ſeu in forma, ſed in mobili: nam forma, ſiue terminus ad quem nec mouetur; cum forma aut ſit id, quo mouens mouet, aut quo mobile mouetur, & motus magis ſpectari debet, ex eo quod mouetur. Quibus verbis, licet obſcure, demonſtrauit, motũ non eſſe in termino à quo. Colligit poſtea, interitũ eſſe motum rei ad nõ eſſe; generationem vero eſſe motum ab eo, quod nõ eſt, ideſt à priuatione ad id, quod eſt; ideſt, ad compoſitũ naturale.

At quia motus ſit, &c. Ex definitione mot' tradita libro 3. demonſtrat, motum non eſſe in termino ad quẽ: nam formæ, quæ adquiruntur, non poſsũt moueri; quærit tamẽ, an formæ adquiſitæ per motum, ſint motus: & reſpõdet non eſſe motus: quia daretur ad mutationem mutatio; ex quo fieret, rem moueri, quando eſt in termino, ꝙ eſt abſurdum. Quare albedo, verbi gratia, non eſt motus ad albedinem; ſed motus ad albedinẽ eſt dealbatio.

Atq; etiam in illis, &c. Deinde docet, rem poſſe moueri in formã tripliciter, ſcilicet, per accidens, per partẽ, & per ſe: vt cũ aliquid dealbatur, mutatur in rem intelligibilẽ per accidens; quia accidit albedini, quæ adquiritur, vt mente concipiatur: & mutatur in colorem tanquam per partem; quia albedo eſt pars coloris; & mutatur in albedinem per ſe. Quare, inquit, perſpicuum eſt, qua ratione aliquid moueat, & moueatur ꝑ accidẽs, per partem, & per ſe; tum etiã adquiratur forma ꝑ accidẽs, per partem, & per ſe: ac tandem perſpicuum eſt, motum eſſe in re, quæ mouetur, & nõ in forma, quæ adquiritur.

At is quidẽ motus, &c. Ex ſuperioribus mutationibus docet, à phyſico inſtituto eſſe alienam mutationem per accidens; quia in omnibus reperitur;

ritur; ac proinde eſſe prætermittendam, & diſputandum eſſe de mutatione per ſe, quæ ſolū reperitur inter aduerſa, Inter media, inter priuantia, & cōtradicentia, vt inductione conſtat. Ex medio vero fit tranſitus, & mutatio in alterum extremum, quatenus medium induit rationem alterius extremi, vt ex cœruleo colore, quaten⁹ induēit rationem albedinis, fit tranſitus in nigredinem.

Quoniam autem omnis, &c. Vt explicet partes, & genera mutationis, aſſumit prius, omnē mutationem fieri ex vna re, In aliam; idque probat ex nōminis ſignificatione: nā mutatio ſignificat, poſt aliquid aliud. Cum igitur mutatio ſit ex vno in aliud, quot modis vnum ſequitur poſt aliud, tot ſunt mutationis genera. Quatuor ergo modis aliquid videtur poſſe mutari. Nam aut aliquid mutatur ex ſubiecto in ſubiectum, ideſt, ex termino poſitiuo, in terminum poſitiuum; (nomine ſubiecti obſeruat, ſe intelligere terminū poſitiuū) aut ex termino priuatiuo, in terminum priuatiuum; aut ex termino priuatiuo, in terminum poſitiuum; aut ex termino poſitiuo, in terminum priuatiuum.

Itaq; neceſſe eſt, &c. Statuit ex quadruplici cōbinatione adducta, tribus modis poſſe fieri mutationem, nempe eam, quæ fit ex termino poſitiuo in terminum poſitiuū, vt calefactio, quæ fit à frigiditate in calorem: eam, quæ fit à termino priuatiuo, in terminum poſitiuum, vt quando ex non homine fit homo; & eam, quę fit ex termino poſitiuo, in terminum nō poſitiuum, vt quādo ex homine fit non homo. Illo enim quarto modo, ex non poſitiuo ſcilicet in non poſitiuū docet nō poſſe fieri mutationem: quia nec eſt inter terminos cōtrarios, nec inter terminos cōtradictorios.

At ea quidem mutatio, &c. Diuidit generationem in ſimplicem, in qua ex non ſubſtātia fit ſubſtātia; & in generationem ſecundum quid, in qua ex non accidente fit accidēs: ſimiliter corruptionē in ſimplicem, per quam ex ſubſtantia fit non ſubſtantia; & in ſecūdum quid, per quam ex accidente fit non accidens.

Quod id quod non eſt, &c. Antequam doceat, generationē ſubſtantialem non eſſe proprie motum, obſeruat nō ens accipi tripliciter. Primo pro eo, quod non reperitur in rebus, ſed in ſolo intellectu cō-

ponente aut diuidente; vt hominem eſſe aureum, vel non eſſe animal. Secūdo ſumitur non ens pro materia prima, quæ nō eſt actus ſubiectiuus, ſed pura potentia ſubiectiua. Tertio ſumitur pro negatione alicuius eſſe accidentarij, vt pro non albo. Hoc poſito ita diſputat. Non ens primo modo moueri non poteſt, vt omnibus eſt manifeſtum; nec moueri poteſt non ens ſecundo modo: quia non eſt ens actu completum, & ſimpliciter; neque non ens tertio modo: (niſi fortè ex accidente: quia, ſcilicet, accidit non album verbi gratia, eſſe Socratem) ergo generatio, quæ fit ex non ente ſecūdo modo, nō poteſt eſſe proprie motus.

Eodemq́; modo, &c. Idem ac alia ratione cōfirmat. Id, quod poteſt moueri aliquo motu, poteſt quieſcere, & debet eſſe in loco; ſed materia prima, quæ eſt ſubiectum generationis, non eſt per ſe in loco; cū nō ſit ſimpliciter ens, nec poteſt moueri ſecūdum locum, aut in illo quieſcere; ergo generatio ſubſtātiæ non eſt motus. Corruptionem ſubſtātiæ non eſſe motum, oſtendit ex eo, quia generatio, quę illi cōtraria eſt, etiam eſſet motus, aut quies poſitiua.

Quoniamq́; motus, &c. Probat iam, quod nam ex tribus generibus mutationis ſit proprie motus. Inquit ergo: cum motus proprie dictus ſit quædam mutatio, & tria ſint genera mutationis, vt dictū eſt, ex illis generatio & corruptio nō ſint proprie motus; eo quod nō ſunt inter terminos poſitiuos: proinde illa ſola mutatio eſt vere, & ꝓprie motus, quæ fit à ſubiecto in ſubiectū, idest à termino à quo poſitiuo, in terminum ad quē poſitiuum: nam nomine ſubiecti, cōpertum eſt ex dictis, intelligere terminum poſitiuum. Obſeruandū tamen eſt, per terminos poſitiuos contrarios etiam intelligere media qualitates: vt recte annotauit Simplicius.

Quod ſi categoriæ diuerſæ, &c. Cōcludit caput dicens: Cum decem ſint categoriæ, ſcilicet ſubſtantia, quantitas, &c. ad tres tantum categorias datur motus, nempe, ad quantitatem, qualitatem, & vbi.

CAPVT II. AD QVAS CATEGORIAS ſit per ſe motus.

E*x eſſentia autẽ, &c.* Oſtẽdit ad tres tã tũ categorias dari per ſe motũ; prius tamẽ inductione probat, ad alias categorias nõ eſſe per ſe motum. In primis ad ſubſtantiam non eſt per ſe motꝰ; quia motꝰ eſt inter cõtraria, & ſubſtantiæ nihil eſt cõtrarium. Deinde ad relatione nẽ nõ eſt per ſe motꝰ: quia relatio alicui accidere poteſt, abſq. eius mutatione, per mutationẽ alterius extremi: quare ad relationem tantum datur motus per accidens. Præterea neque ad actionem, aut paſsionem: ratio eſt, quia ad motum non datur motus; nec ad mutationem mutatio.

Primum enim mutationis, &c. Docuit ad mutationem non dari mutationem; quia vero id poteſt intelligi dupliciter: primo ita, vt mutatio ſit in mutatione tanquam in ſubiecto: ſecundo ita, vt ſit à mutatione tanquam à termino à quo, vel in mutationem tanquã in terminum ad quem, primo docet, primo modo mutationis non eſſe mutationẽ; quia fieri non poteſt, vt motus mutet locũ, alteretur, aut adquirat quantitatem: nam hæc ſubiectis, quæ mouẽtur, conueniunt.

Aut quod aliquid aliud, &c. Probat deinde, ſubiectum nõ poſſe moueri per ſe tanquam ex termino à quo ex vna mutatione in aliam. Sumit tamẽ prius, motum eſſe mutationẽ à termino vniꝰ ſpeciei, in terminum alterius, quod non ſolum conuenit motui proprie dicto; ſed etiam mutationi, verbi gratia generationi, licet cum diſcrimine: nam in motu ſit tranſitus à cõtrario in contrarium; in mutatione vero inter terminos contradictorios: quo poſito videtur ita diſputare. Si egrotatio, verbi gratia, tẽderet tanquã à termino à quo ab vna mutatione in aliam tãquam in terminum ad quem, cum termini debeant eſſe contrarii, tenderet ſimul ex ſanitate ad egritudinem & ſanitatẽ, atq. idem ſimul moueretur ad ſanitatem, & ad egritudinem; quod certe fieri non poteſt.

Præterea in infinitum, &c. Probat alia difficillima ratione, mutationis nõ dari per ſe mutationem, quæ ita habet. Mutationis datur mutatio; ergo proceſſus eſt in infinitũ, qui non debet admitti. Probatur anteecdẽs: quia hæc mutatio, verbi gratia, ignis generatio, fieret per aliam, & illa alia per aliam, & ſic in infinitum.

Præterea cū eiuſdem motus, &c. Probat etiam idem; ſumendo prius, idem poſſe moueri contrariis motibus; licet non ſimul, & poſſe corrumpi, quod generatur. Ita ergo diſputat. Si generationis eſſet generatio; cum id quod generatur poſſit interire, generationis eſſet interitus, quod eſt abſurdum.

Præterea cum materia, &c. Aliis tribus rationibus probat nec mutationis eſſe mutationem, nec generationis generationem. Prima ratio eſt: quia omnis mutatio requirit ſubiectum à mutatione diuerſum, & terminum, ad quem proficiſcitur; at mutatio nec poteſt eſſe tale ſubiectū, nec terminus. Secun. ratio eſt. Vt ſe habet generatio diſciplinæ ad diſciplinam, ita generatio generationis ad generationem; ſed generatio diſciplinæ non eſt diſciplina; ergo nec generatio generationis eſt generatio. Tertia ratio. Cum tres tantum ſint mutationis ſpecies, mutatio moueretur ad aliquā ex illis, quod manifeſte eſt falſum.

Quoniam autē nec, &c. Colligit ex dictis. Quoniam mot⁹ nec eſſe poteſt ad ſubſtantiā, nec ad relationē, nec ad actionem, nec ad paſsionem; relinquitur ſolum, dari motum ad tres categorias; ſcilicet ad quantitatem, qualitatem, & vbi: nam in his categoriis reperitur contrarietas. Ex his vero motibus, ille, qui eſt ad qualitatem, dicitur mutatio, ſiue alteratio. Obſeruat tamen ſe nomine qualitatis non intelligere qualitatem eſſentialē, quæ ſumitur à differentiis, ſed intelligere patibilem qualitatem, quæ pertinet ad tertiam ſpeciem qualitatis; motus vero ad quantitatem, communi nomine appellatur accretio, & decretio: eſt accretio, quando adquiritur maior quātitas; decretio, quādo adquiritur minor: motus vero, qui eſt ad vbi, & ad locū tanquam ad formam extrinſecam, appellatur latio, ſiue motus ad locum; quamuis proprie ſolum dicuntur fieri ea, quæ in ſe non habent principium, quo medio poſsint ceſſare à motu quādo velint: mutatio vero, inquit, quæ eſt inter formam eiuſdem ſpeciei, vt cum quantitas intenditur, vel remittitur, etiam eſt alteratio, ſiue cōmutatio. Eſt enim mutatio, aut à contrario in contrarium, aut omnino; aut ſaltim quadam ex parte; verbi gratia ſecundum gradus. Si enim fit ad plures

gradus

gradus eſt intenſio; ſi ad pauciores, remiſsio. Quare ex his iam certũ eſt, tantũ dari motum ad has tres categorias.

Immobile autem ideſt, &c. Cũ quies contraria ſit motui, & dictũ ſit quot modis res moueatur, explicat quot modis quieſcat; ita tamen dilucide, vt explicatione non egeat.

CAPVT III. IN QVO QVÆDAM iacit fundamenta.

SEQVITVR *vt quid ſit ſimul, &c.* Obſeruat in principio capitis ſe velle explicare, quid ſit eſſe ſimul, eſſe ſeparatim, ſe tangere, eſſe medium, cohærere, eſſe cõtinuũ, hæcque quibus natura ſua cõuenire ſoleant.

Simul igitur & in eodem, &c. Ea ſunt ſimul loco, quæ ſunt in eodem loco proprio; ea ſũt ſeparatim, quæ ſunt in diuerſis; ea ſe tangunt, quorum extremitates ſunt cõiunctę. Mediũ eſt, ad quod prius perueniri ſolet, quam ad finem, id quod mouetur motu continuo. Mediũ enim ad minus debet eſſe inter duo extrema contraria.

Continenter autem, &c. Docet, motum continuum eſſe illum, in quo nihil interrumpitur temporis, aut magnitudinis; aut ſi forte interrũpitur magnitudinis, debet eſſe parum. Vbi obiter obſeruat, ad continuitatem motus nõ eſſe omnino neceſſariam cõtinuitatem ſpatij.

Contrarius autem locus eſt, &c. Loca contraria ſunt, quæ inter ſe plurimum diſtant ſecũdum lineam rectam: ſumitur autem diſtãtia, & mẽſura à linea recta; quia hæc eſt minima omniũ, & finita. Eſt enim à puncto ad pũctum breuiſsima diſtãtia; menſura namq; debet eſſe finita & minima.

Deinceps autem ſequitur, &c. Ea deinceps ſequuntur, inter quæ nihil mediat eiuſdem generis: poteſt vero aliquid deinceps ſequi vel natura, vel ſitu, vel tempore, vel aliquo alio modo: hoc ipſum videtur eſſe cohærens ſiue contiguũ; eſt enim cohærens, ſiue contiguum id, quod mediate ſequitur, ita tamẽ vt tangat illud. Qua propter, inquit, cum omnis mutatio ſit inter cõtraria, & cõtraria ſint aduerſa & cõtradicentia, in contradicentibus

bus nihil eſt interiectum: in aduerſis vero reperitur interiectum, medium ſcilicet.

Continuũ vero, &c. Continuũ eſt, quod alteri cohæret. Dicũtur enim illa efficere continuum, quorum extremitates ſunt idem: id enim ſignificat nominis ethymologia. Dicitur enim continuum quaſi ea ex quib' res cõtinua eſt, vna teneantur, ita vt efficiat vnũ. Efficiunt ergo continuum ea, quorum vltima ſunt idem, vt duæ partes lineæ eiuſdem: ſi vero continuum non ita per ſe ſumatur, dicũtur aliqua cõtinua trib' modis. Primo ea, quæ inter ſe coniungũtur clauo, aut glutine aliquo. Secundo duo extrema, quæ inter ſe mutuo cohærent, vt arbores, quæ inſeruntur. Tertio propriè, illa ſcilicet, quorum extrema idem ſunt.

Perſpicuum eſt etiam, &c. Confert inter ſe eſſe deinceps tãgere & continuum ſumptũ proprie, docetque latius patere eſſe deinceps: nam eſt deinceps omne quod tãgit, nõ tamen è cõtra, cũ ſpecies numeri ſint deinceps. Imò poteſt aliam & non ſe contangent. Deinde latius etiam patet tãgere, quã eſſe cõtinuum: quia omnia continua ſe tangunt, non tamen omnia, quæ ſe tangunt, ſunt continua.

Quo circa ſi pũctum, &c. Ex dictis infert, puncta & vnitates diſtingui, etiam ſi ſint res ſeparatæ, vt quidam voluerũt: nam puncta tangunt res, quarum ſunt puncta; vnitates vero deinceps ſequuntur, & inter pũcta ſemper reperitur linea media: inter vnitates vero non eſt neceſſe aliquid reperiri. Concludit dicens. Diximus, quid ſit eſſe ſimul, ſequi deinceps, cohærere, eſſe continuum, & quibus conueniat vnumquodque horum.

CAPVT IIII. DE VNITATE MOTVS.

V*NVS autẽ motus, &c* Agit iam de vnitate motus, ac ſtatim docet, motum multis modis dici vnum: cum vnũ multis modis dicatur, ſcilicet genere, ſpecie, & numero. Ille ergo mot' eſt vnus genere, qui eſt ad terminum vni' categoriæ, vt omnes mot' ad locum ſunt eiuſdem generis, alteratio verò, & motus localis pertinent ad diuerſa genera. Illi vero ſunt eiuſdem ſpe

ctei, qui tendunt ad terminũ eiuſdem ſpeciei, vt omnes de albationes, & ſi ſpecies ſit in teriecta, nõ ita proprie eſt vnius ſpeciei, ac ſi eſſet infima. Sed dicemus diffuſe de his in 2. parte diſputationis quęſtione prima.

Sed quæri hoc loco poteſt, &c. Expendens Ariſt. quæ docuit de vnitate ſpecifica motus, inquirit, an motus localis à puncto ad punctum per lineam rectã, & per circularem ſint eiuſdem ſpeciei. Et reſpõdet, pertinere ad diuerſas ſpecies propter diuerſa media: nam ad vnitatem motus localis deſideratur etiam vnitas ſpatij.

Omnino autem motus, &c. Explicat iam, quinam motus ſit omnino vnus, id eſt vnus numero. Docet ergò, ad vnitatem numericam motus requiri vnitatem numericam temporis, mobilis, & ſpatij.

Quod ſi Socrates, &c. Quæret, inquit, aliquis: an ſi Socrates modo alteretur, transacta alteratione, poſtea iterũ alteretur, an iſtæ alterationes efficiant vnam numero alterationẽ. Reſpondet, quod ſi id, quod periit, redire poteſt, efficient vnam numero alterationẽ; ſin minus, minime. Quaſi diceret, quia quod tranſactum eſt, redire non poteſt; proinde nõ efficient vnam numero alterationem.

Exiſtit autem alia quæſtio, &c. Quærit 2. an valetudo, vel alia qualitas, quę diu manet in aliquo ſubiecto, verbi gratia in Socrate, ſit vna numero, affertq. rationem dubitandi; quia, ſcilicet, ſi ſubiecta, quibus hę qualitates inhærẽt ſemper labuntur, & amittunt ſubſtantiam, de nouoq. aliã adquirunt, & nihil ominus ſunt eædem qualitates numero, cur alteratio facta cum intermiſsione nõ erit vna numero, cũ in vtroq. eadẽ ratio militare videatur.

Sed etiam intereſt, &c. Soluit dubitationem, ſed ita obſcurè, vt interpretes multi, vt Simplitius, & alij aſſerãt, locum eſſe corruptum: hæc tamen eſt ſolutio. Quamuis ad vnitatem motus requiratur vnitas formæ, tamẽ non ſufficit vnitas formæ ad quiſitæ ad vnitatem motus; ſed vnitas temporis deſideratur etiã. Quare quando res diu conſeruat qualitatem, cũ ſit vnitas formæ, tẽporis, & ſubiecti, eſt vna numero alteratio, nã etſi ſubiectum paulatim labatur non tamen totũ ſimul. Quãdo verò fit alteratio cum intermiſsione, nõ datur vnitas

temporis; ac proinde non eſt vna numero alteratio. Sed hîc diligenter obſerua, loqui Ariſt. de tempore harum rerum inferiorum; nō vero de tēpore primi mobilis: Nam ille ſemper eſt vnus numero: hincq. collige, durationē motuum harum rerum inferiorum eſſe formaliter tempus.

Quoniam autem continuus eſt,&c. Explicat diffuſi⁹, quæ concurrāt ad vnitatem numericam motus. Inquit, ergo, licet omnis mot⁹ ſit cōtinuus, ille tamen ſolus eſt vnus numero, cui⁹ partes ſunt termino cōmuni copulatæ: tamen non omnia poſſunt per extrema copulari; ſed ea ſolū, quę ſunt eiuſdem naturæ: vt partes lineæ inter ſe; non tamē deambulatio, & linea, verbi gratia: quod etiam aſſerēdū eſt de motibus, ſi inter ſe cōferantur: Nam motus diuerſę naturę, vt dealbatio, & motus ad locum, nō poſſunt effi cere vnum cōtinuum. Monet tamen motus ſpecie, & genere diſtinctos poſſe eſſe coherētes: vt ſtatim ac aliquis cō ſumauit curſum, poteſt ægrotare. Minus enim requiritur ad conuenientiam, quā ad cōtinuitatē: vt hîc explicat, & dixit ſatis capite ſuperiori.

Itaq. vnius rei,&c. Iterū docet, ad vnitatem numericā motus requiri, vt ſit eiuſdem mobilis, eiuſdem temporis, & ſpeciei.

Vnus etiam omnino,&c. Inſuper monet, etiam motū dici vnum, ſiue ſit vnus genere, ſiue ſpecie, ſiue numero, qui habet perfectionem ſuæ naturæ debitam. Nam vnum, totum, & perfectū idem ſunt: vt dicem⁹ lib. 1. de Cœlo c. 1. Interdum tamen motus dicitur vn⁹, licet ſit imperfectus, dummodo ſit cōtinuus, ideſt etiam dicitur vnus ille mot⁹, per quem mobile non adquiſiuit totum terminum; dūmodo fiat abſq. intermiſſione.

Atq. etiam aliter,&c. Dicitur præterea vnus motus ille, qui eſt æquabilis: nā motus inæquabilis non videtur ita perfectè vnus; quemādmodū etiam linea recta videtur magis vna, quam illa, quæ eſt obliqua, & variis flexibus implicata. In omni enim motu eſt æquabilitas, vel inęquabilitas: nam æquabiliter poteſt aliquid commutari, ferri in locum, accreſcere, vel decreſcere.

Inæquabilitatis autē cauſa,&c. Affert duas cauſas inæquabilitatis motus. Prima eſt ſpatium, quando ſcilicet via eſt tortuoſa, & fractibus

plena.

plena. Secũ. cauſa eſt modus motus, quando ſcilicet, mouẽs mouet modo maiori vi, & modo minori; proinde modò celerius, & modò tardius. Motus enim, qui fit æquali celeritate, dicitur æqualis; qui vero non fit æquali ſeruata celeritate, dicitur inæquabilis.

Itaque non ſpecies motus ſunt, &c. Infert ex dictis tria conſectaria. Primum eſt. Celeritas, & tarditas, nec ſunt ſpecies, nec differentiæ eſſentiales motus. Id probat, quia quiuis motus poteſt eſſe velox, aut tardus. Secun. conſectarium. Quemadmodũ tarditas, & celeritas non ſunt ſpecies, aut differentiæ motuũ, ita nec grauitas, qua aliquid in locum inferum tẽdit celeriter, differt ſpecie à grauitate, qua aliud tarde moueatur ad eundem locũ: vt ſi ſumantur duæ portiones terræ, quarum vna ſit exigui ponderis, & alia maximi. Idẽ dicendum eſt de leuitate.

Et inæquabilis quidẽ, &c. Tertium cõſectariũ. Inæquabilitas nõ impedit vnitatem motus, dũmodo ſit cõtinuus; licet aliquo modo motus inæquabilis ſit minus vnus: habet enim in ſe aliquam permixtionem contrarij. Hinc infert. Cum omnis mot⁹, qui eſt vnus, poſsit eſſe æquabilis, & inæquabilis, profecto motus, qui non ſunt eiuſdem ſpeciei, non poſſunt efficere vnum motum numero: nam qui fiet, vt ſit æquabilis ille, qui pertinet ad diuerſas ſpecies, v. g. ad lationem, & cõmutationem? Quare concludit, ad numericam vnitatem motus requiri cõtinuitatem.

CAP. V. DE CONTRARIETATE MOTVS.

NVNC *exponendum eſt, &c.* His duobus vltimis capitibus agit de contrarietate motus, & de quiete illi oppoſita. Initio ſtatim adfert quinq. modos, quibus inter ſe motus poſſunt videri oppoſiti. Primus eſt, quãdo terminus à quo vnius eſt terminus ad quem alterius. Secundus, quãdo motus incipiunt à terminis cõtrariis. Tertius, quã do tendunt ad terminos contrarios. Quartus, quando vn⁹ incipit ab vno contrario, & alter tendit ad alterum. Quintũs, quando incipiunt à terminis contrariis, & tendunt

ad terminos contrarios.

Ac is, quo ex contrario in contrarium,&c. Reiicit quartum modum: nam motus ſic ſumpti potiꝰ ſunt idem, quã contrarij.

Nec is quo ex contrario, Reiicit ſecundũ modum, non quia motꝰ ſic ſumpti nõ ſint oppoſiti, ſed quia non id circo, imo potius, quia tendunt in contraria. Quia à contrariis terminis poteſt dari progreſſus ad eundem, ad mediũ ſcilicet, & non ſolum ad terminos inter ſe cõtrarios. Tũ etiam, quia diſcedere à cõtrariis, eſt contraria abiicere; tẽdere vero ad contraria, eſt ea aſſumere: & contrarietas penſanda eſt ex his, quæ aſſumũtur per motũ. Prætereà, quia motus deſumunt contrarietatem à terminis ad quos tendunt, quemadmodum & denominationem.

Relinquitur ergo,&c. Nũc, tertium modum cum quinto coherere oſtendit.

Quoniam autem,&c. Docet, nos dũ taxat motus oppoſitos eſſe, qui ex cõtrariis terminis tendunt in contrarios, vt ægrotatio & ſanatio.

Inductione autem,&c. Demonſtrat exẽplis, quália ſint cõtraria oppoſitos motus cõſtituentia. Adducit inter illa ſcientiam, & errorem: & nõmine erroris intelligit ignorãtiam prauæ affectionis, cuius meminerat in lib. de poſteriori reſolutione. Idem explicat inductione facta in aliis motibus.

Is autem quo tantum,&c. Expendit nunc primum modum initio adductum, & docet, quod in his, in quibꝰ mutatio fit in contrarium, nõ vero à contrario, id eſt non à cõtraria verbi gratia qualitate, nõ eſt proprie motus, ſed mutatio; vt ſi fiat album & non ex ſuppoſita contraria qualitate. Obſeruat tamen, ſufficere hoc ad mutationes proprie contrarias, quales ſunt generatio, & corruptio leonis verbi gratia: ſed nõ ſufficere ad contrarietatẽ motus proprie dicti. Tandem docet, motus inter contraria habentia medium diiudicandos eſſe ſicut illos, qui tendũt ad extrema; nam medium cum vno extremo comparatum ſubit rationem alterius: vt viridis color, ſi conferatur cum nigro, optinet vicem albedinis.

CAPVT VI. QVÆNAM QVIES SIT CONTRARIA MOTVI.

QVONIAM *autē,&c* Quia vt mot⁹ motui, ita quies quieti contraria videtur, proinde hoc nobis explenandum eſt. Cum etiā non ſolum motus motui contrarius, ſed etiam quies motui cōtraria apareat, hoc etiā explicem⁹ oportet. Nā quies eſt priuatio, & quatenus priuatio eſt, motui opponitur. Dubium tamen eſt, an priuatio quæ eſt in termino à quo vel potius quæ eſt in termino ad quem. Pro cuius rei explanatione nonnullas conſtituit aſſertiones. Eſt igitur prima. Non quæuis quies opponitur cuiuis motui, ſed illa tātum, quæ eſt quies in illo motu: verbi gratia motui locali quies in loco. Sed quia res hæc nimis generalis eſt, proinde videamus, an motui ſit cōtraria quies, quæ eſt in termino à quo, vel quæ eſt in termino ad quem. Sit ergo ſecunda aſſertio. Cū motus verſetur inter duos terminos, nēpe inter terminum à quo, & terminum ad quem, non opponitur quieti, quæ eſt in termino ad quem, cū hæc ſit perfectio mobilis, ſed illi poti⁹, quæ eſt in termino à quo. Subdit tamē, quietem in termino ad quem oppoſitā eſſe quieti in termino à quo: nā ſi motus ſunt contrarij, quietes debent eſſe contrariæ.

Sunt autē ſtatus, &c. Tertia aſſert. Quietes, quæ ſunt in terminis cōtrariis, ſunt cōtrariæ inter ſe, & eadē ratione motus, quibus ab eis mobile recedit, vel ad eos proficiſcitur. Nam non eſt rationi conſonum, vt inter ſe non ſint contrariæ quietes, quarū motus contrarij ſunt.

Quibus autem non ſunt data, &c. Agit iam de contrarietate inter quietes mutationū & aſſumit iterum, quod dixerat de contrarietate mutationū, quæ ſunt inter terminos, quorum alter nō eſt quid poſitiuum. Et obſeruat, non dari proprie ſtatum, ſiue quietem mutationum, ſed appellandam eſſe carētiam ſiue vacuitatē. Nam ſi ceſſatio à mutatione inſtantanea, & proprie dicta eſſet appellanda quies, non omnis quies motui eſſet opoſita, ꝙ repugnat communi Philoſophorū dicendi modo, cū doceant Philoſophi, ſolum id quieſcere, quod aptum eſt moueri. Aut certe inſtantanea mutatio, qualis eſt generatio ſubſtantiæ leonis verbi gratia, deberet inter motus connumerari, quod ſuperiori capite impugnatū fuit. Interim tamē, in-

inquit, negandũ non eſt, præ dictam mutationis vacuitatẽ cum quiete maximam ſimili tudinem habere, ſed nulli eſt contraria, aut eſt cõtraria ei, quæ in eo quod non eſt verſatur, ideſt corruptioni: nam hæc progreditur ex ea, generatio vero in illam.

Hoc etiã quæri poteſt, &c. Quandã pertractat quæſtionem, & inquirit, an quemad modũ reperiuntur motus locales naturales, & contra naturã, ſimiliter & quietes: nã mot⁹ localis diuiditur in naturalem & violentum, ſimili ter & quies: an etiam idem cõtingat in aliis ſpecieb⁹ motus, ſiue mutationis. Nam nõ videtur magis naturalis adquiſitio ſanitatis, quam mor bi. Nec eſt magis naturalis dealbatio, quam denigratio. Similis etiã videtur ratio in accretione, & decretione: hæ enim inter ſe nõ ſunt con trariæ, ex eo quod vna ſit na turalis, & alia contra naturã. Hoc idem cernitur in genera tione, & corruptione ſubſtã tiali: nam ex his mutationibus non eſt vna naturalis, & alia contra naturam: neque vna generatio naturalis eſt, & alia contra naturam.

Quod ſi ea ergo, &c. Vt propoſitam diluat dubitationẽ, aſſumit prius, id omnẽ quod fit per vim eſſe prꝑter naturã ſiue cõtra naturã: nam quod ſic fit, habet principium mouens extra ſe, & hoc eſt violẽtum. Quo poſito, ſatisfacit quæſtioni, dicẽs, in aliis etiã mutationibus dari aliquas ſecundum naturam ſiue naturales, alias vero cõtra naturam ac violentas. Generatio nãq. alia eſt naturalis, quæ naturę ordine fit; alia vero non fato præſcripta, ideſt violenta, quæ citius fit, quam naturæ ordo poſtulare videatur. Hui⁹ generis eſſet productio ranarũ, aut ſerpentis, & aliarum rerum, quæ interdum ar te fiũt, applicãdo actiua paſſiuis. Vel intempeſtiuus roſarum, aut fructuũ ortus factus agricolarum induſtria per aquę calidę irrigationem, applicationẽ ve extercoris, olei, aut alterius rei. Eodẽ modo nobis philoſophandũ eſt de interitu, nam alius eſt naturalis, & violentus alius. Ille eſt naturalis, qui fit propter defectũ calidi innati, qualis eſt, qui ſenectutem ſequitur. Alius vero eſt violentus à cauſa ſcilicet extrinſeca, vt cũ homo vi morbi perit, aut ab alio interficitur. Ad hæc accretio alia eſt naturalis, quæ fit ordine naturæ ſeruato:

to: & alia, quæ fit per vim, & multo minori tēpore, quā ordo naturæ poſtulat: vt is qui optimo vtitur alimento, interdū creſcit & pubeſcit multo breuiori tempore, quam ille, qui paucißimis aut peßimis vtitur cibis. Idem iudiciū eſt in fructibus, qui agricolarum induſtria interdum celerius ad magnitudinem & maturitatem perducūtur. Similiter in alteratione licet reperire vnam violentam, & alteram naturalem. Illa enim, quæ fit in diebus criticis verbi gratia in illis, in quibus ſolet natura iudiciū ferre, qualis eſt ſeptim⁹, curatio eſt naturalis. At illa, quę his dieb⁹ non contingit, naturalis non eſt. Sed obſerua, violentum, ſi proprie ſumatur, eſſe id, cuius principium nō eſt intrinſecum rei, quæ patitur, & illa non cōfert vim, ſed potius renuit. Deinde propria ratio violenti, licet in motu locali clari⁹ cernatur, etiam in aliis ſpeciebus motus proprie poteſt inueniri, vt patet in alteratione, vt cum aqua ab igne calefit. Sed de his diximus in quęſtionib⁹ de natura. Ariſt. ergo hoc in loco nomen violenti in ampla ſumpſit ſignificatione, dum illam accretionem violentam appellat, qua aliquis præſtantiori, vel vberiori alimento citius, aut vltra modum creſcit.

Erunt igitur interitus, &c. Obſeruat duas corruptiones, quarum vna ſit naturalis, & altera violēta, eſſe inter ſe oppoſitas, non tamen abſolute, & propria contrarietate, ſed quatenus vna min⁹ moleſta eſt, quam alia.

Omnino quidem contraria &c. Qua ratione reperiatur contrarietas in motu & quiete ſecundum rationem naturalis & violenti, explicat dicens, motum ſurſum opponi motui deorſum, quia ſurſum & deorſum ſunt loci differentię inter ſe repugnātes, & quiuis mot⁹ ex iſtis alicui naturalis eſt. Ignis enim ſuapte natura aſcendit, & contra illam tendit deorſum, qui motus in igne ſunt inter ſe contrarij. Idem, inquit, eſt iudiciū de quiete: nam quies in loco ſupero contraria eſt motui deorſum. Eſt enim quies in loco ſuperiori contra naturam terræ, & motus deorſum eſt illi naturalis. Iterum inſtitutū repetit, & cōcludit.

Exiſtit autem hoc loco quæſtio, &c. Quæſtionem proponit, an quies, quæ nō ſemper eſt, qualis eſt violenta, generetur, eius quę generatio debeat

beat appellari via ad ſtatum. Hanc pertractat in vtramq. partem, negãtemq. primo ex eo oſtendit, quia ſin minus ſequeretur, cum detinetur lapis in ſuperiori loco, dari ei⁹ quietis generationem; & cũ lapis tendit ſurſum, in ſtatũ ire, quod eſt abſurdum: nam quæ ad ſtatum eunt, quanto magis accedunt, maiori impetu feruntur, & quanto magis ab eo recedunt, tanto tardius mouentur. Si vero aliquis cõcedat, nullã dari huius quietis generationem, incidet in aliud obſurdum, ſcilicet rem potiri quiete, abſq. eo quod ad illam peruenerit.

Præterea inſiſtere proprie, &c. Contrariam partem confirmat: quia ire ad ſtatũ ſiue quietem, aut eſt ire in locum propriũ naturali impetu, aut cum hoc coniungitur. Vnde, ſi proprie loquamur, quietis violẽtæ generatio nequit via ad ſtatũ appellari. Hanc quæſtionem manifeſte nõ ſoluit Ariſtoteles, ex dictis tamen colligũt interpretes ſolutionem. Dicẽdum ergo eſt, quietem illam non proprie generari: nã proprie quies generatur per inſiſtere, eſt vero inſiſtere non ſolum moueri, nã cœlum mouetur, & non inſiſtit; ſed mobile natura ſua tẽdere ad locum, in quo naturaliter quieſcit. Illa tamen quies dicitur generari inproprie, ideſt adquiri.

An vero quies, &c. Oritur dubium, ex his quæ dixerat: nam ſi quies in loco aliquo cõtraria eſt motui, quo ex ea diſceditur, eidẽ videtur duo contraria ſimul conuenire; quãdoquidem id quod fit album, non ſimul deperdit totam nigredinem, & albedinẽ adquirit, ſed hoc fit ſucceſsiue, ſicque, dum mouetur, vtriuſque extremi partem obtinet. Quare id etiã quod loco mouetur, partim mouebitur, & partim quieſcet. Reſpondet Ariſt. rem ita eſſe: nõ quia ſimul in eodem ſit motus, & quies ſimpliciter, ſed quies ex parte, quatenus dũ recedit mobile ab aliquo loco, partim in illo eſt.

Quæri autẽ, &c. Hæc, quæ ſequuntur vſque ad finem libri, non ſunt Ariſto. vt obſeruat ſimplicius, proinde grauiſsimi Ariſtotelis interpretes illa tanquam aliena ab illius doctrina omnino intacta prætermittũt, & nos illorum exemplo. Cõſulatur inter alios ſimplicius, & ad difficilliora, & grauiora, quæ ſuperſunt diſputanda, properemus.

DIS-

DISPVTATIONES IN EA QVÆ ARISTOTELES docuit hoc libro quinto.

PRIMIS duobus capitibus egit Ariſt. de ſpeciebus, & termino motus: diſſeruit 3. & 4. cap. de vnitate motus: tandem quinto & ſexto de contrarietate motus diſputauit. Nos itidem eodem ordine ſeruato tribus diſputationibus huius libri quæſtiones abſoluemus.

DISPVTATIO PRIMA, IN QVA agitur de ſpeciebus, & termino motus.

Quæſtio I. Vtrum generatio & corruptio ſint proprie motus.

ORTVM habet q. ex his Ariſto. verbis in fine 1. cap. propoſitis. *Mutationis autem genera tria ſunt, quæ expoſuimus, quorum ea quæ ex ortu & interitu ſumuntur, in motuum numero non habentur.* Diuiditur ergo quæſtio hæc in tres partes. In prima proponemus obſeruationes. In ſecunda adducemus aſſertiones. In tertia contrariis rationibus ſatisfaciemus.

Diuiſio quæſt.

Motus ſumitur tripliciter.

IN PRIMA parte quæſtionis ſit prima obſeruatio. Mot⁹ ſumitur tripliciter. Primo lata quadam ſignificatione, prout ſcilicet cõplectitur tam motũ quam mutationẽ, qua ratione fuit definitus ab Ariſt. 3. Phyſic. cap. 2. Sumitur ſecũdo pro mutatione proprie dicta, quę ſignificatio eſt aliquantulum impropria. Sumitur tertio pro motu ꝓprie dicto, vt ſcilicet diſtinguitur cõtra mutationem proprie dictam.

Mutatio quid ſit et quo triplex.

Secunda obſeruatio. Ariſt. hoc lib. cap. 1. poſtquã dixit aliquid poſſe moueri per accidens, per partem integrãtem, & per ſe, & non loqui modo niſi de eo quod mouetur per ſe, quia motus per accidẽs nõ eſt negotiũ Philoſophiæ naturę, docuit, mutationem omnem fieri ex vna re in aliam:

ſignificat enim, inquit, mutari, vnum poſt aliud: cum ergo concipere poſsimus quatuor modis vnum poſt aliud, nẽpe ex termino poſitiuo in terminum poſitiuum, ex termino non poſitiuo in terminum nõ poſitiuum, ex termino poſitiuo in terminum nõ poſitiuum, & ex termino non poſitiuo in terminum poſitiuum, cumque ſecundo modo nulla ratione fieri valeat mutatio, proinde docuit Ariſt. aliis tribus modis fieri poſſe. Poſtea vero in fine capitis, propoſitis tribus iſtis generibus mutationis, colligit, illas ſolum mutationes cenſendas eſſe mot⁹ proprie dictos, quæ ſunt à poſitiuo in poſitiuum, alias vero eſſe mutationes proprie. Cõſulantur commentarij illius capitis.

Generatio & corruptio nõ ſunt motus.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit prima aſſer. Nec generatio, nec corruptio ſubſtantiæ eſt motus proprie dictus. Hãc aſſertionem ex profeſſo docuit Ariſtot. in fine cap. 1. illis verbis. *Quoniam motus omnis mutatio eſt, &c.* Poſtea vero ita ſcripſit. *Id ſolum genus mutationis quod ex eo fit, quod ſubiectum eſt, in id quod eſt ſubiectum, mot⁹ ſit neceſſe eſt:* id eſt ſola mutatio, quæ fit ex termino poſitiuo in terminum poſitiuum eſt proprie motus. Nomine enim ſubiecti intellexit terminum poſitiuum, vt docent interpretes, & conſtat manifeſte ex ſerie contextus, & ex exemplis ab Ariſt. adhibitis. ex quo teſtimonio ſic diſputo. Quando in mutatione vterque terminus non eſt poſitiuus, mutatio nõ poteſt eſſe proprie motus; ſed nec in generatione, nec in corruptione ſubſtantiæ vterque terminus eſt poſitiuus, vt manifeſtum eſt; ergo nec generatio, nec corruptio eſt proprie motus.

Generatio eſt mutatio.

Secunda aſſertio. Generatio & corruptio ſubſtantiæ ſunt mutationes proprie dictæ. Probatur hæc aſſert. quia terminus à quo generationis non eſt quid poſitiuum, nec terminus ad quem corruptionis: de ratione vero mutationis eſt, quod vn⁹ terminus illius ſit poſitiuus, alter vero priuatiuus.

1. Argu.

IN TERTIA parte q. dices primo. Ariſt. 3. Phyſic. cap. 2. poſtquã propoſuit motus definitionem, adhibuit exemplum in generatione & corruptione; ergo generatio & corruptio ſunt proprie motus. Reſp. negando conſequẽtiam: quia per illã definitionem non ſolũ definiuit Ariſt.

motum

motum proprie dictum; ſed etiam motum vt complectitur mutationem, vt late diximus 3. Phyſi. diſp. de motu quæſt. 2. & obſeruauimus in principio huius quæſtionis.

2. Argu. Dices ſecundo. Mutatio, quæ eſt ab ente completo in ens completũ, eſt proprie motus; ſed generatio mixti fit à completo in cõpletum, nam terminus à quo ſunt elementa, & terminus ad quem eſt mixtum; ergo generatio mixti eſt proprie motus: ergo ad ſubſtantiam datur per ſe motus. Reſp. negando minorem: nam mixtum non fit tanquã ex termino à quo primario ex elemẽtis, ſed potius ex priuatione, ſub qua eſt materia prima, quæ antea erat ſub for-
1. mis elementorum. Sed dices. Nutritio fit in tempore; ergo eſt motus proprie: ſed nutritio eſt generatio ſubſtantiæ; ergo ad ſubſtãtiam datur motus proprie. Reſp. negãdo primam conſequẽtiam: nam ad rationem motus proprie dicti nõ ſufficit, quod fiat ſucceſsiue, vt quæſt. 4. dicemus.

3. Argu. Dices tertio. Actio & paſſio nõ reperiuntur niſi in motu proprie dicto; ſed in generatione & corruptione reperitur actio, & paſsio; ergo generatio & corruptio ſunt proprie motus. Reſpon. negando maiorem: nam etiam reperiũtur in mutatione proprie dicta. Sed dices. Materia prima 1.
eſt proprie tranſmutabilis; ergo à motu proprie dicto. Reſpon. negando cõſequentiam: eſt enim tranſmutabilis à mutatione ꝓpria. Sed dices. Ma 2.
teria prima eſt tranſmutabilis à mutatione propria, nempe à generatione; ergo generatio ſubiectatur in materia prima. Huic argumẽto ſatiſfaciemus quæſt. ſequenti.

QVAESTIO II.

An generatio ſubiectetur immediate in materia prima.

HAEC quæſt. non ſolum ortum habet ex ſuperiori argumento, ſed etiam ex Ariſt. hic cap. primo vbi ita habet. *Profecto motus non in forma eſt, ſed in ligno ipſo:* quare videtur eſſe in materia prima, cũ totum cõpoſitum nihil aliud ſit quam materia & forma.

Diuiditur quæſt. in quatuor partes. In prima proponemus obſeruationes. In ſecũda aſſertiones. In tertia ſoluemus contrarias rationes. In quarta pertractabimus eandẽ quæſt. de ſubiecto motus proprie dicti. Diuiſio quæſt.

IN PRIMA parte quæ-

1. *Obſeru.* ſtionis ſit prima obſeruatio. Quæſt. procedit de generatione ſubſtātiæ totalis, vt excludamus nutritionem, de qua abūde agemus in libris de ortu, & dicemus nonnulla infra hac eadem diſputatione.

2. *Obſeru.* Secunda obſeruatio. In generatione, cum ſit mutatio, reperitur terminus à quo nempe priuatio, terminus ad quē qui eſt totum compoſitum, & ſubiectum nempe materia prima.

3. *Obſeru.* Tertia obſeruatio. In generatione reperitur forma, quæ generatur, reperitur etiam ipſa mutatio, per quam talis forma producitur, quæ mutatio eſt ipſamet generatio. Aliud ergo eſt eſſe ſubiectū formæ, quæ generatur, & aliud eſſe ſubiectū generationis. Subiectū enim formæ, quę generatur debet neceſſario eſſe ſub vtroq. termino: ſubiectū vero generationis nō eſt neceſſe ſit ſub vtroq; termino, imo tātum poteſt eſſe in termino ad quem. Ex hac obſeruatione ſoluitur quæſtio.

IN SECVNDA parte quæſtionis ſit prima aſſertio. Forma ſubſtantialis, quæ fit per generationem, recipitur in materia prima. Hæc adeo certa eſt, vt de illa nemo dubitet.

Generatio eſt in toto compoſito. Secunda aſſertio. Generatio ſubiectatur in toto cōpoſito. Probatur primo ex Ariſt. 1. Phyſico dicente, materiam primam eſſe primū ſubiectū, & recipere formā ſubſtantialem, accidentia vero recipi in toto compoſito: cum ergo generatio ſit accidens, recipitur neceſſario in toto compoſito. Probatur ſecundo ex Ariſto. 7. Metaphyſic. cap. 1. vbi docet, ſubſtantiam eſſe priorem accidētibus definitione, tempore, cognitione, & natura: vbi nomine ſubſtantiæ intelligit totum compoſitum. Probatur tertio ratione: quia quod dat eſſe ſimpliciter, vt forma ſubſtantialis, prius recipitur in materia prima, quam id quod dat eſſe ſecundum quid, quale eſſe dant accidentia. Probatur quarto: quia ſi generatio reciperetur in materia prima, ex illa & ex forma fieret vnū ens per accidens, cum reciperetur forma in ſubſtantia informata aliquo accidēte. Probatur quinto. Generatio ſubiectatur in materia prima; ergo vel in termino à quo generationis, vel in termino ad quem; ſed neutro ex his modis; ergo, &c. In primis non in termino ad quem: quia in termino ad quem iam eſt totum compoſitum, & conſequenter non

non poteſt recipi in materia prima, ſed in toto compoſito. Deinde neque in termino à quo: quia in termino à quo, licet incipiat generatio, non tamen fit, & conſequenter nõ eſt facta: quare nõ poterit tũc ſubiectari.

IN TERTIA parte q. proponenda eſt contraria ſententia, quam tenent Soto hoc
1. Argu. cap. 1. & alij. Eſt igitur prima illorum ratio. Generatio ſubiectatur in illo, quod denominatur mutari per generationem; ſed materia prima denominatur mutari per generationem; ergo, &c. Reſp. negãdo maiorem: quia potius eſt in eo quod generatur. Generatio enim poteſt ſumi, vt mutatio, & ſic intrinſece inhæret toti compoſito, & extrinſece denominat materiam primã: & poteſt ſumi, vt productio, & ſic intrinſece inhæret toti compoſito, & illud intrinſece
2. denominat. Sed dices. Generatio eſt prior forma genita; ergo non poteſt recipi in materia prima, cum forma genita recipiatur in materia prima. Reſp. diſtinguendo antecedens ita: natura, concedimus: tempore, negamus antecedens: quare negamus conſequentiam: quia prioritas naturæ nõ obſtat: in eodẽ enim inſtanti temporis recipitur forma in materia; & generatio in toto compoſito.

Secunda ratio. Ariſt. cap. 2. Argu.
1. docuit, id quod generatur non eſſe, idest eſſe materiam primã, & quod mouetur eſſe totum compoſitum; ergo generatio ſubiectatur in materia prima. Reſp. negando conſequentiam: quia Ariſt. ſolũ voluit ſignificare, ſubiectum, in quo recipitur forma ſubſtãtialis, non eſſe totum compoſitum, ſed materiam primam: ſubiectum vero, in quo recipitur forma, quæ fit per motum, eſſe totum compoſitum. Ex hac diſtinctione ſubiecti in ſubiectum formæ, quæ adquiritur, & ſubiectũ generationis ſiue mutationis omnia contraria argumenta ſoluuntur.

Tertia ratio. Generatio nõ 3. Argu.
ſubiectatur in materia prima; ergo ratio, qua oẽs probant, creationem non eſſe mutationem, nullius eſt momenti. Probatur conſequentia: quia probant, creationẽ ex eo nõ eſſe mutationem, quia non habet ſubiectum. Reſp. negando cõſequentiam. Probationi dicimus, creationem non eſſe mutationem, ex eo quod in illa non ſupponitur ſubiectum in termino à quo, ac proinde ea

ret termino à quo, licet in termino ad quem creationis ſit ſubiectum, nempe res creata, in qua creatio ipſa ſubiectatur.

IN QVARTA parte quæſt. quæres, an motus ſucceſsiui & proprie dicti ſubiectentur in ſubiecto quod eſt ſub vtroque termino immediate, vel potius medio termino ad quem: verbi gratia, an quando homo de albatur, ſubiectetur de albatio immediate in homine, vel potius in albo. Reſpō. ſubiectari mediate in ſubiecto, ꝙ eſt ſub vtroq; termino, & immediate in termino ad quē. Hæc aſſert. probat. eodē modo ac ſuperior: ſatisfit etiam contrariis argumentis modo, quo ſatisfecimus ſuperioribus.

QVAEST. III.

An ad ſubſtātiam ſit per ſe motus, vel ſolum mutatio.

Diuiſio quæſt. DIVIDITVR quæſtio in 3. partes. In prima proponem⁹ obſeruationes. In ſecunda proponemus noſtram ſententiam. In tertia ſatisfaciemus contrariis rationibus.

1. Obſeru. IN PRIMA parte quæſtionis ſit prima obſeruatio. Vidēdum eſt, quid ſit eſſe per ſe motū, vel mutationem ad aliquam rem: ſumimus enim tam motum, quam mutationem proprie & ſtricte. Quidā quos refert Valleſius controuerſia 29. exiſtimant dari per ſe motum vel mutationem nihil aliud eſſe, quam rem primo intendi ab agente per motum, vel mutationem. Hic tamen modus dicēdi rectus nō eſt: quia ſanitas primo intenditur à medico, & ad ſanitatē non eſt per ſe motus, ſed ſecūdario: & in generatione ſubſtantię non intenditur primo diſpoſitio, cum tamen ad illā ſit per ſe motus. Alij exiſtimāt, adhoc vt ad aliquid ſit ꝑ ſe mot⁹ aut mutatio requiri, vt illud tale adquiratur primo & per ſe, nō alio pri⁹ producto. Sed hic dicendi modus nō eſt rectus: quia vt quæſt. 5. dicemus, ad quātitatem datur per ſe motus, & tamen nūquam producitur quantitas, niſi producto prius alio. Quare rectius permulti alij Philoſophi exiſtimāt, nihil aliud eſſe dari per ſe motū vel mutationem ad aliquā rem, quā illam terminare primo & per ſe talem motum vel mutationem ita, vt ad talem terminū tendat primo & per ſe motus vel mutatio, & ab illo ſumat ſpeciem.

Secunda obſeruatio. De ratione *2 Obſer.*

Motus proprie dictus. tione mot' proprie dicti eſt, vt ſit à cõtrario in contrariũ: nomine vero contrarij intelligimus aut formã alteri formæ contrariam, aut latitudinẽ tam in gradibus, vt in qualitatibus, quam in extenſione ſecũdum maius & minus, vt in quãtitate, vel inter duo vbi incompoſsibilia.

Ad ſubſtantiã datur mutatio. IN SECVNDA parte quæſt ſit prima aſſert. Ad ſubſtantiam datur per ſe mutatio. Probatur aſſer. Ad ſubſtantiam datur per ſe generatio; ſed generatio eſt mutatio; ergo, &c. Maior eſt certa, quia ſubſtantia primo & per ſe terminat generationem, & ab illa ſumit ſpeciem generatio. Minor etiam cõſtat: quia eſt trãſitus à priuatiuo in poſitiuum.

Ad ſubſtantiã nõ eſt motus per ſe. Secunda aſſertio. Ad ſubſtantiam nõ eſt per ſe motus. Probatur primo ex Ariſt. id expreſſe docente. 1. & 2. cap. huius lib. Probatur ſecundo ratione. Omnis motus debet verſari inter terminos contrarios; ſed ſubſtantię nihil eſt contrarium; ergo, &c. Probatur minor. In primis ſubſtantiæ nihil eſt contrariũ vt forma poſitiua: deinde nec vt latitudo, quia ſubſtantia conſiſtit in indiuiſibili; ergo ſubſtantiæ nihil eſt contrarium.

Aliqui probant eãdem aſſertionem ex eo, quia motus debet fieri ſucceſsiue, ſubſtantia vero fit in inſtãti. Hæc tamen probatio recta non eſt, cùm quia ſubſtantia partialis etiam fit ſucceſsiue per nutritionem, tum etiam quia de ratione motus proprie dicti nõ eſt ſucceſsio, vt quæſtione 4. dicemus.

IN TERTIA parte q. dices primo. Si ad ſubſtantiã non eſſet per ſe motus, maxime quia ſubſtantiæ nihil eſt contrarium; ſed ſubſtantię aliquid eſt cõtrarium; ergo ad ſubſtantiam datur per ſe motus. Probat. min. quia, vt cõmuniter docet philoſophi ex Ariſt. primo de cœlo, omnis ſubſtãtia corruptibilis habet contrarium. Reſp negãdo minorem. Probationi dicimus, Ariſt. intelligendum eſſe de contrarietate priuatiua, quæ non ſufficit ad rationem motus proprie dicti. Vel dicim' ſecundo, ita eſſe intelligendũ Ariſt. omnis ſubſtantia corruptibilis habet contrarium, ideſt habet in ſe contrarias qualitates, ratione quarũ ducitur ad interitum. Sed dices. 1. *1. Argu.*
Quantitati nihil eſt contrarium, & nihilominus ad quãtitatem datur per ſe motus, vt dicemus quæſt. 5. ergo, etiam ſi ſub-

ſi ſubſtantia non habeat contrarium, poterit ad illam eſſe per ſe motus. Reſpõ. negando conſequentiam: nam quantitas habet per ſe partium latitudinem, quæ ſufficit ad rationem motus proprie dicti: ſubſtantia vero habet extenſionem per accidens, & ratione quantitatis: nam ſi quantitate deſtitueretur, nec eſſet diuiſibilis, nec actu extenſa, vt docuimus 1. Phyſic. cap. 2. quæſt. 2.

2. Argu. Dices ſecundo. Mutatio, quæ recipitur in toto compoſito, eſt proprie motus; ſed generatio ſubſtantiæ recipitur in toto compoſito, vt docuimus quæſt. ſuperiori; ergo eſt proprie motus: ergo ad ſubſtantiã datur per ſe mot⁹ proprie dictus. Reſp. negãdo maiorem: nam amplius deſideratur, quod ſcilicet terminus formalis productus per mutationem recipiatur in toto cõpoſito, quòd non cõtingit in generatione ſubſtantiæ.

3. Argu. Dices tertio. Vt docuit Ariſt. in Logica cap. de ſubſtãtia, ſubſtantiæ ſuſcipiunt magis & minus; ergo ſubãtia habet latitudinem: ergo ad ſubſtantiã poteſt dari per ſe motus. Reſp. illũ Ariſt. intelligẽdum eſſe de ſubſtantiis ſumptis eſſentialiter, & metaphyſice, vt docuimus in quæſt. circa illud cap. Phyſice enim loquendo ſubſtantiæ corporeæ ſolum ſuſcipiunt magis & minus per accidẽs, beneficio ſcilicet quantitatis.

4. Argu. Dices quarto. Ad ſubſtantiã datur mutatio ſucceſsiua, ſcilicet nutritio; ſed omnis mutatio ſucceſsiua eſt ꝓprie motus; ergo ad ſubſtãtiam datur per ſe motus proprie. Reſpon. negando minorem: nam ad rationem motus alia requiruntur, vt conſtabit quæſtione ſequenti.

QVAEST. IIII.

Quæ ſint de ratione motus proprie dicti.

QVAESTIONEM hanc pertractamus, vt intelligamus diſcrimẽ inter motum & mutationem adductũ ab Ariſtot. cap. 1. huius libri. Diuiditur quæſt. in tres partes. In prima proponemus obſeruationes. In ſecũda ſatisfaciemus quæſtioni. Soluemus in tertia contrarias rationes. *Diuiſio quæſt.*

IN PRIMA parte q. ſit prima obſeruatio. Cũ motus proprie dictus opponatur mutationi proprie dictæ; non ſolum videndum eſt quid ſit de ratione motus proprie dicti, ſed etiã an de ratione mutatio-

tationis proprie dictæ ſit, quod fiat in inſtãti. Inquirimus ergo, an omnis mutatio, quæ fit in tépore, ſit vere & proprie motus: & an omnis mutatio, quæ fit in inſtanti, ſit vere & proprie mutatio.

Produci per accidẽs & per aliud. Secũda obſeruatio. Aliud eſt rem produci per accidens, ideſt conſequi productionẽ, per quam producitur aliud: vt relatio producitur ad productionem fundaméti, aliud vero eſt produci ſimul tempore, cum alio, per ſe tamen, & per diſtinctam mutationem. Quod enim producitur per accidens, nullã per ſe terminat mutationem: quod vero producitur ſimul cum alio, terminat per ſe mutationem: verbi gratia in nutritione maior quantitas, quę licet producatur ſimul cum partiali ſubſtãtia, per ſe tamen terminat accretionẽ, vt dicemus quæſt. 5.

Quid ſit de ratione mutationis. IN SECVNDA parte quæſt. ſit prima aſſert. De ratione mutationis proprie dictæ non eſt quod fiat in inſtãti. Probatur aſſertio. Omnis mutatio, quę per ſe eſt ad ſubſtãtiam, eſt proprie mutatio; ſed datur mutatio per ſe ad ſubſtantiam in tempore; ergo datur mutatio proprie in tempore: ergo de ratione mutationis proprie non eſt quod fiat in inſtanti. Maior probatur. Omnis mutatio, quæ fit à priuatiuo in poſitiuum, eſt proprie mutatio, vt cũ Ariſt. docuimus; ſed omnis mutatio ad ſubſtantiam eſt à priuatiuo in poſitiuum; ergo omnis mutatio, quæ per ſe eſt ad ſubſtãtiam, eſt proprie mutatio. Deinde prima minor probatur: nam vt conſtat ex ſuperiori quæſt. ad illud eſt per ſe mutatio, quod terminat per ſe mutationem, ita vt ab illo ſumat mutatio ſpeciem; ſed datur talis mutatio ad ſubſtantiã in tempore; ergo, &c. Probatur minor in nutritione viuentiũ, & in generatione totali non viuentium: nam vel nutritio fit in tempore, vel in inſtanti: ſi in tempore; ergo adquiſitio ſubſtantiæ fit in tẽpore: ſi in inſtãti; ergo accretio, quæ fit ſimul cum nutritione, & iuxta cõmunem ſententiam eſt motus proprie dictus, fiet in inſtãti: quare de ratione mutationis proprie dictæ non eſt quod fiat in inſtãti, cum etiam motus proprie dictus poſsit fieri in inſtanti. Reſpondent nonnulli, nutritionẽ fieri per accidẽs in tempore, ratione ſcilicet accretionis. Alij vero volũt, accretionem fieri per accidens in inſtanti, ratione ſcilicet nutri-

tionis: vnde deducunt, ſuperius argumentum nihil concludere. Minus tamen recte ſatisfaciũt ſuperiori argumẽto: nam quãdo aliquid eſt de ratione alicuius, contrarium nec per accidens poteſt illi cõuenire: vnde ſi de ratione mutationis eſt, quod fiat in inſtãti, nõ poterit nutritio fieri in tempore adhuc per accidens: & ſi de ratione motus proprie dicti eſt, quod fiat in tempore, accretio, cũ ſit motus proprie dictus, non poterit fieri in inſtanti adhuc per accidẽs. Sed de hac re, quæ alterius eſt negotij, nõnulla dicemus primo libro de Generatione circa cap. 5.

De ratione motus non eſt ſucceſsio. Secunda aſſertio. De ratione mot' proprie dicti ſumpti in communi nõ eſt ſucceſsio, ſiue quod fiat in tẽpore. Probatur primo: quia conuenit etiam mutationi proprie, vt conſtat ex ſuperiori aſſertione. Probatur ſecundo. Poteſt motus proprie eſſe in inſtanti; ergo, &c. Probatur antecedens, primo in opinione illorum, qui tenent, accretionem eſſe motũ proprie, & fieri in inſtanti. Probatur ſecũdo antecedens: quia poteſt Deus efficere, vt ignis creſcat in inſtanti: poteſt etiam efficere tranſitũ in inſtanti inter terminos poſitiuos, imo hoc naturaliter fieri poteſt, vt ex q. 7. conſtabit.

Succeſsio eſt de ratione motus localis. Tertia aſſertio. De ratione motus localis eſt ſucceſsio, id eſt motus localis talis eſt naturæ, vt nequeat fieri niſi in tempore. Hãc aſſertionẽ probauimus lib. 4. in diſp. de vacuo quæſt. 4. nam in motu locali ſemper obſtat incompoſsibilitas terminorum, quo minus fieri poſsit abſq. ſucceſſione.

IN TERTIA parte q. contra primam & ſecundam aſſertionem nullum ſe offert argumẽtum, quod ſolutione egeat, ſi obſeruetur differentia inter motum & mutationem ab Ariſt. adducta primo capit. huius lib. quod ſcilicet motus proprie dictus fiat inter terminos poſitiuos, mutatio vero proprie inter terminos, quorum vnus ſit poſitiuus, alter vero priuatiuus.

In 3. aſſer. In tertiam aſſertionem dices. De ratione mot' proprie ſumpti in communi non eſt ſucceſsio; ergo neque de ratione motus localis, cum hic ſub illo contineatur. Reſp. negando conſequentiam: nam ſucceſsio conuenit motui ad locum ſecundum ſuam propriã rationẽ. Sed dices. Poteſt mobile moueri ab vno loco in alium 14

alium (ſaltim de potentia abſoluta) abſque eo quod pertranſeat medium; ergo in vno inſtāti erit in termino à quo, & in alio immediato in termino ad quem: ergo fiet abſque ſucceſsione & latitudine: ergo de ratione motus localis non eſt ſucceſsio, & quod fiat in tempore. Antecedens probatur: quia, vt docent multi in diſp. de loco, poteſt fieri, vt ſimul ſit idem corpus in diuerſis locis; ergo multo magis fieri poterit, quod ſit in duobus locis, non ſimul, ſed potius in duobus inſtantibus. Reſp. antecedens non eſſe adeo certū; & licet verum ſit, tamē nihil probat contra nos; nam ille motus non eſſet per ſpatium, at aſſertio intelligenda eſt de motu locali facto per ſpatiū. Probationi antecedentis dicimus, falſum eſſe, idem corpus poſſe eſſe ſimul de potētia abſoluta in duobus locis, niſi loca ſe penetrent, vt diximus libro 4. in diſputatione de loco quæſt. 5.

2. Sed dices. Eodem modo res ſe habet in motu locali, ac in alteratione; ergo ſi de ratione motus localis, qui fit per ſpatium eſt ſucceſsio, etiam de ratione alterationis erit ſucceſsio. Probat. antecedens: nam quemadmodū motus localis per ſpatium nequit fieri niſi ſucceſsiue, ita neq. alteratio poteſt fieri niſi per gradus qualitatis. Reſpō. negando antecedens. Probationi dicimus, diſparem eſſe rationem: nam motus localis fit per ſpatium; vnde mobile ſemper dicit ordinē ad illud: at vero alteratio non fit per ſpatiū.

3. Sed dices. Vt ſe habet extenſio Vbi in motu locali, ita extenſio graduum in alteratione; ergo quemadmodū motus localis neceſſario prærequirit ſucceſsionem, ita & alteratio. Reſp. negando antecedens: nam licet proportione quadam conueniant, quodammodo tamen diſtinguuntur, eo quod extenſio Vbi dicit ordinem ad ſpatium, at vero gradus qualitatis non dicunt ordinem ad ſpatium. Ratione ergo huius ordinis ſucceſsio eſt de ratione motus localis.

4. Sed dices. Ergo mot⁹ localis in vacuo non fiet cū ſucceſsione. Probatur conſequētia, quia in vacuo non fit motus localis ſupra ſpatiū. Reſpon. negando conſequentiā. Probationi dicim⁹, in vacuo dari ſpatium, nempe corpus, in quo tanquā in loco eſt mobile in termino à quo, & in termino ad quem.

5. Sed dices. Ergo ſaltim in medio motus facti in vacuo fiet motus lo-

calis abſque ſucceſsione. Probatur conſequentia: quia reſpectu illius partis motus mobile nec in termino à quo, nec in termino ad quē, eſt in aliquo corpore tãquam in loco. Reſp. negando conſequentiã. Probationi dicimus, mobile tunc temporis dicere ordinem ad ſpatiũ, quod in potētia habet: ad vbi enim ſuffi cit ordo potētialis ad corpus continēs, ſiue ad ſuperficiem ambientem & locãtem, licet mobile non contineatur actu

6. ab illa. Sed dices. Vt in ſequētibus docebit Ariſtot. mobile partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quē; ergo neceſſario habet latitudinem motus, ratione cuius debet fieri in tēpore: ergo alteratio & quiuis motus proprie dictus neceſſario includit ſucceſsionem. Reſp. illam propoſitionem nõ eſſe intelligendam de motu proprie dicto, ſed de mutatione ſucceſsiua, ſiue ſit proprie motus, ſiue proprie mutatio, vt infra conſtabit.

QVAEST. V.

An ad quantitatem detur per ſe motus.

Diuiſio quæſt. DIVIDITVR quæſtio in quatuor partes. In prima proponemus obſeruationes. In ſecunda iaciemus fundamenta. In tertia ſatisfaciemus quæſtioni. In quarta proponemus contrariam ſententiam Ariſtot. ſoluemus illius argumenta, & denique docebimus probabilitate non vacare.

IN PRIMA parte quæſtionis ſit prima obſeruatio. Cum ex ſuperioribus conſtet quid ſit dari per ſe motum ad aliquam rem, tumetiam quid ſit motus proprie dictus, pro explicatione ſenſus quæſtionis videndum eſt, de qua quãtitate quæſtio procedat. Nomine ergo quantitatis nõ intelligimus quãtitatem diſcretã, nam hæc, vt ex Logica ſatis conſtat, non diſtinguitur reipſa, ſed ratione ſolũ à quãtitate continua. Inſuper non loquimur de linea: nam phyſice loquendo nõ eſt cur illam conſtituamus, vt libro ſequēti cõſtabit. Nec procedit quæſtio de ſuperficie: nam de illa erit ſermo hac eadem diſputatione, cum inquiremus, an ad vbi ſit per ſe mot⁹. Nec de loco, propter eandem cauſſam. Quare ex ſpeciebus quãtitatis ſolũ procedit quæſtio hæc de corpore. *De qua quantitate procedat q.*

Secunda obſeruatio. Vt diximus in Logica cap. de quãtita- *Quæſt. nõ procedit de motu.*

titate diſputatione de quanti tate continua quæſt. 5. motus eſt quãtitas per ſe, excluditur tamen à categoria quantitatis. De motu ergo non exagitatur quæſtio: nam de illo dicemus infra inquirentes, an actionis ſit actio, & mutationis mutatio. Ex his manifeſtus eſt ſenſus quæſtionis: inquirimus enim, an motus, per quos adquiritur quãtitas, ſcilicet accretio, & decretio ſint per ſe ad quantitatem; & an ſint proprie motus: nam de productione quantitatis quãdo generatur compoſitum naturale, dicemus quæſtione ſequenti.

Accretio tripliciter ſumitur. IN SECVNDA parte quæſt. ſit primum fundamentũ. Accretio ſumitur tripliciter. Primo pro quacunq. additione quantitatis, ſiue fiat quantitati continuæ, ſiue diſcretæ. Secũdo ſumitur ſtrictius, ſed adhuc improprie, ꝑ additione quãtitatis, quæ fit ſubſtantiæ non viuenti. Tertio ſumitur magis proprie, ꝑ adquiſitione ſcilicet maioris quantitatis in viuente. Decretio etiam poteſt ſumi iſtis tribus modis. Differt accretio viuentium ab aliis tribus modis. Nam viuẽtia accreſcunt verſus omnes partes, à principio interno, & per intuſſumptionem alimenti: non viuẽtia vero nõ verſus omnes partes, à principio externo, & per iuxtapoſitionẽ. Vnde, ſi proprie loquamur, accretiones non viuentium poſſunt ſimpliciter appellari generationes: nam quemadmodum ignis accreſcit, ſi apponantur illi combuſtibilia, ita etiam accreſcit, ſi combuſtibilia prius ignita illi poſtea apponantur: de illis ergo non procedit quæſtio hæc, ſed dicemus quæſtione ſequenti.

Conditiones motus proprie. Secundum fundamentum. Vt ex Ariſt. in hoc libro ſatis deducitur, motus proprie dictus duas exigit conditiones. Prima eſt, vt forma, quæ adquiritur, habeat contrarium poſitiuum, vel ſaltim partiũ latitudinem per ſe, nõ ſolum in ſpecie, verumetiam in indiuiduo: verbi gratia albedo cõtraria eſt nigredini poſitiue, frigiditas vt octo habet latitudinem octo graduũ: & quãtitas vnius vlnæ habet extenſionem quatuor palmorum. Secunda conditio eſt, vt recipiatur in ente cõpleto, & non immediate in materia prima. Vnde ſubſtantiales formę nõ fiunt per motum proprie dictum, licet generationes, per quas fiũt, recipiantur in compoſitis naturalibus. Nomine

vero entis completi intelligimus quamuis partem integrãtem totius compoſiti conſtantem ex materia & forma: vnde calefactio, per quã producitur calor in manu, erit proprie motus. Nonnulli Philoſophi volunt, ſuperioribus cõditionibus addendam eſſe tertiam, vt ſcilicet forma fiat cũ reſiſtẽtia ex parte medij. Hęc tamen conditio non deſideratur; primo quia ex Ariſtot. cap. 1. de ratione motus proprie dicti ſolum eſt, quod fiat à poſitiuo in poſitiuum. Secũdo, quia maior quantitas fit per motũ proprie dictum, ſcilicet per accretionem, & tamen non fit cũ reſiſtentia medij. Tertio, quia ſi fieret mot' localis in vacuo, eſſet proprie motus, & abſque reſiſtentia medij, cum ibi non eſſet medium, quod reſiſteret. Male ergo deducunt nonnulli, intétionem luminis in aere non eſſe motum proprie dictum, cum ſit abſque reſiſtentia.

Reſiſtentia non desideratur ad rationẽ motus.

Si obiicias cũ Pererio cõtra primam conditionem teſtimonium Ariſt. quo 6. Phyſic. docuit, terminum motus indiuiſibilem eſſe, & latitudine carere. Reſp. terminum ſumi dupliciter, nempe pro forma, quæ per motum adquiritur, & hæc debet eſſe diuiſibilis, ſic quæ intelligitur prima conditio. Secũdo ſumi poteſt pro vltimo, ad quod peruenit mobile per motum, & ſic terminus motus indiuiſibilis eſt, quia non ſumitur abſolute, ſed vt tantus.

Tertium fundamentũ. Nõ viuentia carent termino magnitudinis & paruitatis, vnde ex ſe poſſunt conſeruari ſub qualibet maiori, vel minori quantitate: viuentia vero habẽt maximum & minimum, quare requirunt in ſui productione certam & determinatã quantitatem, hincque fit, vt quantitas, quam habent viuẽtia in prima ſui productione, cõſequatur illorum eſſentias veluti proprietas quædam, ac proinde non ſit naturali quadã ſequela, ſed potius diſtincta productione phyſica. Huic fundamento innititur ſentẽtia Ariſt. quam ſtatim proponemus: an vero ſit ſatis firmũ quemadmodum & ſententia ipſa, conſtabit ex quarta parte quæſtionis.

Obſerua.

IN TERTIA parte q. ſit aſſertio. Ad quantitatem datur per ſe motus. Hæc eſt Ariſt. hic cap. 1. lib. 1. de generatione cap. 5. & ſecundo de anima cap. 4. Probatur etiam rationibus. Prima ratio. Accretio eſt proprie motus; ſed accre-

Ad quantitatẽ datur motus

accretio eſt per ſe ad quãtitatem; ergo ad quantitatem eſt proprie motus per ſe. Maior probatur: quia eſt mutatio à poſitiuo in poſitiuum, ſcilicet à minori quantitate ad maiorem. Minor probatur: quia maior quãtitas terminat per ſe accretionem, hæcq. ab illa ſumit ſpeciem.

Secunda ratio. Si ad quantitatem non eſſet per ſe mot⁹, maxime quia produceretur eadem actione, qua producitur ſubſtantia; ſed non produ citur eadẽ, ſed potius alia realiter diſtincta; ergo, &c. Probatur minor: quia quãdo termini diſtinguuntur realiter, actiones per quas producuntur, debẽt etiam diſtingui realiter: at quãtitas maior & ſubſtantia realiter diſtinguũtur.

Tertia ratio. Omnis mutatio vel eſt proprie motus, vel proprie mutatio; ſed acretio, quæ per ſe eſt ad maiorẽ quãtitatem, non eſt mutatio proprie; ergo eſt proprie motus. Probatur minor. Primo, quia nõ eſt à termino priuatiuo in poſitiuum, ſed potius à termino poſitiuo in poſitiuũ. Probatur etiam ſecũdo, nã accretio habet omnes conditiones requiſitas ad motum proprie dictum: nam habet partium latitudinẽ, fit inter terminos poſitiuos, & ſubiectum termini illi⁹ eſt totum compoſitũ. Neque obſtat, produci maiorem quantitatem ſimul cum ſubſtãtia partiali, quæ fit per nutritionem: nam cum ipſa diſtinguatur à ſubſtantia, debet neceſſario fieri per productionem realiter diſtinctam.

IN QVARTA parte quæſt. proponenda eſt oppoſita ſententia, ſcilicet ad quãtitatem non eſſe per ſe motũ. Hæc ſententia eſt Platonis, & Galeni, quos refert & ſequitur Valleſius controuerſia 29. phyſica in commentariis etiam 5. lib. cap. 2. & 2. lib. cõtrouerſiarum medicarũ. Cui ſententię libenter ego ſubſcriberem, niſi contraria expreſſę eſſet Ariſt. licet non conuinctus Valleſij rationibus, nam ſunt ſatis leues, ſed aliis, quas infra proponam.

Eſt igitur prima ratio Valleſij. Quantitas maior ſuccedit aliis mutationibus; ergo nec fit per ſe per motum proprie dictum, nec primo. Reſp. negando antecedens: nam fit nõ poſt nutritionem, ſed per ſe, licet ſimul cum illa. 1. Argu.

Secunda ratio. Proinde ex Ariſt. ad ſubſtantiam non eſt per ſe motus, quia ſubſtantiæ nihil eſt contrarium; ſed quãtitati nihil eſt contrarium, vt 2. Argu.

ipſe

ipſe docuit in Logica cap. de Quantitate; ergo ad quantitatem non erit per ſe motus. Reſp. concedendo maiorẽ, & negando minorem: nam quãtitas habet partium latitudinem, quæ eſt ſufficiens cõtrarietas ad conſtituendum motum proprie dictum, hęc vero non reperitur in ſubſtantia: & dum docet Ariſt. quantitati nihil eſſe contrarium, intelligendus eſt non de latitudine partium, ſed de vera contrarietate.

3. Argu. Tertia ratio. Motus ꝓprie dictus debet eſſe continuus; ſed accretio nõ eſt continua, vt conſtat ex Ariſt. lib. 8. cap. 3. ergo, &c. Reſp. primo negãdo maiorem propoſitionem: nam, vt diximus quæſt. ſuperiori, ſucceſsio non eſt de intrinſeca ratione motus ꝓprie dicti. Reſp. ſecũdo, minorem non eſſe contra nos: nam Ariſtot. loco citato loquẽs de animatis ita habet. *Nam nec augeſcere, nec decreſcere continenter poſſunt.* Quibus verbis ſolũ voluit ſignificare, viuentia non poſſe toto vitę tẽpore accreſcere, vel decreſcere. Dicitur enim aliquid fieri continenter, ſiue continua ratione quatuor modis. Primo, quia ſemper eſt duraturum, vt motus cæli. Secũdo, quia durabit toto vitæ tempore. Tertio, quia vſque ad ſtatũ fiet abſque intermiſsione. Quarto, quia tẽpore quo fit non interrumpitur aliqua quiete poſitiua, & hac ratione accretio eſt mot⁹ continuus.

4. Argu. Quarta ratio. Motus proprie dictus debet habere terminos poſitiuos: at decretio habet pro termino ad quẽ priuationem, detractionem ſcilicet quantitatis. Reſp. negando conſequentiam: nam terminus decretionis eſt minor quantitas, quæ quid poſitiuũ eſt: cum enim ex quantitate quatuor palmorum poteſt fieri accretio ad quãtitatem ſex palmorum, & ex quantitate ſex palmorum poteſt fieri decretio ad quãtitatem quatuor palmorum, cur decretio hæc non erit inter terminos poſitiuos quemadmodũ & accretio?

1. Ratio. Sũt præterea aliæ rationes oppoſitæ ſentẽtiæ. Eſt igitur prima. Motus proprie dictus debet eſſe ſucceſsiuus; ſed accretio fit in inſtanti; ergo nõ eſt mot⁹ proprie dictus. Reſpond. maiorem & minorem falſas eſſe.

2. Ratio. Dices ſecundo. Ad quantitatem viuẽtium datur per ſe motus; ergo etiam ad quantitatem non viuentium. Proba

tur

tur minor: quia eadẽ eſt vtrobiq. ratio. Reſpondemus diſparem eſſe rationẽ: quia nõ uiuentiũ accretio differt multis modis ab accretione viuẽtium, vt diximus in primo fundamento.

Sed vt libere dicam quod ſentio, oppoſita ſententia probabilitate non caret. Si enim Ariſt. auctoritas non confirmaret illam a nobis explicatam, huic oppoſitæ libenter acquieſcerem. Vt enim ſe habet totalis quãtitas reſpectu totalis ſubſtantię, ita ſe habet partialis quantitas reſpectu partialis ſubſtantiæ; ſed ad totalem quantitatem non datur per ſe motus in viuẽtibus; ergo neq. ad partialem, quæ fit per accretionem. Si dicas, diſparem eſſe rationem; quia viuentia, cum habeant minimum, neceſſario debent fieri in inſtanti, & conſequẽter illorum quantitas. Contra. Productionem cuiuſuis ſubſtantiæ phyſicæ, ſiue partialis ſit, ſiue totalis, cõſequitur neceſſario quantitas; ergo vt producitur per accidens, quando fit tota ſubſtantia in generatione, ita quando fit pars ſubſtantiæ per nutritionem. Suadetur etiam ſecũdò: quia omnis productio per ſe requirit neceſſario formam in agẽte, a qua vt a principio quo per ſe producatur: vt patet in productione caloris, quæ fit a colore ignis tanquam a principio formali quo. At non eſt tale principium, a quo per ſe fiat quantitas: quare, &c.

Suadetur tertiò, quia in quãtitatis partialis productione non reperitur ſufficiens contrarietas inter terminos. Partium enim latitudo non ſufficit: vel ſi ſufficit, cur non ſuffiiet etiam, ad hoc vt nutritio ſit vere motus, latitudo quædam ſubſtantiæ, cum præexiſtenti noua pars per nutritionem addatur?

QVAEST. VLT.

An ad qualitatẽ, relationem, vbi, & motum ſit per ſe motus proprie dictus.

DIVIDITVR quęſtio in 4. partes iuxta quatuor, quæ inquirit eius titulus.

IN PRIMA parte quæſtionis obſeruãdũ eſt, eandem qualitatem ſecundũ rem poſſe ad diuerſas ex quatuor qualitatis ſpeciebus pertinere. Primo ergo certum eſt, ad qualitates quartę ſpeciei nõ dari per ſe motum, quia ſemper forma & figura producuntur per accidens ad productionẽ alterius. Sed dięes. Figura eſt terminus per ſe motus loca-

ſis; ergo ad qualitates quartę ſpeciei datur per ſe motus. Probatur antecedēs, quia eſt terminus primarius per ſe illius, vt patet in motu, quo viridis arundo ex recta per partium flectionem fit alterius figuræ. Reſpondemus negando antecedens. Probationi dicimus, per illam flectionem primo adquiri vbi, & conſequenter figuram. Secūdo certum eſt, ad qualitates ſecundæ ſpeciei non dari per ſe motum, quia producūtur ad productionē ſubiecti. Sed dices. Frigiditas aquę & caliditas ignis ſunt qualitates ſecundæ ſpeciei; ſed ad has datur per ſe motus, nempe calefactio, & & frigefactio; ergo, &c. Reſpōdemus ex obſeruatione, ad has qualitates dari per ſe motum, vt ſunt tertiæ ſpeciei, nō vero vt ſunt ſecundæ. Hinc tertio certum eſt, ad qualitates primæ ſpeciei nō dari per ſe motum propter eandem rationem. Vnde quando ad primas qualitates datur per ſe motus, ſumuntur, vt ſunt aduentitiæ ſubiecto, & pertinentes ad tertiam ſpeciem, non vero ad primam. Hac enim ſolutione ſoluuntur quam plurima argumēta in quęſt. hac. Manet ergo dubium de qualitatibus tertiæ ſpeciei: & loquimur ſolum de phyſicis, & de intenſione & remiſsione illarum: nam certum eſt, extēſionem qualitatis in ſubiecto fieri per accidens.

Sit aſſertio. Ad qualitates tertiæ ſpeciei datur per ſe motus. Hanc expreſſe docuit Ariſt. non ſolum cap. 22. huius libri, ſed multis alijs in locis cap. enim 2. ſic habet. *Voco autē qualitatem eā, qua patibilis eſt, &c.* Probatur, quia alteratio eſt motus proprie dictus, & eius terminus per ſe eſt qualitas tertię ſpeciei. Probatur ſecundò, quia alteratio habet omnes conditiones requiſitas ad motum proprie dictū, quas aſsignauimus quęſt. 1. quæſt: 3. & cap. 1. in comment. Qua ratione fiant intēſio & remiſsio in qualitatibus, & an ſint vnus, vel multi motus, diximus in lib. de Ortu.

Sed dices. Ad primas qualitates, prout ſunt tertiæ ſpeciei datur per ſe motus; ergo etiam ad eaſdem, vt ſunt primæ ſpeciei. Reſpon. negando conſequentiam. Diſpar enim eſt ratio, cū qualitates tertiæ ſpeciei, vt ſic, latitudinem habeant, & fiāt ex minus intenſis qualitatibus: vt vero ſunt primæ ſpeciei vel conſiſtunt in indiuiſibili, vt patet in habitibus conſequentibus viuentium naturam, vel fiunt

ad

ad productionem alterius.

IN SECVNDA parte q. 2. eſt dubitatio, an ad relationem ſit per ſe motus. Et cũ multæ relationes fundentur in quantitate, & qualitate, certum eſt ad relationem ratione fundamenti poſſe dari per ſe motum. Loquimur ergo de relatione formaliter ſumpta, quæ duplex eſt, alia quæ producitur ſimul cum ſuo fundamento, vt filiatio: alia vero, quæ fundamentum ſupponit, vt paternitas, vel ſimilitudo reſultans in hoc pariete albo, ex eo quod alter eiuſdem rationis producitur.

Ad relationẽ non eſt motus. Sit prima aſſertio. Ad nullã relationem formaliter ſumptã eſt per ſe motus. Hãc docuit Ariſt. cap. 2. huius libri, & in cõmentarijs illius ſatis illã confirmant Simpli. Themiſt. & alij eius expoſitores, & in hoc omnes conueniunt: manet enim ſatis manifeſta, ſi per ſpecies motus proprie dicti fiat inductio.

Secunda aſſertio. Si relatio ſupponat fundamentum, nec ad illam formaliter ſumptam, nec ad realitatem eius datur per ſe motus, quãdo formaliter producitur. Probatur aſſertio, quia realitas fundamenti ſupponitur productioni relationis formaliter ſumptæ; ſed fundamentum eſt entitas relationis, vt docuimus in Logica diſputatione de relatione. quæſt. 10. ergo, &c.

Tertia aſſertio. Si relatio producatur ſimul cum fundamento, ad entitatem eius dari poteſt per ſe motus. Probatur aſſertio: quia fundamentũ eius, cum quo identificatur realiter, interdum eſt quantitas, & interdum qualitas.

Sed dices. Relatio habet omnes cõditiones requiſitas, vt ad illam ſit per ſe motus: ergo ad illam poteſt eſſe per ſe motus. Reſpon. ſolum poſſe habere illas ratione fundamenti. Si enim formaliter ſumatur, ei nil eſt contrarium. Sed dices. In quantitate ſuffi cit contrarietas, quæ eſt partium extenſio. ſ. maior & minor quantitas; ſed hæc extenſio & partium latitudo reperi tur etiam in relatione; ergo ad relationem poteſt eſſe per ſe motus. Reſp. minorem ſolũ eſſe verã de relatione ratione fundamenti.

Dices 2. Relatum adueniẽte relatione aliter ſe habet quam prius, ſed hoc eſt mutari, ergo mutatur: ſed non aliter ſe habet niſi per relationẽ formaliter ſumptã; ergo mutatur per adquiſitionẽ relationis formaliter ſumptæ; ergo ad relationẽ datur per ſe motus. Reſpõ. ſubiectum mutari

fieret in vacuo, vere eſſet motus, & haberet terminum primũ, tamen ibi non eſſet locus.

IN QVARTA parte quæſtionis eſt 4. dub. an motus poſsit eſſe terminus motus, quod alijs verbis inquiri ſolet, an mutationis ſit mutatio, & actionis actio. Quæ dicemus de mutatione, volumus intellecta de actione. Sit obſeruatio. Cum mutatio ſit tranſitus ſubiecti á termino á quo in terminum ad quem per mutationem productum, ſumi poteſt in ordine ad ſubiectum, cui inhæret; & vt productio in ordine ad terminũ ad quem per illam productũ. Vnde duplex eſt ſenſus dubitationis; primus eſt, an mutatio ſit ſubiectum mutationis, & procedit quæſtio de ſubiecto quod. Secundus eſt, an terminus mutationis poſſit eſſe alia mutatio. Et ſumitur mutatio prout complectitur motum & mutationem.

Iuxta primum ſenſum ſit aſſertio. Mutatio non poteſt eſſe ſubiectum alterius mutationis. Probatur, quia ſubiectum quod mutationis debet eſſe ſubſtantia, omnis vero mutatio accidens eſt.

Mutationis nõ datur mutatio.

Secunda aſſertio. Mutatio non poteſt eſſe terminus productus per aliam mutationẽ. Aſſert. hanc multis rationibus confirmauit Ariſt. cap. 2. Sed præcipua eſt, quia ſequeretur inde proceſſus in infinitum.

Dices in 1. aſſert. Mutatio ex tarda fit velox; ergo mutatio eſt ſubiectum alterius mutationis. Reſp. Valleſius, hoc contingere in mutatione ſecũdum diuerſas partes illius. Reſp. 2. & melius, quod ſubiectum eſt quod mutatur, non vero mutatio. Reſp. tamen 3. in hoc caſu ſubiectum non mutari per diſtinctam mutationem, ſed per diſtinctũ modum mutationis.

Dices. 2. Vna & eadẽ mutatio poteſt eſſe in principio naturalis, & in fine violenta, vt ſi lapis deſcendat in centrum, & vlterius progrediatur; ergo, &c. Quidquid ſit de antecedente, reſp. eodem modo, ſcilicet lapidem tunc mutari, non vero motũ illius. Sed dices. Medio illo motu recipit lapis mutationem illã ex naturali in violentam; ergo motus ille lapidis eſt ſubiectũ mutationis. Reſp. quod ſi cõcedamus, illam mutationem naturalem & violentam eſſe vnam numero, ſolum poteſt probare argumentũ, mutationem eſſe ſubiectum quo alterius mutationis. Si vero dicamus eſſe duplicem motum, tunc non mutatur vnus mo-

motus in alium, ſed poſt vnũ ſuccedit alter.

Dices. 3. Motus eſt ſubiectũ actionis, & paſsionis, vt diximus lib. 3. q. 4. aſſert. 3. ergo etiam poterit eſſe ſubiectum alterius motus. Reſp. negãdo conſequentiam, nã diſpar eſt ratio: quia actio & paſsio ſunt quædam rationes formales motus, cum quo identificantur, & ordinantur ad eundem terminum. Si vero in motu eſſet alius motus tanquam in ſubiecto, terminus comparatus per illum ſubiectaretur in motu priori, quod eſt impoſſibile.

Dices in. 2. aſſer. Proinde ad ignem datur perſe mutatio, quia incipit denouo, & indiget actione, qua fiat; ſed etiam mutatio incipit de nouo; ergo indiget actione qua fiat: ergo datur mutatio ad mutationẽ tanquam ad terminũ. Reſpondemus, mutationem non fieri, ſed eſſe viã, qua res fit: quemadmodum exiſtentia non exiſtit, ſed eſt id, quo res exiſtit.

Dices. 2. agens, verbi gratia ignis, de non calefaciente fit calefaciens; ergo per actionem: ſed non per illam, quæ eſt in paſſo; ergo per aliam terminatam ad iſtam. Reſp. in actionibus agens fieri ex non agẽte agens actione exiſtente in paſſo, non vero per actionem ſibi intrinſecam. In immanentibus vero fit de nõ agente agens per actionem manẽtẽ in ipſo, vt patiẽs eſt.

DISPVTATIO SECVNDA DE VNITATE MOTVS.

Quæſtio. I. Vnde ſumatur vnitas generica, & ſpecifica motus.

DIVIDITVR quæſtio in tres partes. In. 1. explicabimus titulum. In. 2. proponemus aſſertiones. In. 3. ſatisfaciemus argumentis oppoſitis.

IN PRIMA parte quæſtionis ſit prima obſeruatio. Ariſtoteles cap. 4. egit primo de generica, & ſpecifica vnitate motus, deinde vero de numerica. Diſputauit vero de motu tantum ſucceſsiuo, & propriè dicto, de cuius termino per ſe duobus primis capiti-

pitibus egerat. In hac ergo quæſt. de motu ſic ſumpto agemus.

Secunda obſeruatio quæſt. procedit de vnitate ſpeciei infimæ, & generis interiecti, & de motu ſumpto ſecundũ propriã extenſionem, de quo loquuti ſumus lib. 4. diſp. de durationibus quæſt. 3. obſ. 2.

Tertia obſeruatio. Terminus ad quem poteſt ſummi materialiter, pro re ſcilicet, quæ eſt terminus; & formaliter, nempè in ratione terminandi non abſolutè, ſed cùm ordine ad terminum à quo.

Vnitas generica motus.

IN SECVNDA parte quæſt. Sit. 1. aſſertio. Vnitas generica motus deſumitur ab vnitate generica termini ad quem, ita vt motus ad terminum vnius categoriæ, quantitatis verbi gratia, ſit vnius generis, & motus ad terminum alterius categoriæ alterius generis. Hæc propoſuit Ariſt. initio cap. 4. his verbis. *Ac vnius quidem generis motus ex formis figurisque categoriarũ dicitur.*

Vnitas ſpecifica motus.

Secunda aſſer. Vnitas ſpecifica motus ſumitur à termino ad quem formaliter ſumpto. Primam partem aſſertionis expreſsis verbis docuit Ariſto. cap. 4. communis eſt apud omnes, & probatur primo. Quando aliquid natura ſua ad aliud ordinatur, ex illo debet ſumere ſpeciem, vt patet in relatis; ſed motus natura ſua ordinatur in terminũ, nã eſt via & productio illius; ergo, &c. Probatur. 2. quia omne imperfectum reducitur ad perfectum, ad cuius productionem natura ſua ordinatur. 2. aſſertionis pars probatur primo, quia interdum oppoſiti motus, & ſpecie diſtincti ſunt ad eundem terminum, vt ex argumentorum ſolutione fiet manifeſtũ. Probatur. 2. quia eſſentialiter ſeparatur quiuis motus ab alio per terminum ad quẽ formaliter ſumptum: nam ſi inquiras, cur frigefactio & calefactio ſpeciei differant, reſpondemus, quia hæc tandit ad caliditatem, illa vero ad frigiditatem.

Tertia aſſertio. A rationibus ſpecificis termini mediis inter aſsignatis in. 1. & 2. aſſertione ſumptis formaliter ſumunt motus vnitatem ſpeciei interiectæ. Aſſertio hæc conſtat ex ſuperioribus, nam vt ſe habet vnitas ſpeciei infimę ipſius termini reſpectu vnitatis ſpeciei infimæ motus, & generica reſpectu vnitatis genericæ, ita ſe debet habere vnitas ſpeciei interiectæ termini reſpectu vnitatis ſpeciei interiectæ motus.

IN

IN TERTIA parte quæſt. dices. 1. Motus ſpecie diuerſi poſſunt eſſe ad eundẽ terminum ad quem; ergo ab illo nō ſumunt vnitatem ſpecificam. Prob. antece. Poteſt aliquid moueri ex albo in fuſcum, & erit denigratio: & ex nigro in fuſcum, & erit dealbatio; ſed dealbatio & denigratio differunt ſpecie, vt expreſſe docuit Ariſtot. cap. 4. ergo ad eundem terminum ad quem poſſunt eſſe motus ſpecie diuerſi. Reſp. in iſto caſu calorem fuſcum eſſe vnũ terminum materialiter, multiplicem vero formaliter. Ratio enim formalis termini ad quem variatur per diuerſum reſpectum ad terminũ à quo, & ita color fuſcus eſſet multiplex terminus formaliter: nam, vt docuit Ariſt. color medius reſpectu nigri habet rationẽ albi, & reſpectu albi rationem nigri. Doctrina hæc confirmatur ratione. 1. quia motus non eſt ſola acquiſitio termini ad quem, ſed tranſitus ſubiecti à termino à quo ad terminũ ad quem. 2. quia ad eundem terminum materialiter ſumptum poteſt eſſe motus propriè dictus, & mutatio: vt ſi calor producatur ex termino à quo contrario & poſitiuo, ſcilicet frigiditate, eſt motus propriè dictus: ſi vero ex contradicente, ſcilicet ex non eſſe caloris, eſt mutatio. Sed dices. Ergo motus non ſolum ſumit ſpeciem à termino ad quem, ſed etiam à termino à quo. Reſp. negãdo conſequentia: nam ſolũ ſumitur à termino ad quem, qui formaliter variatur per diuerſum reſpectũ ad terminũ à quo. Sed dices. Ergo dealbatio ex viridi & nigro ſpecie differunt, quia nigrum & viride differunt etiam ſpecie. Reſp. imo oppoſitum ſequi, quia viride reſpectu albi habet rationem nigri, nam ex viridi, quà ex parte induit rationem nigri, fit tranſitus ad album: vnde terminus ad quẽ non variatur formaliter.

Dices. 2. Quod non eſt, nõ poteſt dare ſpeciem; ſed quã do eſt motus, nõdum eſt terminus ad quem; ergo terminus ad quem non poteſt dare ſpeciem motui. Reſpõ. 1. maiorẽ eſſe falſam in his, quæ tribuunt ſpeciem in ratione termini, & finis. Reſp. 2. negando minorem, nam terminus ad quẽ incomplete exiſtit toto tẽpore, quo fit motus: quia in toto motu adquiritur terminus. Exiſtit vero cõplete in fine motus, in primo ſcilicet non moueri, vel mutato eſſe poſt totum motum.

Di-

Dices. 3. Accretio & decretio ſunt motus ſpecie diſtincti: ſed poſſunt eſſe ad eũdem terminum ad quem, vt ſi ex quantitate vnius palmi per accretionem fiat quantitas duorum palmorum, & ex quantitate trium palmorum per decretionem fiat etiam quantitas duorum palmorũ; ergo motus non ſumunt ſpeciem a termino ad quẽ. Reſp. iſtum terminum eſſe vnũ materialiter, multiplicem vero formaliter.

Dices. 4. Si aer moueatur ex loco ignis in ſuum locum, & ex loco terræ in ſuum locũ, mouebitur motibus contrariis, & ſpecie diſtinctis; ſed terminus ad quem eſt idem: ergo vnitas ſpecifica motus nõ ſumitur a termino ad quem. Reſp. eodem modo, ſcilicet terminum ad quem, nempè locum aeris, eſſe vnum terminum materialiter, multiplicẽ vero formaliter. Sed dices. Iſti motus non eſſent ſpecie diſtincti; ergo terminus ad quem nõ eſſet multiplex formaliter. Probatur antecedẽs. Eſſent motus corporis ſimplicis in ſuum locum naturalem; ſed motus corporis ſimplicis in ſuum locum naturalẽ ſunt naturales; ergo eſſent motus naturales: ſed vnius corporis ſimplicis tantum eſt vnus motus naturalis ſpecie, teſte Ariſt. 1. de cœlo cap. 2. ergo illi duo motus eſſẽt iidẽ motus ſpecie. Huic argumẽto varias adhibẽt ſolutiones. Quidã reſpondent, iſtos motus non diſtingui ſpecie, cum ſint ad eundem terminum ad quem: ſed non eſt ſatis firma ſolutio, quia ex ſupra dictis cõſtat, hunc terminũ eſſe multiplicẽ formaliter, & vnũ materialiter tantum. Toletus hic q. 2. in ſolutione ad. 3. docet, hos motus eſſe ſpecie diſtinctos, Ariſt. vero. 1. de cœlo intelligendũ eſſe de motu terræ & ignis tantum. Sed non eſt accommodata ſolutio menti Ariſt. nam ſi, quando docet vnius corporis ſimplicis vnicum eſſe motũ naturalem, intelligẽdus eſſet de extremis ſolũ elementis, dicere aliquis poſſet, elementa media poſſe moueri in orbẽ. Vnde ex numero & multitudine motuũ ſimplicium non ſatis rectè deduxiſſet, præter quatuor elemẽta cõſtituendũ eſſe quintũ corpus ſimplex, nempè cœlũ. His ergo & aliis omiſsis ſolutionibus, reſp. aerẽ poſſe moueri duplici motu naturali, ſcilicet ſurſum & deorſum: ſemper tamen ad eundẽ locũ naturalem. Et ſic eſt intelligẽdus Ariſt. dũ docet, vnius corporis ſimplicis non eſſe mul-

tos motus naturales, intelligendus enim eſt ad diuerſos terminos, & diuerſa loca. Rē hanc diffuſius explicauimus in quæſtionibus circa cap. 2. 1. de cœlo. Alia quamplurima, quę hic fieri ſolent argumenta, facile ex dictis ſoluuntur.

QVAESTIO. II.

Vnde ſumat motus numericam vnitatem.

DIVIDITVR quæſt. in duas partes. In prima examinabimus Ariſt. ſententiam. In. 2. oppoſitas rationes ſoluemus.

IN PRIMA parte quæſtionis, ſit prima aſſertio ab Ariſto. propoſita cap. 4. Ad numericam motus vnitatem requiritur vnitas mobilis, termini, & temporis; hæc enim ſunt illius verba. *Tria enim ſunt, in quibus motum, qui vnus eſt, dicimus conſiſtere: quod mouetur, in quo eſt motus, & quando.*

Prima conditio notiſsima eſt, cum nullum ſit accidens, quod non requirat ad ſui numericā vnitatē, vnitatē numericam ſubiecti: at motus accidens eſt mobilis. Circa ſecundam conditionem obſeruandum eſt, Ariſt. eſſe intelligendum de vnitate numerica termini, hæc verò neceſſario ſupponit vnitatē ſpecificam, quæ tamen ſola non ſufficit. quia ad eundem terminū ſpecie poſſunt eſſe multi motus numero diſtincti, vt patet in duabus dealbationibus. Circa tertiam conditionem obſeruandum eſt, in rei veritate intelligi de tempore intrinſeco mobili, & ſic res eſt manifeſta, cum hoc ſit intrinſeca motus duratio, vt ex dictis lib. 4. ſatis conſtat. Si ergo ſermo ſit de tempore primi mobilis, res eſt aliquātulum difficilis, vt ex ſolutionibus argumentorum contra hanc. 3. conditionem conſtabit. Has tres aſsignauit Ariſt. conditiones ad numericam motus vnitatem, omnes tamē requiſitæ ad vnam reduci poſſunt.

Sit igitur ſecun. aſſertio. Ad vnitatem numericam motus ſufficit continuitas. Quiuis enim motus cōtinuus neceſſario debet eſſe vnus numero, et ſi continuitate careat, multiplex. Probatur primo quia motus eſt de genere cōtinuorum. Probatur ſecundo, quia nequit eſſe cōtinuus, niſi ſit vnitas mobilis, in vno numero tempore, & vnius termini ad quem numero. Vnitas motus à continuitate.

IN SECVNDA parte quæſt. dices in primam cōditio-

ditionem. Dum animal progreſsiue mouetur, motus eſt vnus numero, & mobilia ſunt multa, ſcilicet oſſa, carnes &c. ergo ad vnitatem numericã motus non requiretur vnitas mobilis. Reſpon. omnes illas partes efficere vnum mobile completum, & totale. Sed dices. Si mouetur motu locali virga, cuius media pars ſit viridis, & alia media ſicca, & non viuens, illæ motus erit vnus numero, & erit duplex mobile: ergo non requiritur vnitas mobilis ad vnitatem numericam motus. Reſpon. negando antecedens: nam ille motus eſſet duplex, quia duplex mobile.

Dices in. 2. conditionem. Lapis poteſt moueri vnico numero motu à concauo lunæ vſque ad centrum terræ, & in illo motu non eſſet vnitas termini: ergo, &c. Probatur minor, quia per trãſiret lapis multa loca ſpecie diſtincta, ſcilicet ignem, aërem, terrã. Reſpond. terminum motus localis nõ eſſe locum, ſed vbi. Sed dices. Per tranſiret diuerſa loca; ergo haberet multiplicem terminum, ſcilicet multiplex vbi. Probatur conſequentia: quia licet vbi dicat abſolutum, connotat tamen locum. Reſp. ad motum requiri vnitatem termini vltimati & adæquati, vbi vero, quod habet mobile durante motu, nec eſt adæquatum, nec vltimatus terminus: quia vt docuit Ariſt. mobile partim eſt in termino à quo, & partim eſt in termino ad quem, quod procul dubio intelligendum eſt de mobili dum mouetur: nã in principio motus totum mobile eſt in termino à quo, in fine totũ in termino ad quẽ. Lib. 6. c.

Dices. 2. Motus ſpecie diſtincti poſſunt efficere vnum numero motum: ergo in explicatione. 2. conditionis falſo docuimus, numericam motus vnitatem neceſſario ſupponere vnitatem ſpecificam eiuſdẽ. Probatur antecedẽs. Aſcẽdat pila impetu proiiciẽtis, & occurrat ei maximus lapis deſcẽdens, antequam pila perueniat ad punctum reflectionis; tunc lapis ſecum deorſum trahet pilam, ille deſcenſus lapidis erit continuus, cũ aſcenſu eiuſdẽ, & conſequenter vnus, cum ex. 2. aſſer. ad numericã vnitatẽ motus ſufficiat cõtinuitas; ſed aſcẽſus & deſcenſus ſunt motus oppoſiti, & ſpecie diſtincti; ergo motus ſpecie diſtincti poſſunt efficere vnum numero motum. Communis eſt ſolutio, hunc aſcenſum, & deſcẽſum eſſe duos motus diſcõtinuos. Sed dices ſtatim: nõ in

intercipiũtur quiete: ergo nõ ſunt motus diſcontinui. Quidam Recentiores Philoſophi grauiſsimi reſpondent, intercipi quiete priuatiua: quia per aliquod breue temporis ſpatium pila tũc quieſceret. Sed reiicitur ſolutio, quia ſi quieſceret, neceſſario detineret lapidem maximo impetu deſcẽdentem, quod non eſt aſſerẽdum, cum nec pilæ proiectæ vis hoc præſtare poſsit, nec naturæ vniuerſæ ordo hoc poſtulare videatur. Alij grauiſsimi reſpondent, intercipi hos motus quiete negatiua, & hoc ſufficere, vt motus diſcontinuetur. Reiicitur tamen ſolutio: quia iuxta horũ ſententiã in medio cuiuſuis motus continui quies negatiua inuenitur.

2. Reſpo. ergo interipi duplici quiete negatiua. Sed dices. Quies negatiua eſt indiuiſibile; igitur, vel inter has duas quietes mediaret tempus, vel non: ſi mediaret; ergo optima eſt prima ſolutio, quam reiecimus: ſi vero non mediaret, eſſent duo indiuiſibilia immediata, quod Ariſtot. repugnat, & non eſt concedendũ. Reſpondemus concedendũ eſſe & Ariſt. nõ repugnare, qui loquitur, de indiuiſibilibus in medio continui: ex his vero quietibus negatiuis vna eſſet finis motus ſurſum, alia vero initiũ motus deorſum. Sed dices: ergo in motu lapidis deorſum, qui continuus eſſet, eſſent etiam duæ quietes negatiuæ immediatæ. Probatur conſequentia. Motus lapidis & pilæ cöexiſterent: ergo & illorum indiuiſibilia. Reſpondemus negando conſequentiã. Probationi ſimiliter: nam in continuis ſolum dantur indiuiſibilia in principio & fine, vt dicemus lib. 6. Vnde licet motus cöexiſterent, non tamen indiuiſibilia, cum non dentur in medio continui, dentur vero in contiguis ſimul cöexiſtentibus. Rationem huius rei aſsignabimus libro citato diſputatione prima.

3. Dices in 3. conditionem Ariſtot. vel eſt intelligendus de tempore extrinſeco, & primi mobilis, vel de intrinſeco rei, quæ mouetur: ſi de extrinſeco, hoc impertinens eſt ad vnitatem numericam motuum inferiorum, primo quia vnum eſt complectens omnes motus; ſecundo quia illo ſublato inferiores motus adhuc ſuam vnitatem retinerent. Si vero intelligendus eſt de intrinſeco, ſuperflue addit vnitatem temporis, cum hoc ſit idem re ipſa cum motu, cuius eſt tempus. Reſpond.

pondét multi ex grauiſſimis ſcriptoribus, Ariſtot. intelligē diſſe de tempore extrinſeco, ſiue reale ſit, ſiue imaginarium. Sed reſponſio non enacuat vim argumenti, nam deeſt tempus reale, ſi imaginatione ad tempus imaginarium confugere. Vnde dicunt alii intelligendum eſſe de facto de tempore primi mobilis, ſed hi non ſatisfaciunt argumento. Reſpondent alij, intelligendum eſſe de vnitate temporis intrinſeci. Sed licet libenter concedam, in rei veritate hanc neceſſario requiri, vt dixi explicando tertiam conditionem, quia tempus hoc eſt idem re ipſa cum motu, nunquam tamen concedam, Ariſt. locutum fuiſſe de tempore intrinſeco, ſed de extrinſeco primi mobilis: quia Ariſt. in ſuperioribus & præcipue li. 4. vbi de tempore diſſeruit, ſolum docuit menſionem temporis primi mobilis. Reſpon. ergo, Ariſt. non docuiſſe, ad vnitatem numericā motus rei inferioris requiri abſolute totā vnitatem temporis primi mobilis: nō enim dixit requiri tēpus, ſed Quādo: Quando autem eſt certa temporis pars, differentia, ſiue duratio quæ ſi diceret, motui deberet correſpondere multiplex Quando in tēpore primi mobilis, ſed vnum tantum, quod ſit pars illius, & duratio æqualis durationi ipſius motus.

Dices in ſecunda aſſertionem. Si deſcendat canis, & pereat in medio itineris, motus eſt vnus, & terminus non eſt vnus numero, quia eſt in diuerſis ſubiectis, nempe in carne viuo, & mortuo. Reſpondemus eſſe duplicem motū, & non vnum continuum, vt diximus in ſolutione ſecundi argumenti contra ſecūdam conditionem.

Hoc loco quæri ſolet, a quo ſumat actio numericam vnitatem, ab agente ſcilicet, vel à paſſo. Reſp. breuiter à paſſo, cui inhæret: nam omne accidens ſumit vnitatem numericam a ſuo ſubiecto. Neq; eſt abſurdum, idem ſimul multis actionibus agere, quia reſpectu illius ſunt effectus inadæquati, vt patet in ſole ſimul producente lumen, vel calorem in multis inferioribus: tum etiam, ſi ignis ſimul ſex ligna calefaceret, ſex tunc eſſent calefactiones numero diſtinctæ.

QVAESTIO III.

De vnitate generis ſupremi motus; & quâ ratione eius prædicamentum ſit ordinandum.

DIVIDITVR quæſtio in duas partes, iuxta duo, quę inquirit eius titulus.

IN PRIMA parte quęſt. ſit. 1. obſeruatio. Pro pleniori huius quęſt. intelligētia legēda ſunt ea, quæ de motu diximus in logica diſp. de quantitate continua. q. 4. & 3. phyſico diſp. de motu q. 3. ibi enim inter alia diximus, motū ſucceſsiuum per ſe eſſe quantum, & nilominus neq. per ſe, neq. reductiue in aliquo ex decem prędicamentis contineri, eo quod eſt ens incompletum, via & tendentia ad terminum, proindeq. Ariſto. illum in poſt categorijs collocaſſe. Diximus etiam, peculiarem conſtituere categoriam, cuius ſeriem & ordinē nunc inquirimus.

Secunda obſeruatio. Nomine motus intelligimus omnem viam mobilis ad terminum, ſiue ſit motus ſucceſsiuus, ſiue inſtātaneus, ſiue proprie dictus, ſiue mutatio: nam omnibus his conuenire diffinitionem motus ab Ariſt. traditam 3. phyſico. cap. 2. demonſtrauimus q. 2. diſp. circa illud caput.

Ratio motus.

Sit 1. fundamentum certiſsimum. Vt ſatis colligitur ex communi philoſophorum ſententia, & ex dictis q. 1. diſcitatę, ratio motus ſumpti in tota ſua latitudine conſiſtit in via, ſiue tendentia mobilis a termino a quo in terminum ad quem, ſiue ſit formā adquirendo, ſiue deperdendo illam: hoc enim eſt actus entis in potentia quatenus in potentia, ſcilicet eſſe viā, ſiue tendētiam mobilis a termino a quo ad terminum ad quem, ſiue talis tendentia ſucceſſiua ſit, ſiue inſtantanea.

Secundum fundamentum. Ariſt. 5. phyſico. cap. 1. tria conſtituit mutationis genera, ſcilicet ex non ſubiecto in ſubiectū, id eſt ex termino priuatiuo in terminum poſitiuū: ex ſubiecto in non ſubiectū, id eſt ex termino poſitiuo in terminum priuatiuum: & ex ſubiecto in ſubiectum; id eſt ex termino poſitiuo in terminum poſitiuum. Et addit poſtea hæc verba. *Mutationis autem genera tria ſunt, quæ expoſuimus, quorum ea quæ ex ortu & interitu ſumuntur in motuum numero non habentur, id ſolum genus mutationis quod ex eo fit quod ſubiectum eſt, in id quod eſt ſubiectū, motus ſit neceſſe eſt.* Quibus verbis expreſſe docuit, motum proprie dictum conſtitui per duplicem terminum poſitiuum: & mutatio

nes

nes proprie dictas per vnum terminum poſitiuum, & aliũ priuatiuum. Poteſt enim eſſe alteratio, quę fit proprie mutatio. Eſt expreſſa ſent. Ariſt. cap. 5. ſic enim habet. *Is autem quo tantum in contrarium mutatio fit, non motus eſt, ſed mutatio, vt ſi quid de albetur, aut album fiat, nec ex aliqua qualitate mutetur.* Si enim qualitatis productio non fit ex alia qualitate, tanquam ex termino a quo, ſed ex termino a quo priuatiuo, non erit proprie motus, ſed proprie mutatio.

Sit prima aſſertio. Ratio communis abſtrahens ab omni motu & mutatione eſt eſſe viam & tendentiam mobilis à termino in terminum. Aſſertio certiſsima eſt, quia omnes motus in hoc conueniũt. In alteratione enim, accretione, decretione, & motu locali res eſt ſenſibus nota. In generatione vero ſubſtantiali ex Peripatetica doctrina facile deducitur. Primo ex motus definitione ab Ariſtot. adducta, quam de omni motu quę citata explicuimus. 2. ex his quæ idem docuit. 1. li. phyſico: ibi enim cap. 6. tria eſſe generationis naturalis principia demonſtrauit, vt nos doceret, naturalem generationem tranſitum eſſe materiæ primæ à termino in terminum, a priuatione ſcilicet in formam ſubſtantialem.

Secunda aſſertio. Iſta ratio ſynonyma eſt, & cõſequẽter genus ſupremum. Secunda aſſertionis pars, ſuppoſita prima, certiſsima eſt: nam ratio communis omnino ſuperior ſynonyme, neceſſario debet eſſe genus ſupremum. Prima vero pars probatur ita. Poteſt intellectꝰ ab omnibus inferioribus motibus & mutationibꝰ abſtrahere, hoc quod eſt eſſe viam, & tendentiã mobilis à termino in terminum; ergo hæc ratio eſt ſynonyma. Conſequentia probatur, quia ſolum ſynonyma habent cõceptum abſtractũ & præciſum, vt demonſtrauimus tum in logica, tum in metaphyſica agentes de analogis. Antecedens vero probatur. Hæc ratio non includitur in vltimis differentijs inferiorum; ergo poteſt intellectus illam præcindere & abſtrahere. Probatur antecedens, quia diuerſus conceptus formalis clarus & diſtinctus eſt notitia viæ & tendentiæ mobilis a termino in terminum, a notitia viæ & tendentia ligni v. g. a frigido in calidum, & ſic in cæteris inferioribus.

Sed dices in primã aſſertionem

nem. Omnis via a termino in terminũ dicit ſucceſsionẽ; ergo mutatio, quæ abſtrahit a mutatione inſtantanea, nequit eſſe via a termino in terminum. Reſp. 1. negando antecedens, nam nomine viæ intelligimus tranſitum a termino a quo in terminum ad quem, ſiue fiat in tẽpore, ſiue in inſtanti. Reſp. 2. negando conſequentiam, ſi nomine ſucceſsionis intelligamus nõ extenſam, ſed ſucceſſionem impropriè, quæ in mutatione inſtãtanea reperitur, cum terminus ad quem ſuccedat termino a quo. Non enim eſt mobile in iſtis duobus terminis in eodem inſtãti, ſed in duobus immediatis.

Dices in 2. aſſertionem. Motus ſucceſſiuus eſt quantitas per ſe, vt diximus locis citatis in 1. obſer. ergo eius genus ſupremum eſt quantitas: ergo motus ſucceſſiuus & mutatio inſtãtanea nõ poſſũt cõuenire in ratione generis ſupremi. Reſpon. negando primam conſequentiam, quia vt diximus, motus non pertinet ad categoriam quantitatis. Sed dices. Diuiſibile & indiuiſibile nequeunt ſynonyme conuenire: ergo mutatio inſtantanea & motus ſucceſſiues nequeunt ſynonyme conuenire. Reſ. antecedẽs ſolum eſſe verum de diuiſibili, quod eſt ens completum: at motus eſt ens incompletum. Sed dices. Omne genus ſupremum diuiditur per oppoſitas differentias eſſentiales ſpeciebus immediate ſub illo contẽtis; ſed illa ratio cõmunis nõ ſic diuiditur: ergo, &c. Probatur minor. Vel diuideretur immediate in motũ ſucceſſiuũ & inſtantaneum; vel in motũ proprie & mutationem propriè; ſed neutro ex his modis; ergo, &c. Probatur minor, quia accidit motui, vt tranſitus eſt mobilis a termino in terminum, quod ſit ſucceſſiuus, vel inſtantaneus; proprie motus, vel proprie mutatio. Reſpondemus negando minorem. Probationi dicimus, immediate diuidi in motum proprie dictum, & mutationem proprie, quæ rationes accidũt illi generi ſupremo, id eſt ſunt extra præciſum cõceptum illius, ſunt tamen eſſentiales inferioribus, vt ex ſecunda parte quæſtionis magis conſtabit.

IN SECVNDA igitur parte ſit prima aſſertio. Ratio motus, quæ eſt genus ſupremum, immediate diuiditur diuiſione generis in ſpecies in motum proprie dictũ, & mutationem proprie dictam. Probatur aſſertio quantum

tum

tum ad primam partem, ſcilicet hanc diuiſionem eſſe immediatam. Ratio motus in cõmuni cõſiſtit in trãſitu mobilis à termino in terminum: ergo rationes complectẽtes omnia inferiora huius generis ſupremi erunt inferiora immediata illius: ſed iſtæ rationes complectẽtes omnia inferiora ſũt motus proprie, & mutatio proprie; ergo hęc ſunt immediate inferiora illius. Probatur minor, quia nullus eſt tranſitus mobilis a termino in terminum, qui non fit vel motus proprie, vel mutatio proprie. Secunda vero pars aſſertionis, nẽpe has eſſe rationes ſpecificas. Probatur ex Ariſtotele loco citato, vbi hæc ſolum proponit mutationis genera, ſcilicet mutationem proprie, quam duplicem conſtituit: & motũ proprie, præter quæ nullum aliud eſſe mutationis genus, a ſufficienti diuiſione antea demonſtrauerat. Probatur ſecundo aſſertio, quia magis rationi conſonum eſt, vt ſpecierum motus differẽtiæ deſumantur ex diuerſis terminis, vt ſumuntur in motu proprie, & in mutatione propria, quam ex alio capite, ſcilicet a naturali, vel violento: a ſucceſsiuo, vel inſtantaneo: nam iſtæ rationes præciſe ſumptæ non reſpiciunt diuerſos terminos.

Secunda aſſertio. Mutatio proprie dicta diuiditur in eam, quæ fit a priuatiuo in poſitiuum, qualis eſt generatio ſubſtantialis: & in eam, quæ fit a poſitiuo in priuatiuum, qualis eſt corruptio ſubſtantialis, ver. gratia leonis. Hęc aſſertio colligitur euidenter ex doctrina Ariſt. adducta ſecundo fundamento. Loco enim ibi citato, has duas mutationis ſpecies aſsignauit, ſcilicet a non poſitiuo in poſitiuum, & a poſitiuo in non poſitiuum. Et probatur ratione, quia inter has mutationes apparet ſufficiens diuerſitas formalis termini a quo & ad quem. Diuiſio mutationis.

Tertia aſſertio. Motus proprie dictus diuiditur in illum, per quem adquiritur noua pars formæ, & in illum, per quem deperditur pars formę præexiſtẽtis in termino a quo. Hæc aſſertio non colligitur clare ex Ariſt. probatur tamẽ a ſimili, quia quemadmodum mutatio fit, vel adquirendo formam, vel deperdendo illam, inter terminos tamen, quorum alter tantum eſt poſitiuus; ita motus proprie dictus fit, vel adquirendo formam, vel deperdendo illam, ſemper tamen in- Diuiſio motus proprie dicti.

ter poſitiuos terminos.

Quarta aſſertio. Iſtæ rationes ſpecificæ aſsignatæ in ſecunda & tertia aſſertione eſſentialiter ſubdiuiduntur ad diuiſionem terminorũ pertinẽtiũ ad diuerſas categorias. Hanc cũ Ariſ. docuimus quæſtione. 1. huius diſputationis.

Series categoriæ motus.

De vnitate ſpeciei infimæ motus diximus eadem quæſt. & quæſtione ſuperiori de numerica. Manet igitur ex dictis manifeſta ſeries categoriæ motus ſumpti in tota ſua latitudine. Conſiſtit enim ratio ſiue modus intrinſecus generis ſupremi in hoc, quod eſt eſſe viam tranſitum ſiue tendentiam mobilis a termino in terminũ. Genus hoc ſupremum primo diuiditur in mutationem proprie, & motum proprie. Mutatio in eã, quæ fit a priuatiuo in poſitiuum, & in eam, quæ fit a poſitiuo in priuatiuum. Deinde iſtæ ſpecies ſubdiuiduntur ad diuiſionem categoriarũ ſuorum terminorum, vt docuit Ariſtoteles. Rurſus hæ in ſpecies infimas per terminos formaliter ſumptos diſtinctos ſpecie infima. Motus itidem proprie dictus diuiditur in illum, per quem adquiritur forma; & in illum, per quem deperditur. Inſuper iſti ſubdiuiduntur, vt diuiſæ fuerũt mutationes propriè dictæ. Tandem numerica vnitas tã in motu, quam in mutatione ſumitur a continuitate modo partim explicato ſuperiori quæſt. & partim explicãdo in ſolutionibus argumẽtorum.

Dices in primam aſſertionem. Ratio motus in communi non eſt ſynonyma, ergo nequit diuidi diuiſione generis in ſpecies. Probatur antecedens: quia vniuerſum, quod eſt genus ad quinque voces ſynonymas, eſt quid completum, vt ſæpe diximus in logica: at motus eſt natura incõpleta. Reſpondemus, motum non eſſe ſynonymum contentum ſub vniuerſo completo, ſed ſub incompleto. In 1. aſſertio.

Dices in ſecundam aſſertionem. Corruptio non eſt mutatio ergo falſa eſt ſecunda aſſertio. Probatur antecedens. Omnis mutatio eſt fieri ſui termini; ſed corruptio non eſt fieri ſui termini; ergo non eſt mutatio. Reſpon. negando vtrumq. antecedens: de ratione enim mutationis ſolum eſt, quod ſit tranſitus mobilis inter duos terminos, quorum alter tantum ſit poſitiuus, vt cum Ariſtotele docuimus. Sed dices. Omnis mutatio eſt productio; ergo mutatio omnis eſt fieri ſui termini. R. ç p. antecedens ſolũ eſſe In 2. aſſer.

eſſe verum de mutatione, quæ fit a priuatiuo in poſitiuum.

In 3. aſſer. Dices in 3. aſſer. In omni motu proprie dicto, vterque terminus eſt poſitiuus; ergo nõ datur motus proprie dictus, per quẽ deperdatur pars formæ præexiſtẽtis. Reſ. negãdo cõſequentiam, quia vt ſit poſitiuus terminus ad quem, ſufficit quod maneat aliqua pars formæ præexiſtentis in termino a quo, etiamſi aliqua pars deperdatur. Pro cuius rei intelligentia obſeruãdum eſt, ex triplici genere motus proprie dicti ſolum localem eſſe ſemper adquiſitionem termini ad quem (licet in ratione naturalis dicatur ſimpliciter adquiſitio, quando eſt ad locum naturalem mobilis; & ſimpliciter deperditio, quando eſt ex loco naturali) quãuis in eo tantum formæ deperdatur, quantum adquiritur. In alijs vero, in motu ſcilicet ad quantitatem, & qualitatem, non ita res ſe habet: nam in accretione adquiritur quantitas eiuſdem rationis, & conſequenter eſt maior in termino ad quem, in decretione vero deperditur. Eodem modo per alterationẽ interdum intenditur qualitas, & interdum remittitur, verbi gratia in calefactione, qua fit aqua calida ex frigida, tunc enim eſt mutatio ad qualitatem, per quam adquiritur qualitas, & ſimul cum illa eſt alia mutatio, per quã remittitur frigiditas. Vt enim ſe habet extenſio reſpectu quantitatis, ita intẽſio reſpectu qualitatis; quare quemadmodum datur mutatio, per quã extenditur quantitas, & alia, per quã eius extenſio ſit minor, & deperditur; ita in qualitate datur mutatio, per quã intẽditur, & alia, per quã remittitur, & deperditur. In intẽſione vnius qualitatis, & remiſſione contrariæ eſſe duos motus diſtinctos, demõſtrauimus in libris de ortu. Probatur etiã eadẽ doctrina in intẽſione, & remiſſione qualitatis, cui nulla alia cõtrariatur. Sed dices. Cur per motũ locale ſẽper adquiritur forma, nõ vero in aliis motibus proprie dictis. Reſ. quia forma adquiſita per hũc motũ eſt præſẽtia rei in ordine vel ad locũ realẽ, a quo actu ambitur, vel ad potẽtialẽ, a quo poteſt ambiri: & ſẽper per motũ mobile localiter hãc præſentiã adquirit, cũ trãſacto motu ſemper maneat alicubi. Imo mobile localiter neceſſario adquirit tãtã formã, quantã deperdit, quia forma hæc, ſcilicet vbi, in indiuiſibili conſiſtit.

Dices vltimo. Mutatio pro-

priè dicta, qualis eſt generatio, aut corruptio, leonis verbi gratia, eſt inſtantanea; ergo explicantes numericam mutationis vnitatem non rectè diximus, ſumi à continuitate. Reſp. negando conſequentiam: nam continuitas propriè ſumpta includit diuiſibilitatem poſitiuam, & partium extenſionem. Et hæc cõtinuitas requiritur ad vnitatem numericam motus propriè dicti. Alia verò eſt continuitas negatiua, quæ nõ includit diuiſibilitatem & extenſionem, ſed negationem multiplicis indiuiſibilitatis: & hæc eſt quę deſideratur ad vnitatem numericam mutationis propriè dictæ. Dicitur enim generatio, verbi gratia huius leonis, continua, non quia extenſionem includat, ſed quia dicit carentiam extenſionis, & multiplicis indiuiſibilitatis. Sic diximus in Logica. quæſt. 5. de vniuerſis, naturam à parte rei eſſe vnã negatiuè, id eſt nec formaliter vnã, nec formaliter multiplicem.

DISPVTATIO TERTIA DE CONTRARIETATE MOTVS.

Quæſt. prima. An motus ſit alicui motui contrarius.

DIVIDITVR quęſt. in tres partes. In prima explicabimus illius titulũ. Proponemus in ſecunda noſtram ſententiã. In tertia rationibus oppoſitis ſatisfaciemus.

In motu. 4. inueniuntur. IN PRIMA parte. q. ſit prima obſeruatio. In motu ſumpto in tota ſua latitudine (de hoc enim modo procedit quæſt.) hæc quatuor inueniũtur, ſcilicet quod ſit trãſitus mobilis à termino in terminũ, & in hoc conſiſtit eius ratio formalis, vt ſępe diximus: quod ſit ab agẽte, & ſic eſt formaliter actio: quod recipiatur in paſſo, & ſic eſt formaliter paſsio: & quod ſit productio formæ, ſi terminus eius ad quem ſit poſitiuus. Loquimur ergo in hac quęſt. de motu primo modo & ſecundum ſe ſumpto.

Secunda obſeruatio. Quæſtio hæc intelligi poteſt de motu ratione ſui, & de motu ratione terminorũ: exagitatur ergo in hoc duplici ſenſu.

Ter-

Oppoſita & diſparata.

Tertia obſeruatio. Certum eſt in doctrina Ariſto. & omnium philoſophorum, diſparata, & oppoſita maxime differre inter ſe. Oppoſitorũ quatuor aſsignauit genera Ariſt. in poſtcatégoriis, ſcilicet relata, aduerſa, priuãtia, & cõtra dicentia, quorũ diffinitiones notę ſũt, & ſtatim illas proponemus. Ex his manifeſtus eſt quæſtionis ſenſus: inquirimus enim, an loquendo de motu in tota ſua latitudine reperiãtur aliqui oppoſiti relatiue, priuatiue, aduerſe, ſiue cõtradictoriè, loquendo de motu formaliter ſumpto, tum etiã de eodem ratione termini.

Motus motui non eſt oppoſitus.

IN SECVNDA parte q. ſit prima aſſertio. Motus formaliter ſumptus & ſecundum ſe non poteſt eſſe contrarius alteri motui. Oppoſitam ſententiam tenent omnes philoſophi, imo tanquam Ariſtotelis ſupponunt. Teſtimonio tamen Ariſt. & philoſophorum rationibus ſatiſfaciemus. Interim tamen noſtram confirmemus ſententiam. Probatur igitur aſſerio. Quæ verè opponuntur (non enim loquimur modo de oppoſitis diſparate) vel opponuntur relatiuè, vel priuatiue, vel cõtradictoriè, vel aduerſe; ſed motus nullo ex his quatuor modis opponuntur inter ſe; ergo nõ vere opponũtur. Maior eſt Ariſt. loco citato, & omnes illam admittunt. Minor vero probatur. Primo non opponuntur relatiue, ſiue loquamur de motu propriè dicto, ſiue de mutatione propriè dicta, vt cõſtabit facta inductiones per omnes ſpecies vtriuſq; quia motus & mutatio, citra cõtrouerſiã, dicũt rẽ abſolutã. Deinde neq; opponũtur priuatiue: nam priuatiuè, oppoſita ſunt habitus & priuatio eiuſdẽ: nomine verò habitus quęcunque forma intelligitur, etiam ſi ſubſtantialis ſit: & proinde docuit Ariſtot. prima principia, nempe formam & priuationem eſſe prima cõtraria: loquitur enim de oppoſitione priuatiua: nullus vero motus eſt priuatio alterius motus, neque mutatio mutationis. Inſuper priuantia ſunt ſine regreſſu, motus vero non ſic ſe habent: nam in illis, quos oppoſita ſententia contrarios iudicat, datur regreſſus, quia poſt accretionẽ accidit ſæpe decretio, poſt quam accretio ſæpe contingit. Poſt calefactionem accedit frigefactio, & poſt hanc iterum calefactio contingit. Et poſt motum ſurſum ſequitur motus deorſum, poſt quẽ accidit etiam motus ſurſum. Tertio, quia priuantia ſic ſe

habent, vt alterum illorum neceſſario inſit ſubiecto, tempore à natura præfixo, ſic enim diffiniuntur: habitus & priuatio, quæ nata ſunt fieri circa idem ſubiectum, tempore à natura præfixo, & ſine regreſſu. Prætetea neque opponuntur motus inter ſe contradictorie, quia cõtradictoria ſunt, affirmatio, & negatio ſiue eſſe, & nõ eſſe eiuſdẽ rei; at nullus motus eſt non eſſe alterius motus, hoc enim proprium eſt quietis, vt dicem' quæſt. ſequẽti. Tandẽ nec opponũtur aduerſe: nã aduerſa diffiniuntur, cõtraria quæ ſub eodem genere poſita, maxime inter ſe diſtant, eidẽ ſubiecto viciſſim inſunt, à quo mutuo ſe expellunt, niſi alterum inſit à natura: cuius diffinitionis particulę nõ poſſunt motibus conuenire. Illa enim, *Viciſſim inſunt*, ſignificat ſic aduerſa ſubiecto inhærere, vt vnum introducatur per expulſionem alterius, & non aliter. Hoc magis declarat alia particula, *à quo mutuo ſe expellunt*, ex qua conficio argumentum. Motus non mutuo ſe expellunt; ergo nõ opponuntur aduerſe. Probatur antecedens. Per mutuam expulſionem vel intelligimus efficienter, ita vt vnum ex aduerſis aliud efficienter expellat vt calor frigiditatẽ: vel formaliter, quia ſcilicet iſtæ formæ, quæ ſunt aduerſæ, nequeunt ſimul reperiri in eodem ſubiecto: ſi primo modo intelligatur particula, nequit motibus conuenire, quia iſti efficientia carent, & ſolũ permanentia poſſunt mutuo expelli; ſucceſsiua, vero vt motus minime. Et ſi ſecundo modo intelligeretur particula, alijs etiam conueniret, nam ſubſtantiales formæ ſic mutuo ſe expellunt, vt duæ nequeãt ſimul in eodẽ cõpoſito naturali inueniri; ergo motus nõ mutuo ſe expellunt, quare non opponuntur aduerſe.

Probatur ſecundo aſſertio, præſertim in motu ſucceſsiuo, qui vt dictum eſt, quantitas eſt, cui nihil eſt contrariũ, vt docuit Ariſtot. in logica cap. de quãtitate: niſi loquaris de cõtrarietate deſumpta ab extenſione partiũ, quę eſt cõtrarietas nimis impropria. Ariſto. 5. phyſi. c. 1.

Secunda aſſertio. Intenſio & remiſsio qualitatum poſſunt aduerſe opponi, licet per accidens & ratione terminorum. Res eſt manifeſta in intenſione caloris, & remiſsione eiuſdem, qui motus fiunt à contrarijs terminis in terminos contrarios, ſcilicet à frigiditate in calorem, & à calore in frigiditatem. Oppoſ. alterationũ,

Ter-

Accretionis, & decretionis.

Tertia aſſertio. Accretio & decretio ſunt motus oppoſiti per accidens & ratione terminorum, contrarietate tamen impropria. Prima pars aſſertionis conſtat ex ſuperiori, nam accretio eſt ad maiorem quantitatem, decretio vero ad minorem; maior autem, & minor quantitas ſunt contrariæ, contrarietate tamen impropria, quam ſufficere ad hoc, vt ad quantitatem ſit per ſe motus, docuit Ariſt. capite ſecundo huius libri. Hinc conſtat ſecunda aſſertionis pars. Si enim termini impropric oppoſiti ſunt, motus inter illos erunt improprie oppoſiti, cũ ſint oppoſiti per accidẽs & ratione illorũ.

Motus localis.

Quarta aſſertio. Motus ad locum poſſunt eſſe oppoſiti per accidens ratione terminorum, contrarietate tamen impropria, non tamẽ vt motus ſunt, ſed vt naturales, vel violenti. Prima & ſecunda aſſertionis pars probatur, vt ſuperior aſſertio. Vltima vero probatur, quia poteſt fieri motus à loco ſupero in locum inferum, & rurſus alius eiuſdem mobilis a loco infero in ſuperum, abſque eo quod iſti motus ſint oppoſiti ratione terminorum; ergo oppoſitio per accidens, quæ reperitur inter motus locales ratione terminorũ, non conuenit motibus, niſi vt naturales ſunt, vel violẽti reſpectu mobilis. Si enim Deus aliquã cœli partẽ à cœlo ſepararet, & illã moueret Angelus iſtis motibus, proculdubio non eſſent oppoſiti inter ſe, eo quod nullus illorũ eſſet naturalis, aut violentus mobili, ſed ambo conuenirẽt illi præter naturã, vt diximus in libris de cœlo. Reſpectu vero ignis eſſẽt oppoſiti, quia motus ſurſum eſſet in locum naturalem, motus vero deorſum eſſet in locum violẽtum.

Mutationis propriæ.

Quinta aſſertio. Mutatio proprie dicta poteſt opponi alteri mutationi propriè dictæ per accidẽs ratione terminorũ, contrarietate tamẽ propria, ſcilicet priuatiua. Prima aſſertionis pars patet ex dictis, & eſt manifeſta in generatione, & corruptione ſubſtantiali. Secũda vero probatur, quia forma & priuatio, quæ ſunt termini, inter quos hę mutationes verſantur, priuatiue opponũtur. Quatuor vltimas aſſertiones, in quantũ docẽt, motuũ & mutationũ oppoſitionẽ eſſe per accidẽs & ratione terminorũ, confirmant ſatis verba Ariſtotelis, quę adducemus ſtatim in ſolutione primæ rationis oppoſitæ.

IN TERTIA parte. q. Dices in primã aſſertionem

Ex

Ex Ariſto. cap. 5. vbi ex profeſſo rem hanc pertractat, motus qui fiunt à terminis contrariis in terminos contrarios, ſunt appoſiti inter ſe; ergo falſa eſt. 1. aſſertio. Reſpon. intelligendũ eſſe de motuum contrarietate per accidens. cap. enim. 5. huius dubij reſolutionem proponens, ſic habet. *Motus is quo ex contrario in contrarium, ei contrarius eſt, quo ex contrario in contrarium compellimur, vt is quo ex valetudine in morbum incidimus, ei quo ex morbo in valetudinem peruenimus*. Et ſtatim ſubdit. *Ægrotare enim & valere contraria ſunt, & diſcere atque decipi non per ſe: in cõtraria enim feruntur.*

Dices. 2. Quod motus ſint ſecundum ſe eiuſdem ſpeciei, deſumitur ab vnitate ſpecifica formali termini ad quem; ergo quod ſint oppoſiti ſecũdum ſe, ſumetur etiam à diuerſitate termini ad quẽ formaliter ſumpti. Reſpon. negando conſequentiam: nam ſolum ſequitur, eſſe diſtinctos & diſparatos, non vero oppoſitos. Sed dices. Quod ſint diſparati, ſumitur à terminis diſparatis; ergo à terminis oppoſitis deſumetur, quod ſint oppoſiti. Reſp. negando conſequentiam, nam eſt diſpar ratio: quia, cum ratio eſſentialis motus ſit tranſitus mobilis à termino in terminum, ſumentur diſtinctæ rationis ſpecificæ motuum a diuerſis terminis formaliter: at vero oppoſitio in oppoſitis non deſumitur ab ordine ad aliud, ad terminum ſcilicet, ſi ſit vera oppoſitio & cõueniens rebus per ſe, & ratione propriè entitatis.

Dices. 3. Vni vnum tantũ opponitur, vt docet Ariſto. 1. de cœlo; ſed motui opponitur quies; ergo motui nõ poteſt opponi alter motus. Solutio conſtabit ex ſequenti quæſtione.

QVAEST. II.
An quies ſit cõtraria motui, & qua contrarietate.

Diuiditur quæſt. in. 3. partes. In. 1. explicabimus titulum illius. In. 2. adducemus aſſertiones. In. 3. ſoluemus rationes oppoſitas.

IN PRIMA parte. q. ſit. 1. obſeruatio. Quæſtio procedit de motu ſucceſſiuo, & de inſtantaneo, & de vera & propria contrarietate.

Secunda obſeruatio. Quies eſt carentia motus. Si ſit in ſubiecto apto moueri quando eſt quies, dicitur priuatiua: ſi vero in ſubiecto nõ apto, vocatur negatiua.

Ter-

Tertia obſeruatio. Quies alia eſt in termino à quo,& alia in termino ad quem. Nomine termini à quo,& termini ad quem non ſolum intelligo modo indiuiſibilia motũ terminantia,ſed etiam durationem antecedentem inſtãs termini a quo, & ſubſequentem inſtãs termini ad quem, verbi gratia in calefactione huius ligni inquiro, an quies, quæ eſt in inſtanti, a quo incipit calefactio, & quies in tempore antecedẽte hoc inſtans opponantur motui calefactionis: tum etiam quies, quæ eſt in inſtanti,in quo deſinit calefactio,& quæ poſtea ſequitur, opponantur etiam calefactioni.

Quarta Obſeruatio. Quies in termino ad quem poteſt ſumi dupliciter: primo pro cõſiſtẽtia & ſtatu mobilis in forma acquiſita, qui ſtatus eſt veluti quædam fruitio talis formæ: & certum eſt, hanc non eſſe oppoſitam motui, cũ hic natura ſua ad illam ordinetur. 2. ſumitur prout præciſe dicit carentiam motus, qui præceſsit: & ſic procedit quæſtio. Ex his manifeſtus eſt quæſtionis ſenſus. Supponendum tamẽ eſt cũ Ariſtotele cap. 6. motum quieti eſſe oppoſitũ, tum etiam non quamuis quietem cuiuis motui opponi, ſed illam tantum, quę eſt quies in illo motu. Videamus igitur, quænam quies motui ſit oppoſita, & in quo genere oppoſitionis.

IN SECVNDA parte quæſt. ſit prima aſſertio. Motui, quicumq; ille ſit, ſiue proprie dictus, ſiue mutatio proprie opponitur quies, quæ eſt in termino à quo illius. Expreſsis verbis hanc propoſuit Ariſt. cap. 6. & in illa omnes conueniunt. *Motui opponit. quies in termino à quo*

Secũda aſſertio. Quies quæ eſt in termino ad quem, ſi formaliter ſumatur, prout eſt carentia motus vera contrarietate illi opponitur. Probatur aſſertio, quia carentia & forma vere opponuntur. *Et quæ eſt in termino ad quẽ.*

Vltima aſſertio totam dubitationem diſſoluens. Quies dicens priuationem alicuius motus opponitur illi proprie, ſcilicet priuatiue: quæ vero dicit negationem motus, opponitur etiam illi proprie, ſcilicet contradictoriè. Probatur aſſertio à diffinitionibus priuantium, & contradicentium ab omnibus receptis. Priuationem enim & formã opponi priuatiue, eſt certum citra controuerſiam. Sũt enim priuantia, forma, & priuatio eiuſdem. Tum etiã certum eſt, formam & negationem illius, quæ ſe habent tã- *Reſponſio quæſt.*

quam eſſe & non eſſe ſimpliciter, contradictorie opponi.

Sunt enim contradictorie
oppoſita eſſe, & non eſſe eiuſ
dem rei, & non quoduis non
eſſe, ſed non eſſe ſimpliciter,
dicens non priuationem, ſed
negationem. Ex hac aſſertio
1. ne infertur primo, priuatio-
nem mutationis inſtantaneę,
quæ eſt in termino a quo il-
lius, opponi illi priuatiue, nã
eſt quies priuatiua, cum ſit in
duratione, in qua ſubiectum
erat aptum recipere genera-
2. tionem. Infertur ſecundo, pri
uationẽ mutationis inſtanta
neæ antecedẽtem terminum
à quo illius, illi opponi cõtra
dictorie, cũ ſit in tempore, in
quo nec erat, nec eſſe pote-
rat inſtantanea mutatio. In-
3. fert. 3. eodem modo philoſo-
phãdũ eſſe de priuatione eiuſ
dem mutationis inſtantaneæ
in termino ad quem illius. In
4. fert. 4. in motu ſucceſſiuo mo
do omnino cõtrario eſſe phi-
loſophandũ, ac philoſophati
ſumus de mutatione inſtanta
nea: nã quies in inſtãti oppo-
nitur negatiue & cõtradicto-
rie motui ſucceſſiuo, quies ve
ro in tempore opponitur illi
priuatiue.

IN TERTIA parte q. dices primo. Ex Ariſt. cap. 6. quies in termino ad quem nõ opponitur motui; ergo falſa eſt 2. aſſert. Reſ. Ariſtotelẽ non fuiſſe locutũ ibi de priuatione formaliter ſumpta, ſed prout eſt conſiſtentia ſiue ſtatus mobilis in termino adquiſito.

Dices 2. A priuatiuo in priuatiuũ non fit motus, vt docuit Ariſt. c. 1. ſed a termino ad quem fit motus ad priuationem eiuſdem; ergo in termino ad quem non eſt priuatio. Reſ. ſolũ inferri, formam adquiſitam, quæ eſt terminus, nõ eſſe priuationem.

Dices 3. In inſtãti nil quieſcit, vt docuit Ariſtot. 6. phyſico cap. 13. his verbis: *Non igitur quidquam pũcto temporis moueri poteſt. At nec quieſcere.* Et ſubdit: *Ita fit, vt quoniam nihil eam vim naturamq. habeat, vt puncto temporis moueatur, perſpicuum ſit, ne eam quidem habere, vt in eo quieſcat*: ergo falſo docuimus, in inſtãti eſſe quietem. Reſpond. Ariſtotelẽ eo capite loqui de motu ſucceſſiuo, cuius quies oppoſita priuatiue debet eſſe in tẽpore, vt Ariſt. ratio demonſtrat. Vnde Ariſt. verba demonſtrant, quietem in inſtanti non opponi priuatiue motui ſucceſsiuo, vt Philoſophi recentiores docent.

Finis Quinti Libri.

COM-

COMMENTARII VNA CVM QVÆSTIONIBVS IN SEXTVM LIBRVM Phyſicorum Ariſtotelis.

Caput primum. Nullum continuum componi ex indiuiſibilibus.

QVONIAM autē &c. Inſtituens Ariſtot. demonſtrare, motum cōponi ex partibus diuiduis, oſtendit nullum continuum ex indiuiſibilibus coaleſcere: inde enim ſuum probabit inſtitutū, cum motus, vt ipſe docuit 3. phyſico cap. 1. in continuorū numero contineatur. Ratio ergo talis eſt. Continua, vt diximus li. 5. cap. 3. ſunt, quorū vltima ſunt vnum: contigua vero, quæ ſe tangūt penes extremitates & vltima: & conſequenter ſe habent illa, inter quæ nihil mediat eiuſdem generis; ergo continuum non cōponitur ex indiuiſibilibus. Sumit exēplū in linea, vt cōſequentiam probet. Linea, inquit, eſt continuum quoddam, & punctum eſt illius indiuiſibile, & tamen non componitur ex punctis, quia puncta nec ſunt continua, nec cōtigua, cum non habeant partes quarum extremitates poſſint eſſe vnum, vel ſimul.

Continuū

Contigua

Conſequēter ſe habentia.

Præterea neceſſe, &c. Iterum ſuadet, indiuiſibilia non eſſe contigua, quia cum contigua ſe tāgant, puncta vel ſe contingerent ſecūdum ſe tota, vel contingeret pars vnius partem alterius, vel totū vnū punctum alterius puncti partem; ſed non poteſt fieri contactus aliquo ex duobus vltimis modis, quia indiuiſibile nō habet partes. Neq. primo modo, quia ex omnib' pūctis non poteſt fieri vnū; ergo &c.

Nec vero punctū, &c. Probat tertiā partem primi argumēti, quia ea deinceps ſequūtur, inter quæ nihil reperitur eiuſdem generis; cū igitur in continuo inter quælibet duo puncta reperiatur linea, quę neceſſario cōſtat ex punctis, puncta nō poſſunt conſequenter ſe habere in linea. Idem probat de tempore.

Præterea in ea, &c. 2. ratio. Si linea & tēpus cōponerētur ex indiuiſibilib', diuiderētur

in indiuiſibilia, quia vnumquodque diuiditur in ea, ex quibus conſtat, quod certe eſt abſurdum. Quoniam præmiſſerat, reperiri lineam inter quæcumque duo puncta, & continuum diuidi in ſemper diuiſibilia, hæc duo probat. Primum, quia cum puncta in linea nec ſint continua, nec cõtigua, neceſſario inter quælibet duo debet dari aliquid, quod nõ poſsit eſſe niſi linea. Secundum probat, quia ſi cõtinuum diuideretur in partes indiuiſibiles, vnum indiuiſibile tangeret aliud in cõtinuo, cũ partes continui ſint inter ſe hærentes, ſeque contangant: quod certe eſt in cõueniens.

Eiuſdem autem, &c. Oſtẽdit iam, eodem modo ſe habere magnitudinẽ, motum, & tempus in hoc, quod eſt, non conſtare ex indiuiſibilibus, neque diuidi in illa. Ratio eſt, quia partes magnitudinis, ſupra quam fit motus, & partes motus, & temporis ſibi inuicem correſpondent. Vt ſi ſumatur magnitudo cõſtans ex his tribus indiuiſibilibus, ſcilicet ABC, certe motus D E F, quo mobile P, moueretur per hanc magnitudinem, habebit has tres partes correſpondẽtes partibus magnitudinis, cum motus etiam habeat partium extenſionem ratione magnitudinis. Quare ſi magnitudo componeretur ex indiuiſibilibus, etiam motus: quod idem in ſequentibus oſtendet de tẽpore: ergo, ſi magnitudo cõſtaret ex indiuiſibilibus, ſequeretur neceſſario, motum etiam conſtare ex indiuiſibilibus; & ſi motus adeſt, neceſſarium ſit moueri aliquid; & ſi quid moueatur, neceſſe ſit eſſe motũ; ſi motus ex indiuiſibilibus cõſtat, etiã moueri debẽt cũ ex illis coaleſcat. Sed obſerua, motum & moueri re ipſa idẽ eſſe, diſtingui tamen, quemadmodum agere & actio.

Si igitur neceſſe eſt, &c. Antequam probet, motum ſiue moueri non componi ex indiuiſibilibus, ſumit hãc hypotheſim. Nihil poteſt ſimul moueri ad aliquem locum ex alio, & ſimul eſſe motum ſiue mutatũ, vt ſimul Thebas proficiſci, & profectum eſſe. Hoc poſito ita probat ſuum inſtitutum. Sumatur prima pars motus, quæ eſt D, quæ reſpõdet primæ parti magnitudinis, ſcilicet A, & mobile P, moueatur per illam partẽ A, motu D, tunc ſi prius mouetur, & poſtea eſt motum; ergo prius eſt illa pars motus: ſi vero ſimul mouetur, & eſt motum; ergo ſimul mouebitur loco,

loco, & erit in loco ad quem mouetur, quod eſt abſurdum.

Si vero per totam, &c. Quia poterat aliquis obiicere, mobile moueri per totam magnitudinem, non vero per partes illius, docet ex hac re, permulta ſequi abſurda. Primum eſt, quia ſequeretur inde, motum non componi ex motibus, ſed potius ex mutatis eſſe, quæ ſunt termini motus. Secundum eſt, quia aliquid mutatum eſſet, abſque eo quod antea motu agitaretur. Tertium, quia aliquid nō proficiſcēdo profectum eſſet ad aliquem locum.

Quod ſi omnia, vel quieſcere, &c. Quartum incōmodum, quod aliquid ſimul mouebitur, & quieſcet: nam moueretur per totam magnitudinem, & quieſceret per partes illius.

Quod ſi indiuiduæ, &c. Quintum incommodum, cōponeretur motus ex non motibus, aut mobile motu præſente non moueretur.

Itemque neceſſe erit, &c. Idem iudicium demonſtrat eſſe de tempore, quod eſt de magnitudine & motu. Nam ſi omnis motus diuidi poteſt, & mobile quod mouetur, maiori celeritate pertranſit in minori tempore maiorem partem magnitudinis, etiam tempus, quod conſumitur in motu, diuiſibile erit: & ſi tempus ſit diuiſibile, etiā magnitudo, ſupra quam ſit motus, erit diuiſibilis.

CAP. II. IN QVO EXPLICATVR SIMILITVDO MAGnitudinis motus & temporis.

QVONIAM *autem, &c.* Suum proſequitur inſtitutum, docens, in compoſitione eodem modo ſe habere tēpus, ac ſe habet motus, & magnitudo. Aſſumit tamē prius nonnulla, ſcilicet mobile velocius æquali tēpore percurrere maius ſpatium: tum etiam minori tempore tantum pertranſire ſpatium, quantum percurrit mobile tardius maiori tempore. Pręterea mobile velocius percurrere minori tempore maius ſpatium, quā mobile tardius minori tempore. Proin-

de enim inquit, à multis definitur mobile velocius id, quod minori tempore maius percurrit ſpatium.

Nam ſi A. &c. Quod propoſuit, oſtendit, adhibitis exẽplis in elementis, quæ à quouis facile poterunt intelligi, ſi ſuperioris capitis explanatio conſulatur. In ſequentibus enim multa, quæ ſimili ratione ab Ariſtotele pertractantur, ad breuem quandam ſummam redigemus, vt nobis ſuperſit locus pertractãdi quæſtiones illas, quę ex contextu habent ortum.

Omnis motus fit in tempore.

Sed quoniam motus omnis, &c. Inſtituerat Ariſt. demonſtrare, tempus eſſe continuum, conſtareq; ex partibus diuiſibilibus in infinitũ, quod vt præſtet, ſumit prius quaſdam hypotheſes, ſcilicet omnem motum fieri in tempore, & quouis tempore poſſe fieri motum, & omne quod mouetur poſſe moueri velocius, vel tardius.

Hoc autem, &c. Ratio ergo (omiſsis litteris, quæ rem perturbant, vt quidã Iuniores docte obſeruant) ita habet. Id omne, in quo quauis parte data, poteſt dari alia minor, eſt continuum, & diuiſibile in infinitum; ſed magnitudo & tempus ſic ſe habẽt, ergo, &c. Confirmat idẽ ſecundo, quia ſi mobile toto aliquo tempore percurrit aliquam magnitudinem, & media tempo ris parte mediam partem magnitudinis, & minori minorem, reuera tẽpus & magnitudo eaſdem habebunt dimenſiones.

Praeterea ex ÿs etiam, &c. Tertio idem confirmat teſtimonio illorum, qui de hac re diſputarunt: quæ ratio eadem fere eſt cum ſuperiori.

Quod ſi alterutrum, &c. Docet his verbis, quod ſi tẽpus eſt infinitum, & qua ratione eſt infinitum, magnitudo etiam erit infinita. Cum vero infinitũ aliud ſit diuiſione, & aliud extremitatibus, de vtroque res intelligitur.

Itaque ratiocinatio Zenonis, &c. Zeno tollere conabatur motum, quia ſi hic fieret ſupra magnitudinem, cũ in ea partes infinitę ſint, fieret inde, vt tempore finito mobile finitum pertranſiret & tangeret infinita. Reſpondet ergo Ariſt. tempus & magnitudinem, & quoduis continuum appellari infinita duobus modis, ſcilicet diuiſione, & extremitatibus. Vnde infinita extremitatibus nequeunt ſic pertranſiri, poſſunt tamen infinita ſecundum diuiſionẽ: nã tempus etiam hoc modo infinitum eſt, & eodem modo

ſe

ſe habet cum magnitudine.

Non igitur id, &c. Infert ex dictis, nec infinitam magnitudinem tempore finito, nec finitam tempore infinito poſſe pertranſiri: ſed ſi tẽpus infinitum eſt, magnitudo erit infinita: & ſi magnitudo, tempus. Hoc explicat adhibito exemplo in elementis.

Præterea ſi nõ omnis, &c. Alia ratione, omnino fere eadem, ſuum inſtitutum probat, quamuis ratio hæc de parte magnitudinis, & nõ de tota procedat.

Perſpicuum eſt igitur, &c. Tandem in fine capitis vniuerſe demonſtrat, nullum cõtinuũ eſſe indiuiſibile, aut ex indiuiſibilibus componi.

CAP. III. IN QVO PROPONIT QVÆDAM THEOREmata temporis.

N*ECESSE eſt etiam, &c.* Primũ theorema. Momentum ſiue nunc proprie ſumptum eſt quid indiuiſibile, & in omni tempore reperitur. Eſt enim, inquit, finis præteriti tẽporis, quia ante illud nihil eſt futuri: & principium futuri, quia poſt nihil eſt præteriti. Eſt namque vtriuſque terminus, & proprie momentum appellatur.

Duo indiuiſibilia non ſunt inmediata

Sit autem, &c. Probat idem eſſe momentum præteriti, & futuri temporis, & cõſequenter eſſe indiuiſibile. Quia ſi eſſent plura, cum duo indiuiſibilia quantitatis immediata eſſe nõ poſsint, cum diuiſibile nõ componatur ex indiuiſibilibus, ſi illa non eſſent vnum, mediaret tempus: quod fieri nequit. Quia cum illud tempus ſpectet ad præteritum, & futurum, aliquid prӕteriti eſſet in futuro, & aliquid futuri in præterito. Licet enim poſsit idem inſtans vt terminus cõmunis ad vtrũque pertinere, fieri tamẽ nequit, vt tempus pertineat ad vtrumque, cum ſit diuiſibile.

Nihil autem, &c. Secundum theorema. Nihil poteſt moueri, aut quieſcere in inſtãti. Primã partẽ probat: nam ſi aliquod mobile moueretur in inſtãti per lineã, eadẽ mobile velocius celerius percurreret;

ergo

ergo iam inſtans eſſet diuiſibile in duas partes.

At vero nec quieſcere, &c. Secundam partem cõfirmat, quia vt dixit lib. 5. in fine c. 4. id ſolum dicitur quieſcere, quod non mouetur, cum poſſit moueri: at dictum eſt, nihil poſſe moueri in inſtanti. Deinde quia ſequeretur, idẽ mobile ſimul moueri, & quieſcere, quod eſt abſurdum. Probatur hoc ſequi: nam ſi aliquod mobile in aliqua temporis parte moueatur, & in ſequenti parte quieſcat, cum idem punctum vtramque copulet, & id quod mouetur in toto tempore, moueatur in quouis illius, in quo moueri aptum eſt, & id quod quieſcit eadem ratione quieſcat, ſequitur inde, vt idẽ ſimul poſſit quieſcere, & poſsit moueri. Inſuper illud dicitur quieſcere, cuius partes eodem modo ſe habent nunc, & prius: in inſtanti vero non reperitur prius.

Quod autem mutatur, &c. Tertium Theorema. Omne quod mouetur eſt diuiſibile. Probat, quia mobile partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem; & quod ſic ſe habet, eſt diuiſibile. Probat aſſumptum, quia quando eſt in termino a quo, non dum mouetur: & quando eſt in termino ad quem: iam non mouetur, ſed eſt mutatum.

3. Theorẽ.

CAP. IIII. DE DIVISIONE MOTVS.

MOTVS autẽ, &c. Duabus aſſertionibus rem explicat. Prima eſt. Motus diuiditur ad diuiſionem mobilis, & temporis. Aſſertio eſt notiſsima, & illam probat adhibitis elemẽtis proterminis.

Quoniam quæ, &c. Secunda aſſertio. Hæc omnia motus, tempus, moueri, mobile, in quo fit motus, & forma eodem modo diuidi poſſunt, & eandem finitatis, & infinitatis rationem obtinent. Obſeruat tamen, quædam quæ per motum fiunt, ſolum eſſe diuidua per accidens, vt qualitates, quæ ſunt extenſæ ratione ſubiecti. Deinde aſſertionem probat.

4. Theor.

Hoc autem, &c. Tandem docet, id quod mouetur, ita eſſe diuiſibile in infinitum, vt ſuppoſita eius diuiſibilitate, reliqua diuidantur. Mobile eſſe diuiſibile, inquit, diximus: eſſe infinitũ, dicemus.

CAP.

CAP. V. IN QVO PROPONVNTVR QVÆDAM MOTVS THEOREMATA.

QVONIAM autem, &c. Differens de ordine partium motus, tria theoremata proponit. Primum eſt. Id quod primo mutatum eſt in aliquod, eſt in eo, in quod eſt mutatum. Hoc probat facta inductione in omnibus generibus mutationis.

1. Theorē.

In quo autem primo &c. Secundum theorema. Id, in quod aliquid primo eſt mutatum, debet eſſe indiuiſibile. Vt rem demõſtret, ſumit, illud appellari primo tale, quod eſt tale nõ per accidẽs, aut ratione partis, ſed ratione ſui adæquate. Tum ita diſputat. Si talis duratio eſſet diuidua, aut mobile in ſingulis eius partibus eſſet mutatum, aut in ſingulis mutaretur, & nõ eſſet mutatũ, aut in altera mutaretur, & in altera eſſet mutatum. Si primum; ergo mobile non fuiſſet in tota duratione primo mutatum, ſed in medietate verſus initium. Secundum nequit conſtare, cum ſit ſermo de mutatione, in qua mobile mutatum eſt. Nec tertium: nam mobile ſolum diceretur mutatũ ratione partis, & non primo.

2. Theor.

Id autẽ in quo primo &c. Tertium theorema. In fine motus datur primum mutatum eſſe, quod eſt terminus mot': in principio vero illius non datur primum mutatum eſſe. Cõfirmat theorema quadam ratione: quia ſcilicet in fine motus datur primum nõ eſſe, quo clauditur; & in principio, cum mutatum eſſe ſupponat motum, & non ſit prima pars motus, neq. erit primum mutatum eſſe. Sed obſerua. Ariſtot. tantum eſſe intelligendum de motu ſucceſſiuo.

3. Theor.

Nec vero eius &c. Idem probat deſumpto argumẽto à diuiſibilitate mobilis.

Eius autem quod &c. Probat, ex parte formæ per motum adquiſitæ, dari aliquid primum, in quod res primo mutata eſt. In qua confirmatione obſeruandum eſt, illis verbis, *perſpicuum eſt igitur in ſola qualitatis mutatione indiuiduum per ſe eſſe poſſe,* ſolum voluiſſe ſignificare Ariſtot. qualitatem non habere

per ſe extẽſionem, quemadmodum habet terminus accretionis, & motus localis, ſed ſolum per accidens. Vnde fugienda eſt ſententia exiſtimantium, in qualitatibus alteratione adquiſitis dari minimum quo ad extenſionem, ita vt in indiuiſibili certa caloris verbi gratia extenſio producatur, quæ ſit minima.

CAP. VI. ANTE QVAMVIS MVTATIONEM REPERIRI mutatum eſſe, & ante quoduis mutatum eſſe mutationem.

Omnis motus eſt in tempore.

QVONIAM *autem, &c.* Primũ theorema. Omne quod mutatut, in tempore mutatur: ſed dupliciter hoc intelligi poteſt, ſcilicet per ſe, & per accidens: verbi gratia quod per ſe mutatur in die, dicitur per accidens mutari in menſe. Hinc infert, id omne quod per ſe mutatur in tempore, mutari in qualibet parte illius.

Quod quidem &c. Demõſtrat primo rem ex diffinitione, eius quod cõuenit primo, ſuperiori capite adducta. Tũ etiam ita. Sumatur tempus, in quo mobile mouetur, & diuidatur in duas partes. Vel ergo in neutra mouetur, vel in vna tantum, vel in vtraq. Si in neutra, certe toto tempore quieſcet: ſi in vna dũtaxat, nõ mouebitur primo, ſed per accidens, & ratione partis: ſi vero in vtraq. conſtat inſtitutum.

Motus ſupponit mutatũ eſſe.

Quo quidem demonſtrato &c. Ex dictis infert, manifeſtum eſſe, ante quamlibet partem motus verſus initium dari mutatum eſſe.

Mutatum eſſe eſt in inſtanti.

Præterea ſi toto &c. Idẽ cõfirmat, quia mutatum eſſe eſt in inſtanti: nam vt motus eſt in tempore, ita mutatum eſſe in inſtanti. Quare, cum tempus diuidatur inſtantibus, vt linea punctis, quoties tempus eſt diuiſibili terminatum, mobile dicitur motum. Vnde quemadmodum antequamlibet partem temporis præceſſit alia, ita aliud inſtãs, & conſequenter aliud mutatum eſſe.

Præterea ſi id &c. Tertio idem.

idem probat, quia id quod mouetur motu cōtinuo, ſi nō intereat, aut finem faciat mutationis, id eſt ceſſet a motu, neceſſe eſt moueri vel mutatum eſſe in quocunq. temporis, id eſt in qualibet parte & in quolibet momento illius. Cum igitur in puncto temporis non poſſit mobile mutari, debet in illo eſſe mutatum. Quare, cum temporis inſtantia infinita ſint, in motu erunt infinita mutata eſſe. Dixit ni ſi finē faciat mutationis, quia mutatum eſſe in fine motus non eſt ante motum, nec ex mutatis eſſe in medio motus, de quibus eſt ſermo.

Muratum eſſe ſuppo nit motū.

Nec vero &c. Neq. inquit, motus tantum ſupponit mutatum eſſe, verum etiam mutatum eſſe ſupponit motum, cum omne quod ſucceſsiue mouetur ex vno termino in alium, tempore moueatur. Nam ſi in inſtāti moueretur, ſimul eſſet in termino a quo, & in termino ad quem, quod demonſtrauimus eſſe abſurdum. Si vero in alio inſtanti eſt in termino ad quem, neceſſario mediat tempus, cum duo inſtantia nequeant eſſe immediata. Quoniam igitur in tempore mutatum eſt, id eſt quoniam talis motus eſt in tempore, & omne tempus eſt diuiſibile, in medio temporis erit mutatū eſſe: & rurſus in medio primæ partis, & ſic in infinitum; ergo ante quodlibet mutatū eſſe reperitur motus.

Duo inſtā tia nō poſ ſūt eſſe immediata.

Præterea in magnitudine &c. Idem, inquit, clarius conſtat in motu locali, qui fit ſupra magnitudinem, quæ conſtat ex partibus manifeſte cōtinuis. Si enim aliquid moueatur ex C, in D, vel ambo termini effiicient vnum indiuiſibile, quod nō eſt dicendū: vel duo; & hoc eſſe nequit, quia eſſent duo indiuiſibilia immediata. Quare inter illos eſt magnitudo infinite diuidua: vnde prius mouebitur mobile ſupra primam partem, & cum illa diuiſibilis ſit, ſupra primam illius, & ſic in infinitum; ergo mobile prius mouetur, quam ſit mutatum.

Eadem enim, &c. Fere eadem repetit, & poſtea docet, idem eſſe iudicium in alteratione, generatione, & corruptione. Nomen vero generationis & corruptionis non ſumit præſe pro introductione, vel expulſione formæ ſubſtantialis; nam ſic fiunt in inſtanti generatio & corruptio: ſed ſumit pro alterationibus præcedentibus introductionem, vel expulſionem formæ ſubſtantialis.

CAP. VII. IN QVO PROPONIT ARISTOTELES VARIA theoremata de finitate, & infinitate motus.

QVONIAM *autem, &c.* Ab his verbis, quæ iuxta partitionem Perionij continentur in fine ſexti capitis, initium ſumit caput ſeptimũ: nam actenus diſeruit de diuiſione motus, hoc vero capite de finitate, & infinitate illius, quæ res incipit a verbis propoſitis, quibus hoc primũ propoñit theorema. Quoniã omnis motus fit in tempore, & longiori tempore longius percurritur ſpatium, tempore finito nequit tranſiri ſpatium infinitum: dummodo nõ repetatur eadem pars ſpatij, vt fit in motu cœli.

Obſerua.

1. Theor.

Ac illud quidem &c. caput 7. vt multi volunt, ſumit initium ab his verbis, quibus ſuperius probat theorema, ſumpta demonſtratione ab æquabili celeritate ſupra ſpatium: quæ demonſtratio facilis eſt, & iterum in ſuperioribus propoſita.

Semper enim &c. Secũdo idem probat vniuerſe, ſiue res moueatur æquabili motu, ſiue non. In qua probatione ſolum occurrit obſeruandũ, docere Ariſtotelem, infinitũ conſtare non poſſe partibus finitis, ſiue illę ſint æquales, ſiue inæquales.

Similis eſt etiam &c. Idem concludit de quiete, & de generatione, & corruptione.

Eademq; ratione &c. Secundum theorema. Siue motus ſit æquabilis ſiue inæquabilis, nil poteſt tempore finito infinite moueri aut quieſcere. Ratio qua hoc probat, ex eo ſumit vim, quod vt ſe habet pars temporis ad totum tempus, ita pars magnitudinis ad totam magnitudinem.

2. Theor.

Quibus demonſtratis &c. Tertium theorema. Magnitudo finita, ideſt mobile finitæ magnitudinis (nomine enim magnitudinis mobile intelligit, vt textum perpendenti conſtabit) non poteſt pertrãſire ſpatium infinitum tempore finito, propter eandem cauſam: nam quia in quauis parte temporis percurret partem finitam ſpatij, proinde toto tempore finito ſpatium finitum pertrãſibit.

3. Theor.

Quo-

Quoniam igitur &c. Quartum theorema. Nec mobile infinitum poteſt percurrere ſpatium finitum tempore finito. Rem hanc euidenter & acute demonſtrat.

At vero nec quod eſt &c. Quintum theorema. Mobile infinitum nequit pertranſire magnitudinem infinitam tẽpore finito. Probat, quia mobile infinitũ percurreret partem finitam ſpatij: nã in infinito reperitur pars finita. Docet eandem poſſe fieri demõſtrationem in tempore.

Quoniam autem &c. Sextum theorema. Quia nec mobile finitum poteſt percurrere ſpatium infinitum, nec mobile infinitum ſpatium finitum, neq. mobile infinitũ poteſt moueri tempore finito: profecto nec motus infinitus fieri poteſt tempore finito: nã hæc inter ſe reſpõdent.

CAP. VIII. DE EO QVOD EST INSISTERE, SIVE STARE.

QVONIAM *omnia, &c.* Quæ de motu indiſcriminatim oſtenderat, aggreditur modo demonſtrare de motu, quo ad ſtatum itur, qui vocatur inſiſtere, ſiue ſtare: quare breuiter illa proponemus, nam theorematum probationes manifeſtæ ſunt. Primum theorema. Quod inſiſtit, mouetur.

Quo demonſtrato &c. Secundum theorema. Quod inſiſtit, in tempore inſiſtit.

Quo autem tempore &c. Tertiũ theorema. Quod primo inſiſtit in aliquo tempore, in quauis parte illius debet inſiſtere.

Vt autem in eo &c. Quartum theorema. Quemadmodum in motu non datur primum, ita neque in eo quod eſt inſiſtere.

Non igitur &c. Quintum theorema. Non datur primũ quietis. Tota vis probationis eſt, quia eſt in tẽpore quies, vt motus, cuius eſt quies. Hęc enim omnia tempus, motus, mobile, magnitudo ſunt diuiſibilia in infinitum.

Quieſcere enim &c. Pro cõfirmatione docet, nihil aliud eſſe quieſcere, quam mobile & eius quamuis partem tempore aliquo eſſe in aliquo re. Si igitur hoc eſt quieſcere, id quod mouetur, non poteſt eſſe totum in aliquo tempore pri-

primo, cum omne tempus ſit diuiſibile.

In puncto vero tēpus, &c. Tandem docet, in inſtanti quidem temporis mobile manere idem, ſed non quieſcere: nam in inſtanti nec datur motus, nec quies.

CAP. IX. IN QVO SOLVIT ARISTOTELES RAtiones Zenonis.

ZENO autē, &c. Motum Zeno denegauit: ne igitur indicta cauſa ipſū dānare videatur, rationes, quibus huic acquieuit ſententiæ, adducit, & ſoluit. Primæ rationis illi⁹ hęc erat vis. Omne quod eſt in loco ſibi ęquali, ſemper quieſcit, aut mouetur; ſed id quod mouetur, verbi gratia ſagitta in quolibet nunc ſiue puncto tēporis eſt in loco ſibi ęquali; ergo cum in pūcto nō ſit motus, quieſcet, dum fertur.

Neque cum tempus, &c. Docet non concludere, quia tempus non componitur ex indiuiſibilibus, quemadmodum neque aliquod aliud cōtinuum. Componitur ergo ex partibus, in quibus res mouetur: in puncto vero poſitiue nec mouetur, nec quieſcit.

Quatuor autem ſunt, &c. Zenonis rationes, quæ plus negotij exibebant, quatuor eſſe docet. Prima eſt, quia mobile prius peruenit ad mediū, quam ad finem, vt dictum eſt ſuperioribus libris. 1. Ratio Zenonis. Videtur enim tacite ſignificare, numquam poſſe peruenire ad medium, cum quæuis pars ſpatij ſit diuiſibilis in infinitum. Facile Interpretes ſatisfaciunt rationi dicendo cum Ariſtotele in ſuperioribus, tempus, Cap.2. in quo percurritur magnitudo, eſſe infinitum quemadmodum illam. Exiſtimo tamen hoc nō ſoluere argumentum, præſertim ſi admittamus indiuiſibia in cōtinuo. Rem perpendemus, lib.8.cap.8. & infra diſputatione. 1.q.2.

Altera eſt qua Achilles votur, &c. Secunda ratione, (hanc ille vocat Achillē, quia acerrima eſt, vt fuit Achilles: vel, quod magis credo, quia vtebatur exemplo Achillis, qui fuit velociſsimus) demōſtrat Zeno, velociſsimū, puta achillem nunquā aſſequi poſſe


ſe tardiſsimũ animal fugiens, nempè teſtudinem. Probat: quia dum Achilles teſtudinẽ vno ſtadio diſtantem perſequitur, illa mouetur aliquantulum: & rurſus dum illã parum diſtantem perſequitur, illa mouetur aliquantulum: & ſic in infinitum.

Hæc autem ratio, &c. Docet eandem eſſe vtriuſq; rationis vim, differre tamen ex modo diuidendi magnitudinem, & quia ſecũda rem tragicam, & magis ſtupendam proponit.


Itaque eadem, &c. Eandem eſſe docet vtriuſq; ſolutionẽ, ſcilicet partes ſpatij nõ eſſe infinitas actu, ſed potẽtia.

Tertia autem ea eſt, &c. Obſeruat tertiam rationem eſſe illam, quæ aſſumit, tempus componi ex indiuiſibilibus; quam propoſuit, & diſſoluit initio capitis.

Quarta eſt. &c. Quarta ratio difficillima eſt, nimis obſcure propoſita ab Ariſtotele, & ferè obſcurius ab Interpretibus explicata. Illa contendebat Zeno deducere aſſertores motus ad hoc inconueniens, vt tenerentur aſſerere, duplum & dimidium tempus eſſe inter ſe æqualia. Supponendo prius, mobilia æqualis magnitudinis, ſi moueantur æquali celeritate per æquale ſpatium, æquale tempus conſumere in motu: & conſequẽter in dimidio ſpatij dimidiũ temporis. Vis autem rationis hæc eſt. Sumãtur tria corpora æqualia hoc modo diſpoſita,



Medium ſit fixum & immobile. Inferius percurrat totum illud tẽpore vnius horæ, in cuius medietate vltima ſuperius corpus eadem celeritate percurrat illam medietatẽ corporis fixi ita, vt in fine vtriuſque motus maneant corpora hoc modo diſpoſita.



Eſt igitur ratio. Corpus inferius per trãſiuit totũ ſpatiũ fixum tempore vnius horæ, & motus corporis ſuperioris ſolum durauit tẽpore dimidiæ horę: ergo hora & dimidia hora ſunt tẽpora inter ſe æqualia. Probatur conſequẽtia: corpus inferius æquale eſt corpori medio. ſed ſuperius corpus pertranſiuit totũ corpus inferius tẽpore dimidię horę, & inferius totũ mediũ tẽpore vnius horæ; ergo ſuperius in dimidia hora percurrit tantũ ſpatiũ, quantũ inferius in tota hora æquali celeritate: ergo iſta duo tẽpora ſunt ęqualia

lia interſeſe, quia ex ſuppoſitione ęquali celeritate corpora æqualia cōſumūt æqualia tēpora in percurrēdis ſpatijs ęqualibus: ergo hora & dimidia hora erūt tēpora inter ſe æqualia. Reſp. Ariſt. rationē eſſe nullā, quia corpus mediū eſt fixum, inferius vero mouetur ſimul cum ſuperiori motu illi contrario, ac proinde in dimidia parte tēporis duplum percurrit ſpatium.

Nec vero in ea, &c. Duas aliorum philoſophorum ſoluit rationes. Prima ſuadens, inter contradicentia nullam reperiri mutationem ſucceſſiuā, ita habet. Si ſubiectum mutatur, verbi gratia ex non albo in album, nec eſt in termino à quo, ſcilicet in non albo, quia ibi mobile quieſcit: neque in termino ad quem, nam ibi datur mutatum eſſe, non vero motus: nec in neutro, quia inter contradicentia non datur medium. Reſpondet partim eſſe in termino à quo, quia nondum adquiſiuit totam formam: & partim in termino ad quem, quia iam adquiſiuit aliquid illius.

Mobile partim in termino à quo & partim in termino ad quem.

Rurſus in circulo, &c. Secunda ratio eſt de ſphęris, quę mouentur circulari motu, quia ſcilicet hæ, quę magis videntur moueri, non mouētur, cū ſemper maneant in eodem loco; ergo neque cætera mouebuntur. Reſpondet primo, partes corporis rotūdi alium, & alium adquirere locum, licet totum ſit ſemper in eodem. Reſpondet ſecundo, tale corpus aliqua ratione mutare locum ſecundum ſe totum, quia omnes ſcilicet partes per motum ſuccedunt diſtinctis partibus loci.

CAP. X. INDIVIDVA NON POSSE MOVERI, & nullam mutationem eſſe infinitam.

HIS *autem, &c.* Primum theorema. Indiuiſibile non mouetur niſi per accidens, quemadmodum mouetur, quod eſt in naui pulſu illius, & ad totius motum pars. Nomine vero indiuiſibilis docet, ſe intelligere quod partibus vacat. Sed obſeruat, aliquam eſſe diſparitatem: nam partes totius ſeparatę poſſunt

per

per ſe moueri, & habent motus quodã modo inter ſe, & a motu totius diſtinctos, vt patet in ſphæra, cuius partes magis à centro diſtantes maiori mouentur celeritate: at indiuiſibilia ſolum per accidens mouentur, vt nauta in naui: per ſe vero nequeunt moueri.

Moueatur enim, &c. Hoc probat tripliciratione, prima hanc habet vim. Si indiuiſibile moueretur aliquo genere motus, vel eſſet omnino in termino à quo, & ſic non dum moueretur: vel in termino ad quem: & iam non moueretur: vel partim in vno, & partim in alio, & ſic non eſſet indiuiſibile, ſed diuiſibile.

Præterea ex his, &c. Secunda ratio, quæ priuatim eſt de motu locali, ita habet. Quod mouetur loco, prius decurrit ſpatium æquale ſibi; vel minus, quam maius; ergo punctum prius tranſiret ſibi æquale, vel minus, quod nequit fieri. Nam vel linea conſtaret ſolum ex punctis, vel aliquid minus puncto in illa daretur.

Præterea ſi omnia, &c. Tertia ratio deſumitur à diuiſione ſpatij.

Mutationem autem, &c. Secundum theorema. Nulla mutatio eſt perpetua, aut infinita. Ratio eſt. quia mutatio quęuis eſt inter terminos, ſcilicet à quo & ad quem; quod probat facta inductione per omnes ſpecies motus.

An autẽ ita eſſe poſſit, &c. Dubium excitat, an motus ſic terminis claudantur, vt poſſint eſſe infiniti. Reſpondet motus ſpecie diuerſos poſſe eſſe infinitos, ſuppoſita videlicet mundi ęternitate. Poteſt namque lationem ſubſequi alteratio, hanc accretio, illam decretio: deinde poſſunt ijdẽ motus in orbem regredi, alternis quæ vicibus ſe excipere. De motu tamen vno numero cenſet in ſingulis cœleſtibus ſphæris dari vnum, nũquam deficientẽ perpetuumque motum. Ita vt vnus numero ſit ex multis circuitionibus coaleſcens. Sed de his octauo libro phyſicorum, & in diſputationibus illius copioſior erit ſermo.

DISPVTATIONES IN EA, QVÆ DOCVIT ARISTOTELES hoc libro ſexto.

GRAVISSIMA, & difficillima huius libri dubia tribus diſputationibus abſoluemus. Agemus in prima de partibus continui. In ſecunda de indiuiſibilibus. De modis vero incipiendi, & deſinendi rerum ſermo erit diſputatione tertia, cuius vltima quæſtio cæteras, ex dictis ab Ariſt. hoc capite ortum habentes dubitationes, explanabit.

DISPVTATIO PRIMA DE PARTIBVS CONTINVI.

QVAESTIO prima vtrum continuum componatur ex indiuiſibilibus.

IN ſequentibus huius diſputationis quęſtionibus Deo dante, firmiſsimis rationibus demonſtrabimus, non dari indiuiſibilia in cõtinuo. Hanc igitur ſententiam ſequentes, quæſtionem pertractamus, vt ſoluamus rationes oppoſitas. Obſeruandum ergo eſt, ſermonem non eſſe de partibus eſſentialibus, ſed de integrantibus.

Continuũ non cõponitur ex indiuiſibilibus.

Sit aſſertio. Nullum continuum componitur ex indiuiſibilibus. Hanc propoſuit Ariſt. cap. 1. huius lib. & acutiſsimis rationibus docte cõfirmauit, quę ſequuntur omnes eius Interpretes hic, & multis alijs in locis.

Dices igitur. 1. Ex Ariſt. 1. top. cap. 14. vt ſe habet vnitas ad numerum, ita punctum ad lineam; ſed numerus cõponitur ex vnitatibus; ergo linea componitur ex pũctis: ergo continuum componitur ex indiuiſibilibus. 1

Dices. 2. Ex Ariſtot. 1. de demonſtratione cap. 4. puncta prædicantur de linea in primo modo dicendi per ſe: ergo 2

ergo conueniunt illi ſecundũ eſſentiam; ſed non vt forma; ergo vt partes integrantes.

2 Dices. 3. Separentur omnia puncta à linea, vel maneret tunc aliquid lineæ, vel nõ: ſi maneret; ego eſſent partes lineæ abſque punctis: ſi non maneret; ergo linea ſolum cõponitur ex punctis.

3 Dices. 4. Eadem eſt ratio in tempore, & motu, & in omnibus alijs continuis; ſed tempus & motus componuntur ex indiuiſibilibus; ergo, & cætera continua. Probatur minor, quia de tempore nunquã habemus præſens niſi inſtans, & de motu niſi mutatum eſſe.

4 Dices. 5. Si diuina virtute diuideretur cõtinuum in omnem ſui partem, diſſolueretur in indiuiſibilia; ergo componitur ex indiuiſibilibus. Probatur conſequentia, quia vnũ quodq; diſſoluitur in ea, ex quibus componitur.

5 Dices. 6. Moueatur globus ſupra lineã corporis perfecte plani, in toto motu nunquam continget niſi punctũ: ergo linea ſolum componitur ex punctis. Probatur antecedens, quia contactus eſt ſecundum æqualitatẽ, & globus ſolum poteſt tangere perfecte planum in puncto.

7 Dices. 7. Eadem eſt ratio de quantitate continua, & de diſcreta; ſed quantitas diſcreta componitur ex indiuiſibilibus; ergo quantitas cõtinua componetur ex indiuiſibilibus.

Dices vltimo. Vel continuũ 6
componitur ex diuiſibilibus in ſemper diuiſibilia, vel ex diuiſibilibus in indiuiſibilia: ſi ſecundũ dicas, habeo inſtitutum: ſi primum; ergo continuũ habet infinitas partes: ergo datur infinitum actu ſecũdum multitudinem, quod eſt abſurdum.

Argumenta hæc, à nobis ſequentibus, quam diximus ſententiam, facillimo negotio ſoluentur. Reſpondemus 1
ergo primo argumẽto, Ariſt. ſolũ docuiſſe, reperiri proportionem inter pũctum in linea, & vnitatem in numero in ratione principiandi: hæc enim ſunt illius verba: *Et quod pũctum in linea, id vnũ in numero:* id eſt vt ſe habet punctũ in linea, ita vnitas in numero. Et vt explicet, in quo ſit proportio, ſubdit, *quia vtrũque principium eſt.* Sed dices. Ergo iuxta Ariſt. dantur lineæ, & puncta. Huic argumento, & omnibus, quę ex Ariſt. teſtimonio, probãt dari indiuiſibilia, infra ſatisfaciemus. Secundo argumento di- 2
cimus, iuxta doctrinam ibi tradi-

traditam ab Ariſtot. puncta eſſe attributa eſſentialia lineę non in recto, ſed in obliquo, quia hæc eſt in primo modo dicendi per ſe, linea conſtat ex punctis: inde tamen non ſequitur, puncta eſſe partes integrantes lineæ.
3 Tertio Reſpōdemus, aſſumere falſum: nam nec dantur puncta, nec lineæ.
4 Quarto reſpondemus, de tēpore nūquam habere nos inſtans preſens, ſed partē fluentem ſucceſsiuorum more: nec de motu mutatum eſſe, ſed partem motus fluentem, vt diximus diſputatione de partibus temporis quæſt. 3. & dicemus infra.
5 Quinto reſpondemus aſſumere etiā falſum, vt conſtabit quæſt. ſequenti: ſcilicet cōtinuum diuina virtute poſſe eſſe diuiſum in omnem ſui partem, quidquid dicat Gregorius Ariminēſis in 1. d. 36. quæſt. 1. & in 2. d. 2. quęſt. 2. Eſſet enim manifeſta contradictio: nā queuis pars continui eſt continua; ergo diuiſsibilis in partes: ergo partes continui non poſſunt eſſe vltimo diuiſſæ.
6 Sexto reſpōdemus, globum poſsitum ſupra perfecte planum nec tangere illud in puncto, nec in linea, ſed in ſuperficie, vt infra dicemus.
7 Septimo reſpōdemus, negando maiorem. Reſpondemus ſecundo, negando minorem, quia vnitates, ex quibus cōponitur numerus, neceſſario debent eſſe extenſæ, & diuiſibiles, vt diximus in logica.
8 Vltimo reſpōdemus, negando vltimam cōſequentiam, quia partes continui non ſunt actu in continuo, ſed virtute tantum, vt quæſtio ſequēs demōſtrabit.

QVAESTIO. II.

Vtrum partes continui actu ſint in illo, & an ſint actu finitæ, vel infinitæ.

Diuiditur quæſtio in tres partes. In prima proponemus obſeruationes. In ſecūda adducemus aſſertiones. In tertia oppoſitis argumentis ſatisfaciemus.

IN PRIMA parte quæſtionis ſit prima obſeruatio. Partes continui aliæ ſunt determinatæ ſiue aliquotæ, & aliæ proportionales. Determinatæ ſunt partes certæ & æqualis extenſionis inter ſe: verbi gratia palmus eſt quarta pars determinata vlnę. Proportionales ſunt, quę obſeruant propprtionē totius & dimidii, vt vlna, medietas eius, palmus, media pars illius, & ſic de cæteris. Partes determinatę & proportionales.

Secunda obſeruatio. Quęſtio duo inquirit, primum an partes cōtinui actu ſint in illo: ſecundū, an ſint actu finitę vel infinitæ; & iuxta primū, & ſecun-

eundũ quęſitũ duplicem reddit ſenſum. Primus eſt, an entitas omniũ illarum partiũ, in quas poteſt diuidi continuũ, ſit actu in continuo: & ſi eſt, an ſit finita vel infinita, & iuxta hũc ſenſum, facilis eſt quæſtionis ſolutio. Secundus ſenſus eſt, an in continuo reperiantur actu partes ſub ratione partiũ inter ſe diſtinctæ, licet nõ diuiſæ, vere & formaliter continuũ cõponentes: & ſi reperiãtur, an ſint finitæ, vel infinitæ, & in hoc ſenſu maxima eſt huius quæſt. difficultas.

Tertia obſeruatio. Duobus modis dicitur aliquid pars alterius, ſiue alicuius totius. Primo quia ſimul cũ alia, vel aliis partibus inter ſe diſtinctis, & ſi nõ diuiſis, actu & formaliter cõponit totũ. v.g. anima Petri, dũ ſimul cũ materia cõponit phyſice Petrũ. Secũdo dicitur pars, non quia cõponat actu, & formaliter totũ ſimul cũ alia, vel aliis diſtinctis, ſed quia facta diuiſione totius eſt partialis entitas illius entitatis, quæ in toto inueniebatur: v.g. eadẽ anima, ſine materia Petri facta ſeparatione vnius ab alia. Vnde aliud eſt, totum cõponi actu & formaliter ex partibus, & aliud actu habere in ſe entitatem partium, in quas poteſt diuidi.

Pars dicitur dupliciter.

In hac quæſt. primo certũ eſt, omne continuũ eſſe diuiſibile in partes determinatas, & in partes proportionales: v.g. lignũ vnius vlnæ eſt diuiſibile in quatuor partes æquales, vnius ſcilicet palmi, & in duos palmos, in vnũ, in dimidietatẽ illius, & ſic de cęteris. Secundo certũ eſt, entitatẽ tã partiũ determinatarũ, quam proportionabiliũ, in quas cõtinuũ diuidi poteſt, actu eſſe in continuo ante diuiſionẽ, & entitatẽ hanc (cum ſit entitas eiuſdẽ cõtinui, vt diximus primo libro cũ Ariſt. quæſt. de toto & partibus) eſſe finitam: quia vt docuit idem Ariſt. 3. phyſico. c. 5. non datur infinitũ actu in rerũ natura. Manet ergo dubitatio, an iſtæ partes reperiãtur in cõtinuo aliquo modo inter ſe diſtinctæ, illud vere cõponẽdo, quẽadmodũ partes phyſicę totũ phyſicum componunt: & ſi reperiũtur, an ſint finitæ. In qua etiã re in opinione eorũ, qui nõ concedũt indiuiſibilia actu in cõtinuo, quã nos ſequimur, certũ eſt, in cõtinuo ante diuiſionẽ, nec dari actu partes determinatas, nec proportionales: quia nullo modo, iuxta hanc ſententiã, poſſunt reperiri partes diſtinctæ in cõtinuo, cum partiũ continui diſtinctio fiat per indiuiſibilia copulantia. Vnde in hac q. diſputamus

cum illis, qui admittunt indiuiſibilia copulantia: Quare omnia argumenta, quibus infra demonſtrabimus, in continuo non dari indiuiſibilia copulantia; demõſtrant etiã, in cõtinuo neceſſe actu partes determinatas ſiue æquales, nec partes proportionales.

In continuo nõ ſũt actu partes determinatæ.

In 2. igitur parte quæſt. ſit 1. aſſert. In continuo non dãtur actu partes determinatæ ſiue æquales. Probatur aſſertio. Omnis numerus vel eſt finitus, vel eſt infinitus; ſed in cõtinuo nec datur numerus finitus actu, neque infinitus partium æqualium; ergo in continuo non datur numerus partium æqualiũ: ergo nec multæ partes æquales, quia omnis multitudo numerus eſt. Prima pars minoris probatur ita. Omnis numerus finitus conſtat ex certis & finitis ſiue determinatis vnitatibus: ergo ſi numerus partiũ æqualium continui eſt finitus, conſtabit certis & determinatis vnitatibus: ergo in hoc ligno, verbi gratia, partes æquales actu & realiter in illo exiſtẽtes nullo conſiderante intellectu continentur numero finito, certo & determinato: ſed numerus certus finitus & determinatus ſic conſtat ex certis & determinatis vnitatibus, vt actu non habeat plures, vel pauciores; ergo numerus partium æqualium huius ligni (ſi oppoſita ſententia vera eſt) conſtabit ex certis & determinatis vnitatibus; ita vt à parte rei actu non habeat plures. Sed dato quocũque numero finito, quantumuis magnus ille ſit, neceſſario, ſi iſte conceditur, eſt concedendus alter duplo maior cõpoſitus ex partibus æqualibus eiuſdem continui; ergo in continuo non eſt concedendus numerus partium æqualium actu in illo exiſtentium: quare in continuo non ſunt actu partes æquales. Vltima minor, in qua totius argumẽti vis conſiſtit, facile probatur; quia quælibet vnitas illius prioris numeri aſsignati conſtat duabus partibus æqualibus, quare iſtæ efficient numerum duplo maiorem. Secunda pars primæ minoris admittitur ab auctoribus oppoſitæ ſententię, & probatur ita. Quoduis continuum eſt actu finitũ, vt retulimus ex Ariſt. ergo nullum continuum poteſt cõſtare ex partibus æqualibus actu infinitis. Probatur conſequentia ex Ariſt. lib. 3. cap. 6. id expreſſe docente his verbis. *Omne quod finitũ eſt, cuiuſuis certæ partis detractione tãdem conſumitur:* id eſt ſi à continuo finito cuiuſcun-

iuſcunque determinatę magnitudinis pars ſæpe detrahatur, ſtatim abſumitur: verbi gratia ſi ab vlna detrahamus partem certæ magnitudinis, palmi ſcilicet, quatuor detractionibus abſumemus vlnã: ſi partem certę magnitudinis minoris, ſcilicet dimidii palmi, octo detractionibus, & ſic de cæteris. Ratio huius rei eſt, quia magnitudo eſt finita, & conſequenter eius partes cuiuſcunque exiguę extenſionis ſint, debet eſſe numero finitæ.

Entitas cõtinui actu eſt diuiſibilis in partes infinitas.

Secunda aſſert. Entitas cõtinui actu eſt diuiſibilis in partes æquales infinitas potentia. Antequam aſſertionem probemus, obſeruandum eſt, nos non docere in illa, partes determinatas alicuius diuiſionis continui eſſe potentia infinitas, nam partes æquales cuiuſcunq; magnitudinis ſint, neceſſario debet eſſe comprehenſę numero finito, cũ quodvis continuum finitum ſit extenſione. Quod ergo docemus in aſſertione eſt, facta diuiſione ſiue aſsignatis partibus æqualibus cuiuſuis continui, in eodem poſſe aſsignari alias minores æquales, & illis aſsignatis alias minores, & ſic in infinitum; & propterea dicitur continuum diuiſibile in partes æquales infinitas potentia. Hoc poſito probatur aſſertio. Quæuis pars determinata ſiue æqualis continui eſt extenſa; ergo diuiſibilis in duas æquales minores: ergo aſsignatis, verbi gratia, viginti quinq; partibus æqualibus in continuo, poſſumus aſsignare quinquaginta ęquales minores, & illis aſsignatis, centum, & ſic in infinitum: ergo entitas continui eſt diuiſibilis in partes æquales infinitas potentia. Reſpondent nonnulli, has ſubdiuiſiones eſſe ſecundum partes proportionales, in quas citra controuerſiã poteſt diuidi continuũ in infinitum. Manifeſte tamẽ falſa eſt ſolutio, quia iſtæ partes non ſunt proportionales, cum ſint æquales, & eiuſdem extenſionis inter ſe; nõ enim habent proportionem dupli & dimidij centũ partes ęquales eiuſdem continui, ſed omnimodam potius æqualitatem.

In continuo nõ ſũt actu partes proportionales.

Tertia aſſert. In cõtinuo nõ ſunt actu partes proportionales. Fundamentum huius ſententiæ eſt, non dari indiuiſibilia in continuo has partes determinantia. Poteſt aſſertio hæc confirmari eodem ferè modo ac prima. Probatur etiam ratione, qua Zeno vtebatur, ad demonſtrandum nõ dari motũ, quã poſuit Ariſt.

cap. 9.

cap. 9. huius libri. Si in continuo eſſent actu partes proportionales indiuiſibilibus diſtinctæ, mobile nō poſſet pertrāſire magnitudinem finitam tēpore finito: ſed hoc eſt abſurdum, ergo, &c. Probatur antecedens Sumatur magnitudo, verbi gratia, vnius vlnę, ſupra quā debeat moueri mobile. Eſt argumentum. Mobile nequit moueri ſupra ſecundam partem huius magnitudinis, quin prius ſit in indiuiſibili copulante primā partem cum ſecunda: deinde nō poteſt moueri ſupra dimidietatem vltimam ſecundæ partis, quin ſit in indiuiſibili copulante illas partes dimidias ſecundæ partis: preterea nequit moueri ſupra dimidietatem vltimam huis tertiæ partis proportionalis, niſi prius ſit in indiuiſibili copulante illas, & ſic in infinitum: ergo, ſi huiuſmodi partes proportionales indiuiſibilibus diſtinctę ſint actu in continuo, nunquam mobile poterit tempore finito pertranſire magnitudinem finitam. Reſpondent oppoſitæ ſententiæ auctores, quod eadem eſt ratio de tēpore, & de magnitudine, nam etiam in tempore ſunt actu infinitæ partes proportionales: & cū inter tempus & magnitudinem ſit in hoc proportio, proinde tempore finito poterit mobile pertrāſire magnitudinem finitam, percurrēdo infinitas partes proportionales magnitudinis, & infinitā indiuiſibilia tangēdo. Hāc ſolutionē deſſumunt ex Ariſt. cap. 2. huius libri, vbi ſupra dictam ſoluens rationem, ita habet. *Non igitur id quod infinitum eſt, finito certoq; tempore percurri poteſt; nec infinito id quod finitum eſt, ſed ſi tempus infinitum eſt, magnitudo etiam infinita erit: ſi magnitudo, & tempus.* Sed hæ ſolutio ab Ariſt. adhibita euaſio eſt, non vero recta ſolutio. Quod demonſtro primo auctoritate eiuſdē Ariſt. deſſumpta ex cap. 8. lib. 8. ibi enim poſtquam docuit, indiuiſibilia non eſſe actu in medio continui his verbis: *Id quidem quod in medio eſt, eſſe poteſt, nō re ipſa eſt*, paucis interpoſitis, intēdens argumētum Zenonis ſoluere, inquit. *Nos quidem imprimis demotu diſputationibus, hoc explicauimus, quòd tempus infinita cōtineret. Neque enim abſurdum eſt, ſi quis infinito tēpore infinita perſequatur, Similiter autem infinitū quiddam & in longitudine ineſt, & in tempore. Sed hæc explicatio ad eum quidem qui interrogabit, ſatis erit: quærebatur*

urReiicit ſolutio Ariſt.

batur enim, fieri ne poſſit, vt finito tempore infinita tranſiliātur, aut numero comprehendantur: ad rem autem & veritatem non ſatis. Et ſolutionem hanc quodam argumento confirmat: pauciſque interiectis, veram argumenti à nobis propoſiti ſolutionem proponens, noſtram confirmat aſſertionem, dicens *Quocirca ei qui quærat poſſint ne infinita, vel in tempore, vel in longitudine tranſiliri: poſſe quadam ex parte, & quadā ex parte non poſſe reſpondendū eſt Quæ enim re ipſa ſunt, non poſſunt, quæ poſſunt eſſe, poſſunt. Qui enim continenter mouetur caſu infinita decurrit, abſolutè & omnino nō decurrit. Accidit enim lineæ, vt dimidiæ partes innumerabiles ſint. Alia autem eſt eſſentia & ratio.* Ac ſi diceret, quęrenti an poſſint pertranſiri in tempore, vel in magnitudine partes infinitæ, reſpondendū eſſe, vno modo poſſe, & alio non poſſe: non poſſe quidem, ſi actu ſint in continuo: poſſe vero, ſi in illo potentia tantū inueniantur. Quod enim mouetur vno motu cōtinuo, pertranſit infinita caſu, id eſt potentia: abſolute vero, & omnino, id eſt actu nō pertrāſit: nam accidit lineæ, id eſt potentia conuenit, habere partes dimidias, id eſt proportionales infinitas. Alia autem eſt eſſentia & ratio, id eſt eſſentia lineæ non eſt eſſe diuiſam in partes actu, nam hoc conuenit illi per accidens, & potentia: eius enim eſſentia in extenſione conſiſtit. Sic exponunt locum iſtum acutiſsimi & accuratiſsimi Ariſt. interpretes Simplicius & Vicomercatus.

Sed dices pro oppoſita ſententia. Si continuum aliquod eſſet diuiſum in omnes partes, in quas poteſt diuidi, & illæ eſſent inter ſe contiguæ, poſſet mobile tempore finito percurrere totā illam magnitudinem ſupra multitudinem illarum partium: ergo ſi iſtæmet partes reperiantur ante diuiſionē magnitudinis actu in illa, poterit etiam mobile tēpore finito illas omnes pertranſire: quare argumentum a nobis propoſitum nullius eſt momenti. Probatur conſequentia, quia numerus partium idem eſſet, tum etiam & numerus indiuiſibilium correſpondentium mutatis eſſe mobilis. Reſpondemus, argumētum ſupponere falſum, ſcilicet continuum poſſe eſſe diuiſum in omnes ſuas partes. Hoc enim per nullā potentiam fieri poteſt, quia cōtradictionem implicat. Con- Implicat dari continuum vltimo diuiſum.

tradictio eſt manifeſtiſsima, dari continuum, & illud non eſſe extenſum, & diuiſibile; ſed ſi cõtinuum eſſet actu diuiſum in omnes ſuas partes, daretur continuum, quod non eſſet extenſum, & diuiſibile; ergo hoc manifeſtam implicat contradictionem. Maior certiſsima eſt, cum citra controuerſiam extenſio & diuiſibilitas radicalis ſint eſſentialis ratio ipſius continui, ita vt nec eſſe, nec intelligi poſsit, niſi extenſum & diuiſibile. Minor probatur. Si continuum eſſet actu diuiſum in omnes ſuas partes, non poſſet vlterius diuidi, ergo eius partes non eſſent extenſæ & diuiſibiles. Modo ſic. Eſſent partes continui: ergo quæuis illarum eſſet continua: ergo extenſa & diuiſibilis: quare partes illæ eſſent extenſæ, & non extenſæ: diuiſibiles, & nõ diuiſibiles quod implicat contradictionem. Sed dices. Sit diuiſum continuum in partes proportionales ſiue æquales numero finitas, ſintque partes iſtæ inter ſe contiguæ. Hoc ita poſito eſt argumentum. Non poteſt moueri mobile ſupra ſecundam magnitudinem, niſi prius ſit in indiuiſibilibus contiguis primæ & ſecundæ partis: & non poteſt moueri ſupra tertiam partem, niſi prius ſit in indiuiſibilibus contiguis & immediatis ſecundæ & tertiæ partis: & ſic de cæteris; ergo ſi motus fiat ſupra decem partes contiguas, verbi gratia, motus ille actu etiam conſtabit ex decem partibus, quemadmodum magnitudo: ergo iam in continuo, ſcilicet in motu, erunt actu partes, quod repugnat aſſertionibus à nobis propoſitis. Prima conſequentia probatur, quia indiuiſibilibus magnitudinis, ſupra quam ſit motus, correſpondent in motu mutata eſſe, quæ ſunt indiuiſibilia motus: ergo iam motus habebit partes diſtinctas per ſua indiuiſibilia. Reſpondemus negando primam conſequentiam. Probationi dicimus, indiuiſibilibus contiguis magnitudinis non correſpondere indiuiſibilia in motu. Sed dices contra ſolutionem. Ariſtoteles capite ſecundo huius libri ſolum inſtituit demonſtrare, partibus magnitudinis correſpondere partes temporis, & motus: ergo indiuiſibilibus magnitudinis debent correſpondere mutata eſſe. Reſpondemus Ariſt. intelligendum eſſe de partibus in potentia, nam

nam ſi de iis ſit ſermo, eodem modo diuidi poſſunt magnitudo, motus ſupra ipſum factus, & tempus, quod eſt motus duratio. Si enim magnitudo diuidatur in quatuor partes æquales, etiam poterit diuidi motus in quatuor, & tempus in quatuor æquales (quod in tempore verum non eſt, niſi loquatur Ariſtoteles de illo, ſuppoſita vniformitate in tarditate, aut velocitate motus). Sed dices. Partibus in potentia, & diuiſibilibus in potentia ipſius magnitudinis correſpondēt in motu partes, & indiuiſibilia in potentia, vt dictum eſt: ergo partibus, & indiuiſibilibus in actu debent correſpōdere partes, & indiuiſibilia in actu: ſed in caſu propoſito, in magnitudine, ſupra quā fieret motus, eſſent partes, & indiuiſibilia actu; ergo in motu ſupra illam facto eſſent etiam actu partes, & indiuiſibilia. Reſpondemus negando primam conſequentiam; nam quemadmodum non ſequitur, partes magnitudinis, ſupra quam fit motus, ſunt contiguæ; ergo partes motus facti ſupra illam ſunt contiguæ: ita non ſequitur, partes magnitudinis ſunt actu partes, & actu habent indiuiſibilia; ergo partes motus ſunt actu partes, & actu habent indiuiſibilia.

Sed dices. Quid ergo illis correſpondet? Reſpondemus, nihil: nam & ſi continuum correſpondeat partibus contiguis, & è contra; indiuiſibilibus tamen contiguis, nihil correſpondet incōtinuo, vt diximus de indiuiſibilibus temporis diſputatione de inſtantibus quæſtione prima, in ſolutione ſecundi argumenti, & dicemus in ſequentibus.

Partes proportionales ſūt potentia infinitę.

Quarta aſſertio. In continuo ſunt partes proportionales in potentia, & potentia infinitæ. Prima aſſertionis pars certa eſt apud omnes: ſecundam vero ſequuntur multi ex grecis interpretibus, & ex latinis recentioribus, Iauellus quæſtione prima, Toletus hic quæſtione prima, Valleſius controuerſia trigeſsima tertia, & in commentariis quinti, & ſexti libri multis in locis, quibus acutiſsime docet, Ariſtotelem hanc docuiſſe, & firmiſsimis demonſtrationibus confirmaſſe ſententiam. Eſt etiam expreſſe Ariſtotelis lib. octauo, cap. octauo, vbi ita habet: *eius enim quod eſt continuum, cōtinuus motus eſt, & in eo quod continuum eſt, dimidiæ par-*

tes infinitæ ſunt,& in numerabiles,non re ipſa, ſed poteſtate. Partes enim proportionales dimidias appellat, eo quòd dupli & dimidij proportionem obſeruant. Probatur etiam hac ratione. Continuũ eſt diuiſibile in infinitum ſecundum partes proportionales ergo partes proportionales neceſſario debent eſſe potentia infinitæ. Conſequentia recta eſt. Antecedens certũ in doctrina Ariſt. & multoties repetitum, & cum eo ſuperiori quæſtione probatum, quia ſcilicet continuum non componitur ex indiuiſibilibus, vnde eius partes neceſſario debent eſſe diuiſibiles in ſemper diuiſibilia, cum quæuis pars cõtinui continua ſit. Aliis rationibus has eaſdem demonſtrabimus in ſequentibus aſſertiones.

IN TERTIA parte quæſt. pro oppoſita ſententia conſtituente in continuo partes æquales actu, & actu finitas, & partes proportionales actu infinitas, quæ cõmunis eſt, dices. 1. Continuum eſt actu totum: ergo actu debet habere partes. Reſpõdemus negando conſequẽtiam, quia non id omne, quod vocatur totum, debet actu habere partes. Pro cuius rei intelligentia obſeruandum eſt, totum dupliciter ſumi; ſcilicet poſitiue, & negatiue. Totum poſitiue eſt illud (loquimur de toto actuali, non vero de toto potẽtiali, quale eſt vniuerſum) quod actu conſtat ex partibus inter ſe diſtinctis, licet non diuiſis, & ad inuicem ſeparatis, verbi gratia hic leo vt totum phyſicum ex materia & forma: vel vt totum integrũ ex oſsibus neruis, &c. Totũ negatiuè eſt idẽ, quod perfectum, cui ſcilicet nihil debetur eorum, quæ ad integritatem eſſentialem talis in diuidui requiruntur. Dicitur enim totũ negatiue, eo quod nec totius poſitiui, nec partis poſitiuæ ratio illi conuenit: ſic enim totum hoc negatiuum actu partibus caret, vt actu non ſit pars alterius. Hoc genere Deus dicitur totus, ſic q; Theologi loquuntur, quando docent, totum Deum videri à beatis. Eodem modo loquẽtes dicimus, totam ſubſtantiam angeli eſſe in loco, totã entitatem animæ rationalis eſſe in toto & in qualibet parte hominis: æternitatem appellamus totam: durationem Gabrielis verbi gratia appellamus totum æuum illius: totum eſſe relationis dicimus eſſe ad aliud, & ſic etiam loquimur in qualitatibus. Deus vero omnino partibus vacat, Totũ poſitiue, & negatiue.

vt nõ ſolum Theologia reclamat, verum etiã naturæ Philoſophia. Vnde hoc ex profeſſo, his libris finem imponens, pertractãs Ariſtoteles, concludit hiſce verbis: *Profectò nec dirimi poteſt, nec ex partibus conſtat, nec vlla eſt magnitudine præditum.* Subſtantię angeli, & animæ rationalis partibus carent: æuum & æternitas partium ſunt expertia, cũ in indiuiſibili conſiſtant, & omni ſucceſsione deſtituantur, vt quæſtione. 2. diſputationis de durationibus lib. 4. docuimus. Relationis eſſe partes non habet; nã teſte Ariſt. in Logica cap. de relatione nec magis, nec minus ſuſcipit. Quæuis etiam intenſa qualitas, iuxta communiorem ſaltem, & probabiliorem ſententiam certam, & actualem graduum extenſionẽ qualitatis indiuiſibilibus diſtinctam non admittit. Proindeq; philoſophi, quaſi hoc ſignificantes, interdum qualitatis quatuor connumerant gradus, interdum vero octo, hoc incerto numero docẽtes, qualitatem potentiæ partes diſtinctas continere, actu minime. Quoduis igitur ex dictis totum eſt negatiue. Sed adhuc totũ negatiue duplex eſt, ſcilicet actu & potentia ſimul, illud nimirũ, quod neq; actu habet partes, neque poteſt illas habere: neque actu eſt pars alterius, neq; eſſe poteſt, vt Deus. Aliud vero eſt totum negatiue actu tantum, nẽpe illud quod actu non habet partes, nec eſt pars alterius, poteſt tamen illas habere, vel eſſe pars alterius. Huius generis eſt totũ continuũ: actu enim nec eſt poſitiue pars, nec poſitiue ex partibus conſtat, poteſt tamẽ eius entitas in partes diuidi. Sed dices. Continuum actu eſt extẽſum; ergo actu debet habere partem extra partem: ergo actu habet partes. Reſpondemus diſtinguendo ſecundum conſequens ita. Actu debet habere partem extra partẽ, id eſt, debet habere entitatẽ extenſam, & inpenetratam, concedimus: actu debet habere partem extra partem, id eſt, vnã partẽ diſtinctã ab alia, negamus conſequentiam.

Totum negatiue dú plex.

Dices. 2. in continuo ſunt in potẽtia partes determinatę: ergo poſſunt ab illo detrahi: ergo neceſſario ſunt actu in illo. Probatur vltima conſequentia, quia nulla res poteſt detrahi & ſeparari ab illa, in qua non erat actu. Reſpondemus negando ſecundã conſequentiam. Probationi dicimus, ſufficere, quod in cõtinuo ſit entitas partium, in

quas poteſt diuidi, ad hoc vt actu diuidãtur, & ſeparentur, ſed non requiri, quod in illo ſint actu diſtinctæ. Sed dices. Siue ſint diſtinctæ, ſiue non, neceſſario debent eſſe actu in continuo, ad hoc vt ab illo poſsint detrahi: ergo nulla eſt aſſertio. Reſpondemus aſſumere falſum, ſcilicet partes abſque diſtinctione inter ſe poſſe ſub ratione partiũ actu reperiri in toto. Aliud enim eſt eſſe diſtinctas inter ſe; aliud vero eſſe diuiſſas, & ſeparatas: forma enim & materia Petri diſtinctæ ſunt in Petro actu, tamen non ſunt ad inuicem diuiſæ & ſeparatæ, ſed vnitæ potius, & ſic efficiunt totum. Sed dices. Aliquando partes continui ſunt actu partes; ſed detractę iam non ſunt partes, ſed potius illarum quæuis eſt totum; ergo ante detractionem à continuo erant in illo actu partes. Reſpon. ex tertia obſeruatione, partes cõtinui aliquãdo eſſe partes, nõ quia aliquando actu componant, & ſint inter ſe diſtinctæ, ſed quia ſunt partiales entitates illius entitatis totalis, à qua ſunt ſeparatæ.

Dices tertio. Ariſt. 5. Metaphyſi. cap. 13. ita diffinit quantum, *diuiſibile in ea quæ inſunt, quorum vtrumque, vel vnumquodque vnũ quid & hoc aliquid aptum eſt eſſe:* ergo in cõtinuo actu reperiũtur partes certæ & determinatæ. Reſpondemus definitionẽ propoſitam non euertere, ſed cõfirmare noſtras aſſertiones, ſcilicet quantum eſſe entitatem continentem in ſe illas partiales, in quas poteſt diuidi: in illo vero eſſe abſq; diuiſione, & diſtinctione, virtute ſolum diſtinctas in ratione partiũ. Sed dices. Per illam particulam, *in ea quæ inſunt* (vt rectè obſeruat. M. N. Suarez diſput. 40. de quantitate continua, nu. 7. & vt nos diximus in logica diſput. 1. de quantitate. q. 1) excluduntur ea, quę virtute ſunt in aliquo, vt elementa in mixtis; ergo in continuo non ſunt partes in potentia, ſed actu potius. Reſpõ. negando conſequentiam: nam elementa non ſolũ in ratione partiũ, verum etiã ratione ſuarum entitatũ ſunt potentia tantum in mixto: at vero partes continui ſunt in illo potentia tantũ in ratione partium, entitas vero illarum actu eſt in cõtinuo. Sed dices. Quemadmodum per reſolutionem mixti elementa, quæ erant in illo in potentia, fiunt actu elemẽta, ita per diuiſionem continui partes, quę erãt in illo in potentia, fiunt actu partes: ergo eadem eſt ratio

in

in elemētis reſpectu mixti, & in partibus reſpectu cōtinui: ergo ſi entitas elemētorū nō eſt actu in mixto, neque entitas partiū, in quas poteſt diuidi continuum erit actu in cōtinuo: quare falſa eſt ſolutio, tum & ſuperiores aſſertiones falſæ ſunt. Reſpondemus negando cōſequentiā: eſt enim diſpar ratio, cū elementa fiāt ex mixto per nouam generationem ſubſtantialem, partes vero continui fiant actu partes per ſolam diuiſionem, nō vero per nouam generationē ſubſtātialem illarum. Quare partium cōtinui entitas actu in cōtinuo erat ante diuiſionem, nō vero entitas elementorum ante reſolutionem in mixto. Sed dices. Facta diuiſione cōtinui in quattuor partes, v. g. aquę manēt quattuor continua, ſcilicet quattuor aquæ ad inuicem diſtinctæ: ergo quattuor indiuidua in categoria ſubſtantiæ: ergo fiunt per quattuor generationes ſubſtantiales nouas: aliter enim indiuidua categorię ſubſtantię in ſubſtantiis materialibus fieri nō poſſunt. Reſpōdemus, negando antecedens, nam phyſice loquendo, nulla pars aquę eſt indiuiduum cōpletū, ſed pars elemēti aquæ, quod phyſice loquendo vnū eſt numero. Sed de his alibi.

Dices. 4 in tertiam, & quartam aſſertionem. Continuum eſt diuiſibile in infinitum: ergo habet actu partes proportionales actu infinitas. Probatur conſequentia, quia ſi partes proportionales non eſſent infinitæ, continuum non eſſet diuiſibile in infinitū. Reſpondemus argumentū ſolum probare, in cōtinuo potentia eſſe partes proportionales potētia infinitas ſecundum multitudinem.

Dices. 5. In continuo nō eſt pars ſimpliciter prima, neque pars ſimpliciter vltima: ergo ſunt infinitę actu. Antecedēs probatur: quia quælibet pars tam verſus initium, quā verſus finē eſt diuiſibilis in ſemper diuiſibilia. Reſpōdemus, aſſumere falſum argumentū, ſcilicet in continuo eſſe partes actu, ac proinde nec ſunt actu finitæ, nec actu infinitæ.

Dices vltimo. Si in continuo actu eſſent indiuiſibilia, actu eſſent partes illis determinatæ; ſed in continuo ſunt actu indiuiſibilia; ergo, &c. Probatur minor ex Ariſtot. qui c. 6. nihil aliud demoſtrauit, quam ante mutatum eſſe reperiri partem motus, & ante quamlibet partem mutatū eſſe, quod indiuiſibile eſt motus. Dubitationem hanc ſequens diſputatio diluet.

DIS-

DISPVTATIO SECVNDA DE INDIVISIBILIBVS CONTINVI.

Celeberrimam hanc, & per difficilẽ de indiuiſibilibus diſputationem, maximis difficultatibus, & vix ſolubilibus nodis implicatam eſſe, omnes Philoſophi pleno fatentur ore. Si enim ea, quæ de hac re iis octo libris, & præcipue quinto, ſexto, & octauo conſcripta reliquit Ariſtoteles, aliquis aſſidua & indefeſſa cogitatione perpendat, inueniet plane, adeò diuerſam, parum cohærentem, minus conſtãtem, aut ſaltem ita dubiam & ancipitem eius doctrinam, vt vix, ac ne vix quidem Ariſtotelis mentem, & in quam ſe vertat partem, valeat intelligere. Libere enim hoc lib. 6. quamplurimis theorematibus, dari in continuo indiuiſibilia, diffinit, cuius oppoſitũ lib. 8. & aliis in locis aperte & docet, & firmiſſimis rationibus demoſtrat. Hinc factum eſt, vt tot ſint in hac re grauiſſimorum Philoſophorum diſcrepantes ſententiæ, & vt illorum quiuis, Ariſtotelem pro ſe pugnare, ſibi certo perſuadeat. Hinc etiam factum eſt, vt Ariſtotelis doctrinã vt naſum cereum quiuis in ſuum ſenſum cõtorqueat, & exiquo negotio egregiũ quoduis eius teſtimonium facile interpretetur. Dubiam igitur & incertam Ariſtotelis mentem in hac diſputatione prætermittamus, & ſuam quiſque ſententiam vi & efficacia rationũ perpendenti inſpiciendam, & iudicandam proponat.

QVAESTIO PRIMA.

An in continuo ſit admittendum aliquod indiuiſibile.

DIVIDITVR quęſt. in tres partes. In prima proponemus obſeruationes. In ſecunda ſatisfaciemus. q. In tertia adducemus appoſitam ſententiam, & ſoluemus illius argumenta.

IN PRIMA parte quęſt. ſit prima obſeruatio. In logica agentes de quantitate diſputatione prima. quæſt. 1. dixi

diximus, eius eſſentiam conſiſtere in extenſione, ſeu diuiſibilitate radicali. Quæſt. 5. docuimus, hanc rationem diuidi diuiſione generis in ſpecies in continuam, & diſcretam; & ex iſtis quamuis diuidi in permanentem & ſucceſſiuam. q. 7. demonſtrauimus. Inſuper diſ. 2. q. 1. propoſitis quamplurimis quantitatis cõtinuæ diffinitionibus ex Ariſtot. deſſumptis, cum communi Philoſophorum conſenſu hanc collectam ex illis definitionem propoſuimus quantitatis: cuius partes copulantur aliquo termino cõmuni. q. etiam citata docuimus, terminum communem eſſe minorem vnica dimenſione illa re, cuius eſt terminus communis. Tandem q. 2. eiuſdem diſputationis docuimus, tres eſſe ſpecies quantitatis continuæ permanentis, ſcilicet lineam, ſuperficiem, & corpus. Docuimus inſuper multoties eiſdem de quantitate diſputationibus, tres eſſe quantitatis continuæ permanentis terminos communes, nempe pũctum, lineam, & ſuperficiem, & hæc tria eſſe indiuiſibilia ſaltem diuiſibilitate dimẽſionis, cuius ſunt terminus communis. Inquirimus ergo, an aliquod ex his indiuiſibilib⁹ reperiatur actu in continuo.

Secunda obſeruatio. Modo non eſt ſermo de quantitate continua ſucceſſiua, de qua infra erit ſermo, ſed tantum de permanente. Inquirimus enim, an in continuo permanente, in corpore ſcilicet phyſico ſit actu aliquod indiuiſibile, ſiue ſit punctum, ſiue linea, ſiue ſuperficies, ſiue ſit indiuiſibile copulans, ſiue terminans. Hæc enim duo indiuiſibilium genera communiter Philoſophi admittunt.

Tertia obſeruatio. Duobus modis poſſumus loqui de rebus (vt ad præſens attinet inſtitutum) ſcilicet phyſice & metaphyſice, verbi gratia de leone poſſumus loqui metaphyſicè, ſi in eo conſideremus eius rationes formales, ſcilicet rationem ſubſtantiæ, corporis, animati, animalis, & propriam differentiam ſpecificam: phyſice vero, ſi in eo conſideremus entitatem realem ex partibus phyſicis, materia ſcilicet & forma cõſtantem. Loquimur ergo modo de indiuiſibilibus phyſice ſumptis, & inquirimus, an in continuo a parte rei ſit actu aliquod ex his tribus indiuiſibilibus aſsignatis, vel ſolum ſint quædã rationes formales ſiue conceptus metaphyſici. Certum igitur eſt in hac re in doctrina omnium

c ad-

admittentium indiuiſibilia, quod indiuiſibile corporis eſt ſuperficies, ſuperficiei eſt linea, & lineę eſt punctum. Tum etiam certum eſt, punctum eſſe omnino indiuiſibile: lineam eſſe indiuiſibilem ſecundum latitudinem, quia illa caret; & ſuperficiem ſecũdum profunditatẽ, quia etiã illa caret.

Datur aliquod indiuiſibile in corpore

IN SECVNDA parte quęſtionis ſit aſſertio. Non eſt omnino denegandum, dari indiuiſibilia actu, & vt entia poſitiua exiſtentia in continuo. Aſſertio hæc ab omnibus fere admittitur. Et probatur primo ratione. Contigua ex Ariſt. initio huius libri ſunt, quorum vltima ſunt ſimul; ſed dantur actu contigua; ergo vltima illorum ſũt ſimul: ſed vltima contiguorũ ſunt indiuiſibilia; ergo dantur actu indiuiſibilia. Secunda minor probatur, quia, vt ſæpe demonſtrauimus cum Ariſt. in continuo præter indiuiſibilia nil datur primum, neq. vltimum. Probatur ſecũdo aſſertio. Viribus naturæ non datur dimenſionum penetratio; ergo a parte rei in corporibus dantur actu indiuiſibilia poſitiua, ſcilicet ſuperficies illa terminãtia. Antecedens certiſsimũ eſt. Conſequentia probatur ita. A parte rei corpora ſe contingũt verbi gratia ignis & aër, aut aqua & terra; imo nullum eſt corpus, quod non cõtingat aliud, quia non eſt vacuum in natura: ergo cum nõ ſit dimenſionum penetratio, tangunt ſe penes inextenſa & indiuiſibilia: & cum hic cõtactus ſit poſitiuus & a parte rei, neceſſario aſſerẽdum eſt, in continuis dari huiuſmodi indiuiſibilia actu, & tanquam entia poſitiua. Res etiam fit manifeſtiſsima, ſi duo corpora perfectè plana ſe contingant: ibi enim, cum nulla pars magis, minuſue emineat, clarius oſtenditur, ſe contingere abſq penetratione per indiuiſibilia. Probatur tertio aſſertio. Partes corporis ſiue profunditatis continui non recurrunt in ſe ipſas; ergo neceſſario debent habere indiuiſibile, quo terminentur.

Durandi opinio.

IN TERTIA parte quæſtionis proponenda eſt oppoſita ſententia. Durandus itaq. in 2. diſt. 2. quæſt. 4. & ibidem Gregorius Ariminenſis, q. 2. ar. 1. & Ocham in ſua Dialectica cap. de quãtitate abſolute negant omne indiuiſibile terminans, quod ſit ens poſitiuum, tam in continuo permanente, quam in ſucceſsiuo. Dicunt enim, omne

ne indiuiſibile dicere ſolum carentiam vlterioris extenſionis ſiue continuationis. Quæ ſententia, ſi de alijs indiuiſibilibus a ſuperficie terminante intelligatur, recta eſt, vt infra dicemus.

Probatur ergo primo ſententia hæc. Si Deus ſepararet ſuperficiem à corpore, illud maneret finitũ per ſuam met determinatam extenſionem: ergo non eſt cur hanc ſuperficiem terminantem cõſtituamus, cum ſine illa poſſit corpus eſſe finitum & terminatum. Reſpondemus primo, non eſse rem omnino certam, Deum poſſe ſeparare ſuperficiem à continuo. Eſt enim quidam modus neceſſario conſequens ipſam quantitatem finitam: & ſi res hæc Diuina virtute fieri poteſt (eget enim dubitatio altiori diſputatione) ſtatim quodam fluxu naturæ aliud produceretur indiuiſibile quantitatem illam terminans.

Dices ſecundo. Punctum & linea, vt terminantia, ſolum dicunt negationem vlterioris extenſionis ſiue continuationis; ſed vt ſe habet punctum reſpectu lineæ, & linea reſpectu ſuperficiei, ita ſe habet ſuperficies reſpectu corporis: ergo ſuperficies, vt terminans, reſpectu corporis ſolum dicit negationem vlterioris extenſionis ſiue continuationis: quare non eſt in corpore actu vt ens poſitiuum. Reſpondemus, admittendo libenter maiorem: imo nunquam concedemus, lineam & punctum eſſe entia poſitiua & realia. Negamus tamen minorem. Diſpar enim eſt ratio: nam ſuperficiei partes circuitione quadam finiuntur, & in ſe ipſas recurrunt. Vnde non egent indiuiſibili terminante, corporis vero partes in ſe ipſas non recurrunt, egent que proinde neceſſario termino & extremo indiuiſibili, nempe ſuperficiei. Sed dices. In corpore, eo quod fininitum eſt, conſtituimus indiuiſſibile terminans illud; ſed quæuis ſuperficies finita eſt, tum etiam & quæuis linea; ergo in ſuperficie debemus conſtituere lineam terminantem, & in linea punctum. Reſpondemus concedendo primam partem minoris, & negando ſecundam, quæ aſſumit falſum, ſcilicet dari lineas & puncta: hoc enim falſum eſt, vt quæſtiones ſequentes demonſtrabunt. Negamus igitur conſe-

Circuitione recurrit ſuperficies.

quentiam. Quia non omne finitum eget termino & indiuiſibili, niſi illud, cuius partes in ſe ipſas non recurrunt, quod in ſuperficie contingere nequit. Sed dices. Male ergo diximus in logica locis initio huius quæſt. citatis, dari lineas & dari pũcta. R. nos ibi locutus fuiſſe metaphyſice & pro rationibus formalibus: non vero phyſice & pro entitatibus, vt ſequentes quęſtiones demonſtrabunt ſatis.

QVAESTIO. II.

Vtrum in cõtinuo ſint actu, vel ſaltem in potentia alia duo indiuiſibilia terminãtia, ſcilicet linea & punctum.

DIVIDITVR quęſtio in duas partes iuxta duo, quæ inquirit. In prima parte quæſtionis ſit 1. obſeruatio. Philoſophi communiter tanquam certum ſupponunt, indiuiſibilia alia eſſe terminantia, alia vero copulantia. In qua doctrina (quidquid ſit de veritate illius) certum eſſe debet, indiuiſibile terminans reipſa diſtingui ab indiuiſibili copulante. Et probatur ratione, quia terminans vel eſt in principio vel in fine, copulans vero neque eſt in principio neque in fine continui, ſed potius in medio illius cõnectens partes inter ſe. Igitur ſi conſtet, indiuiſibilia quæ illi conſtituunt, omnia eſſe copulantia, conſtabit etiam certo, non eſſe admitenda in cõtinuo indiuiſibilia terminãntia.

Secunda obſeruatio. Loquimur modo de facto, vt ſe habent continua à parte rei.

Sit Aſsertio. Etiamſi admittamus lineas & puncta actu in continuo, indiuiſibilia hæc nequeunt eſse terminantia. Probatur aſſertio. Vt aſſertores indiuiſibilium aſserunt, indiuiſibilia terminantia reipſa diſtinguuntur à copulantibus; ſed ſi eſsent indiuiſibilia in continuo, omnia eſsent copulantia; ergo nulla ratione conſtituenda erũt indiuiſibilia terminãtia. Probatur minor, quia nullũ poſſemus aſsignare punctum in linea, quod nõ copularet partes lineæ, vel linea quæ non copularet partes ſuperficiei. Probatur prima pars, quia aſſignato quilibet puncto lineę exiſtentis in continuo, ab eo vlterius poteſt pertrahi linea ſiue recto tramite, ſiue obliquo angulum conficiendo, ſiue circulari efficiendo circulum. Secunda pars eodẽ modo probatur. Eſt enim

adeo

adeo euidens aſsertio hæc illam acurate perpendenti, vt ridiculum videatur, illam velle confirmare, cum ſenſuũ iuditio cõſtet, omnes partes ſuperficiei cuiuſuis corporis circuitione quadam in ſeipſas recurrere. Imo exiſtimo, ſuperfluum eſse, dubitationẽ hanc pertractari de facto, ſed de poſsibili ſolum, an ſcilicet in continuo ſint potentia ſaltem puncta terminantia lineas, & lineæ terminantes ſuperficies.

IN SECVNDA igitur parte quæſt. ſit Aſsertio. Loquendo de continuo, vt modo eſt, & vt de illo loquuntur oppoſitæ ſententiæ auctores, nulla potentia debemus admittere in continuo indiuiſibilia terminantia præter ſuperficiem. Antequam probemus aſsertionem, explicãda eſt prima pars illius, ſupponendo, omnes Philoſophos admittẽtes indiuiſibilia, cum quibus modo diſputamus, docere, illa eſse infinita in cõtinuo, & nullo modo eſse admittenda duo ſimul, vel immediata, vt diffuſe dicemus q. 3. Hoc poſito probatur aſſertio. Nunquam poteſt aſsignari in linea v. g. etiamſi illã admittamus, aliquod punctũ, quod non copulet partes lineæ; ergo puncta terminantia nulla potentia ſunt in linea. Conſequentia recta eſt, cum conſtet ex dictis initio quæſt. indiuiſibilia terminantia reipſa diſtingui à copulantibus in opinione illorum, cum quibus diſputamus. Antecedens vero probatur. Nullum poteſt excogitari punctum in linea, à quo nõ poſsit pertrahi alia efficiendo angulum acutum, vel rectum, vel obtuſum; ſed pũctum efficiens angulum copulat lineas ſic occurrentes; ergo nullum poſſumus aſsignare punctum in linea, quod non copulet lineas ſiue partes lineæ. Minor certa eſt, & probatur, quia illæ lineæ concurrerent in indiuiſibili; ergo cum ex ſuppoſitione in continuo non poſsint eſſe duo indiuiſibilia immediata, aut ſimul, idem punctũ eſſet vtriuſque lineæ, & conſequenter illæ efficerent lineam continuam illo pũcto copulatam. Maior vero propoſitio probatur ita. Conſtituamus in linea punctũ, quod illi vocant terminans, cũ hæc linea ſit in corpore continuo (de his enim modo diſputamus, nõ de ſeparatis) cum in eodem ſint multa puncta, & illa non ſint ſimul, poteſt a pũcto quod eſſet terminans, pertrahi linea recta ad quoduis pũctum, ſiue pertrahatur per

ſuperficiem, ſiue per profunditatem, & ab omnibus punctis ad illud terminans: imo deſacto res ita ſe debet habere in illorum opinione, cum iuxta hanc omne continuum omni modo poſsibili ſit copulatum: ergo illæ lineæ protractæ ab alijs punctis ad pūctum illud terminans, neceſſario efficerent in illo angulū, & conſequenter illud punctum copulans eſſet. Idem argumentum fieri poteſt de linea reſpectu ſuperficiei.

Sed quæres, quid dicendum ſit de linea, vel ſuperficie à corpore ſeparata. Reſp. dubium eſſe maximum, an indiuiſibilia poſsint eſſe ſeparata à continuo. Quidquid tamen ſit de hac re, reſpondeo, quod ſi eſſet linea ſeparata, quæ non recurreret in ſe ipſam, haberet puncta terminantia. Eodem modo ſi eſſet ſuperficies, cuius partes non recurrerent, etiam haberet lineas terminantes; hanc vero inueniri poſſe, iudico impoſſibile. Si vero eſſet ſeparata, quæuis ſuperficies ea ratione, quamodo eſt in cōtinuo, nullo modo haberet lineas terminantes; quia modo de facto quæuis ſuperficies corporis ſic ſe habet, vt circuitione quedam eius entitas finiatur.

Probatur ſecundo aſſertio. Loquendo de continuo, vt modo ſe habet, in illo nequeunt eſſe duo indiuiſibilia ſimul, aut immediata; ergo non poſſunt eſſe in illo indiuiſibilia terminantia, ſcilicet lineę, & puncta. Probatur cōſequentia. Sumatur in primis corpus perfecte rotundum, ſi in eius ſuperficie eſſet aliqua linea terminans aliquam partem, vel copularet illam cum alia immediata, vel non: ſi copularet; ergo iam non eſſet terminans, ſed copulans. Si vero non copularet, ergo alia pars immediate ſequens eſſet copulata alia linea, quare eſſent duo indiuiſibilia immediata in continuo, quod nulla ratione concedent auctores oppoſitæ ſententiæ. Idem probatur in corpore cubico. Sumamus enim ſuperiorem eius partem, vel hæc habet lineas terminantes, vel non in lateribus: ſi habet; ergo illæ nōn erunt terminantes, vel ſi ſunt terminantes, corpus cubicum ex ſex ſuperficiebus contiguis conſtabit, quare in continuo erunt multa indiuiſibilia immediata ſcilicet lineæ terminantes illas ſuperficies. Quæuis namque, ſi actu terminata eſſet indiuiſibili non copulante, eius indiuiſibile terminans neceſſario

eſſet

eſſet immediatum indiuiſibili terminanti alteram ſuperficiem quadratam eiuſdem corporis cubui. Idem etiam argumentum poteſt fieri de quocunque corpore cuiuſuis figuræ ſit. Prima conſequentia huius ſecundi argumenti, ſi de punctis intelligatur, probatur ita. Impoſsibile eſt, ſuppoſitis his quæ ſupponuntur, dari in corpore aliquo aliquod punctum imme diatum alteri; ergo impoſsibile eſt, dari punctum terminans. Probatur conſequen tia. A quolibet puncto lineæ poteſt in continuo vlterius pertrahi linea; ergo vel pars, quę vlterius pertrahetur, erit cum illa copulata, vel non: ſi copulata; ergo tale punctum non erit terminans ſed copulans; ſi nō copulata, ſed contigua; ergo in continuo erunt duo indiuiſibilia imme diata.

In 1. aſſer. Dices in 1. aſſert. Quæuis ſuperficies actu eſt finita; ergo à parte rei actu habet lineam claudentem, & terminantem. Reſpondemus negando conſequentiam, nam ſuperficies quæuis dicitur finita, non quia habeat lineam initiantem, & lineam terminantem, ſed potius quia non eſt infinitæ extenſionis. Sed

1. dices. Omne finitum eget termino, & vltimo, quo finiatur, & terminetur; ergo cum quæuis ſuperficies ſit actu finita, habebit aliquem terminum, ſiue aliquod vltimum, quo finiatur, & terminetur: ſed hoc non poteſt eſſe niſi eius indiuiſibile, ſcilicet linea; ergo actu habebit lineam terminantem. Reſpondemus maiorem ſolum eſſe veram de illis, quorum partes circuitione quadam non finiuntur. Sed dices; ergo quæuis ſuperficies cuiuſcunque figuræ ſit, erit infinita, quemadmodum circularis; quod videtur repugnare Ariſtoteli, qui ſolum de circulari hoc videtur admittere. Reſpondemus admittendo conſequentiam, & negando repugnare Ariſtot. nam etſi ipſe ſæpe docuerit, figuram circularem fine & principio carere, inde non licet colligere, idem non con tingere in alijs ſuperficiebus. Argumentum enim deſumptum ab auctoritate negatiua nullius eſt momenti. His etiam accedit, Ariſtotelem hoc docuiſſe in ordine ad motum factum ſupra lineam circularem, qui infinitus eſſe poteſt, per repetitam circula tionū multitudinē, preſertim in eius ſententia conſtituente mundum ab æterno. Vt dice-

dicemus. 8. phy. diſput. 1.
Hoc vero contingere ne-
quit in motu recto, cum nul-
la ſit magnitudo hoc modo
infinita.

Dices 2. Datur corpus cu-
bicum; ergo ſunt in cõtinuo
lineæ actu terminantes. Pro-
batur conſequentia, quia cor
pus cubicum conſtat ſex ſu-
perficiebus quadratis inter
ſe æqualibus, & actu diſtin-
ctis. Reſpon. neg. conſequen
tiã. Probationi dicimus, cor
pus cubicum ſolum conſtare
vnica ſuperficie illud inuol-
uente, ſunt tamen ſex eius ve
luti partes non actu diuiſæ in
ter ſe, quia in continuo non
dantur actu partes, vt dixi-
mus ſuperiori diſp. quæſt. 2.
1. Sed dices. Huiuſmodi ſex par
tes efficiunt ſex figuras qua-
dratus planas; igitur iſtæ ſex
partes neceſſariò debent eſſe
ſex ſuperficies ad inuicem di
ſtinctę, & terminatæ indiuiſi-
bilibus. Reſpond. negando
conſequentiam, quia figura
eſt modus quantitatis, & in
eadem entitate poſſunt eſſe
multi modi numero diſtin-
cti. Res eſt manifeſta in ho-
mine, cuius quantitas procul
dubio vna eſt numero, & ta-
men diſtinctum modum &
figuram habent manus, ca-
2. put, & pes. Sed dices. In cor-
pore cubico ſunt ſex ſuperfi-
cies determinatæ, & finitæ;
ergo debent eſſe determina-
tæ & finitę indiuiſibilibus ter
minantibus, ſcilicet lineis; er-
go dantur lineę actu terminã
tes. Reſpon. diſtinguendo an
tecedens ita. Sex determina-
tæ in ratione figuræ, concedi
mus: in ratione extenſionis
per ſe, negamus antecedens:
nam ſolum eſt vna extenſio.
Sed dices. Si quæuis ex illis 3.
ſex figuris eſſet prædita di-
uerſo colore ab alia, eſſet ſex
colorata finita; ſed nõ poſſũt
eſſe finita niſi lineis terminan
tibus; ergo eſſent lineæ termi
nantes. Reſpond. quod tunc
tantum eſſet vnum coloratũ
numero. Sed dices, eſſent ſex 4.
colores ſpecie diſtincti; ergo
tunc non eſſet vnum numero
coloratum. Probatur conſe-
quentia, quia vnitas concre-
ti ſumitur a forma. Reſpond.
negando conſequentiã, quia
illi colores non eſſent formæ
totales; vnde probationi con
ſequentię dicimus, vnitatem
concreti ſumi à forma totali.
Sed dices. Si eſſet vnum colo 5.
ratum numero, tantum poſ-
ſet contineri ſub vna ſpecie
colorati; atque contineretur
ſub multis; ergo nõ eſſet vnũ
numero coloratum. Reſpon.
quod eſſet vnum numero rea
liter; modo enim non proce-
dit quæſtio de rationibus for
mali-

malibus, vt diximus, ſed de entitatibus phyſicis: eſſet tamē multiplex formaliter, eo ꝙ in ſe haberet multas formas par-
6 tiales ſpecie diſtinctas. Sed dices. Iſtæ formæ eſſent extēſę, & diuiſibiles per accidens ad extenſionem ſuperficierum; ergo eſſent terminatæ per accidens, & ratione ſuperficierum: ſed non poſſunt eſſe terminatæ per accidens, niſi per indiuiſibilia terminantia ſuperficies; ergo eſſent indiuiſibilia terminantia ſuperficies, ſcilicet lineę terminātes. Reſpond. concedendo primam partem antecedentis, ſcilicet eſſe extēſas & diuiſibiles per accidens: negamus tamen ſecūdam partem illius, ſcilicet hanc extenſionem habere ad extenſionem ſuperficierum, ſed potius ad extenſionē corporis; nam ſuperficies non eſt primò & per ſe colorata, ſed corpus eſt primò & per ſe coloratum, ſuperficies vero ſecundario, & vt terminus corporis. Colores enim cum ortum habeant ex primarū qualitatum cōtemperatione, accidentia ſunt primò & per ſe inhærentia corporibus naturalibus, ſecundario vero, & tanquam terminis, ſuperficie-
7 bus illorum. Sed dices. Quidquid ſit de hac re, quiuis exiſtis coloribus eſſet actu terminatus ratione extenſionis; ergo cum eius extēſio ſit per accidēs, eſſet etiam terminatus per accidēs ratione indiuiſibilium ſuperficiei, ſcilicet linearum terminantium; ergo in ſuperficie eſſent lineæ terminantes. Videtur enim impoſsibile, conuenire extēſionem rei beneficio alterius, & terminū nō cōuenire beneficio eiuſdē. Reſp. diſtinguēdo antecedens ita. Actu terminatus ratione extenſionis, id eſt eſſet extēſionis finitæ concedimus; eſſet terminatus, id eſt haberet terminū indiuiſibilē claudentem & terminantem,
negamus antecedens. Sed di- 8
ces. Qua ergo ratione eſſent finitæ extenſionis, ſi terminis claudentibus carerent. Reſp. quia quoduis ex illis coloribus recurreret in ſeipſum, cū nō ſit in ſuperficie, ſed in cor-
pore modo explicato. Sed di- 9
ces. Sit ſermo de aliquo ex illis coloribus exiſtēte in aliqua ex illis ſex ſuperficiebus, iſte non finiretur circuitione, & eſſet extenſionis finitæ; ergo neceſſario clauderetur terminis. Reſp. negando antecedens, nam non poteſt eſſe color in ſola ſuperficie, niſi intimè veluti penetret aliquid corporis, & ſic circuitione
quadam finiretur. Sed dices. 10
Ergo iſtud corporis, ſiue iſta

Superficies non eſt per ſe colorata.

pars affecta hoc colore eſſet
contigua cum reliqua entita-
te corporis nō affecta tali co-
lore, quare in medio continui
eſſent indiuiſibilia immedia-
ta. Probatur cōſequētia, quia
ex conceſſis, ſuperficies par-
tis tali colore affectæ recur-
rit in ſe ipſā; ſed nō poteſt re-
currere in ſe ipſam, niſi eius
ſuperficies intimè penetret
corpus, cum ex ſuppoſitione
color ille nō ſit in extima ſo-
lum ſuperficie, ſed in parte
corporis. Reſp. negando cō-
ſequentiam Probationi dici-
mus, corpus non eſſe extēſum
ratione coloris, ſed potius co
lorem ratione corporis: vnde
ex recurſu coloris in ſe ipſum
non licet inferre, eſſe indiuiſi-
bile in ipſo corpore, nā acci-
dens extenſum ratione quan-
titatis, nō diuidit illam. Vnde
color recurrit in ſe ipſū perne
gationē maioris extēſionis in
ipſo corpore, quia quod eſt extē-
ſum per accidens, & ratione
ſubiecti, nō tribuit illi rationē
extenſionis & termini, ſed po
tius ab illo accipit, & cōſequē
ter eſt extēſum admodū illius.
11 Sed dices. Pars tali colore af-
fecta diſtinguitur ab alia non
affecta illo; ergo neceſſario di-
ſtinguitur per aliquod indiui
ſibile; nā vt diximus ſuperio-
ri diſput. diſtinctio partium
cōtinui ab indiuiſibilibus de-
bet promanare. Reſp. diſtin-
gui, ſed non in ratione quāti-
tatis, & extēſionis, nā ſic om-
nes illæ partes efficiunt vnā
numero quantitatē abſq; ali-
qua partium diſtinctione, vt
Diſput. citata. q. 2. docuimus:
ſed ſolū pœnes illas rationes
accidētarias deſumptas a di-
ſtinctis coloribus exiſtētibus
in diuerſis partibus continui,
nō vero in ſola illius ſuperfi-
cie, in qua, negandū eſt, poſſe
primo & perſe aliquod acci- 12
dens inueniri. Sed dices. Lu-
men ſolū exiſtit interdum in
vltima ſuperficie, & ibi extē-
ſum eſt per accidens ratione
illius; ſed ſi ſolū eſſet in dimi-
dietate ſuperficiei, nō recurre
ret in ſe ipſum: ergo eſſet extē
ſum per accidēs, & nō recur-
reret in ſe ipſum: ergo habe-
ret indiuiſibilia terminantia
ſaltem per accidens, & ratio-
ne ſuperficiei: ergo in illo ne-
ceſſario eſſent conſtituēda in-
diuiſibilia, ratione quorū lu-
mē eſſet terminatū per acci-
dens. Probatur maior, quia
hoc conſtituitur diſcriminis à
Philoſophis inter corpus opa
cum, & diaphanum, quod hoc
recipit, & retinet in ſe lumen:
illud vero lumen in ſuperficie
receptum refert. Reſp. negā-
do maiorē propoſitionem; nā
lumē reſpectu corporis opa-
ci nō recipitur in eius ſuper-

ficie.

ficie,ſed in medio ſolum,v.g. in aëre. Si enim aliter res ſe haberet,eſſet in cōtinuo indiuiſibile ſeparatū,licet eſſet indiuiſibile per accidens,& ratione ſuperficiei corporis opaci. Sequela probatur,quia eſſet indiuiſibile lucidi, abſq; eo quod in ſubiecto, in quo eſſet, eſſet aliqua pars corporis lucida. Probationi dicimus, corpus diaphanum recipere in ſe lumen , quia cum poris & meatibus conſtet,combibit illud, illoq; repletur. Corpus vero oppacum dicitur lumē acceptum referre,nō quia in ſe recipiat, & referat, ſed quia ab eo impeditur lumen,ne vlterius procedat ; & tunc radius longiorem illum progreſſum, vt poteſt,recompenſat , in ſe redeūdo:& hinc eſt,quod radij, cum per reflectionē in ſe ipſos reciprocāt,ſe intēdant, ac proinde in reflexu maiora lucis incremēta ſibi afferant, proindeq;aërē calidiorē redduut. Nā cōmune eſt à philoſophis receptū axioma, & ab

Sect.15. Prob.4. Ariſt.traditū in lib.de cauſis, quālibet vim ſe ipſam colligētem,atq; vnientē fortiorē eſſe quam diſperſam. Cōſtat ergo ex dictis,colores nō eſſe in ſola ſuperficie, ac proinde non egere terminatione illa in argumēto propoſita. Sed dices.

13 Sit.v.g.fol.papyri,cuius dimidia pars ſit aqua madefacta,alia vero ſicca:eſt arg. Hęc pars madefacta finita ē,& limitata; ergo terminata indiuiſibilib' ſ. ſuperficie: ergo iā in medio cōtinui poterit eſſe ſuperficies terminans:recurrēt enim partes madefactę in ſe ipſas. Vnde recurrēs ſuperficies ipſius papyri profunditatē penetraret,ſin minus in ſe ipſam nō recurreret. Reſ. partē papyri madefactā eſſe madefactā rōe aquæ in ſe imbibitæ per poros & meatus. Vnde ſuperficies aquę ſic cōtētę in papyro,eſſet quæ recurret in ſe ipſam,non vero ſuperficies papyri madefactę;nā hęc pars cū parte ſicca cōtinua eſſet,& conſequēter nō terminata vbi terminatur aqua madefaciēs,ſed vlterius protracta per totā partē ſiccam,& tandē in ſe recurrēs.

Sed dices. Si igitur ſuperficies aquę veluti penetrat ipſius papyri profunditatē,quæcūque illa ſit,quid ergo huic ſuperficiei reſpōdet in profunditate ipſius papyri? Reſ.nihil ei correſpōdere,quēadmodū indiuiſibilibus cōtiguis nihil correſpōdet in cōtinuo ſuppoſito,vt diximus ſuperiori diſputatione:& inſtātibus immediatis tēporū harū rerū inferiorū nihil correſpōdet in tēpore primi mobilis,vt dixim' lib.4.q.vnica de inſtantibus. 14

Dices.1 in.2. aſſertionem. Poteſt Deus producere in cõtinuo lineam terminatam in ſuperficie illius, ita vt ſit protracta ab vna parte ſuperficiei in aliam per totam profunditatem continui; ergo in continuo poſſunt eſſe puncta terminãtia. Probatur conſequentia, quia linea non eſſet terminata niſi punctis. Reſp. negando antecedens, ſi loquamur de continuo, vt modo ſe habet. Si enim eius natura nõ inuertatur, implicat, dari in eo punctum abſolutè terminans. Implicare vero, etiam ſi modo lineam admittamus, ita demonſtro. Implicat punctum terminare, & nõ terminare; ſed in caſu propoſito pũctum illud terminaret; & non terminaret; ergo implicat dari tale punctum. Prima pars minoris (maior enim certa eſt) conſtat ex ſuppoſitione, nam ſupponit ſententia oppoſita, tale punctum terminare illam lineam. Secunda vero pars probatur ita. Suppoſito quod in cõtinuo eſſent lineæ, illa linea illo puncto terminata proculdubio poſſet vlterius pertrahi efficiendo angulum, vel lineam circularem, aut cuiuſcunque alterius rationis iuxta corporis diſpoſitionem & figuram; ergo tale punctum non terminaret, nam quod copulat partes cõtinui, & in medio eſt illius, nõ terminat.

Dices.2. Poteſt Deus ſeparare ſuperficiem à continuo; ergo poteſt dari ſuperficies terminata. Reſpon. negando conſequentiam: nam tunc ſi eſſet integra ſuperficies, cuiuſcunque corporis illa eſſet, neceſſario recurreret in ſeipſam. Antecedens modo admittimus, quia ex illo non infertur conſequens, ſed non quia certum it, vt ſtatim conſtabit. Dices ergo Separet Deus nõ ſuperficiẽ integram, ſed partem, verbi gratia aliquam ex ſex ſuperficiebus partialibus quadratis corporis cubici, talis ſuperficies actu eſſet finita, nõ circuitione; ergo linea terminanre: ſin minus non eſt, cur in principio, & fine continui indiuiſibilia ad mittamus. Reſp. ſuperficiem non eſſe ſeparabilem a cõtinuo, eſt enim modus ita intrinſece illi vnitus, vt nulla ratione à continuo valeat ſeparari. Res fit manifeſta in figura reſpectu ſuperficiei: eſt enim figura ipſius ſuperficiei modus, ſic tamen intrinſecus, & ab illa dependens, vt ſeparata ab illa nequeat exiſtere. Idem conſtat de relatione reſpectu fundamenti. Imo in oppoſita ſententia res eſt manifeſtiſsima.

Aſſe-

Aſſerũt enim illius fautores, lineam conſtare punctis, quæ inter ſe, & à partibus lineæ realiter diſtinguũtur, & nihil ominus nunquam concedẽt, adhuc diuina virtute, lineam poſſe eſſe punctis deſtitutam, quia iuxta illos, cum cõtinuitas lineę ſit per puncta copulantia, implicat lineam eſſe continuam, & nõ eſſe punctis copulatam. Imo hac ſupoſita ſententia, tenentur neceſſario aſſerere, nullum punctũ poſſe diuina virtute à linea ſeparari, manẽte continua linea ipſa; quia ſequeretur inde, illas duas partes, quæ tali puncto copulabantur, eſſe copulatas abſque copulante, quod in illorum ſentẽtia manifeſtam inuoluit contradictionem. Eo dẽ prorſus modo, licet ſuperficies terminans diſtinguatur à cõtinuo, vt terminus & modus illius, ſic tamen intrinſece, & eſſentialiter pẽdet a cõtinuo, vt ab illo nequeat exiſtere ſeparata. Imo potius res hęc, vt libere dicam quod ſentio, mihi videtur repugnare adhuc potẽtia logica. Videtur namq; in intelligibile, dari ſuperficiem à corpore ſeparatam. Hoc vt explicemus, ſupponamus, eſſe ſuperficiem ſeparatam in media aëris regione: inquiro modo, an huiuſmodi ſuperficies aſpiceret cœlum, & deſpiceret inferiora; vel potius cœlum & inferiora inſpiceret. Si hoc vltimum; ergo ſuperficies duplici facie prædita eſſet: duplex, autẽ facies corpus ſupponit; quare non eſſet à corpore ſeparata. Si primum, cur ergo magis cœlum, quam hæc inferiora reſpiceret, & deſpiceret inferiora potius quã cœlum? Si enim colorati corporis eſſet, percontor an noſtrum noueret viſum, vel ſolũ verſus ſuperiorem partẽ ſpecies coloris emitteret? Multa enim his ſimillima mihi aſsidua cogitatione rem perpendenti ſe offerunt, quibus mihi perſuadeo, implicare, dari poſſe ſuperficiem à continuo ſeparatam. Inter alia vero hoc ſolum proponã. Si enim eſſet illa ſuperficies plana, & aſcẽderet aliquod corpus planũ, & deſcenderet aliud eiuſdem rationis, ita vt vtrique obuiã fieret ſuperficies, percontor, an corpus deſcendens & corpus aſcendens contingerent ſuperficiem illam ſeparatam, vel non: ſi non contingerent; ergo illa, inter quæ aliquid mediat eiuſdem rationis, immediatè ſe tangerent, quod eſt abſurdum. Si ſe contingerent, inquiro, an corpus deſcendens tangeret illam ſuperficiem ſeparatam in parte

In.4. ſoluemus oppoſitas rationes.

IN PRIMA parte quæſt. ſit. 1. obſeruatio Quæſtio procedit de punctis in linea, de lineis in ſuperficie, de ſuperficiebus in corpore: & inquirit, an ſint in continuo actu & à parte rei, vel potius beneficio intellectus, illa concipientis , vel potentia ſolum.

Secūda obſ. M. N. Suarez diſp. 40. de quantitate continua num. 34. docet, indiuiſibilia eſſe in potētia in continuo, ita vt particula, *in potentia*, non excludat realem exiſtentiam illorū in illo, ſed realem diuiſionem; vnde infert, eſſe actu in continuo, quia in illo non ſunt in potentia primo modo, ſed actu exiſtētia. Conimbr. 6. phy. cap. 2. q. 1. art. 4. docēt, apud graues auctores legi, indiuiſibilia eſſe in potentia in continuo, quod accipi poteſt tribus modis, ita ſcilicet, vt hæc potētia reducatur in actum tribus modis, nimirū diuiſione reali, vt ſi corpus diuidatur: figuræ cōformatione, vt cū corpus omni carens angulo figuram perfectam angularē accipit, vt ſi ex corpore ſpherico fiat cubicum, tunc enim erunt indiuiſibilia in potentia per conformationē figuræ, tanquam negationes, ſed non ſecundū poſitiuam & realē entitatem. Denique deſignatione, vt quādo magnitudinē concipimus mente diuiſam: & docent, hos tres modos excludere realē, & poſitiuam exiſtētiam indiuiſibilium in continuo: probabilemque iudicant hanc ſententiam. Quod ergo inquirimus eſt, an hæc indiuiſibilia copulantia ſint entitates poſitiuæ actu exiſtentes in continuo, & illius partes copulātes, vel potius ſint in potentia, quia ſcilicet per diuiſionem in illo eſſe poſſunt.

IN SECVNDA parte quæſt. primo certum eſt in opinione omniū philoſophorum admitentiū indiuiſibilia, nō poſſe inueniri multa ſimul, vel immediata in eodē continuo, v. g. in linea cōtinua duo puncta immediata: in ſuperficie continua duas lineas immediatas: in corpore cōtinuo duas ſuperficies. In cōtinuo nō ſunt in diuiſibilia ſimul.

Secundo certum eſt, eandē eſſe rationem de toto continuo, & de qualibet parte illius. Vnde ſi aduerſus oppoſitæ ſentētię Auctores concludamus, dari partem continui quantumuis exiguam nō copulatam, concluſum etiā erit, nullum continuum eſſe copulatū. Vel ſi concludamus, eſſe duo indiuiſibilia immediata, Continuū & eius pars ſunt eiuſdem rationis.

con-

concluſum etiam non dari in diuiſibilia copulantia in continuo, cum certiſsimum ſit, in illo nō poſſe inueniri duo immediata.

Tertio certum eſt, omne exiſtens actu & poſitiue iu cōtinuo ſiue ſit copulans, ſiue terminans, ſiue copulatum, ſiue terminatum, exiſtere in illo in ratione entis realis. Hoc propono contra quendam Recentiorē philoſophū exiſtimantem, in continuo actu & poſitiue reperiri indiuiſibilia in ratione copulantium, non vero in ratione entium. Contra quem, & pro confirmatione dictorum, ſic diſputo. Vel id quod copulat, vt copulans eſt, eſt extra nihil, vel non: ſi eſt extra nihil, vt copulans eſt, erit ens: quare erit in continuo in ratione entis. Si vero non eſt extra nihil; ergo nō copulat, nam quod nō eſt extra nihil, nulla ratione poteſt poſitiue, & actu partes continui copulare.

Omne totum eſſe maius ſua parte.

Quarto certum eſſe debet illud commune philoſophorum axioma: Omne totum eſt maius ſua parte. Cū vero totum aliud ſit continuum, & aliud diſcretum, de vtroque intelligendum eſſe, ita demōſtro. Totum cōtinuum, quod cunq; illud ſit, habet maiorē extenſionem, quam quæuis eius pars; ergo totum continuum, quodcunq; illud ſit, eſt maius quauis eius parte. Cōſequentia legitima eſt, quia maius, & minus in continuis citra controuerſiam ſumuntur à maiori, vel minori extēſione. Antecedens probatur. Totum continuum, quodcūque illud ſit, habet in ſe extēſionem cuiuſuis partis ſuæ, & inſuper extēſionem alterius, ſiue aliarū partium; ergo habet maiorem extenſionē quā libet parte. De toto vero diſcreto ita demonſtratur. Totum diſcretum, ſiue ſit numerus tranſcendens, ſiue prædicamentalis, habet maiorem multitudinem, quam quæuis eius pars: ergo eſt maius qua uis ſua parte. Conſequentia & antecedens eodem modo probantur, ac in toto continuo, quia quiuis numerus habet vnitates cuiuſuis partis ſuæ, & inſuper vnitates aliarū partium, verbi gratia, ſi numerus duodenarius ſumatur reſpectu ſuarum partium; maior eſt qualibet ſua parte, ſcilicet numero binario, aut ternario materialiter ſumpto. Conſtat enim ex vnitatibus ternarij, & ex aliis nonē. Hinc infero, eādem omnino eſſe rationem de numero cōſtante ex vnitatibus nō diui-

ſis

ſis actu neque ſeparatis adinuicem, ſiue illæ vnitates ſint partes continui æquales, ſiue proportionales, ſiue indiuiſibilia eiuſdem. In primis in numero conſtante ex vnitatibus non diuiſis, quæ ſunt partes determinatæ continui, res eſt manifeſta, in ligno, verbi gratia, vnius vlnæ conſtante ex quatuor partibus æqualibus, ſcilicet palmis modo explicato diſputatione ſuperiori. Deinde de partibus proportionalibus in cōtinuo numerum efficientibus probatur, quia nulla ex illis cōtinet cęteras vnitates, ex quibus integer ille numerus coaleſcit, ſiue finitus ſit, ſiue infinitus. Tandem idem probatur de numero indiuiſibilium exiſtē-tium in continuo, quia nulla talis numeri pars includit in ſe omnes vnitates eiuſdē numeri. Probatur, quia talis numerus ex illa parte, & ex aliis vnitatibus coaleſcit, & integratur. Iis & aliis aſsidua cogitatione inſpectis, in ea ſemper fui opinione, vt exiſtimarem, infinitum nulla ratione ex partibus cōſtare poſſe: ſi ſit infinitum ſecundum eſſentiā, non poſſe cōſtare ex partibus eſſentialibus. Si ſit infinitum ſecundum extenſionem permanentem, non poſſe conſtare ex partibus extenſis permanentibus. Si ſit infinitum ſecundum durationem, non poſſe conſtare ex partialibus durationibus. Si enim infinitū ſecundum eſſentiam compoſitionem admitteret, proculdubio infinitū non eſſet: quod ita oſtendo. Vel quæuis ex illis partibus diceret totā entitatem infinitam, vel non: ſi diceret; ergo illa ſola pars eſſet infinita ſecūdum eſſentiā, aliæ vero minime: ſi vero non diceret totam entitatem infinitam, diceret entitatem & perfectionem finitam, & cum idem iudicium eſſet de qualibet alia parte, totum illud nō poſſet eſſe infinitum ſecundū perfectionē, quia partes, quæ finitæ ſunt perfectionis, nequeunt efficere & componere totum infinite perfectum eſſentialiter. Tum etiam quia vel detracta illa parte, maneret totum infinitum, vel non: ſi maneret; ergo illa pars non ingrediebatur eſſentialem cō-poſitionem totius infiniti: ſi nō maneret; ergo ante detractionem partis non erat infinitum. Probo hanc conſequē-tiam, quia finitum per additionem finiti non poteſt fieri infinitum. Hinc enim manifeſte deducitur, in Deo, qui infinitæ perfectionis eſſentialis eſt, nullam eſſe partium compoſitionem, nec illius perfectioni

Infinitum partibus carere oſtenditur.

e

ctioni aliquid addi, aut ab ipſa detrahi poſſe. Si enim infinitum, ea ratione qua infinitũ eſt, partium compoſitionem aliquam admitteret, cum hęc ſemper potentialitatẽ inuoluat, neſcio qua ratione ipſius Dei infinitam perfectionem poſſemus oſtendere. Eodem modo, proportione ſeruata, philoſophandum eſt de infinito ſecundum extenſionem, durationem, & numerum. Si enim alicui magnitudini poſſet fieri additio, qua ratione eſſet actu infinita: & ſi duratio ni poteſt addi duratio, qua ratione erit duratio infinita? Etſi numero poſſunt addi vnitates, qua ratione erit infinitus actu? Si vero quoduis ex iſtis ex partibus cõſtaret, poſſet illi fieri additio, quia poſſet detrahi pars, & rurſus de nouo addi. Ex his manet hoc certum fundamentum, omne infinitum actu partibus vacare: nam ſi partes haberet, certe non omne totum eſſet maius ſua parte, vt demonſtratum eſt, & in tertia quæſtionis parte iterum demõſtrabitur.

IN TERTIA parte quæſtionis ſit prima aſſertio. In continuo non ſunt actu indiuiſibilia copulãtia. Prob. 1. quia vel eſſent finita, vel infinita: ſi finita, ergo in continuo eſſent partes nõ copulatæ indiuiſibilibus, & conſequenter nec cõtinuum eſſet copulatũ, nã vt cõſtat ex. 2. par. quęſtionis, quę ratio eſt de parte cõtinui, eſt de toto cõtinuo. Sequela probatur, quia numerus finitus habet primã, ſecundã, tertiã vnitatẽ & ſic de cæteris ſuo ordine; ergo pars, quæ eſſet inter primũ, & ſecundũ indiuiſibile, non eſſet copulata, nec pars quę eſſet inter ſecundum, & tertium, & ſic de cęteris. Si vero eſſent infinita; ergo in toto cõtinuo nõ eſſet maior indiuiſibiliũ multitudo, quã in parte, quod abſurdum eſt, & conſequenter illud ex quo ſequitur. Conſequentia probatur, quia eadem eſt ratio de toto cõtinuo, & de qualibet eius parte: vnde ſi in parte continui indiuiſibilia copulantia eſſent finita, ſequeretur neceſſario, dari partes nõ copulatas indiuiſibilibus. Quare aſſerendũ eſſet neceſſario totũ non eſſe maius ſua parte, cũ multitudo indiuiſibiliũ partis cõtinui etiã eſſet infinita, quẽadmodũ tota multitudo indiuiſibilium eiuſdem continui. Reſp. non eſſe abſurdum eſſe, tantã indiuiſibiliũ multitudinem in parte continui, quã in toto cõtinuo. Sed cõtra. Omne totũ eſt maius ſua parte, vt probauimus initio quæſtionis,

ri; ſed quæuis indiuiſibilium multitudo eſt totū; ergo quæuis indiuiſibiliū multitudo eſt maior ſua parte: ergo multitudo indiuiſibiliū exiſtētium in quouis continuo maior erit multitudine indiuiſibiliū cuiuſuis partis eiuſdē continui. Si reſpondeant, illud axioma ſolum eſſe verū in toto, quod eſt magnitudo, nō vero in toto, quod eſt multitudo, eſt argumētum. Vt ſe habēt partes extēſionis determinatæ reſpectu magnitudinis, ita ſe habēt vnitates reſpectu multitudinis, tum etiā & numeri partiales multitudinis materialiter ſumpti, v. g. duo quaternarij reſpectu octonarii; ergo omnis multitudo eſt maior quauis ſua parte ex qua cōſtat ſiue ſit vnitas, ſiue numerus minor materialiter ſumptus. Si vero ſecūdo reſpōdeant, axioma ſolum eſſe verū de toto finito, nō vero de infinito, licet in rei veritate verum dicant, quia eo ipſo quod infinitum eſt, non poteſt habere partes, & cōſequēter neque eſſe maius, neque minus ſua parte: quia tamen partes admittūt in infinito, reſponſio reiicitur ita. Si eſſet magnitudo infinita, eſſet quanta; ergo extenſa; ergo haberet partē extra partem; ergo neceſſario illa magnitudo eſſet maior qualibet ſua parte, cum extra illā aliā etiā haberet. Si 3. reſpōdeāt, vt multi reſpondent, dari in qualibet parte continui infinitam indiuiſibilium multitudinem, ac proinde multitudinem indiuiſibilum totius cōtinui non eſſe maiorem, quia infinito nihil datur maius, eſt petito principii in reſpondēdo, & reiicitur ita. Multitudo cui poſſunt addi vnitates realiter diſtinctæ ab illis quas habet, nō eſt infinita; ſed multitudini indiuiſibilium copulantium in parte cōtinui poſſunt addi vnitates realiter diſtinctę ab illis, quas habet; ergo talis multitudo non eſt infinita. Minor probatur, quia poſſunt addi indiuiſibilia alterius, ſiue aliarum partium, quę indiuiſibilia iuxta oppoſitam ſententiam ab aliis re ipſa diſtinguuntur. De maiori vero propoſitione neſcio qua ratione poſſet aliquis dubitare. Si enim infinito poſſet addi in ſuo genere aliquid realiter diſtinctum, hinc aliquis Philoſophus infidelis cōcedere poſſet, primæ cauſæ perfectioni, quæ infinita eſt, poſſe denuo realē perfectionē aduenire: & ſi aduerſus illūd diceret aliquis primę cauſę perfectionē liberā eſſe à perfectione de nouo adquiſita, cū prima cauſa ſit infinitę perfectionis, facile oc-

 curre-

curreret, infinito aliquid poſſe addi. Idem eſſet iudicium de omnipotentia, de æternitate, & de aliis attributis diuinis. Aſſerendum igitur eſt, omne totum eſſe maius ſua parte, & nullū infinitum partes habere, neq; id quod partes habet, infinitū eſſe poſſe.

Probatur. 2. aſſertio. In cōtinuo non ſunt actu partes; ergo neque ſunt indiuiſib. à actu. Conſequētia optima eſt, quia indiuiſibilia actu exiſtētia in continuo, in illo efficerent actu partes. Antecedens vero demōſtratum fuit à nobis ſuperiori diſp q. 2.

Probatur. 3. Si aliqua eſſet indiuiſibilia actu copulātia magnitudinem, maxime punctum, lineę, & ſuperficies; ſed iſta nō ſunt actu in magnitudine; ergo non ſunt in magnitudine indiuiſibilia actu copulantia illam. Maior eſt certa: minorem demonſtrabunt tres ſequentes aſſertiones.

Sit igitur. 2. aſſertio. In cōtinuo non ſunt actu puncta copulantia. Verbis non obſcuris hanc docuit Ariſt. lib. 8. cap. 8. dicens. *Quæuis rectæ lineæ nota inmedio extremorum locata, mediū eſſe poteſt: re autem ipſa non eſt.* Et quibuſdam interpoſitis. *Id quidem quod inmedio eſt, eſſe poteſt, non re ipſa eſt.* Sed Ariſtotelis teſtimonia prætermittamus, & vtamur rationibus.

Probatur ergo primo ſecūda aſſertio. Si in continuo eſſent actu puncta copulantia, actu copularent partes lineæ; ſed nō copulant; ergo nō ſunt actu in cōtinuo. Probatur minor, quia in continuo nō ſunt lineæ, vt ſequens aſſertio demonſtrabit: quare omnia argumenta, quibus pro eius cōfirmatione vtemur, ſunt confirmationes huius minoris, & hanc etiam ſecundam aſſertionem demonſtrant. Sed vt cum doctoribus oppoſitę ſententiæ diſputemus, ſupponamus modo cū illis, dari lineas in continuo, quo poſito, alia iam conficiamus argumenta.

Probatur ergo ſecundò aſſertio. Sit linea recta finita cuius punctum initians ſit A, & punctū terminans ſiue claudens ſit B. Hoc poſito, eſt argumentum. In hac linea poſt punctum A, ante quodlibet aliud punctum datur pars lineæ; ergo datur pars lineæ, quæ non eſt copulata: quare, cum dictum ſit, & ſuppoſitum tanquam certum, eādem eſſe rationem de partibus continui, & de toto continuo, aſſerendum eſt, continuum non eſſe copulatum, & conſequēter non reperiri in illo indiuiſibilia copulantia. Conſequētia

tia legitima eſt, quia ſupponimus in antecedēte, ante quod uis punctum terminans exiſtens poſt illud initians, dari partem lineæ: ſi igitur eſt ante quoduis punctum copulās; ergo non eſt copulata, nam puncta copulantia eſſe deberent in medio continui. Antecedens vero probatur. Poſt punctum initians A vel ſunt in hac linea puncta copulantia, vel non: ſi non; ergo linea non copulatur punctis: ſi dicas eſſe, eſt argumentum. Nūquam ſunt ſimul, aut immediata duo, aut multa, aut infinita puncta in continuo; ergo cætera omnia debet antecedere vnum primum punctū copulans exiſtens poſt illud initians. Conſequentia legitima eſt, & apertiſsima. Nihilominus ita probatur. Puncta quæ ſunt in hac linea recta poſt punctum A initians, vel ſunt vnum tātum, vel duo, vel cōtēta aliquo alio numero finito, ſeu infinito; ſed nec ſunt vnum tantum; vel ſi tantū eſt vnum, manet probatum noſtrum præcipuum inſtitutum; nec ſunt duo, nec contenta alio quouis numero ſiue finitus ſit, ſiue infinitus, quia in cōtinuo nec reperiuntur indiuiſibilia ſimul, nec immediata; ergo cætera omnia debet anteire vnum punctum copulās exiſtens poſt illud initians.

Probatur. 3. In linea non ſunt duo, aut multa pūcta immediata, & ſe tangentia; ergo totam multitudinem punctorum præcedet partialis entitas lineæ; ergo iam erit entitas, ſiue pars lineæ non copulata. Secunda conſequentia euidens eſt ſuppoſita prima, illa vero ita probatur. Quando aliqua non ſunt immediata, neceſſario debet mediare aliquid inter illa; ſed punctū initians lineā & tota ſequens indiuiſibiliū copulantiū eiuſdem lineæ multitudo nō ſunt immediata; ergo inter punctum initians lineam, & totā multitudinem indiuiſibilium copulantiū eiuſdem neceſſario mediat aliquid. Vel ergo illud eſt indiuiſibile, vel diuiſibile: ſi indiuiſibile; ergo punctū: ergo in linea erūt puncta immediata. Si diuiſibile: ergo pars lineæ, quia in linea nihil eſt diuiſibile, quod nō ſit pars illius: ergo iam erit cōſtituēda pars lineæ non copulata puncto. Reſpondēt, ſequi immediate partem lineæ, & illā eſſe punctis copulatam. Sed, quod pace illorum dixerim, aut vim rationis non attingunt, aut (quod magis credo) maximā illius efficaciam percipiunt, & ſic petendo principium illi ſatisfaciūt: quod ita

 eſſe,

eſſe, iterum ita oſtendo. Vel poſt punctum initians lineã, & ante totam punctorum copulantium multitudinem mediat aliquid, vel non: ſi non mediat; ergo punctum initiãs lineam eſt immediatum punctis copulantibus eiuſdem. Si vero aliquid mediat, cum ſupponamus eſſe ante totam punctorum copulãtium illius lineæ multitudinem, neceſſario aſſerendum eſt, dari lineę partem omni puncto deſtitutam, cum hæc immediate ſequatur punctum initians, & totam punctorum copulantium illius lineæ multitudinẽ antecedat: ſi enim mediaret pars lineæ copulata punctis, illa non eſſet ante totam multitudinem punctorum copulantium, cum poſteriorem ſaltem ilius partis particulã, punctũ copulãs anteiret.

Probatur 4. Si oppoſitę ſententię auctores cõcedunt, puncta eſſe finita, ex hoc ſequitur neceſſario, non eſſe admittenda in continuo: ſed ſi admitũt illa in continuo, neceſſario tenentur aſſerere eſſe finita; ergo nullo modo aſſerendum erit, dari puncta copulantia in continuo. Sequella probatur, Omnis numerus finitus habet primam, ſecundam, tertiam vnitatem, & ſic de cæteris: ergo ſi puncta copulantia in continuo ſunt finita, datur in illo primum punctum copulans, ſecundũ punctum copulans, & ſic de cęteris: ergo cum primum copulans, & ſecũdum non ſint immediata, inter illa mediaret linea non copulata, quia in numero certo, & finito inter primam, & ſecundam vnitatem non datur alia vnitas: ſi enim daretur, illæ non eſſent prima & ſecunda. Minor vero primi ſyllogiſmi probatur primo. De' cognoſcit omnia puncta, quę ſunt in cõtinuo: ergo cognoſcit primum, ſecũdum, tertiũ, & ſic de cæteris: ergo talis numerus neceſſario debet eſſę finitus, quia numerus conſtãs ex prima, & ſecunda vnitate, iuxta oppoſitam ſententiam non poteſt eſſe infinitus, nam iuxta illam in infinito nec datur prima, nec vltima pars. Antecedens probatur, quia Deus comprehendit cuiuſuis creaturæ entitatem, & actu & diſtincte omnia, quæ in illa reperiuntur, ſin minus non eſſet cognitio comprehenſiua: cognoſcit enim Deus omnia exiſtentia ſcientia viſionis. Probatur 2. prima minor huius diſcurſus ita. In continuo non ſunt omnia puncta poſsibilia, imo neque omnia exiſtentia: ergo nõ ſunt infiita. Conſequẽtia recta eſt, & probatur

batur à ſimili: nam ſi magnitudo aliqua nõ haberet totã extenſionem poſsibilem, imo neque totam exiſtentem, nõ eſſet infinita: & ſi numerus hominum non conſtaret ex omnibus hominibus poſsibilibus, imò neque ex omnibus exiſtentibus, non eſſet infinitus: ergo ſi in hoc continuo non ſunt omnia puncta poſsibilia, imò neque omnia exiſtẽtia, non erunt infinita. Antecedẽs verò probatur, quia in hoc continuo v. g. in hoc ligno nõ ſunt puncta alterius ligni, nec alterius quanti: ergo non ſunt omnia puncta poſsibilia, imo neque omnia exiſtentia. Si dicas, non eſſe abſolutè omnia pũcta, eſſe tamen omnia, quæ poſſunt eſſe in hoc continuo, ſolutio eſt nulla. Primo, quia eodem modo reſponderem, numerum lapidum exiſtentiũ in aliquo loco eſſe infinitum, quia in illo non poſſunt eſſe plures lapides. Secundo, quia ſi ex eo iſte numerus indiuiſibilium, punctorum ſcilicet, eſſet infinitus quia in cõtinuo, in quo ſunt, non poſſunt eſſe plura: ergo numerus pũctorum exiſtentium in quauis parte eiuſdem continui non erit infinitus, quod repugnat oppoſitæ ſententię conſtituenti eandẽ rationem in qualibet parte continui, ac in toto cõtinuo. Conſequẽtia probatur, quia in nulla parte ſunt omnia pũcta poſsibilia in toto illo continuo. Probatur 2. quia numerus indiuiſibilium huius ligni v. g. conſtat ex indiuiſsibilibus omnium partium: igitur ſi ille infinitus eſt, numerus indiuiſibilium cuiuſuis partis nequit eſſe infinitus, cum omnium partium indiuiſibilia concurrant ad compoſitionem eiuſdem numeri, quem illi vocant infinitum. Sequeretur etiam ex adhibitis ſolutionibus, totum non eſſe maius ſua parte, vnum infinitum eſſe maius alio eiuſdem generis, vnum infinitum componi ex multis infinitis eiuſdẽ generis, imò componi ex infinitis infinitis eiuſdem generis, imò etiam quoduis infinitum ex iſtis infinitis, ex quibus cõponitur illud primum infinitum indiuiſsibilium totius continui, componi etiam ex alijs infinitis eiuſdem generis, & quoduis ex iſtis ex alijs infinitis, & ſic in infinitum. Vnde non ſolum eſſet infinitum actu, ſed actu eſſet proceſſus in infinitum in infinitis. Hæc omnia ſequi, vnica ratione demonſtro. Ex oppoſita ſententia, totũ continuum habet actu infinitas partes proportionales

copu-

copulatas indiuiſibilibus, & quæuis ex partibus eodem modo ſe habet, & quæuis ex partibus alterius diuiſionis eodem modo ſe habet, & ſic in infinitum: ergo in conti-nuo non ſolum debent admittere numerum infinitum indiuiſibilium, ſed etiam, illũ componi ex infinitis infinitis, & quemuis numerum ex iſtis ex alijs infinitis infinitis, & ſic in infinitũ. Miſera certe opinio, cum ad hæc ducatur incommoda; aut vt verius loquar, diues opinio, cum tot partes contineat, & tantas admittat infinitates. Equidẽ in admirationem rapior, cum video viros doctiſsimos ad has, & alias ſimiles redactos anguſtias, vileuiſsimarum quarundam rationum, quas in 4. huius quæſtionis parte facillimo negotio diſſoluemus.

Non ſunt lineæ copulantes.

Tertia aſſertio. In continuo non ſunt lineę copulantes. Hanc aſſertionem probant omnia fere argumenta adducta pro confirmatione ſuperioris aſſertionis. Antequam tamen illam alijs rationibus confirmemus, ſupponamus prius, quod certiſsimum eſt in oppoſita ſententia, ſcilicet quoduis continuũ eſſe quouis modo poſsibili copulatum, tum etiam quamuis continui partem eodem modo ſe habere. Si enim in ſuperficie quadrata, ver. gratia, poſsibile eſt, illam eſſe copulatam duabus lineis ſe ſecantibus, & efficientibus quatuor angulos rectos, ſic eſt copulata: ſi poteſt tribus lineis efficientibus triangulũ copulari, ſic eſt copulata; & ſic de cæteris. Hinc eſt, quod admittant illam lineam gyratiuam, quæ vndique circum voluat continuum, recto ſcilicet tramite, obliquo, efficiendo circulum, efficiendo angulos, & alia ſexcenta. In hac verò re ſolum dubito, in quo nam maior ſit confuſio, an in tractibus huius lineæ gyratiuæ, vel potius in ſententia, quæ illam conſtituit. Sed ne indicta cauſa contra oppoſitam opinionem ſententiam proferamus, accedant iam rationes, quæ illam arguant.

Quoduis cõtinuum eſt quouis modo poſſibili copulatum.

Eſt igitur prima ratio pro confirmatione tertiæ aſſertionis. Si eſſent lineæ copulantes, copularent omnes partes ſuperficiei omni modo poſsibili; ſed non copulant; ergo non ſunt lineæ copulantes. Probatur minor. Si copularent omni modo poſsibili, in quauis parte ſuperficiei eſſent actu delineatæ omnium rerum figuræ, licet in minori extenſione, quam in ſe ipſis habeant;

habeant; ſed hoc videtur ridiculum; ergo nõ eſt aſſerendum. Minor certa eſt, nam quis affirmabit, tot orbes cœleſtes, tot ſydera, tot animalia, tot plantas, tot denique rerũ diuerſas figuras in quauis planæ ſuperficiei parte eſſe delineatas. Maior ita confirmatur. Si partes ſuperficiei ſunt copulatæ, debent eſſe iuxta oppoſitam ſententiam omni modo poſsibili copulatæ; ſed iuxta oppoſitam ſententiam ſunt copulatæ; ergo iuxta oppoſitam ſententiam ſunt omni modo poſsibili copulatæ, & conſequenter quæuis ſuperficiei pars erit omni modo poſsibili copulata, cum iuxta oppoſitã ſententia eadem ſit ratio de continuo, & de qualibet eius parte: ſed ſi ſunt omni modo poſsibili copulatæ, in quauis parte ſuperficiei eſſent delineatæ omnium rerũ figuræ, licet in minori extenſione, quam in ſe ipſis habeãt; ergo cum ſint copulatæ, aſſerendum erit, in qualibet parte ſuperficiei actu eſſe delineatas omnium rerum figuras. Vltima minor probatur. Quę uis pars delineata omni modo poſsibili, ſic eſt delineata, vt efficiat actu quamuis figurã; ſed vt docet oppoſita ſententia, quęuis ſuperficiei pars eſt delineata omni modo poſſibili; ergo ſic eſt delineata, vt actu efficiat, & lineis reprę ſentet quamuis figuram. Nã quæuis in illa depingi, & repræſentari poteſt. Imo vlterius ſequitur, cuiuſuis rei figuram non ſolum repræſentari in quauis parte ſuperficiei, ſed infinitas etiam repræſentari, licet in minori, & minori extenſione.

Secunda ratio. Sumatur ſuperficies figuræ triangularis in medio alicuius ſuperficiei planę, vel huiuſmodi pars ſuperficiei eſt lineis copulata cum aliis partibus ſuperficiei, vel non: ſi non eſt copulata; ergo iam dantur partes ſuperficiei non copulatæ inter ſe, quod repugnat oppoſitæ ſententiæ. Si eſt copulata; ergo eſt copulata illis tribus lineis efficiẽtibus triangulum. Modo ſic. Sumamus aliquam ex illis tribus lineis ſuperficiei triangularis, vel poſt illam lineam ſunt aliæ lineæ copulantes vſque ad oppoſitum angulum, vel non: ſi non ſunt; ergo iam dantur partes ſuperficiei non copulatæ lineis: ſi vero dicas, eſſe lineas, eſt argentum. Ex illis omnibus lineis copulãtibus partes æque diſtãtes nõ ſunt multæ æquales inter ſe; ergo neceſſario aſſerendũ eſt, dari vnam maiorẽ cæteris omnibus, & aliã

minorem cæteris omnibus. Conſequentia euidens eſt. Antecedens probatur ita. Fiunt inter latera tendentia ad angulum; ergo cum non ſint immediatæ multæ lineæ, nulla ratione enim poſsũt eſſe multæ æquales: ergo neceſſario conſtituenda eſt vna maior cæteris omnibus, & vna minor cæteris omnibus. Modo ſic. Vel iſta maior aliis eſt immediata cum prima, vel non: ſi immediata; ergo iam dantur indiuiſibilia immediata in cõtinuo: ſi mediata; ergo mediat pars ſuperficiei non copulata linea. Cõſequentiam probo euidenter, quia inter lineam illam, quæ eſt vna ex lateribus trianguli, & inter lineam, quæ eſt maior cæteris aliis omnibus, nulla poteſt mediare, quia eſſet maior maiori, & de illa rurſus procederet argumẽtũ. Alia pars ita probatur. Ex aliis omnibus lineis exiſtentibus inter duo latera eiuſdem trianguli non dantur duæ æquales; ergo neceſſario datur vna minima omnium. Vel ergo hæc eſt immediata cum puncto efficiente angulum oppoſitum, vel non: ſi eſt immediata; ergo punctum & linea ſunt æqualis extenſionis, & conſequenter linea efficiet angulum. Si vero non eſt immediata; ergo mediat pars ſuperficiei non copulata linea. Probo conſequentiam. Si eſſet copulata, cum linea copulans magis accederet ad angulum, eſſet minor quacũque alia; ergo eſſet minor minima, quod non eſt aſſerendum. Idem argum. fieri poteſt de ſuperficie quadrata, ſi fiat diuiſio ab angulo in angulum oppoſitum & magis diſtantem.

Quarta aſſert. in continuo non ſunt actu ſuperficies copulantes. Hanc aſſertionem facile cõfirmabunt multa argumenta adducta pro confirmatione ſecundæ, & tertiæ aſſertionis, ſi vt in illis aſſertionibus fiunt de punctis, & lineis, mutatis terminis fiant in hac aſſert. de ſuperficiebus. Probatur etiam aliis rationibus. Eſt igitur. 1. Si in cõtinuo eſſent ſuperficies copulantes, eſſent etiam actu in illo partes determinatæ, & proportionales, nam ex indiuiſibilibus actu exiſtẽtibus neceſſario iſtę partes actu promanarẽt; ſed in continuo non ſunt actu huiuſmodi partes, vt diſp. ſuperiori demonſtrauimus; ergo in cõtinuo nõ ſunt actu ſuperficies copulantes. *Non ſunt ſuperficies copulãtes.*

Secunda ratio, quæ ſimilis eſt ſuperioribus, ita habet. Sumatur corpus perfe-

& rotundum, verbi gratia, primum mobile, quod ſupra polum arcticum, & antarcticum tâquam ſupra duo puncta fixa terminantia eius axim mouetur in orbem. Eſt argumêtum. Hoc corpus eſt copulatum ſuperficiebus; ergo eius duæ partes æquales copulâtur ſuperficie rotûda, ſiue circulari terminata circulo æquatori ſiue æquinoctiali, quę ſuperficies, cum copulet duas partes maiores primi mobilis, debet eſſe maior omnibus ſuperficiebus copulantibus partes eiuſdem primi mobilis tam verſus polum arcticum, quam verſus antarcticum. Modo ſic. Aliæ ſuperficies verſus polum arcticum ſic ſe habent, vt non ſint multæ æqualis extenſionis; ergo neceſſario eſt conſtituenda vna minor ſuperficie terminata circulo æquatori, & maior cæteris omnibus exiſtentibus in illa parte primi mobilis vſque ad polum arcticum. Vel ergo ſuperficies terminata circulo æquatori, & illa quæ eſt maior cæteris omnibus, immediate ſe habent, vel mediate: ſi immediate; ergo in continuo ſunt duo indiuiſibilia immediata. Si vero mediate ſe habent; ergo inter illas mediat pars corporis non copulata ſuperficiebus. Idem argumentum fieri poteſt de partibus verſus polum antarcticum. Tum etiam de polo antarctico verſus æquatorem ſiue æquinoctialem ita. Ab æquatore ad polum antarcticum, ſi ſumantur omnes ſuperficies copulâtes, ſiue finitę ſiue infinitę, nunquam inueniri poſſunt duæ æqualis extenſionis, nec multæ, nec infinitæ; ergo neceſſario aſſerendum eſt, dari vnam minorem cæteris omnibus: nam ſi inæqualis extenſionis ſunt omnes, neceſſario vna maior eſt cæteris omnibus, alia vero minor. Vel ergo hæc ſuperficies cæteris omnibus eiuſdem partis minor, eſt immediata puncto conſtituto in polo antarctico, vel mediata: ſi immediata; ergo punctum habet æqualem extenſionem cum linea: & rurſus de hac linea vltima & minori manet eadem dubitatio, nam cæteræ omnes vſque ad ſuperficiem æquatoris ſunt maiores illa, & inæquales interſe; igitur poſt illam debet ſequi aliqua minor cæteris omnibus, quæ illas omnes antecedat, de qua ſiue dicant eſſe mediatam, ſiue immediatam alteris, eadem prorſus manet dubitatio.

Si vero dicant, illam ſuperficiem omnino minimam eſſe mediatam puncto; ergo inter pũctum & illam mediat pars corporis non copulata ſuperficie. Hęc eadem aſſertio clarius demonſtratur, ſi ſumatur circulus æquator, & alij circuli terminantes cęteras omnes ſuperficies, de quibus loquuti ſumus: quia citra controuerſiam ab omnibus philoſophis & mathematicis cõceditur, habita ratione ad idẽ centrum non poſſe in eodem corpore eſſe duos circulos æqualis magnitudinis, & conſequenter nec duas ſuperficies illis circulis terminatas. Aliæ quamplures poſſunt confici pro noſtrarum aſſertionum confirmatione rationes, ſed propoſitæ ſufficiant.

IN QVARTA parte quæſt. nõ eſt cur in recenſendis oppoſitis ſententiis immoremur, illas enim latiſsime refert M. N. Suarez diſput. 40. de quãtitate cõtinua Sect. 5. ſat modo ſit illarum rationes proponere, & diſſoluere.

In. 1. aſſe. Dices igitur in primam aſſertionẽ. Ariſt. in logica cap. de quantitate. Cõſtituit tres ſpecies quantitatis continuæ permanentis, ſcilicet lineam, ſuperficiem, & corpus; ergo non recte negamus, indiuiſibilia copulantia, nam ſuperficies copulantur lineis, & corpora ſuperficiebus. Reſpondemus Ariſt. per lineam & ſuperficiem non intellexiſſe lineam & ſuperficiem phyſice, ſed methaphyſice, prout idẽ eſt linea quod extenſio ſecũdum vnam ſolum dimenſionem, & ſuperficies idẽ quod extenſio ſecundum duplicem dimenſionem. Sed dices: ergo idem ſunt linea & longitudo: & idem etiam ſunt ſuperficies & latitudo. Reſpondemus cõcedendo libenter conſequẽtiam, nam diſtantia ſiue extẽſio quæcunq; ſit ab vna parte in aliam, ſi non dicat latitudinem, nec profunditatẽ, linea eſt, ſiue longitudo: & eodem modo diſtantia ſiue extenſio ab vna parte corporis in aliã, ſi non dicat profunditatẽ latitudo eſt ſiue ſuperficies. Sed hoc reperitur diſcriminis inter lineam & ſuperficiẽ, quod ſuperficies eſt entitas phyſica aliquando, illa ſcilicet de qua diximus quæſt. 1. huius diput. eſſe indiuiſibile terminãs corpus. Quęuis enim cuiuſuis corporis extima ſiue intima facies eſt entitas phyſica, licet incompleta, & quid indiuiſibile ipſius corporis illud terminans. At vero linea ſiue lõgitudo nunquam eſt entitas phyſica, ſed idemmet corpus ea ratione, qua vnica tantum dimen-

dimenſione poteſt menſurari, ſiue ſumatur à parte inferiori ad ſuperiorẽ, ſiue à dextra ad ſiniſtram, ſiue ab anteriori in poſteriorem. Sed dices
2 ſtatim: ergo in corpore phyſico ſunt multæ longitudines. Reſpondemus negando conſequentiam, nam totum corpus dicitur longitudo ſiue lõgum, prout ſecundam vnicã tantum dimenſionem poteſt menſurari. Si enim in homine conſideremus dimenſionẽ à parte anteriori in partem poſteriorem, nulla habita ratione latitudinis, aut profunditatis, illud longitudo eſt.
3 Sed dices. In corpore phyſico, verbi gratia, in homine, longitudo ſumitur à parte inferiori ad partem ſuperiorẽ: latitudo à parte dextra ad ſiniſtram, & profunditas à parte anteriori ad poſteriorem; ergo falſa ſunt quę docuim᷑. Reſpond. diſtinguendo antecedens ita. In homine vt corpus viuens eſt, cõcedimus: vt corpus vero abſolute, negamus antecedẽs: nã potius res ſe habet in illo modo explicato, quod manifeſtũ fit in corpore non animato verbi gratia, in aliquo corpore rotundo. Illud enim, cum corpus ſit, neceſſario triplici conſtat dimenſione: hæc vero triplex dimenſio non eſt determinata & diſtincta ex natura ipſi᷑ continui, ſed ſolum modo à nobis explicato. Sed dices. 4
Ergo ſuperficies & latitudo in corpore aliquando inter ſe diſtinguuntur: ergo falſo docuimus initio huius argumẽti, idem eſſe lineam & longitudinem: tum etiam idem eſſe ſuperficiem & latitudinem. Reſpond. concedendo primã conſequentiam, & negando ſecũdam. Pro cuius rei intelligentia obſeruandũ eſt, phyſice loquendo duplicem tantum eſſe extenſionem, ſcilicet extenſionem corporis, quæ longitudine, latitudine, & profunditate conſtet: & extenſionem ſuperficiei terminantis corpus, quę dicit etiam longitudinem, & latitudinẽ, profunditatẽ vero minime. Longitudo ergo corporis non eſt entitas phyſica, ſed ratio formalis illius: & idem dicendũ eſt de latitudine corporis. Vnde latitudo ipſius corporis illi intima & interna non poteſt propie appellari ſuperficies niſi deſignatione, & potentia: latitudo vero ipſius ſuperficiei formaliter & realiter eſt ipſamet ſuperficies. Vnde cõſtat, qua ratione interdũ coincidant ſuperficies & latitudo, & interdum diſtinguãtur. Dices. 2. Vbicunq; agit Ariſtoteles de quantitate conti-

æqualiter tangit, neque tacta æqualiter tangitur, ſed maiori vel minori contactu, quod fit manifeſtum in pila madefacta, quæ tangendo parietem, ibi ſignum veluti veſtigium relinquit, quod dum magis ad medium accedit, magis eſt impreſſum: & quo magis vergit ad extremitates, minus eſt impreſſum, & vix cognoſcitur. Hoc poſito, reſpõdemus argumēto negando minorem, nam poteſt illi adæquari per contactum inadæquatum. Sed
2 dices. Omnes lineæ rectę ductæ à centro ad circumferentiam ſunt æquales, vt egregie demonſtrant mathematicæ: tum etiam omnes lineæ ductæ a centro ad partes lineę rectę ſunt inter ſe inęquales; ergo ſuperficiei rotundę pars nequit tãgere partem ſuperficiei planę. Conſequentia probatur. Quę ſe contangunt, pœnes ea, quę ſe contangunt, æqualiter diſtãt à quolibet puncto aſsignabili; ſed pars corporis ſphęrici tangens, & pars corporis plani tácta non ęque diſtant à quolibet puncto aſſignabili, nam non ęque diſtant à centro corporis ſphęrici; ergo &c. Probatur minor: nam ſi à centro pertrahantur tres lineę rectę, duę ad extremitates partis tangẽtis, & altera ad medium illius, iſtæ erunt inter ſe æquales, cũ ſint rectæ, & à centro ad circũferentiã: ſi vero ab eodem cẽentro pertrahantur aliæ tres lineæ, duæ terminatæ in extremitatibus partis tactę, & alia terminata in medio illius, non erunt inter ſe æquales, quia ſunt ab eodem puncto ad diuerſas partes lineę rectę, ſed media erit minor, alię vero maiores illa, & inter ſe ęquales; ergo pars tangens & pars tacta non æque diſtant ab eodem puncto, & conſequenter non ſe contangent. Reſpondemus, argumētum aſſumere falſum, ſcilicet dari lineas, & puncta. Sed ne videamur vim argumenti ſubterfugere, admittimus modo ſuppoſitionem, & reſpondemus argumento, negando primam conſequentiam. Probationi dicimus, propoſitionem eſſe veram de cõtactu adęquato, falſam tamẽ de inadęquato, qualis eſt in caſu propoſito. Sed dices. Si ab vna extremitate partis ſuperficiei tangẽtis duceretur linea recta ad aliam extremitatem, illa eſſet minor, quam linea ducta ab eadem extremitate in eãdem per partem ſuperficiei rotundæ tangentis, & eſſet æqualis ductæ ab vna extremitate

Contactus inadęquatus, qua ratione admittendus ſit.

te partis tactæ in aliam extremitatem; ergo illa pars circularis non poſſet tangere partem planam ſuperficiei. Conſequẽtia euidens eſt ex dictis, quia contactus nõ poteſt eſſe niſi inter æquales extẽſiones. Antecedens vero probatur, quia linea recta eſt à puncto, ad punctũ breuiſsima diſtantia. Reſpondemus negando conſequentiam. Probationi dicimus, veram eſſe de contactu adæquato, non vero de contactu inadęquato ſumpto ſecundo modo, qualis eſſet in caſu propoſito. Sed dices, Vt paulo ante diximus, impoſsibilis eſt contactus inadæquatus. 1. modo, ideſt, quando eſt maior extenſio partis tangẽtis, quam tactæ, vel è contra; ſed in caſu propoſito contactus eſſet hoc modo inadæquatus; ergo eſt impoſsibilis. Reſpondemus, explicando maiorem propoſitionem ita. Quando eſt maior extenſio, id eſt quando extrema partis tangẽtis, ſiue partis tactę magis diſtant ſecundum lineam imaginariam, ſiue ſecundum longitudinem rectam, concedimus; quando eſt maior extenſio, id eſt quando extrema non magis diſtant per longitudinem rectam, ſed per circularem, negamus propoſitionem: imo ex hac maiori extenſione ortum habet contactus inadæquatus. 2. modo, vnde impoſsibilis nõ eſt, præſertim cum fieret contactus ille ſecundũ partes nimis exiguæ extenſionis. Hoc eodem argumento, quo iſti noſtram conantur euertere ſententiã, multo fortius poſſumus nos illorum ſententiam impugnare. Si enim corpus rotundum tangeret corpus planum in puncto, ſi tangendo ſemper corpus planum ſecundum idẽ punctum, moueretur; vel tangeret puncta tantum in corpore plano, vel lineam tantũ, vel vtrũq; ſimul. Si puncta tãtum, cum cõtinuo motu moueretur, in cõtinuo plano eſſent indiuiſibilia immediata. Si lineam tantum; ergo indiuiſibile tangeret rem diuiſibilem. Si denique ſimul lineam, & puncta, vel ergo toto tempore, quo duraret motus, tãgeret puncta, & lineam; & hoc non eſt aſſerendũ: vel aliquãdo lineam: & ſi hoc dicant, inquiro, cur aliquando tangãt lineam, & aliquando punctũ, & quid prius tangat, lineam ne, an punctum. Quidquid enim dicãt, inde multa ſequẽtia incõmoda, quę facile poterunt contra illos proponi à quouis inſpicienti ea, quę in hac, & ſuperiori quæſtione docuimus. Hæc eadẽ res clarius

rius multo conſtat, ſi corpus praſectè ſphericũ moueatur rotando ſupra corpus perfectè planum: nam vel tangeret omnia puncta lineæ, ſupra quam moueretur, vel non: ſi omnia; ergo tempore finito nõ poſſet percurrere partem finitam, quia infinita tranſiliri non poſſunt, ſi mobile quoduis ex illis percurrat, vt omnes admittunt, & hoc eodẽ libro ex Ariſt. retulimus. Si vero non tangeret omnia puncta, inquiro cur potius hæc, quam illa tangat: nullam certe aſsignabunt rationem. Tum etiam tenentur neceſſario affirmare, motum illũ debere eſſe non continuum, ſed veluti per ſaltum.

In 3. Aſſertionem. Dices in 3. Aſſertionem. Sit columna perfectè rotunda poſita ſupra corpus perfectè planum, tunc fiet contactus in linea; ergo in continuo dantur lineæ actu copulantes. Huic argumento, & illius confirmationibus eodẽ modo reſpondendum eſt, ac ſuperiori: dicimus enim, illum contactum non fieri in lineis, ſed ſecundum ſuperficies: hoc vero dicendum eſſe, hoc argumento ducente ad incõmodum clare demõſtramus. Ex hoc ſequitur, dari in cõtinuo lineam rectam actu infinitã; ergo non eſt aſſerendum. Probatur ſequela. Sit columna perfectè rotunda ſupra corpus perfectè planum, ita tamen, vt illa ſuperficies perfectè plana ſit figuræ circularis, & eius axis ſit æqualis longitudini columnæ rotundæ; ſupponamus etiam hanc propoſitionem, ſcilicet, omnes lineas circuli eſſe minores quã axim, ſi ſumãtur vt pararellę, tum etiam quæ magis accedunt ad lineam maiorem, maiores eſſe, & quæ magis recedunt ab illa, eſſe minores: eſt enim propoſitio decima quarta libri tertij Euclidis, ſic enim habet. *Si intra circulũ plurimæ rectæ lineæ ceciderint: diametrum eius omniũ longiſſimam, ei que propinquiores remotioribus longiores eſſe neceſſe eſt.* Hoc poſito eſt argutũ. Si columna tangeret illam ſuperficiem circularẽ in linea illa quæ eſt diameter, talis linea eſſet actu infinita; ſed hoc eſt abſurdum, & contra iuditiũ ſenſuum; ergo illud ex quo ſequitur. Probatur maior. Si eſſet illa linea, neceſſario deberent eſſe aliæ infinitæ interſe inæqualis; ergo nulla eſſet, quæ non excederet aliam ſecundum aliquam longitudinem: ſed eſſent actu infinitę lineæ; ergo actu eſſent infinitæ partes excedentes: ſed infinitæ partes cuiuſcũq.

exiguæ extenſionis ſint, efficiunt extenſionẽ actu infinitã; ergo illę partes ſimul ſumptę efficerẽt extenſionem infinitam: ſed extenſio æqualis extenſioni infinitę neceſſario debet eſſe infinita; ergo linea illa tacta, quæ eſſet diameter, eſſet actu infinita. Probatur vltima cõſequẽtia, quia omnes illæ particulæ excedẽtes cõtinerẽtur infra tactam, imo in minori ſpatio ſiue extẽſione.

Dices in 4. aſſer. Duo corpora perfecte plana nõ poſſũt ſe tãgere niſi in indiuiſibili ſecũdũ profunditatẽ, cũ non ſe penetrẽt; ſed iſta indiuiſibilia ſũt ſuperficies; ergo in corporibus dãtur ſuperficies. Reſpõdemus argumẽtum ſolũ concludere de ſuperficiebus terminantibus: quarta vero aſſertio loquitur de copulantibus: terminantes enim ſuperficies neceſſario ſunt conſtituendę, vt demonſtrauimus quæſtione prima huius diſputationis.

QVAEST. IIII.
An in cõtinuo ſucceſſiuo ſint indiuiſibilia actu.

QVæſtio hæc facilem habet ſolutionem ex ſuperius dictis, & pręcipue ex dictis diſp. quarta de tempore: ibi enim, quæ ad tempus attinent explicauimus, quibus aliqua modo addemus, & dicemus nõnulla de indiuiſibilib⁹ motus. Nomine enim cõtinui ſucceſſiui tẽpus, & motum ſucceſſiuũ intelligimus.

Sit prima aſſertio. In principio temporis datur actu indiuiſibile initians, & in fine terminans. Hanc propoſuimus, & obiter demonſtrauimus diſputatione quarta de tempore: & quia in illa fere omnes Philoſophi cõueniũt, nõ eſt cur denuo cõfirmetur. In principio & fine tẽporis datur inſtãs.

Secunda aſſertio. In tempore non ſunt actu indiuiſibilia copulantia. Loco citato quãplurimis rationibus hãc eandem aſſertionem demonſtrauimus, quibus modo hãc vnicam addimus. Non poteſt dari numerus actu infinitus hominum, aut Angelorum, aut alius ſimilis; ergo non ſũt actu in tempore indiuiſibilia copulantia. Conſequẽtia probatur. Si eſſent actu indiuiſibilia copulantia in tempore, neceſſario deberent eſſe infinita actu, nam ſi eſſent finita, darentur partes temporis nõ copulatæ inſtantibus, vt quæſtione ſuperiori diximus de punctis: ſed ſi eſſent infinita actu, poſſet dari numerus actu infinitus hominum, aut Angelorum; ergo nõ ſunt admittenda infinita indiuiſibilia in ipſo tempore, ſcilicet infinita inſtantia copulantia. Minor pro- Non ſunt copulãtia.

probatur, quia inquocunque inſtanti poteſt Deus vnum Angelum creare; ergo ſi in tempore vnius horæ v.g. inſtantia eſſent infinita numero, poſſet Deus tēpore vnius horæ creare Angelos infinitos. Si reſpondeas pro oppoſita ſententia, poſſe Deum in quouis inſtanti producere vnum Angelum, non vero in omnibus, ſolutio hæc videtur res voluntarie dicta, quod ita oſtēdo. Aut Deus, (ſuppoſito quod inſtantia vnius horæ ſunt infinita) poſſet, ſi vellet creare tēpore vnius horæ Angelos numero infinitos, vel non, ſed ſolum numero finitos: ſi primum dicas, habeo inſtitutum: ſi ſecundum reſpōdeas, cum omnis numerus finitus determinatus ſit, percōctor, cur Deus illius horæ tempore tot Angelos illo numero finito & determinato creauerit, nō vero plures, aut pauciores. Tū etiā inquiro, vtrū illa inſtantia numero finita, in quibus Deus illos Angelos creauit, ſint inſtātia copulantia partes æquales, vel inæquales tēporis. Si inæquales, cur cū deuentū fuit ad tātam durationem in parte maiori, quantā habebat pars minor, non potuit Deus creare Angelum? Si vero copulātia partes æquales, cū quiuis ex iſtis conſtet ex alijs duabus minoribus inſtanti copulatis, in illo inſtāti cur nō potuerit Deus creare Angelum? Nūquid in iſtis intermedijs inſtantibus eſſet virtus diuina diminuta? Abſit hoc a pietate chriſtiana: & abſint à naturæ Philoſophia hæc implicata indiuiſibilia Philoſophos ipſos ad tot anguſtias reducētia. Probatur denique aſſertio hoc argumēto, ſuppoſito quod ſententia oppoſita admitat infinita inſtātia copulātia. Ex eo quod dato quocūque numero hominum, Deus poteſt alios de nouo creare, recte ſequitur, nullū poſſe dari numerum hominum actu infinitum; ſed dato quocūque numero indiuiſibiliū cuiuſuis cōtinui, poteſt Deus alia indiuiſibilia producere; ergo ex hoc recte ſequitur, nullū numerū indiuiſibiliū alicuius cōtinui eſſe actu infinitū: qui enim contrariam tuentur ſententiam, diſparitatem rationis aſsignent.

Tertia aſſer. In motu dātur actu indiuiſibilia terminātia, nō vero copulantia. Aſſertio hæc, ſuppoſitis ſuperioribus, hac ſola eget confirmatione. Tēpus eſt idē ſecūdum rē cū motu; ergo indiuiſibilia eius ſūt idē reipſa cū indiuiſibilib' motus: ſed in tēpore dātur indiuiſibilia terminātia & non co-

In motu ſūt indiuiſibilia terminantia.

copulantia; ergo ſimiliter in motu.

Dices primo. Indiuiſibile motus eſt mutatum eſſe; ſed in principio motus nõ datur mutatum eſſe; ergo nõ datur indiuiſibile: ergo in principio motus non datur indiuiſibile terminans. Minorem expreſſe docuit Ariſtoteles hoc eodem libro. Reſpondemus maiorẽ eſſe falſam: nam nõ omne indiuiſibile motus debet appellari mutatum eſſe, quia exiſtens in principio motus & illum innitians appellatur vltimum non eſſe motus, & hoc actu eſt in tempore, quẽadmodum primum mutatum eſſe in fine motus teſte Ariſt. cap. 5. huius libri theoremate tertio: cætera vero mutata eſſe non dantur actu in medio motus. Sed dices Ariſt. cap. 6. huius libri docet, ante quamlibet partem motus dari mutatum eſſe, & ante quodlibet mutatum eſſe dari partẽ motus; ergo in medio motus actu ſunt mutata eſſe. Reſpõdemus negando conſequentiam, quia Ariſt. intelligendus eſt de mutatis eſſe in potentia & per deſignationẽ, ac ſi diceret, cũ motus ſucceſsiuis ſit extenſus, & diuiſibilis in infinitum, in toto illo eſt acquiſitio termini. Vnde aſsignata à nobis qualibet parte motus, cum illa ſit diuiſibilis, illam debet præcedere mutatum eſſe, quia ante illam iam fuit partialis adquiſitio termini, & ante illam fuit motus, & ſic in infinitũ, cũ motus cõtinuus ſit diuiſibilis in infinitũ.

Dices. 2. Vltimum eſſe viuentis eſt vltimum nõ eſſe cadaueris, ergo iam datur inſtans copulans tempus viuentis cum tempore cadaueris. Reſpondemus antecedens eſſe falſum, vt ſequens diſputatio demonſtrabit.

DISPVTATIO III.
DE MODIS INCIPIENDI, ET DESINENDI.

QVAESTIO I.

Qua ratione incipiant, & deſinant res ſucceſſiuæ.

DI-

DIVIDITVR quæſt. in 3. partes. In prima iaciemus fundamenta huius quæſt. & totius diſp. In 2. proponemus aſſertiones. In 3. ſoluemus oppoſitas rationes.

IN PRIMA parte quæſt. obſeruandum eſt, res alias eſſe diuiſibiles, vt motũ tempus, quantitates, & qualitates: alias vero indiuiſibiles, vt ſubſtantiã ſecundum ſe cõſideratã, & alia huiuſmodi.

Secunda obſeruatio. Nõ inquirimus, an res ſucceſsiuę incipiant & deſinant in tempore, vel in inſtanti, nam certum eſſe debet citra omnem controuerſiam, omnes res incipere, & deſinere in inſtanti, vt ſtatim conſtabit: & hoc eſt maxima obſeruatione dignũ, quia per multi grauiſsimi philoſophi docent, quaſdam res incipere, & deſinere in inſtãti, alias vero in tempore. Quod vero omnia debeant incipere, & deſinere in inſtanti, ita demonſtro. Modi incipiendi ſunt vltimum non eſſe, & primum eſſe: & modi deſinẽdi ſunt vltimum eſſe, & primũ non eſſe; ſed iſti quatuor modi ſunt inſtantia; ergo omnia incipiunt, & deſinunt in inſtãti. Maior certa eſt; minor etiã ab omnibus admittitur, & cõſtabit ſtatim ex diffinitionibus horum modorum. Probatur etiã ſecundo, primum initiũ, & vltimus finis cuiuſcunq; rei ſecundum duratione, debet eſſe quid indiuiſibile; ſed in duratione de qua loquimur, ſolum inſtans eſt indiuiſibile; ergo principium & finis durationis cuiuſcũq; rei debet eſſe inſtans. Probatur maior, quia ſi principium, aut finis eſſet diuiſibile, prius inciperet in parte illius principij, quam in toto principio: & vlterius deſineret in poſteriori parte finis, quam in toto fine.

Omnia incipiunt & deſinũt in inſtanti.

Tertia obſeruatio. Omne inſtans proprie ſumptum debet eſſe inſtans alicuius temporis; cum igitur tempus ſumatur à quibuſdam pro duratione motus primi mobilis, ab alijs vero etiam pro cuiuſuis motus ſucceſsiui duratione, hinc fit, diuerſas proponi, vel ſaltem proponendas eſſe horum modorum diffinitiones. A philoſophis enim cõmuniter ſic iſti modi diffiniuntur. Primum eſſe eſt inſtans, in quo verum eſt dicere, nũc res eſt, immediate autem tempore antecedenti nõ erat. Vltimum non eſſe eſt inſtans, in quo verum eſt dicere, nũc res non eſt, inmediate autem tẽpore ſubſequẽti erit. Vltimũ eſſe eſt inſtans, in quo verum

Omne inſtans eſt alicuius temporis.

Definitiones modorum incipiendi in deſinendi.

eſt dicere,nunc res eſt,immediate autem tempore ſequẽti non erit. Primum non eſſe eſt inſtans, in quo verum eſt dicere,nunc res non eſt, immediate autem tempore antecedenti erat. Ex his diffinitionibus manet aperte confirmatum,quod ſupra diximus, ſcilicet omnia incipere & deſinere in inſtanti: nam omnia incipiunt,& deſinunt per hos quatuor modos,qui inſtantia ſunt, vt ex diffinitionibus cõſtat. Sed vt libere dicã quod ſentio, propoſitæ modorum incipiendi diffinitiones rectæ non ſunt. Quod ita demonſtro. Vel loquuntur de inſtãtibus reſpectu temporis primi mobilis,vel de inſtantibus reſpectu temporũ harum rerum inferiorum:ſi primum dicant, nõ recte diffiniunt; quia vt ſuperiori q. demonſtrauimus,non dantur inſtantia copulantia. His accedit, mundum in prima ſui productione cæpiſſe per primũ ſui eſſe, & motum cœlorum cœpiſſe per vltimum non eſſe: at hæc inſtantia non præceſsit tempus, ergo non recte diffiniuntur primum eſſe & vltimum nõ eſſe per ordinem ad tempus præexiſtens. Eodem modo in fine mundi ceſſante motu cœlorum vltra non erit tempus, de quo illi loquuntur, & nihilominus deſinet motus per primum non eſſe. Si ſecundum dicant, ſcilicet ſe loqui de inſtãtibus reſpectu temporis harum rerum inferiorum, poſt vltimum eſſe huius leonis, verbi gratia, nõ ſequitur immediate tempus, quo menſuratur cadauer, ſed inſtans initians illud,quod eſt primum eſſe cadaueris. Et eodem modo primum eſſe cadaueris non antecedit immediate tempus, ſed vltimũ eſſe illius leonis. Si vero confugiant ad inſtantia imaginaria temporis primi mobilis, nil ad nos: nam ſolum diſputamus de realibus modis incipiendi rerum, non vero de imaginariis. Nos ergo,qui in tempore non admittimus inſtantia copulantia; & exiſtimamus cuiuſuis motus ſucceſsiui durationem formaliter eſſe tempus, ſequentes proponimus modorum incipiendi, & deſinendi definitiones. Primum eſſe eſt inſtans, in quo verum eſt dicere, res eſt, immediate autem antea non erat. Vltimum nõ eſſe eſt inſtans, in quo verum eſt dicere, nunc res non eſt, immediate autẽ poſtea erit. Vltimum eſſe eſt inſtans, in quo verum eſt dicere, nunc res eſt,immediate autem poſt non erit. Primum non eſſe eſt in-

Reiiciuntur ſuperiores definitiones.

Proponũtur aliæ.

inſtans, in quo verum eſt dicere, nunc res non eſt, immediate autem antea fuit. Sed obſeruandum eſt, particulam, *Immediate ante*, in definitione prima ſupponere interdum pro inſtanti præcedenti durationis præteritæ, vt ſi ſit primum eſſe generationis leonis: interdum vero pro negatione, vel priuatione præexiſtentis temporis, vt patet in primo eſſe mundi. In ſecunda vero definitione particulam, *immediate*, ſupponere pro tempore ſequenti. In tertia definitione ſupponere indeterminate, vel pro inſtanti initianti durationem ſequentem, vel pro carentia vlterioris durationis. In quarta vero definitione ſupponere pro tempore antecedenti. Ratio diſparitatis eſt, quia primum eſſe, & vltimum eſſe dicunt ordinem non ad eandem durationem, cuius ſunt indiuiſibilia, ſed vel ad præcedentem, vel ſubſequentem modo explicato. At vero vltimum non eſſe, & primum non eſſe, cum ſint indiuiſibilia durationis, in quibus non eſt duratio talis, neceſſario ſe debent habere immediate cum illa duratione, nam illius ſunt termini claudentes. Tum etiam, quia cum ſint non eſſe rei, debent definiri per ordinem ad eſſe, quod initiant, vel terminant, quod tempus eſt. Primum vero & vltimum eſſe, cum ſint eſſe rei, debent definiri per non eſſe eiuſdem rei antecedens, ſiue per non eſſe ſubſequens, quod interdum eſt inſtans, interdum vero carentia vlterioris extenſionis.

Obſerua. Vltima obſeruatio. Quando in hac quæſtione, & in aliis ſequentibus inquirimus, qua ratione incipiant, & deſinant res, cum certum ſit, omnes incipere, & deſinere in inſtanti, ſolum inquirimus, an incipiant & deſinant in inſtanti intrinſeco, vel potius extrinſeco. Primum eſſe & vltimum eſſe dicuntur inſtantia intrinſeca, quia in illis res habet eſſe. Vltimum vero non eſſe, & primum non eſſe dicuntur inſtantia extrinſeca, non quia non ſint inhærentia durationi, cuius ſunt inſtantia, ſed quia duratio illa, vel res facta in illa duratione, non habet ſuum eſſe in illis inſtantibus.

In ſecunda parte quæſtionis ſit prima aſſertio. Motus & tempus, & omnia, quę ſucceſsiue fiunt, incipiunt in inſtanti extrinſeco, ſcilicet per vltimũ non eſſe. Probatur primo

primo à ſufficienti diuiſione, quia non incipiunt per primũ eſſe, nam ſucceſsiua non habent primum eſſe, vt egregie hoc libro demonſtrauit Ariſtoteles.

Secunda aſſertio. Deſinunt extrinſece, ſcilicet per primũ non eſſe. Aſſertio probatur vt ſuperior, quia ſcilicet in ſucceſsiuis non datur vltimũ eſſe illorum.

Motus proprie poteſt incipere & deſinere intrinſece.

Inquires tamen, an motus, tempus, & res factæ per motum, poſsint de potentia abſoluta incipere per primum eſſe, & deſinere per vltimum eſſe. Sit tertia aſſertio. Motus proprie dictus poteſt incipere per primum eſſe, & deſinere per vltimum ſui eſſe. Probatur, quia vt diximus. 5. Phyſico, de ratione motus proprie dicti ſolum eſt, quod ſit tranſitus à termino poſitiuo in terminum poſitiuum. v.g. traſitus à calido in frigidum. Quis ergo dubitabit, Deum in inſtanti efficere poſſe huiuſmodi tranſitum?

Quarta aſſertio. Res, quæ motu proprie dicto & ſucceſsiuo adquiruntur, poſſunt etiam à Deo ſic fieri, vt incipiant per primũ ſui eſſe, & deſinãt per vltimũ ſui eſſe. Hæc aſſertio facile deducitur ex ſuperiori, nã res incipit & deſinit admodũ ſuę productionis.

Motus localis nõ poteſt incipere per inſtãs intrinſecum.

Succeſsio ex triplici ca.

Quinta aſſertio. Motus localis nec de potẽtia abſoluta poteſt incipere per primũ ſui eſſe, nec deſinere per vltimũ ſui eſſe. Probatur aſſertio, quia intrinſece includit ſucceſsionem, ſucceſsio autem nec habet primnm eſſe, nec vltimũ eſſe. Sed dices, cur alteratio verbi grutia calefactio, poteſt fieri à Deo in inſtanti, non vero motus localis? Reſpondemus ſucceſsionem in motu ortum habere ex reſiſtentia contrarij, ex defectu virtutis, & ex incompoſsibilitate terminorum. Duo prima impedimenta reperiuntur in quouis motu ſucceſsiuo facto ab à gente naturali, & illa poteſt ſupplere Deus: tertium vero impedimentum reperitur in motu locali, & dicit intrinſece ſucceſsionem, & latitudinem. Vnde implicat fieri in inſtanti. Poteſt enim Deus in inſtanti producere lapidem, cuius extẽſio occupet totum eſpatium à concauo lunæ vſque ad ſuperficiem terrę, fieri tamẽ nequit, vt in inſtãti moueatur à concauo lunæ vſque in ſuperficiem terræ.

Motus nõ incipit per inſtans intrinſecum.

Vltima aſſertio. Nec tempus, nec motus ſucceſsiuus, ſiue ſit proprie motus, ſiue proprie mutatio, poteſt incipere per primum ſui eſſe, & deſinere per vltimum ſui eſſe. Hęc aſſer-

aſſertio euidenter deducitur ex ſuperioribus.

In tertia parte quæſtionis dices primo. Moueatur mulier grauida, & in medio motus animetur proles, animatio illa eſſet in inſtanti, ſcilicet in primo ſui eſſe; ſed tunc inciperet moueri; ergo inciperet moueri in primo eſſe motus: ergo res ſucceſsiua poteſt incipere per primum ſui eſſe. Reſpondemus negãdo conſequentiam, nam ex præmiſsis ſolum infertur, motum incipere in primo eſſe prolis animatæ, quod eſt inſtans extrinſecum & vltimũ non eſſe motus prolis animatæ. Sed dices. Mota matre, moueretur proles; ſed in illo inſtanti, in quo eſt prolis animatio, moueretur mater; ergo moueretur etiam proles: ergo non eſſet vltimum non eſſe motus prolis, ſed potius primum eſſe. Reſpondemus negando minorem: nam motus ille localis, cum ſuceſsiuus ſit, non poteſt eſſe in iſtanti. Eſſet enim in tali caſu indiuiſibile extrinſecũ initians motũ prolis, cui indiuiſibili nullũ coexiſteret in motu matris, vt ſæpe dictũ eſt in ſuperiorib⁹.

Dices ſecundo. Si motus incipit per vltimum non eſſe: ergo res, quę incipiunt, & producuntur per motum, etiam incipient per vltimũ non eſſe: ſed conſequẽs eſt abſurdum; ergo illud ex quo ſequitur. Minor probatur, quia quæ fiunt per motũ, habent ſuum eſſe permanens, & totũ ſimul Reſpondemus negando conſequentiam. Probationi dicimus, quæ habent eſſe permanens, fieri poſſe ſucceſsiue, nã ad ſuceeſsiuam productionẽ ſufficit extenſio, qualis reperitur per ſe in quantitate, per accidens in ſubſtantia, & qualitatibus corporeis. vel intenſio graduum quæ in qualitatibus inuenitur. Cum productione enim ſucceſsiua nõ pugnat eſſe permanẽs rei, ſed ſolum inextẽſio partium illius.

Dices tertio. Deſcendat canis, & in medio itineris pereat: tunc canis deſinet per vltimum ſui eſſe, & cadauer incipiet per primum ſui eſſe; ſed toto illo tempore mouebitur; ergo motus illius erit terminatus vltimo ſui eſſe, & motus cadaueris incipiet per primũ ſui eſſe. Reſpondemus negando conſequentiam: nam quod eſſet vltimum eſſe canis, eſſet primum non eſſe motus eiuſdem: & quod eſſet primum eſſe cadaueris, eſſet vltimum non eſſe motus eiuſdem. Vnde nec motus deſineret per vltimum ſui eſſe, nec inciperet per primum ſui eſſe.

QVAEST. II.

Qua ratione incipiant, & deſinant res permanentes.

SIT obſeruatio. Res permanentes aliæ ſunt, quarum duratio eſt æuum, vt diximus lib. 4. in diſputatione de durationibus. Aliæ vero ſunt res permanentes, quarũ menſura eſt tempus, vt ibidẽ docuimus, & de his procedit quæſtio. In qua re certum eſt, has omnes res, ſi per creationem fiant, incipere per primum ſui eſſe; & ſi per anihilationem deſinant, deſinere per vltimum ſui eſſe. Manet ergo dubitatio de his rebus, vt fiũt per generationem, & deſinũt per corruptionem.

Vall. tenet oppoſitũ.

Sit prima aſſertio. Omnes res viuentes incipiunt per primum ſui eſſe. Probatur aſſert. Quę habent minima, neceſſario debẽt incipere per primũ ſui eſſe; ſed omnia viuẽtia habent minimũ; ergo omnia viventia debẽt incipere per primum ſui eſſe. Minorẽ ſatis demõſtrauimus primo Phyſico-diſputat. de maximo & minimo quæſt. 1. Maior vero ita probatur. Quæ habent minimũ, neceſſario debent fieri in inſtãti; ſed quę fiunt in inſtãti, neceſſario debẽt incipere per primum ſui eſſe; ergo quę habet minimũ neceſſario debẽt incipere per primum ſui eſſe.

Viuẽtia incipiunt intrinſece.

Deſinũt intrinſece.

Secunda aſſer. omnes res viuẽtes deſinunt per vltimum ſui eſſe. Probat. aſſertio, quia non ſolũ habent maximũ, ſed prærequirũt certas diſpoſitiones pro conſeruatione formę ſubſtantialis. Prob. 2. ſupponendo prius, nos modo diſputare cum illis, qui admittunt cuiuſuis mot' ſucceſsiui durationẽ eſſe formaliter tempus, tum etiam in tẽpore non dari inſtantia copulantia. Quo poſito, eſt argumentũ. Materia prima nequit eſſe abſque forma; ergo viuens, v. g. hic leo, deſinet per vltimũ ſui eſſe, non vero per primũ non eſſe. Probatur cõſequẽtia. Tẽpus, quod eſt duratio huius leonis, & tẽpus, quod eſt duratio cadaueris illius, ſunt tẽpora cõtigua; ergo illorũ vltima, ſcilicet inſtãs terminans tempus leonis, & inſtãs initians tẽpus cadaueris, debẽt eſſe inmediata, & indiſtinctis tẽporibus; ergo ſi leo deſinit per primũ ſui non eſſe, in hoc inſtãti materia erit abſq; forma. Probatur conſequẽtia. In primo nõ eſſe leonis materia prima nõ habet formam leonis, quia in primo nõ eſſe leonis iã nõ eſt leo: & nondũ habet materia prima formã cadaueris; ergo eſſet abſq; forma. Conſequẽtia recta eſt. Minor vero probatur

batur ita. Primũ non eſſe for-
mæ leonis nõ poſſet eſſe pri-
mũ eſſe formæ cadaueris: er-
go in primo nõ eſſe formę leo
nis materia nõdũ haberet for
mã cadaueris, quare eſſet abſ-
que forma. Antecedẽs proba
tur; quia primũ nõ eſſe formæ
leonis nõ eſt inſtans inhærens
in tẽpore cadaueris, nã eſſet
inſtãs terminãs tẽpus leonis.

A Philoſophis multę aliæ in
hac q. proponũtur aſſer. quas
fere omnes hæc. 3. aſſer. cõple
ctitur. Aliæ res, inanimatæ. ſ.
&. accidẽtia incipiunt & deſi-
nũt ad modũ, quo incipiũt &
deſinũt illarũ productiones.
Si enim productiones ſint inſ-
tãtaneę, & ſimiliter corruptio
nes, incipiũt per primũ ſui eſ-
ſe, & deſinũt per vltimũ ſui eſ-
ſe: ſi vero ſint ſucceſsiuæ, inci-
piunt per vltimum non eſſe, &
deſinunt per primum nõ eſſe.

Sed dices in primã aſſer. Res
viuẽtes deſinũt per vltimũ ſui
eſſe; ergo res viuẽtes debẽt in
cipere per vltimũ ſui nõ eſſe.
Probat. cõſequẽtia in genera
tione huius leonis, nã ſi hic leo
inciperet per primũ ſui eſſe, eſ
ſent duo inſtãtia inmediata, quod
eſt maximum abſurdũ. Reſp.
hoc nõ eſſe abſurdũ, ſed poti'
neceſſariũ, vt ſæpe dictũ eſt,
quia ſunt inſtantia clauden-
tia tempora contigua.

Dices in. 2. aſſer. Res viuẽ-
tes deſinunt ſimul cũ vltima
diſpoſitione; ſed vltima diſpo
ſitio deſinit per primũ ſui nõ
eſſe; ergo res viuẽtes deſinũt
per primũ ſui nõ eſſe. Reſp. ne
gando conſequẽtiam, nam ex
præmiſsis ſolũ ſequitur, deſi-
nere in inſtãti, in quo deſinit
vltima diſpoſitio, quod eſt
primũ nõ eſſe illius diſpoſitio
nis, & vltimũ eſſe rei, cuius eſt
diſpoſitio. Hoc fit manifeſtũ
in tẽpore primi mobilis, cuius
inſtans initians fuit vltimũ nõ
eſſe illius temporis, & primũ
eſſe primi mobilis.

Ad cognoſcendam ſubſtã- 1. Regula.
tiarum deſitionem, Philoſo-
phi hoc in loco quaſdam pro
ponunt regulas, quas, illorum
pace, irregulares ego iudico.
Eſt prima regula quãdo ſub-
ſtantia incipit per primum ſui
eſſe, quę deſinit ad generatio-
nem huius deſinit per primũ
ſui nõ eſſe, & ita idem inſtans
eſt primum non eſſe formæ
corruptæ, & primum eſſe for-
mæ generãdæ. Probant, quia
ſi aliter res ſe haberet, aut
eſſent duæ formæ in eadem
materia, aut materia eſſet
ſine forma. Reſpondemus,
nullum ex his ſequi, ſed po-
tius duo inſtantia immedia-
ta in duobus temporibus,
quorum alterum eſſet vlti-
mum eſſe formæ corruptæ, &
alterum primum eſſe formæ

 gene-

generandæ. Vnde nec eſſet materia ſine forma in aliquo inſtanti, nec in eodem eſſent duæ in eadem materia.

2. Regula. Secunda regula. Quando ſubſtantia incipit per vltimũ non eſſe, corruptio præcedentis debet eſſe per vltimum eſſe. Hãc eodẽ modo cõfirmãt: ſed ex dictis patet ſolutio.

QVAEST. VLT.

In qua aliquæ dubitationes pertractantur.

QVæres primo, quomodo incipiant & deſinãt inſtãtanea, verbi gratia generatio ſubſtantialis, & alia id genus. Reſpondemus, incipere per primũ ſui eſſe, & deſinere per vltimum ſui eſſe. Probatur, quia ſolum durant per vnicũ inſtans, quod eſt primum, vltimum, & totũ eſſe illorum. Sed dices. Sicut eſſe generationis eſt eſſe in inſtanti, ita etiam nõ eſſe eiuſdem eſt in inſtanti: ergo non eſſe generationis incipit in inſtanti, ac per conſequens datur primum nõ eſſe generationis. Reſpõdemus negando conſequentiam: nã etſi non eſſe generationis ſit toto tempore ſequenti poſt illam, & in inſtantibus eiuſdẽ, tamen non eſſe generationis incipit ab inſtanti intrinſeco eiuſdem, quia nõ eſſe illud ſub ſequens continuum eſt, & eius initium eſt inſtans generationis, quod eſt prima productio rei, & initium ſubſequentis durationis, quæ eſt conſeruatio rei genitæ, & non eſſe generationis.

Quæres ſecundo, qua ratione deſinant, quæ deſinunt per anichilationem. Valleſius ex iſtimat quæſt. 6. quæ deſinunt per anihilationẽ, deſinere per primũ ſui nõ eſſe: imo exiſtimat, de potentia abſoluta rẽ aliter euenire non poſſe. Ratio Valleſij eſt. Quod deſinit per vltimum ſui eſſe, deſinit ſucceſsiue; ſed id quod anihilatur, deſinit in inſtanti; ergo non deſinit per vltimum ſui eſſe, ſed per primum nõ eſſe. Reſpondemus negando maiorem propoſitionem, nam vt conſtat ex ſuperioribus quæſtionibus, omnia incipiunt, & deſinunt in inſtanti. Eſt enim vltimũ eſſe inſtans, in quo verũ eſt dicere, nunc res eſt, immediate autẽ poſtea nõ erit.

Alij exiſtimant, de facto rẽ ita ſe habere, licet de poſsibili aliter poſsit euenire. Nihilominus ſi. 1. aſſert. Si ſermo ſit de inſtantaneis, quorũ eſſe ſolum durat per vnicum inſtans, hæc neceſſario debent deſinere per vltimum ſui eſſe. Probatur. 1. Eo quod inſtantanea eſſent, nõ poſſent incipere

pere niſi intrinſece,& per vlti mũ ſui eſſe; ergo cũ reſpectu deſitionis etiã eſſent inſtãtanea,non poſſent deſinere niſi intrinſece, & per vltimum ſui eſſe. Probatur antecedẽs,quia ſi inciperent per vltimum ſui non eſſe, fierent in tempore, & conſequenter eſſent inſtãtanea. Probatur ſecundo. Si deſinerent per primum nõ eſſe, vel illud inſtans inhereret durationi rei,quæ per anihilationem deſineret,& ſi hoc dicant,non eſſet primum nõ eſſe,nam in primo non eſſe rei, quæ deſinit per anihilationẽ, nihil eius manet, in quo poſſit ſubiectari: vel inhæreret alteri durationi, & ſimiliter nõ eſſet,nam primum non eſſe rei eſt terminus præcedentis durationis ſucceſsiuæ,aut ſaltem nõ ſupponit immediate vltimum eſſe,hoc vero neceſſario eſt admittendum in inſtantaneis, cùm tota illorum duratio vnico inſtãti terminetur.

Secunda aſſertio. Adhuc ſi res ſucceſsiue anichilaretur, nõ deſineret per primũ ſui nõ eſſe. Probatur aſſertio. Primum nõ eſſe rei eſt terminus claudens eius durationem: ergo primum nõ eſſe anichilationis eſt terminus claudens anichilationem: ſed quando eſt terminus,neceſſario debet eſſe ſubiectũ,cui inhæreat;ergo quando eſt primum non eſſe anihilationis, debet eſſe ſubiectum,cui inhæreat,ſcilicet res,quæ anihilatur: ſed in primo non eſſe anihilationis non poteſt eſſe res, quæ anihilatur; ergo anihilatio, ad huc ſi fieret ſucceſsiue,nõ deſineret res, quæ anihilaretur per primũ ſui non eſſe. Vtrũ autẽ totalis rei anihilatio poſſit fieri ſucceſsiue, lis eſt ſub Iudice: ſed dubitationẽ hanc intactam modo prætermittimus,quia alterius eſt negotij.

Tertia aſſertio. Si anihilatio fieret ſucceſsiue, res quæ per illam anihilaretur,non deſineret per vltimũ ſui eſſe. Probatur aſſertio, quia vt docẽt omnes Philoſophi cum Ariſt. in ſucceſsiuis non datur vltimum eſſe. Sed dices ſtatim. Modi deſinẽdi rerũ naturaliũ tãtũ ſunt duo, ſcilicet vltimũ eſſe, & primum non eſſe: ergo quæ deſinerẽt per anihilationẽ ſucceſsiue, vel deſinerent per vltimũ ſui eſſe,vel per primũ ſui non eſſe. Reſp. negãdo conſequentiã,quia anihilatio non eſt modus naturalis deſinẽdi,quẽadmodũ nec creatio eſt phy. & naturalis productio rei. Pro cuius doct. intelligẽtia obſeruãdũ eſt,hoc reperiri diſcriminis inter productionem rei,& deſitionẽ eiuſdem,

quod mutatio, quę eſt coruptio, ſuiectatur ratione termini ad quē, & medio illo in re, quę producitur: at vero corruptio rei ſubiectatur in forma, quæ deſinit eſſe. Paret res hæc in generatione ſubſtantiali, cuius ſubiectum, vt ſupra diximus, eſt totum, quod generatur; corruptionis vero ſubſtā tialis ſubiectum eſt forma, quæ corrumpitur, verbi gratia in corruptione huius leonis. Eodem modo philoſophandum eſt in creatione, & anichilatione, ſed cum diſparitate quadam, nam generatio & corruptio ſunt mutationes proprie, & habent ſubiectū ſub vtroq. termino: creatio vero non ſupponit ſubiectum comune, cum fiat ex nihilo: & ſimiliter corruptio, cū ſit totalis defitio rei. Vnde in ferrur, vel anichilationem nō poſſe fieri ſucceſsiue, vel ſi forte fieri poteſt, non eſſe mutationem poſitiuam, & conſequenter eius durationem & terminum eiuſdem non ſubiectari in entitate manēte in fine illius: niſi ſermo ſit de aliquo inſtāri extrinſeco, & imaginario, in ordine ad quod libenter admittimus, anichilationem, ſi fieret ſucceſsiue, deſinere extrinſece.

Quæres 3. an indiuiſibile poſsit moueri. Ariſtoteles 1. cap. huius libri expreſſe docuit, indiuiſibile nō poſſe moueri, quia quod mouetur partim eſt in termino a quo, & partim in termino ad quem: indiuiſibile vero, cū partibus careat, nequit eſſe partim in termino a quo, & partim in termino ad quē, ac proinde nequit moueri. Sed vt ex doctrina illius capitis depræhēditur, ibi videtur eſſe inſtitutū Ariſtotelis de motu locali.

Indiuiſibilium Aſſertores, Iuniores pręcipue, diffuſe nimis pertractant hanc rē, dubitationis titulum intelligentes de punctis, de lineis, & de ſuperficiebus tam reſpectu motus localis, quā motus alterationis, & accretionis. Nobis vero aliter eſt philoſophādū.

Sit igitur hæc obſeruatio. Modo ſolū diſputamus cum illis, qui non admitūt pūcta, neque lineas: nā cū indiuiſibiliū aſſertorib' ſatis ſuperque egimus in ſuperioribus. In noſtra ergo ſententia certū eſſe debet, nec lineas, nec pūcta moueri, quia nō admittimus hæc in cōtinuis. Manet ergo dubitatio de ſuperficie termināte, (Copulanrē enim nō admittimus) & de inſtātibus initiantibus & terminātibus tēpora: tū etiā & de mutatis eſſe. In qua re certū etiā eſt, inſtās & mutatū eſſe nullo motu mouert *Inſtans & mutatū eſſe non mouentur.*

mouери

moueri poſſe. Imprimis, cum in indiuiſibili cõſtãt, & magnitudo nõ ſint, nequeũt motu accretionis moueri, nec alterationis. Preterea nec moueri poſsũt motu locali, quia ſe queretur inde, indiuiſibilia ſucceſsiui ſucceſsionẽ habere, & cõſequẽter nõ eſſe indiuiſibilia; ſed potius diuiſibilia, & extẽſa. Manet ergo dubitatio de ſuperficie terminãte. Pro ſolutione dubij obſeruandũ eſt, rem duobus modis poſſe moueri, ſcilicet per ſe, & per accidens. Mouetur per ſe, quando mouetur ratione ſui & ratione propriç entitatis. Mouetur vero per accidẽs, quãdo mouetur ad motũ eius, quod mouerur per ſe, vt pars, vt terminus, vel vt aliquid illius.

Superficies non mouetur per ſe.

Sit igitur aſſer. Indiuiſibile ſiue ſuperficies nequit per ſe moueri. Probatur aſſertio. In corpore nõ mouetur per ſe: ergo non poteſt moueri per ſe. Cõſequentia probatur ex dictis hac eadem diſputatione, quia ſcilicet ſuperficies nequit eſſe ſeparata à cõtinuo: ergo nequit moueri per ſe, nã quod eſt in alio, & præſertim vt termin⁹ illius, nequit in illo moueri niſi per accidẽs, & ad motu illi⁹. Sed dices. Abſque mutatione corporis poteſt fieri maior ſuperficies: ergo per ſe poteſt moueri motu accretionis. Probatur cõſequẽtia, quia terminus per ſe accretionis eſt maior quantitas. Reſpondemus negando antecedens, nam extima ſuperficies rei non poteſt moueri motu accretionis, niſi per aliquam mutationum in corpore. In vera enim accretione maior quantitas nutritionem ſequitur, & conſequenter & per accidens adquiritur indiuiſibile maius, maior ſcilicet ſuperficies. Sed dices. Abſque noua productione ſubſtantiæ poteſt fieri maior ſuperficies: ergo poterit moueri per ſe. Probatur antecedens. In corpore aliquo globoſo ſi protrahatur in longum, vt ſi aurum in laminas & fila ducatur, tũc abſque noua productione ſubſtantiæ ſuperficies manet magis extenſa: ergo maior: ergo accreſcit per ſe abſque mutatione ſubſtantiæ. Reſpondemus, in iſto caſu ſuperficiem fieri maiorẽ, id eſt magis extenſam: per accidens tamen, & ratione motus localis, quo nouũ modũ, & figurã adquirẽdo corpus illud, adquirit ſimul illãſuperficiẽ, quç dicitur maior, nõ abſolute, id eſt maioris corporis, ſed corporis exterius habẽtis maiorẽ extẽſionẽ. Itaque ſẽper mouetur ſuperficies per accidẽs in motu

tu accretionis corporis. Idẽ iuditium eſt de motu alterationis: ſuperficies enim ſolum fit calida, ſicca, alba & ſic de cæteris, per accidens, & ratione corporis. Hoc non eget probatione, præſertim cũ diſputatione ſuperiori q. 2 demõſtratum ſit, qualitatem nõ poſſe reperiri in ſola ſuperficie. Tandẽ res eſt manifeſta in motu locali, cũ ſuperficies non occupet locum, eo quod omni profunditate careat. Imo in motu locali ſic mouetur per accidens, vt in ſpatio, per quod mobile mouetur, ſuperficiei nec correſpondeat pars ſpatij, nec indiuiſibile illius, ſed ſolum negatio diuiſibilitatis ſiue extenſionis.

Quies quid ſit & quotuplex

Quęres 4. An quies habeat eſſe in inſtanti, vel in tempore. Sit hæc obſeruatio. Quies eſt carentia motus, & ſi in ſubiecto nihil addat pręter carẽtiam, eſt quies negatiua. Si vero addat in ſubiecto aptitudinem ad motum, eſt quies priuatiua. Præterea, cum motus ſumptus in tota ſua latitudine, prout complectitur motũ & mutationem, vel ſit ſucceſſiuus, vel inſtantaneus, hinc quies erit etiã duplex, alia ſcilicet in tẽpore, & alia ĩ inſtãti.

Ex his patet ſolutio dubitationis. Dico ergo 1. Quies quæ eſt priuatio motus ſucceſſiui, habet eſſe in tempore. Probatur, quia ſolum poteſt dari, quando poteſt dari motus; at hic nequit eſſe niſi in tempore, vt diximus quęſt. 1. Dico ſecundo. Quies negatiua motus ſucceſsiui habet eſſe in inſtãti. Probatur, quia in inſtanti nec ſucceſiue mouetur, nec poteſt moueri mobile motu ſucceſiuo. Dico 3. quies quæ eſt priuatio mutationis inſtantaneę, habet eſſe in inſtanti. Dico 4. Quies, quę eſt negatio mutationis inſtãtaneæ, habet eſſe in tempore. Iſtæ duæ vltimæ aſſertiones facile deducũtur ex primis, & eiſdẽ rationibus cõfirmãtur.

Quies qua ratione incipiat & deſinat.

Quæres 5. qua ratione incipiat & deſinat quies. Ex dictis facilis eſt ſolutio. Sit ergo hæc aſſertio. Quies quæ habet eſſe in tempore, incipit per vltimum ſui nõ eſſe, & deſinit per primũ ſui nõ eſſe: quies vero, quę habet eſſe in inſtanti, incipit per primũ ſui eſſe, & deſinit per vltimũ ſui eſſe. Probatur prima pars aſſertionis, quia quies, quę habet eſſe in tẽpore, habet eſſe ſucceſiuorũ more; ergo deſinit & incipit ſucceſiuorũ mori. Secunda pars probatur, quia inſtãtanea ſolum durãt per vnicũ inſtãs, quod eſt primũ eſſe, & vltimũ eſſe illorũ, & conſequenter, cum omni extẽſione careant, debent incipere & deſinere intrinſece.

COMMENTARII VNA CVM QVÆST. IN SEPTIMVM LIBRVM Phyſicorum Ariſtot.

NISI ſtylus ipſe, & doctrinæ huius libri ratio cum ſuperioribus cohererent, acquieſcendum eſſet ſententiæ interpretum exiſtimantium, minimè illū Ariſtotelem compoſuiſſe. Nec obſtat, huius & octaui idem omnino eſſe argumentum, nam in hoc viā veluti præmuniuit, vt prænotione aliqua inſtructi, quæ in octauo erant diffuſius pertractanda, intelligeremus facilius. Tribus igitur prioribus capitibus eo tendit diſputatio; vt in natura rerum demonſtret eſſe vnum primū motum, primumque motorem: duobus verò vltimis inter ſe mouentia, & mobilia, quo ad motus velocitatem, & tarditatem, conferat.

CAPVT PRIMVM. OMNE QVOD MOVETVR ab alio moueri.

Omne quod mouetur, mouetur ab alio.

OMNE quod mouetur, &c. In fronte libri celeberrimū proponit theorema, cui reliqua ad motum ſpectātia nituntur, videlicet, neceſſe eſt omne quod mouetur ab alio moueri. In his, quę a principio extrinſeco mouentur, vt proiecta, inquit, manifeſtū eſt. Quæ vero habent intrinſecum motus principium, ab alio etiam moueri, quadam parū efficaci ratione oſtēdit.

Deinde id quod, &c. Idem theorema apertius probat, hac præmiſſa hypoteſi. Quod à ſe mouetur, nō ceſſat a motu, ex eo quod alia res, quæ mouebatur, quieſcat. Ita quidquid alio quieſcente ceſſat à motu, id à ſe ipſo non mouetur. Hinc concludit, neceſſe eſſe omnia ab alio moueri, quod ita demonſtrat. Sumatur mobile diuiduum (nam

diximus ſuperiori libro, omne mobile eſſe diuiſibile) & diuidatur, quieſcatque eius prima pars. Aut igitur illa quieſcente, totum mouetur, aut quieſcit: ſi mouetur; ergo non à ſe primo mouetur, nam quieſcente vna parte, & altera dumtaxat mota, dicitur moueri. Si quieſcit; ergo non mouetur a ſe primo, vt deducitur ex hypoteſi.

Quoniã autẽ, &c. Ex hoc vniuerſali theoremate colligit, id quod loco mouetur, ab alio moueri, & quod mouet, ab alio moueri, cum ipſũ mouetur, & rurſus illud ab alio: ſed non eſſe progreſſum in infinitum, ſed ad primam motus cauſam deueniendum potius. Si enim eſſet proceſſus in infinitum, ex illo non nulla ſequerentur incommoda, quę Ariſtoteles proponit, quorũ occaſſione nõnulla ex his, quę de motus vnitate 5. lib. docuerat, iterum repetit.

Sumatur ergo, &c. In mouentibus nõ dari infinitã progreſſionem, oſtendit, quia ſe quereretur, tẽpore finito dari motum infinitum, quod fieri nequit, vt demonſtratum eſt cap. 7. ſuperioris lib. Conſequẽtiam probat, quia licet ſinguli motus eſſent finiti, eorum tamẽ omnium collectio efficeret motum infinitũ. Cũ igitur illa omnia vno tempore moueantur, fieret inde, vt dum vnũ mobile moueretur, mouerẽtur omnia: at vnũ mobile tempore finito motũ abſoluit, quia talis motus verſatur inter finitos terminos; ergo omnia illa tempore finito conficerent motũ infinitũ.

Atque hoc quidem, &c. Ipſe Ariſtoteles obſeruat, exiguã eſſe huius rationis vim, eo quod ille motus ſimpliciter eſſet multiplex. Sed contra propoſitam ſolutionem alia etiam probabili ratione vtitur. Ad alia tamen properemus, nam ſi primũ theorẽma excipias, reliqua, quæ in hoc cap. docentur, grauiſsimis viris, & doctiſsimis interpretibus leuia & parum vtilia videntur.

CAPVT II. MOVENS ET MOBILE DEBERE ESSE SIMVL

Mouẽs & mobile debent eſſe ſimul.

QVOD autem primo, &c. Quod mouet, nõ vt finis, ſed vt efficiens, debet eſſe ſimul cũ re, quæ mouetur. Sũt autẽ ſimul illa, interq; nil mediat. Hoc verum eſt in omnibus

bus mouētibus, & quæ mouē tur. Vnde quia triplex eſt motus, ſcilicet ad vbi, ad quantitatē, & ad qualitatē, proinde tria debent eſſe mobilia. Motus ad vbi dicitur loci mutatio: ad qualitatē cōmutatio, ſiue alteratio: ad quantitatē accretio, vel decretio.

Ac primum quidem, &c. Primū igitur, inquit, diſſeramus de motu locali, qui prior eſt cęteris. Omne enim quod mouetur, aut mouetur a ſe, id eſt a principio intrinſeco: aut ab alio, id eſt a principio extrinſeco. In his, quæ mouētur a principio intrinſeco, res eſt manifeſta, cū inter illa & mouens nihil interſit, cū mouens ſit intrinſecū. Vt vero idem probare valeat de his, quæ mouētur a principio extrinſeco, prius aſſumit, quatuor eſſe modos, quibus res poteſt ſecūdū locum ab extrinſeco moueri, ſcilicet tractū, pulſū, vectionem, & conuerſionem.

Impulſus. *Impulſio enim, &c.* Pulſus eſt motus, quo pellens pellit tem vel a ſe, vel ab alio ad aliud.

Tractus. Tractus eſt, quando res fertur ad nos, vel ad aliud. Vectatio, ſiue vectio eſt motus per accidens, quo ad motū alterius aliquid vehitur, vt homo qui vehitur equo. Volutatio eſt conuerſio, ſiue motus in orbē, vt quādo muſca mouetur ad motū rotę. Sigillatim hos quatuor modos explanat, illosq. ad duos reducit, ſcilicet ad pulſū, & tractū. Quibus poſitis, probat mouēs & quod mouetur a principio extrinſeco debere eſſe ſimul, quia ſic fit inpulſu, & tractu, vt ex illorū definitionib⁹ cōſtat.

Nec ei quod cōmutatur, &c. Idē probat de motu alterationis, nēpe id quod proxime alterat, coniūctum eſſe ei, quod alteratur: idq. inductione planū eſſe demonſtrat. Aſſumit tamē prius: has qualitates eſſe illas, quæ pertinēt ad tertiā ſpeciem, ſenſibiles ſcilicet, quibus alterantur res inanimatæ (per res inanimatas etiam intelligit plātas) & res animatæ: ac rurſus rerum animatarū, id eſt animaliū partes ſenſibus deſtitutæ, vt capilli. Et non ſolū partes ſentientes, (hoc tāquam certum ſubiecit,) verū ipſos ſenſus.

Immutātur enim ſēſus, &c. Obſeruat. Sēſus quodam modo alterari docet, quia ſēſus qui in opere poſitus eſt, id eſt ſenſatio, (in hac eadem ſignificatione ſumpſit 1. cap. meta. nomen enim græcū ſignificat tā actū ſentiēdi, quā facultatem) eſt quidam motus, ita profectus ab obiecto, vt medio illo aliquid ſenſus recipiat, & quaſi patiatur.

Ac quibuſdam, &c. Duo conſtituit diſcrimina inter alterationẽ rerum animatarũ, & inanimatarum. Primũ eſt. Res animatæ alterantur alterationibus, quibus alterantur res inanimatæ, non vero è cõtra, cum res inanimatæ ſenſibus careant. Secundum eſt. Res inanimatæ non cognoſcunt ſuas alterationes, animatæ vero illas cognoſcunt, quã uis non ſemper. nam quandoque illas nõ cognoſcunt; quã do ſcilicet non fit alteratio in ſenſibus, vt cum res animata dealbatur.

Quod ſi quod commutatur, &c. Præcipuum inſtitutũ probat, ſcilicet id quod proxime alterat, coniunctum eſſe cum eo, quod alteratur; ac primo in alterationibus ſenſuum: nã cum manus, verbi gratia, frigeſit, ei contiguus eſt aer, illi aqua. Rurſus cum fit viſio, cõiunctus eſt color lumini, id eſt, aëri illuminato, & lumen aſpectui continguum eſt. Idẽque fit in auditu, & odoratu; nã aër, qui primo mouet ſenſum, illi eſt contiguus. Idem contingit in guſtu, cui coniũctus eſt ſapor. Idem etiã accidit in alterationibus rerum inanimatarum. Quare quod alterat, & quod alteratur, debent eſſe ſimul.

Nec vero inter ea, &c. Similiter rem oſtendit in motu accretionis, & in motu decretionis.

CAP. III. COMMVTATIONEM SOLVM ESSE AD qualitates tertiæ ſpeciei.

OMne autem, &c. Omne quod commutatur, ſuadet commutari à ſenſibilibus qualitatibus, ſcilicet à patibilibus tertiæ ſpeciei: quia ſi in aliis contingeret commutatio, maxime in formis, figuris, & habitibus, ſiue affectionibus, in qualitatibus ſcilicet primæ, & quartæ ſpeciei, (ſecũdæ ſpeciei qualitates prætermitit, quia vt obſeruat D. Thom. manifeſtũ eſt, ad illas non eſſe per ſe motum) in quibus alterationem non verſari, oſtendit primo in figuris, quia quod figuratum eſt, non donatur eo nomine, quo ante quam figuram acciperet, donabatur. Quod commutationem ſubit, eandẽ retinet appellationem: vt ſi æs recipiat figuram ſtatuæ, æs non dicitur ſtatua, ſed ænea ſtatua. Si vero

to calefiat, dicitur calidum, & ſic res ſe habet in aliis exemplis, quæ proponit.

Præterea ſi dicatur, &c. Oſtēdit ſecūdo, quod id quod generatur, vt homo, vel quod fit, vt domus, dicitur commutari, licet ortus & productio rei ſupponat alterationē aliquam; verbi gratia rarefactionem, denſationem, calefactionem, vel frigefactionem. Quę vero generantur, non dicuntur alterari, nec illorum productio cenſeri debet alteratio. Subricuit minorem, ſcilicet quæ figurantur quodam modo fieri, & de nouo produci: non quia figurarum productio proprie ſit generatio, ſed quia ſimilitudine quadā maxime ad illam accedit.

Sed nec habitus, &c. Idem probat de qualitatibus primę ſpeciei. Docet enim, nec ad habitus, nec ad virtutes eſſe commutationes. Quia habitus aut ſunt virtutis, aut vitiorum: ad virtutes vero & vitia non datur alteratio. Virtus enim eſt quædam perfectio, qua perficimur, & abſoluimur. Eſt namque propria rei perfectio, quam cū vnaquæq; res obtinet, in ſuo genere bona dicitur, & ſecundum naturam bene habet. Viciū vero eſt quædam ſemotio & ſeparatio virtutis, cui contraria-tur. Vt igitur actio, qua domus perficitur, non vocatur alteratio, ſic nec actiones, per quas adquirimus virtutes, aut vitia; cum virtutes perfectionem conferant, & eandem remoueant vitia. Videtur enim Ariſt. tacite ſumere, contrariorum eandem eſſe rationē. Inſuper ſolum loquitur de alteratione deſtruēte: & nomine virtutis intelligit qualitatem, qua res ad ſuas actiones debite obeundas idonea redditur, quæ etiam in plantis, imo & in rebus arte factis inuenitur.

Præterea virtutes, &c. Inſtitutum proſequitur, demōſtrans, alterationem non verſari circa virtutes, & vitia corporis, quia ſcilicet conſiſtunt in quadam relatione, ad quā, lib. 5. docuit, non dari per ſe motum. Cōnumerat vero aliquas virtutes, ſcilicet ſanitatem, & firmam valetudinem, quæ conſiſtunt in debita qualitatum cōtemperatione tam in ordine ad ſe, quam in ordine ad aerem, à quo ambiuntur: tum etiam pulchritudinē, & robur, & alias virtutes, & vitia, quæ omnia in quadam habitudine cōſiſtunt. Quodlibet enim horum dicitur in ordine ad aliud, & propriū ſubiectum bene, vel male afficit ad ſuas operationes exercē-

das, licet ad ſimpliciter operandum ſupponãtur aliæ qualitates, ex quarum contemperatione hæ oriuntur, & intereunt. Quoniã autem ad relationem non eſt per ſe motus, proinde neq; ad iſtas virtutes, aut vitia: ſed conſurgũt ad productionem alterius, vt etiam forma & figura.

Quod etiam in animi, &c. Idẽ de virtutibus moralibus, & vitiis argumentis ſuperioribus haud diſsimilibus manifeſte demonſtrat.

Nec vero in ea animi, &c. Animam rationis participem non cõmutari per ſcientiæ adquiſitionem, eodem argumẽto cõfirmat, quia ſcilicet ſciẽs dicit relationem: nam fit aliquid ſciens nulla facta mutatione in facultate intellectricę, ſed ſola præcedẽte alteratione in ſenſibus, quibus fit experientia, quę eſt circa res ſingulares, reſultat rei vniuerſæ noticia. Actionem inſuper & actũ ſciendi non eſſe generationẽ, aut motũ, probat, quia ſic ſe habẽt vt actus vidẽdi, & tãgẽdi, qui nõ ſunt generationes. Tũ etiã neq; ipſius actus & actionis ſciendi eſſe generationem, quemadmodũ neq; actionis vidẽdi eſt generatio.

Prima autẽ ſcientiæ, &c. Duabus rationibus demonſtrat, primam ſcientiæ adquiſitionem nõ eſſe generationẽ, aut alterationem. Prima eſt, quia ſcientia conſiſtit in quadã animi trãquilitate, & quiete, ad quã nõ eſt per ſe motus, vt dictum eſt ſupra. Secunda deſumitur ex quadam ſimilitudine ebriorum, puerorum, & egrotantium. Sed vt verũ fatear, hic huius capitis exitus à me ſperabatur. Nã doctrina in eo contenta (quod pace auctoris dixerim) eſt nimis perturbata, rationi parũ cõſona, & veluti à puero philoſophiæ principia vix cognoſcẽte propoſita. Haud immerito igitur grauiſsimi Ariſtotelis interpretes docuerũt, ab illo hunc librum non fuiſſe compoſitum.

CAP. IIII. AN QVIVIS MOTVS POSSIT CVM ALIO CONFERRI.

QVoniã autem, &c. Quęſtionẽ mouet, an omnis motus cũ alio poſit cõparari. Partẽ negantẽ ſuadet primo, quia ſi quiuis motus poſſet cũ alio cõparari quo ad velocitatẽ, & tarditatẽ, vt rectus cum circulari, etiã linea recta poterit æquari circulo vel eſſe maior, aut minor: nã illi motus

tus ſút ęque veloces,qui ęquali tempore fiunt ſupra ęquale ſpatiũ. Secúda ratio eſt, quia alteratio poſſet eſſe æque velox cũ latione,cũ eodẽ tẽpore fieri poſſit;ergo qualitas,& magnitudo erũt inter ſe ęquales,quod eſt abſurdũ:imo nec vna poteſt eſſe maior,aut minor altera;ergo nõ quiuis motus poteſt cum alio conferri.

In circulo autẽ,&c. Oppoſitã partẽ confirmat,inquiẽs, in motu recto,& circulari qua ratione res ſe habebit? Abſurdũ enim eſt affirmare,nõ poſſe ſimiliter,id eſt æquali velocitate hoc moueri in orbẽ, & illud motu recto, ſed vnũ moueri maiori, alterum vero minori celeritate , quaſi eſſent motus accliuis , & decliuis. Nec valet ſolutio , ſi quis cõcedat , motũ rectũ eſſe velociorẽ vel tardiorem : nã inde ſequetur,quod circulus ſit maior,vel minor recta linea;quare inde ſequeretur eſſe illi æqualem , quod quadam facili ratione demonſtrat. Poſtea idem incommodum pro parte negante adducit.

Omnia autẽ,&c. Aſsignat iã regulas,quibus quæſt.intelligamus. Prima eſt. *Quæ ſolo nomine cõueniũt,nõ vero ratione, nequeũt inter ſe cõparari,vt non licet cõferre quid ſit accutius, ſtylus , vinũ, vel acetũ: nã in hoc ſolo nomine hæc cõueniunt;ergo neq; velox reſpectu lationis,& cõmutationis,cũ velocitas reſpectu horũ alia atq; alia rõe dicatur.*

An primũ quidẽ, &c. Obijcit cõtra primã regulã,falſum eſſe, quę nõ ſunt homonyma, poſſe inter ſe cõparari:nã multũ ſynonyme dicitur de aqua, & aere,& aer & aqua nequeũt conferri. Quod ſi aliquis neger, multũ eadẽ ratione aquę & aeri cõuenire, occurrit,duplũ ſaltẽ ſynonyme in vtroque dici, nam in vtroq; duplũ eſt duorum ad vnum proportio,& tamen nõ conferuntur.

An in his etiã,&c. In regula propoſita perſiſtens,docet, in äere , & aqua multũ diuerſo modo ſe habere: nã diuerſi mode aqua dicitur multa , & aer multus:quare ꝓpoſita obiectio nihil obſtat. Alioquin enim cur aer cõparatur cum aëre,aqua cũ aqua , & nõ aer cũ aqua? Poterat aliquis reſp. quia habẽt diuerſum ſubiectũ quo,& immediatũ:vnde albedo hõis,& æqui poſſunt cõparari,quia habent idẽ ſubiectũ quo,ſcilicet ſuperficiẽ:eadẽq; erit ratio, ſi in magnitudine comparentur. Quare candor vocis,& candor niuis nõ poterunt comparari. Infringit tamẽ ſolutionẽ , quia inde inferre liceret,omnia eſſe ſynonyma,

nyma, tamen non poſſe comparari, cum non habeant idē ſubiectum quo. Praeterea impugnat, quia nō quoduis ſubiectum eſt receptaculum cuiuſuis, ſed vnius tātum rationis ſynonymæ.

An igitur, &c. Secunda regula. Quę comparantur, nō ſolū non debent eſſe homonyma, verum debēt eſſe eiuſdē ſpeciei infimæ, non tantū ea, penes quę ſit comparatio, verum etiam ſubiecta, in quibus recipiuntur. Vt duo colorata ſub ratione colorati, nequeūt comparari, ſed ſolū duo colorata in particulari, verbi gratia duo alba.

Sic etiam in motu, &c. Ad inſtitutum rediēs, docet, illos motus poſſe cōparari in celeritate, qui pari tempore conficiūt parem curſum per medium eiuſdem rationis. Vnde commutatio, & loci mutatio non poſſunt inter ſe conferri, quia ſunt motus inter ſe diuerſi.

Ita ſi ea ſunt, &c. Infert etiam, nec motum circularē & rectum poſſe inter ſe conferri, quia inde ſequeretur, lineam rectam æqualem eſſe circulari. Quærit tamen, an hoc ex eo proueniat, quod motus localis nō eſt vnus ſpeciei, vel potius quia magnitudo recta & circularis nō ſunt eiuſdem ſpeciei, vel ex vtraque capite, cum tempus ſemper ſit vnum ſpecie. Et licet obſcure, reſpōdet, ex hoc duplici capite ortum habere: & iterū quęrit, an diſtinguantur ratione inſtrumentorum, quibus efficiuntur, vt ſi res moueantur pedibus, vel pennis. Reſpondet nō ſumi ab inſtrūmentis, ſed à figuris, ideſt à diuerſis magnitudinibus, ſupra quas ſit, verbi gratia recta & circulari. Vnde cōcludit, illos motus eſſe ęquales in velocitate, qui ęquali tempore per ſpatium æquale & ſpecie idem mouentur.

Itaque hoc, &c. Monet, diligenter eſſe obſeruandam vnitatem ſpecificam motuū, vt poſsint comparari, nā generica non ſufficit, cum ſub genere multę lateant ęquiuocationes, id eſt ſpecies, vel differentiæ. Non quia genus proprie ſit ęquiuocū, ſed quia ſimilitudine quadam cum illo tenetur ratione multitudinis ſpecierum, quas continet.

Quando igitur, &c. Quærit rationē diſtinctionis ſpecificæ in albedine, verbi gratia, & nigredine, an ſcilicet ſumatur ex eo, quod idem accidēs ſecundum naturam ſit in diuerſis ſubiectis, vt in niue, & coruo: vel potius ex eo, quod diuerſa accidentia ſecundum natu-

naturam, ſint in diuerſis ſubiectis. Item vnde diuerſitas definitionis, quæ rem explicat, ſumatur, an ex diuerſitate rei, vel ex diuerſitate ſubiecti. Dubitationi non ſatiſfacit, ſed ſatisfaciunt aliqui Interpretes, docendo potius ex rerum natura petendam eſſe.

Commutationes autẽ, &c. Dubitat, an alterationes poſſint comparari & dici æquales, cum qualitates, ad quas ſunt, dicantur ſimiles, non vero æquales, nam hoc propriũ eſt quantitatum. Reſpondet, poſſe apellari æquales, ſi fiant circa eandem qualitatem, & tempore æquali: nec mirum cum recidat comparatio hęc in motus ipſos, qui ſũt quãti.

Quoniam quod, &c. Explicemus, inquit, genera, alterationis, & lationis. Conſtituit itaq. tertiam regulam. Si mobilia, quatenus mobilia, differunt genere, etiam motus: ſimiliter ſi ſolum ſpecie, aut numero, etiã motus ſpecie, aut numero.

Sed ſi ea qua, etc. Inſuper inquirit, an dicantur æquales in celeritate commutationes ratione eiuſdẽ qualitatis adquiſitæ, vel ratione ſubiectorum, in quibus recipiuntur. Reſpõdet, eſſe eaſdem ratione qualitatis adquiſitæ, æquales vero ratione ſubiectorũ.

Ortus etiam, etc. De generatione, & corruptione idem dubium pertractat: ſumit tamen has etiam pro pręuijs alterationibus, docetque, idem eſſe iudicium, & ad res explicandas non ſuppetere proprias voces. Ac tandem quãdam ex Pytagoricis doctrinam parum vtilem refert.

CAP. V. DE PROPORTIONE INTER MOVENS, ET quod mouetur.

QVONIAM *autem, etc.* Primum agit de motu locali, in quo hæc quatuor docet reperiri, ſcilicet mouens, mobile, tempus, & ſpatium.

Si A, quidem, etc. Quædam adfert theoremata. Primum eſt. Si mouens moueat pondus per ſpatium, idem mouens eodem tempore mouebit dimidium illius ponderis per ſpatium duplo maius. Secundum theorema. Si mouẽs

mouet pondus in aliquo tempore per ſpatium, in dimidio temporis mouebit dimidiũ ponderis per idem ſpatium.

Eademq. vis, etc. Tertium theoremma. Si mouens moueat pondus per aliquod ſpatium, in dimidio tẽporis mouebit per dimiũ ſpatij. Quartum theorema. Si mouens alicuius determinatæ virtutis moueat pondus certo tempore per aliquod determinatũ ſpatium, mouens dimidiæ virtutis eodem tempore mouebit dimidium ponderis per idem ſpatium. Probatur ab Ariſtotele argumento deſumpto ex commutata proportione motus & virtutis.

Quod ſi E, ipſum, etc. Quintũ theorema. Si virtutis mouens certo tempore moueat determinatum pondus per aliquod ſpatium, non eſt neceſſe, vt eadẽ virtus moueat eodem tempore duplo minus pondus per dimidium illius ſpatij. Fieri ſiquidem poteſt, vt eadem virtus pondus maius nulla ratione ferre valeat.

Si ergo A, ipſum, etc. Sextum theorema. Si dimidium virtutis certo tempore moueat per ſpatium aliquod dimidium eius ponderis, quod tota virtus mouet; non eſt neceſſe, vt idem virtutis dimidium moueat totum pondus aliqua parte illius temporis, vel aliquã parte illius ſpatij, quæ eandem proportionem ſerbet ad totum, quam pars virtutis ad virtutem: ſin minus nauis, quam multi homines trahunt, poſſet trahi ab vno per aliquam partem ſpatij.

Ob eamq. cauſam, etc. Hinc quoddam Zenonis argumentum ſoluit, & quandam rationem non ſatis firmam proponit.

Quod ſi duo ſint, etc. Septimum theorema. Si duæ virtutes ſeparatiar ſomptæ moueant duo pondera aliquo tempore per aliquod ſpatiũ, ſi virtutes coniungantur, tum etiam & pondera, eodem tẽpore per idem ſpatium virtutes moucbunt pondera illa. Probat quia eadem eſt proportio.

Nam igitur, etc. Proponit tria theoremata pertinentia ad commutationem, & accretionem. Primum eſt. Si virtus aliquo tempore certo augeat, aut alteret, tempore duplo maiori duplum augebit, vel alterabit. Secundum theorema. Eadem virtus dimidico tẽporis augebit, vel alterabit dimidium. Tertiũ theorema. Si aliqua virtus mouens alterando, vel augendo

gendo moueat aliquod ſubiectum aliquo tempore, non eſt neceſſe, dimidiũ illius virtutis in dimidio temporis augere, vel alterare dimidium; ſieri namq. poteſt, vt virtutis dimidium patientis reſiſtentiam non vincat, ſicq. nulla erit alteratio, aut accretio.

OBSERVATIO CIRCA SVPERIORA CAPITA.

QVESTIONES ortum habentes ex primo & ſecundo capite huius libri partim ſolutæ ſunt a nobis 2 phyſico diſput. de cauſis parte 3: q. etiam 3. Quæ ad tertium caput attinent, diximus lib. 5. diſp. 1. q. 6. Quę tandem ad duo vltima capita ſpectant, manifeſta relinquentur ex his, quæ lib. 8. dicemus. Quare, ne eadem ſæpe repetamus, quæſtiones ex hoc lib. ortum habentes, ſilentio inuoluimus.

Finis 7. Lib. Phyſicorum.

K 2 COM-

COMMENTARII VNA CVM QVÆSTIO. IN OCTA. LIB. PHYSIC. Ariſtotelis.

IN hoc octauo libro (qui vt Simplicius obſeruat, optimis & preclaris eſt refertus theorematibus) ex motu & ordine cauſarum ſubordinate mouentium, ad vnam primã cauſam primumq; motorem mutationis & corporea molis expertem deueniendum eſſe, præclare oſtendit: ab illoq; expertem initij & finis cœli conuerſionem fieri demonſtrat.

CAPVT PRIMVM. AN MOTVS SIT SEMPITERNVS.

An motus ſit ætern°.

VTRVM *autem motus, &c.* Statim in controuerſiam vocat, an motus ante, retroq; ęternus ſit, & perpetuo rebus natura conſtantibus conueniat, vt vita viuẽtibus, an potius inceperit, & finem ſit habiturus.

Omnis quidem, &c. More ſolito aliorum dicta recẽſet, aitq; primo, omnes phyſicos motum conſtituiſſe, tum quia genitum fuiſſe mũdum affirmarunt, tum quia tota illorũ conſideratio verſatur in rerũ ortu, & interitu, quę abſq; pręcedente motu conſtare nequeunt. Vt hoc probet, inſerit nonnullas opiniones de mundi vnitate & multiplicitate.

Igitur ſi fieri, &c. Non omnes phyſicos conſtituiſſe motum inmortalem, ait. Hos vt impugnet, recenſet prius duos modos, quibus motus initiũ habere potuiſſe videatur: vel vt Anaxagoras credidit; qui, omnes res poſt infinitam quietem à mente fuiſſe ſegregatas, & agitari cœpiſſe, exiſtimauit: ſicq; mundi generationẽ contigiſſe. Vel vt viſum eſt Empedocli, exiſtimãti mundum interdum moueri cogente lite, vel à micitia: interdum vero quieſcere, me-

diis

diis temporibus, dum ſcilicet nec erat generatio, vel corruptio per litem, aut amicitiā.

Quæ quidem, &c. Controuerſiæ propoſitæ veritatē adiumentum adferre docet, nō ſolum phyſicæ, ſed metaphyſicæ. Supponit deinde, definitionem motus à ſe traditam 3. Phyſico, ex qua infert, conſtituendas eſſe res, quæ quouis genere motus moueri poſſint. Et idem probat, motus prętermiſſa definitione, ex cō muni omniū cōſēſu, inductione facta per genera motus.

Ita hæc etiam; *&c.* Nullū fuiſſe primum motum, ſed ante quemlibet alium extitiſſe, ita probat. Si motus habuiſſet initium temporis, vel mouens & mobile, cuius eſſet ille primus motus, cæpiſſent aliquādo, vel potius fuiſſent ab æterno: ſi primum; igitur per aliquem motum, quare non fuiſſet primus ille motus, qui primus dicebatur. Si ſecundum, fieret inde, mobile æternum temporibus infinitis ſine motu fuiſſe, quod eſt abſurdum, & facile poteſt impugnari. Primo, quia non poteſt aſignari ratio, cur potius nunc quam antea motor mouerit. Inſuper, quia ſi non ſemper mouiſſet, impedimentum aliquod illi obſtaſſet, ad cuius motionē opus fuiſſet aliquo motu, quo detraheretur; quare primum motum alius motus anteiret. Aſſerendum igitur eſt, neceſſario motū fuiſſe ab æterno.

Nam cum alia, &c. Ante ſecundā rationē aſſumit, hoc eſſe diſcrimē inter agens naturale & liberum, quod naturale eſt determinatum ad vnū effectum producendum, vt calidum ad producendū calorem: at vero liberum poteſt producere diuerſos, & contrarios effectus. Licet etiam agens naturale calidum verbi gratia, per accidens interdum cauſa ſit frigiditatis, vt medicus verbi gratia, mortis, cum ſcilicet abutitur arte. Hoc poſito, quia aliquis exiſtimare poterat, in mouētibus liberis, cum ſponte moueantur, & quieſcant, nō eſſe neceſſe, vt auferatur impedimentum, & quietis cauſa, docet, eadem etiam lege teneri, & conficit ſecundam rationem ita. Quod mouet, & quod mouetur, aliter affecta ſunt ante motum, & dum fit motus; ſed non poſſunt aliter ſe habere, niſi per motum & mutationem; ergo omnem motum præcedet alius: quare motus erit æternus. Agēris naturalis, & liberi dift.

Neceſſe eſt enim, &c. Tertia ratio. Mouens & mobile medio motu dicunt relationem;

nem; ſed licet ad hanc non ſit per ſe motus, illam tamen præcedit in vtroque, vel ſaltē in altero extremo; ergo ſi hoc eſt mouens, & illud mouetur, hoc factum eſt per aliquam mutationē: quare omnem motum præcedit alius.

Præterea prius, &c. Quarta ratio. Prius & poſterius nequeunt dari abſque tempore, nec tempus poteſt eſſe abſq; motu; ergo ſi motus habuit initium, antequam ille inciperet, iam erat tempus: atqui tempus nequit eſſe abſque motu; ergo antequam eſſet motus, iam erat.

Atqui omnium, &c. Quinta ratio deſumitur ex communi conſenſu, nam tempus æternū fuiſſe, tradiderunt omnes, excepto Platone aſſerente, factum fuiſſe ſimul cum cœlo, hoc vero originem & initium habuiſſe.

Quod ſi fieri, &c. Quinta ratio. Nequit excogitari tēpus ſine inſtanti, quod finis eſt partis præteritæ & initium futuræ; ergo tēpus eſt æternū. Conſequentia probatur, quia nullum licet ſumere inſtans, ſiue initium temporis, quod non ſit finis præteriti, & principium futuri; ergo ſi incepiſſet per inſtans, illud tempus aparte ante eſt infinitum; ergo & motus, cuius eſt quædā affectio tempus.

Eademq; ratione, &c. Docet eadē ratione demonſtrari, motum à parte poſt futurum eſſe æternum: quemádmodum enim ſi habuiſſet initium, conſtituendus eſſet motus primus priori, ita ſi habiturus foret finem, aliquem poſtremo poſteriorem conſtituere oporteret. Non enim ceſſante motu, peribunt mobile, & mouens: quare cum in mouēte reperiatur virtus ad mouendum, & in mobili vt moueatur, dabitur mouentis & mobilis concurſus, iterumque mobile à mouente motum accipiet.

CAP. II. IN QVO VETERVM SENTENTIAS proponit.

QVAE ſi fieri, &c. Ex dictis ſupra concludit, fictitium eſſe exiſtimare, motum initium habuiſſe, aut habiturum eſſe finem: Anaxagoramq; & Empedoclē hoc exiſti-

exiſtimantes, primo reprehẽdit.

Quod autem infinitum, &c. Ab ordine, quòd natura rerum pollulabat, qui in ratione & proportione poſitus eſt, infert, alienum eſſe à veritate, vt res tempore infinito quieuerint, & poſtea cœperint aliquãdo moueri, quia finiti ad infinitum non datur proportio. Tum etiam quia nulla eſſet maior ratio, cur nunc, quàm antea moueri cœperint. Subiicit, in duplici eſſe differentia, quæ à natura fiunt: quædam ſemper eodem modo ſe habentia, vt ignẽ ferri ſurſum natura ſua: alia non item, vt patet in viuentibus. Hinc tacite videtur inferre, res tempore infinito quieuiſſe, & poſtea fuiſſe motas, pugnare legibus naturæ, cum ad nullum ex his modis pertinere videatur. Hinc præfert ſententiam Empedoclis, ſententiæ Anaxoræ: & poſtea Empedoclẽ etiam reprehendit: Sed hæc parum vtilia ſunt.

Quæ autem his, &c. Proponit tria veterum argumẽta, quibus probabant, motum non fuiſſe æternum. Primum eſt, quia omnis mutatio eſt terminis finita, cum verſetur inter terminos contrarios.

Præterea animaduertimus, &c. Secundum argumentum. Inanimata nõ ſemper mouentur, nec ſemper quieſcunt; ergo illorum motus non eſt æternus.

Sed hæc in rebus, &c. Tertium argumentum deſumitur a rebus animatis, quæ mouentur à ſe ipſis, & præcipue ab homine. Animalia enim non mouentur à cauſa externa, & in illis motus non eſt æternus; ergo in rebus ad totam rerum vniuerſitatem pertinentibus idem erit iudiciũ. Si enim in paruo mundo, id eſt in homine, ita fit, ita fiet in magno.

Atque horum quidem, etc. Reſpondet primo argumento, ex motibus, qui verſantur inter contraria, non poſſe unum & eundem motum eſſe æternum, cum claudatur terminis contrariis: tamen nil obſtare, quo minus motus in orbem, qui conuenit corpori immortali, quale eſt cælum, ſit æternus: ſi quidem termini huius motus non habent illam contrarietatem, quæ prohibet perennitatem in motu.

Quod affertur, &c. Reſpondet. 2. argumento, concedendo, moueri aliquid, quod antea non mouebatur, nõ eſſe abſurdum, ſi moueatur a cau-

ſa

ſa externa, qua præſente motu cieatur, abſente vero quieſcat. Vult ergo, quod quoties cunq. res inanimata moueri incipit, eum motum antecedere alium, illum alium, & ſic in infinitum.

Maxime autē illud, &c. Reſpondet 3. argumento, manifeſtum eſſe, rebus animatis quoſdam motus extrinſecus aduenire: nā etſi motu locali a ſe ipſis moueantur, commutantur tamen ab alijs. Rē diffuſe pertractat. Sed quia in quęſtionibus oſtendemus, nec Ariſtotelis ſententiam, nec rationes eſſe admittēdas, proinde quę ad hoc caput ſpectāt, paucis ſumus complexi.

CAPVT. III. AN OMNIA MOVEANTVR, VEL quieſcant.

I*NITIVM autem, etc.* Diſputationis huius initiū, docet eſſe dubitationem a ſe ſuperiori capite adductam, ſcilicet cur aliquę res interdū moueātur, & interdum quieſcant. Id vt facilius explicet, tripartitam adfert diuiſionē, ſcilicet aut omnia perpetuo moueri, aut omnia perpetuo quieſcere, aut quædam moueri, & quædam quieſcere: & ex his, quę tertio membro continentur, aut quæ mouentur, perpetuo moueri, & quæ quieſcunt perpetua quiete potiri; aut omnia talis eſſe naturę, vt æquè moueantur, & quieſcant. Tertium, ſcilicet quædam ſemper quieſcere, alia ſemper moueri, alia interdū moueri & interdum quieſcere verū eſſe docet, & ex eius explicatione diſputationem pendere.

Ac illud quidem, &c. Aſſerere, omnia quieſcere, vt aſſirmabat Parmenides, & Zeno contra ſenſuum notitiam, deceptio quædam, & mentis perturbatio eſt, & non ſolum phyſicæ, ſed etiam omnibus artibus & ſcientijs repugnās. Nec phyſici eſt, hos redarguere: nam quemadmodum dicta contra Matematicæ principia non attinent ad Matematicam, ita neq. ad phyſicam, refellere hāc abſurdam opinionem, cū deſtruat motum, & dictum ſit, naturam, circa quam phyſicus verſatur, motus eſſe principium.

Hoc etiam cōſirmare, etc. Hera-

Heraclitus & Cratylus cuncta in perpetuo & perẽni motu poſſuere: quam ſentẽtiam falſam iudicat, licet à ſuſcepto inſtituto nimis alienam. Falſa quidem eſt, quia vt natura eſt principium motus, ſic etiã quietis: minus vero aliena, quia motus videtur magis naturalis, quã ſit quies. Multi enim non affirmant, aliqua moueri, & aliqua non moueri, ſed omnia perpetua quadã circa agitatione, quæ ſenſus noſtros effugiat. His, & ſi non explicent, de quo motu, & ande omnibus loquantur, facile tamen occurremus, quia nec accretio, nec decretio ſine intermiſione fit. Hoc explicat à ſimili, exemplo deſumpto à guttis aquę particulam à lapide detrahentibus, ſed non continue, cũ primæ emoliant, & vltima ſcindat, & ſeparet. Idem contingit in arbuſcula ſaxum ſcindente. Confirmat etiam exemplo deſumpto à naui, quæ à multis hominibus permultum tractum trahitur, à ſingulis vero nec per ſpatiũ exiguum ferri poteſt.

Eadem eſt etiam, &c. Idem in alteratione oſtendit, & in primis non poſſe in infinitum ſecari, etiam ſi ſic diuidi poſſit ſubiectum, quod alteratur. Quaſi in vna temporis parte pars ſubiecti alteretur, deinde alia, ſicq; infinitè percurrendo, ſed fit in omnibus partibus ſimul, vt fit concretio. Idem probat in curatione, cũ aliquis ægrotat. Aſſerere ergo, commutationem deficiẽtem naturam non habere, & ſine intermiſione fieri, eſt à rebus notis diſſentire, cum alteratio omnis a contrario ſoluat, & in contrarium ducat. Tum etiam quia lapis non fit ſemper durior, aut mollior, & hoc eſt alterari.

Et certe mirum eſt, &c. Idem probat in motu locali: mirum enim eſſet (vt perpetui motus aſſertores aiebant, omnia perpetuo moueri, hoc tamen noſtros ſenſus effugere) non percipi ſenſibus ſaxũ, cum deorſum fertur, & cũ in terra quieſcit. Minime enim illorum ſententia in latione cõſtare poteſt. Præterea quia elementa in propriis ſedibus ſuaptenatura quieſcunt, nec inde, niſi illata extrinſecus vi, pelluntur: non igitur hæc perpetuo per omnem locum in diſcriminatim mouentur.

Quieſcere autem, &c. Aliã traditę diuiſionis partem, nẽpe omnia, quæ mouentur, ſemper moueri, & omnia quæ quieſcunt, perpetua quiete potiri, infringit inprimis, quia experimur paſsim, multa ex quiete ad motum, & ex motu

ad quietem tranſire. Inſuper, quia ſunt motus violēti, quos non licet conſtituere, niſi eædem res nunc quieſcant, mox moueātur. Eſt enim violētus motus, receſſus mobilis à loco vbi naturali quiete fruebatur. Ad hæc, quia nullus eſſet interitus, aut ortus, cum ortus & interitus motus quidam ſint. Perſpicuũ igitur manet, quædam interdũ moueri, & quædam interdum quieſcere.

Quod autem petitur, &c. Reiicit ſecundum membrum ſecundæ diuiſionis, omnia ſcilicet interdum moueri, & interdum quieſcere: affirmatque rationibus ſuperioribus reiici poſſe. Inſuper eadem repetit à diuiſione, refellit iterum primũ membrum illius, nempe omnia quieſcere.

Quod ſi eſt, &c. Probari poſſe, dari motum, ex eo quod motum aduerſarii negant, oſtendit: quia ſi non eſt motus, opinio ſiue exiſtimatio, qua motum eſſe apprehēdimus, falſa eſt: ſed quæuis opinio, ſiue imaginatio eſt motus; ergo dum motum negant, motũ conſtituunt. Monet præterea, hominum eſſe de rebus male iudicantium, velle dubitare in rebus ſenſus iudicio, & experiētia magis conſpicuis, quam vt ratione comprobari valeant. Huius generis eſt, in rerum vniuerſitate conſtituendum eſſe motum, cum ſenſibus pateat. Hinc ſecundam partem primæ diuiſionis, & primam ſecundæ, verbis ſatis manifeſtis impugnat. Denique in fine capitis pollicetur, ſe fuſius in ſequentibus cætera diuiſionis membra pertractaturum. Imaginatio eſt motus.

CAP. IIII. OMNIA QVÆ MOVENTVR AB ALIO MOVERI.

EOrum quidē, &c. Tres mobiliũ hoc loco adducit diuiſiones, vt inde in ſequētibus deducat, dari vnũ perpetuum motũ & vnũ primũ motorem motus omnis expertē. Prima diuiſio. Quę mouent, aut mouentur, alia mouent, aut mouentur per ſe, & alia per accidens. Per accidens mouent, aut mouentur illa, quæ ſunt in alio, quod per ſe mouet, vel mouetur, vel quæ ſunt in alio tāquam partes. Per ſe autem, oppoſito modo, affecta ſunt, quæ ſcilicet nec ſunt in alio, quod mouetur per ſe, nec ſunt partes illius.

Eorum

Eorum ſane, &c. Secunda diuiſio. Quę mouentur per ſe, alia mouētur à ſe ipſis, & alia ab alio: quædam ſecundum naturam, quædam præter naturam. Ea enim quę a ſe mouentur, inquit, moueri ſecundum naturam, vt animal, nam in illo eſt principium motus: & ea, in quibus tale eſt principium, a ſe ipſis moueri dicimus. Corpus autem, verbi gratia humanum, & naturali motu, & contra moueri poteſt. Videndum enim eſt, inquit Ariſtoteles, quo motus genere corpus feratur: nam ſi mouetur ad motum elemēti prædominantis, motu naturali, ſin minus motu violento cietur.

Eorum etiam quæ, &c. Tertia diuiſio. Quæ ab alio mouētur, alia mouentur motu naturali, alia motu contra naturā. Contra naturā vt grauia ſurſum, & ignis deorſum. Numerat inter ea, quę pręter naturā mouentur, partes animalium, prout interdū aliter, quā illorum natura poſtulat, mouentur ratione alicuius prępoſteri ſitus, vel modi inordinati motus: vt ſiquis tibias in anteriorē partē flecteret, vel ſerperet, aut manibus ambularet.

Maximeque id, &c. Iā demōſtrare inſtituit, omne quod mouetur ab alio moueri. Ac in primis notiſsimum eſſe, ait quod mouetur pręter naturā, ab alio moueri: nā ab externo principio cietur. Idem fit in his, quæ mouentur ſecundū naturam, à principio ſcilicet intrinſeco, qualia ſunt animalia. Manifeſtum eſt enim hæc ab alio moueri, licet dubium ſit, qua ratione diſtinguatur id quod mouet, ab eo quod mouetur. Videntur enim animalia ſe habere vt nauis, quę dicitur moueri à ſe, eo quod moueatur a nauta, quem in ſe cōtinet. Hoc enim modo vniuerſum, id eſt totum animal ſe ipſum mouet: continet enim in ſe ſui motus principium.

Maxima autē de reliquæ, &c. Dubiū eſſe ait circa tertiā diuiſionē, propter ea quę mouentur ab alio, inter quę continentur grauia & leuia, quæ ſua loca naturalia quærunt. Hæc enim ab interno principio nō cieri, ſuadet primo ratio, quia moueri à ſe propriū eſt animantium. Deinde quia ſi a ſe mouerentur, in illorū eſſet poteſtate quieſcere, & moueri in contrarias partes. Inſuper quia ſimilaria, qualia ſunt grauia & leuia, nō habent vnā partē integrantē per ſe mouentē, & alterā per ſe motā, quod neceſſario deſideratur in his, quę a ſe mouētur, vt patet in animalibus.

At enim hæc,&c. Vt oſtẽdat, à quo corpora vitæ expertia cieãtur, diuidit mouẽtia in ea, quæ pellunt vi, vt vectis, quo pòdus, quod ſuapte natura deorſum tendit, alio fertur. & in ea, quę natura mouent, vt calidum naturaliter dicitur calfacere lignũ, quod potentiam habet, vt calefiat. In igne enim internum principium eſt ad hoc. Et in aliis, inquit, idem eſt iudicium. Pari etiam ratione quæ mouentur, alia per ſe mouentur, quæ ſcilicet ad hoc habent internum principium: & alia per accidens, nempe quę accidut principio per ſe tam in commutatione, quã in accretione, & latione. Idem enim, vt quantum, per ſe accreſcit, ei vero, vt accreſcit, accidit eſſe æquale: vt homo perſe accreſcit, albus vero per accidens. Nam accidit ei quod accreſcit, albedinem habere.

Ignis ergo, &c. Statuit, grauia & leuia ab alio vi moueri, cum præter naturam feruntur: natura vero ſua, quãdo exercẽt actiones, ad quas exercendas natiuam habent facultatem, vt cum ignis fertur ſurſum, aut terra deorſum.

Quoniam autem, &c. Monet non eſſe perſpicuum, qua ratione moueantur grauia, & leuia, prouenireq; hoc ex eo, quod multis modis dicitur aliquid eſſe in potentia, ſcilicet ad actum primum, & ad actũ ſecundum, ſiue operationem. Eſt ergo actus primus forma, vt ſcientia. Actus vero ſecundus eſt operatio, verbi gratia actualis cognitio ſiue contẽplatio, quæ à ſcientia oritur. Fit ergo trãſitus ex vna potẽtia ad alteram: nam qui prius erat in potentia ad actum primum, verbi gratia ad ſciẽtiã, illa acquiſita, manet in potẽtia ad ſecundum, nempe ad contẽplationẽ. Eodẽ, inquit, modo res ſe habet in rebus naturalibus, nã quod potẽtia calidũ erat, quando actu calidum eſt, manet adhuc in potentia ad calefaciendum, & calefaciet, niſi quid obſtet, & calefactionem impediat.

Quod etiã fit in grauibus, &c. Ait, idẽ eſſe iudiciũ in grauibus & leuibus. Quod enim leue eſt, habet potentiam, vt fiat graue, & poſtquam graue factum eſt, niſi quid obſtet, potentiam habet ad motum deorſum: vt aer potentia eſt aqua, & ſi actu fiat aqua, ſtatim, niſi quid impediat, deſcẽdet. Addit, eodem modo res ſe habere in quantis, & qualibus.

Hoc igitur quærit, &c. Aſſignat iam rationem, cur grauia

nia & leuia in ſua naturalia loca ferantur, docēs, vnū quodque corpus aptitudinem habere, vt alicubi tanquam innatiua ſedequieſcat, vt ibi à cōtrariis facilius tueatur. Sedes vero hæc reſpectu leuium locus ſuperus eſt, & reſpectu grauium inferus.

Leue autem, &c. Iterum repetit, quę de gemina illa potentia in grauibus, & leuibus docuerat, tum etiam in quantis, & qualibus. Præterea, inquit, remouens impedimentū, quod impediebat, ne grauia tenderent deorſum, aut leuia ſurſum partim non mouere illa, ſcilicet per ſe: & partim mouere, nempe per accidens. Cōcludit ex dictis, nullum graue, aut leue mouere ſe ipſum, habere tamen in ſe principium ſe mouendi, non actiuum, ſed potius paſſiuum ad recipiendum motum, & vt ab alio feratur.

Quod ſi omnia, &c. Facta quadam manifeſtiſsima inductione, concludit, omnia, quæ mouentur, ab alio moueri. Hoc theorema demonſtrauerat iam initio.7.lib. ſed non ita accurate.

CAP. V. CONSTITVENDVM ESSE ALIQVEM PRIMVM motorem, qui vel non moueatur, vel moueatur eſſe.

HOC *autem, &c.* Quaſdā rius aſſumit diuiſiones. Prima eſt. Ex mouentibus aliud mouet per aliud, quia ſcilicet impellitur & mouętur ab alio: aliud vero per ſe, quod non motum ab alio motionem efficit; verbi gratia, baculus mouet lapidem per accidēs, quia mouetur ab homine: homo vero per ſe, quia non mouetur ab alio.

Aut per ſe, &c. Secunda diuiſio. Mouens per ſe vel mouet vnico medio, vel multis, vt homo poteſt mouere lapidem media ſolū manu, vel media manu, & baculo. Monet tamen, primum mouens, & mouentia media partim inter ſe cōuenire, & partim differre. Conuenire quidem, eo quod omnia ſimul moueant: differre vero, quia primū mouens primo mouet, & nullo externo motore mouetur, magiſq; mouet, cum abſq; alio motore moueri poſsit: media vero mouentia diuerſo & oppoſito modo ſe habere.

Si ergo omne, &c. Demõſtrat iã, in mouẽtibus deueniẽdum eſſe ad vnũ primũ, quod nõ moueatur ab alio. Sic vero agit. Si omne quod mouetur, neceſſe eſt ab alio moueri; igitur id, à quo mouetur, vel mouetur à ſe tãtũ, vel ab alio. Si à ſe tãtũ, datur vnũ. 1. mouens. Quod vero nõ poſſit ab alio moueri, & rurſus illud ab alio, ita vt ſit progreſſus in infinitũ, probat, quia in mouentibus infinitis multidiue nullũ eſt primum, neq; vltimum. Quare deueniendum eſt ad primum motorẽ, qui cætera moueat, & à nullo moueatur.

Hoc etiã modo, &c. His verbis. 2. proponitur demonſtratio, quę parũ imo nil fere differt à prima, atq; ita Vicomercatus cenſet, hanc in margine fuiſſe conſcriptã, atq; ab Appellicone Teron. qui Ariſt. libros conſtruendos curauit, hũc in locum inſertam fuiſſe. Ipſe enim met Ariſt. teſtatur, eandem eſſe cum ſuperiori.

Sed præterea, &c. Oſtendit, non quidquid mouetur, ab alio moueri: nã vel per accidens mouetur, ita vt moueatur, dum mouet: vel mouetur per ſe. Si per accidens, non eſt neceſſe moueri, id quod mouet; & ita ſi conſtituamus, nõ moueri, nullũ ſequetur impoſſibile, nã ex poſsibili, licet interdũ ſequatur falſum, nũquã tamẽ ſequitur impoſsibile. Si vero abſolute conſtituamus, non moueri, omnis è medio tolletur motus, quãdoquidẽ quidquid mouet, mouetur, vt oppoſitę ſentẽtię auctores volũt; ergo nõ eſt aſſerẽdũ, omne quod mouet, ab alio, moueri.

Nam cum tria, &c. Vt probet, dari mouens immobile, aſſumit prius, tria concurrere in motu ſ. mobile, id quo mouetur ſiue inſtrumentum, & mouẽs. Id quod mouetur, neceſſe eſt moueri, ſed nõ eſt neceſſe quod moueat. Inſtrumẽtũ mouet, & mouetur: mouet, quia ad id aſſumitur: mouetur quia ſimul eſt, & cõiunctũ cũ re, quæ mouetur, ac proinde ſimul cũ illa mutatur, vt patet in his, quæ mouẽt motu locali, quę vſque ad certũ terminũ debẽt eſſe cõiuncta cũ rebus, quas mouẽt. Id autẽ quod ita mouet vt nõ ſit inſtrumẽtũ, id ſane mouet, & non mouetur. Quẽadmodũ enim videmus vltimũ mobile, quod mouetur, & non mouet v. g. lapis, quãdo ipſum media funda & brachio mouemus: & media mouẽtia, quę mouent, ſed mouentur etiã ab alio, ita cõſtituedum eſt quoddã tertiũ quod moueat, ſed nõ moueatur. Quare vera eſt ſententia Anaxagoræ cõſtituentis mẽtem

tem à receptione cuiuſcumq; externæ vis, & ab omni mutatione liberam, ſiquidem illa omnis motus fontẽ, initiumq; conſtituit. Quare ita demum mouebit, & ſuas inuictas vires exercebit, cũ omnis motus, & mixtionis expers ſit.

At vero ſi, &c. His verbis cõfirmat ſecundã partẽ minoris ſuperioris argumẽti. ſ. non omne quod mouet, per ſe & neceſſario moueri, quia vel moueretur eadẽ ſpecie motus quã moueret, vel diuerſa: quorum neutrũ affirmari poteſt. Non primũ, quia fieret inde, vt quod calefaceret, calefieret; quod curaret, curaretur, & quod loco mouet, loco moueretur. Neq; ſecũdũ, cũ motus ſpecies finitæ ſint, atq; ita neceſſario deueniẽdũ eſt ad primũ mouens, quod nõ moueatur alia ſpecie motus.

Perſpicuum eſt enim, &c. Quia quiſpiam occurrere poterat, negans infinitas motus ſpecies, ſed eaſdẽ tranſpoſitas ſufficere, oſtẽdit nihilominus ſequi, rem moueri à mouente moto eadẽ ſpecie motus, cũ vnũquodq; magis moueatur à primo & remoto, quã à proximo & intermedio motore. Si igitur talis trãſpoſitio ſufficeret, aliquid mouẽs remotum moueretur eadem ſpecie motus, qua mouet.

Prætera efficitur, &c. Iterum repetit eãdem rationem, qua poſtremam minoris partem confirmauit, ſcilicet non omne quod mouet, per ſe moueri.

Non igitur neceſſe eſt, &c. Ex dictis concludit, non eſſe neceſſe, id quod mouetur, moueri ſemper ab alio, quod aliunde motum accipiat, ſed tandem ſiſtendum eſſe in aliquo, quod moueat & ab alio non moueatur. Id enim quod ſic mouet, vt non moueatur, eſt fons & principium motus, non vero id quod ſic mouet, vt ab alio moueatur; nam cauſa per ſe ſemper eſt prior, & antiquior quam cauſa per accidens.

Ita ſit, &c. Vt explicet, ſi quid moueat ſe, qua ratione, & quo genere motus ſibi ipſi cauſa motus eſſe poſsit, aſſumit prius, omne mobile eſſe diuiſibile in ſemper diuiſibilia. 6. nãq; li. dictũ eſt, omne quod mouetur eſſe continuũ. Omne mobile eſt ſe per diuiſibile.

Fieri ergo nõ poteſt, &c. Videtur nũc ſupponere quatuor modos, quibus mẽte cõcipere valeamus, aliquid ſeipſũ mouere, nẽpe quod totũ moueat totũ, aut pars totũ, aut totum partem, aut pars partem. Impugnat primũ modũ, quia ſi totũ ſe totũ moueret, ſequeretur inde idem ferre & ferri eadẽ

ſpecie motus:commutare, & commutari, & ſic de cæteris mutationibus.

Præterea explicatum eſt &c. Ex ipſa motus natura, quæ eſt actus entis in potentia quatenus in potentia, oſtēdit, ſe merito primum motũ reiciſſe. Quod enim mouetur, eſt in potẽtia: quod vero mouet, actu; ergo ſimul res eſſet actu calida, & actu non calida, ſi quod calefaceret, calefieret, & ſic in cæteris ſpeciebus motus: quod plane eſt abſurdum.

Eius ergo quod, &c. In ſuper docet, quod eius quod mouet ſe, aliqua pars mouet, & alia mouetur. Vnde non eſſe aliquod, quod ſe ipſum moueat, ita vt ſecundum vtrãq. partem ſe moueat, & moueatur, conſtat inde, quod non eſſet in illo, quod primo moueat, cum vtraq. pars moueret. Conſequentiam probat, quia vtraq. pars foret primo mouens, aut neutra, cum primum mouens ſit, quod alia mouet, ſiue loquamur de mobilibus, quę in ſe habent principiũ ſui motus, ſiue de illis, quę ab externo principio mouentur.

Præterea cum, &c. Poſuerat antea, conſtituẽdum eſſe mobile, quod non ab alio, ſed a ſe moueatur, oſtendit hoc non ita eſſe accipiendum, quod vtraq. eius pars vtramque moueat, ſed eſſe conſtituẽdam vnam partem per ſe motam, alteram vero, quę in mota manens, moueat.

Præterea non neceſſe, &c. Iterum oſtendit, non propterea aliquid ſe mouere, quia vtraq. eius pars vtramque moueat. Primum, quia non ſemper mouens ab alio mouetur, ſed aut motu caret, aut a ſe mouetur: ſin minus, eſſet proceſſus in infinitum. Præterea, quia nil ita ſe mouet, vt totum moueat totum, vt ſupradictum eſt: quia idem calefaceret, & calefieret: eſſet actu, & non eſſet actu.

Nec vero eius, &c. Alium iam excludit modum, nempe mouere ſe aliquid, eo quod vna pars, aut plures ſe ipſas moueant. Nam ſi totum à ſe ipſo poſſet moueri, eo quod vna aut plures partes ſeipſas mouerent, aut moueretur ab aliqua parte, quæ ſe ipſam moueret; aut diceretur moueri tanquam totum a toto. Si primum dicas, ergo illa pars primo mouebitur per ſe, non vero totum. Si enim eſſet ſeiũcta, ipſa ſe moueret, totum vero non ita. Si vltimum dicas, partes ſe ipſas per accidens mouebunt. Aſſumit demum, totius, quod ſe mouet, ali-

aliquam partem mouere,quę immobilis manet:aliam vero moueri, hacq. ſola ratione poſſe aliquid ſe ipſum mouere. Hoc iterum confirmat propoſito exemplo in partibus lineæ.

*Quoniam autem,&c.*Huc vſq. demonſtrauit, id quod ſe mouet, nō alio ſe mouere, niſi quia vna eius pars mouet immobilis, alia vero mouetur. Nunc demōſtraturus iterum,in eo quod mouet ſe,has partes neceſſario inueniri, quaſdā proponit diuiſiones. Prima eſt. Mouens aliud eſt expers motus, aliud vero ab alio mouetur. Secunda diuiſio. Quod mouetur, aliud ita mouetur, vt moueat etiam: aliud ita mouetur, vt non moueat. Ex his quatuor mēbris,cum ſecundum primæ diuiſionis, & primum ſecundæ coincidant, manent tantum tria, ſcilicet quod mouet, & nō mouetur: quod mouetur, & nō mouet: quod mouetur, & mouet. Colligit ergo,hæc tria reperiri in eo, quod ſe mouet, licet neceſſario duo tātum inueniantur.Hoc probat adhibitis elementis pro terminis: & in fine probationis,docens,quonam pacto ſe habere debeat quoad ſitum pars mouens & pars mota, ait,aut ſe mutuo tangere,aut ſaltem vnam aliam. Hoc vltimum docuit, propter agentia materiæ expertia, quorū virtus attingit mobilia, etſi ab illis non attingatur.

*Ac ſi cōtinuum,&c.*Quādam præmittit hypoteſim,ni mirum,mouens aliquod eſſe continuum & magnitudine præditum (nam mobile huius debere eſſe rationis docuit 6.phyſ.) & docet totum huius rationis perſpicuū eſſe,ſe ipſum mouere, nō quod aliqua eius pars ſe ipſam moueat,ſedquod totū ſe ipſūmo ueat,cum & moueatur & mo ueat: nā aliqua eius pars per ſe mouet,alia mouetur. Non enim totum mouet, nec totū mouetur, ſed vna pars mouet,& altera mouetur. Addit quædam difficillima verba, nempe *C. vero ab A non itē: non enim poteſt.*Quæ vt intelligantur, obſeruandum eſt, ſupponere Ariſt. totum hoc cōſtare ex triplici parte, quarum mouens appellatur A, mobilis B, tertia vero C. Eſt ergo vis rationis. Sublata & ſeparata illa tertia parte,mouetur per ſe totum, nam datur pars per ſe mouēs, & per ſe mota; ergo hoc ſolum requiritur, vt aliquid a ſe moueatur. Pars enim C, cum ſit ſeparata, non poteſt a parte per ſe mouente A moueri.

Sed exiſtit hoc loco, &c. Pertractat quæſtionem, an in toto ſe primum mouente, ſi à parte per ſe mouente, & non mota, vel a parte per ſe mota detrahatur aliqua portio, poſſit, quod manet partis mouentis, mouere, vel poſsit moueri quod manet partis mobilis. Nam ſi ita fit; ergo ante detractionem totum conſtãs ex illis duabus partibus non mouebat primo ſe ipſum, cũ detracta portione idem præſtet.

An nihil prohibet, &c. Difficillimis verbis reſpondet. Sed ſolutio dubij eſt, quod remanet poſſe ſe ipſum mouere: neq. ex hoc ſequi adductum incommodum, nam propter hoc totum non mutauit naturam quantum ad rationem poſſe mouendi ſe, licet detractione facta non maneat ſimpliciter idẽ. quod antea erat. Hæc tamen reſpõſio vera nõ eſſet, ſi totum certam quantitatem prærequireret.

Ex quibus perſpicuũ, &c. Concludit, perſpicuum eſſe ex dictis, in omnibus, quę mouentur, id quod primum mouet, eſſe immobile. Si quidem demonſtratum fuit, non omne quod mouetur, moueri a mouente, quod ab alio moueatur; ſed conſiſtendum eſſe in aliquo, quod, ſi ſit vltimũ mouens, motu careat. Sin minus, habeat in ſe vnam partẽ per ſe mouentem, & alteram per ſe motam.

CAPVT. VI. PRIMVM MOTOREM ESSE ÆTERnum, & immobilem.

QVONIAM autem, &c. Cum motus ſit ęternus, neceſſario conſtituendus eſt primus motor, ſiue vnus ſit, ſiue multiplex, iſq. immobilis. An vero omnia mouentia quæ mouent, & non mouentur, ſint æterna, nõ eſt præſentis inſtituti. Eſſe autem conſtituẽdum vnum mouens immobile tam à ſe, quam ab alio, quod cætera omnia moueat, ex his videre licebit.

Ponamus ſi cui, &c. Reſpondet cuidam tacitæ obiectioni: fuit ergo. Conſtituamus, ſi ita alicui placeat, fieri poſſe

poſſe vt quædam ſint, abſq. eo quod fuerint per generationem, mox non ſint, & hoc abſque interitu (nam ſi quid eſt abſq. partibus, verbi gratia indiuiſibile, & interdum eſt, & interdum non eſt, hoc tale abſq, vlla mutatione fuit, & poſtea non fuit.) Conſtituamus etiam, quod fieri poteſt, principia inmobilia, quæ tamen vim mouendi habent (per hæc principia intelligit Ariſtoteles formas animalium.) quędam interdum eſſe & interdum nō eſſe. Et ſi hoc ponamus, tamen non omnia mouentia immobilia poterunt aliquando eſſe, & aliquādo non eſſe. Neceſſario enim conſtituenda eſt cauſa, cur ea quæ ſe mouent, aliquando ſint, & aliquando non ſint: nam quod ſe mouet, debet eſſe præditum magnitudine, ſi quidem nil partibus carens poteſt moueri: quod vero mouet, non eſt neceſſe vt partes habeat.

Cur ergo aliqua, &c. Primum motorem eſſe ęternum, probat ex eo, quod æternæ & continuæ ſucceſſionis rerum nullum mouentium ad huc immobilium, niſi ſit æternum, cauſa eſſe poteſt, etiam ſi ea mouentia, quæ ſunt, moueant alia, & hæc rurſus alia, atque ita per ſuccedentem motionem. Hoc probat, quia nec omnia illa ſimul poſſunt eſſe huius perpetuæ motionis cauſa, nec illorum aliquod. Si enim vnum ſolum, illud eſſet æternum. Nec omnia, quia & ſi infinita eſſent, tamen non ſimul exiſterent, ſicq. non poſſent eſſe cauſæ huius perpetuæ ſucceſsionis. Etſi enim millies ſumantur, & ab illis generentur, & intereant multa, reperiaturque mouens, quod immotum manens alia moueat, & hæc alia: neceſſario tamen præter iſta cōſtituendum eſt primum mouens, vniuerſa ſua vnitate complectens, extra omnes res ſingulas, illis eſſe, & vim motricem tribuens.

Quod ſi motus, &c. Ex motus æternitate colligit, primum motorem eſſe æternum, ſi ſit vnus; & ſi ſint multi primi motores, eſſe multos æternos. Sed dicendum eſſe potius, dari vnum quam multos, finitos quam infinitos: cum pręſtet conſtituere res numero finitas, & certas quam infinitas, ſi inde nullū ſequatur incommodum: at ſatis eſt, dari vnum primum motorem, & inde nullum ſequitur incommodum:

dum: imo ſequeretur, ſi eſſent multi.

Ex hoc etiam, &c. AEternitatem, & vnitatem primi motoris deducit ex æternitate, & vnitate motus: demonſtratum enim eſt, ſemper fuiſſe motum aliquem, illumq. continuum, eo quod ſemper idem fuit, non vero vnus poſt alium. Si igitur continuus, ergo vnus: ergo vnum mobile, & vnus primus motor: nam cum ad vnitatem motus deſideretur vnitas mobilis, & motoris, ſi eſt alius, & alius motor, motus nō eſt continuus, & vnus, ſed multi motus contigui, vel conſequēter ſe habentes.

His quidem, &c. Suadet, primum motorem eſſe vnum, & æternum ratione deducta ex principijs eorum, quæ ſe mouent. Quæ probatio, quia inuoluit multa ex his, quæ initio libri docuerat, exemplo grauiſſimorum Interpretum merito à nobis prætermittitur.

Ex quibus intelligi, &c. Colligit ex dictis, nullū principium eorum, quæ mouent mota per accidens, eſſe cauſam perpetuæ mutationis, cū moueant mota ab alijs. Quare, vt motus ſit æternus, oportet ſit primum mouens liberum ab omni motu, etiā per accidens, à quo cætera immutentur: ſin minus, motus non erit æternus, & omnis quietis expers.

Non eſt autem, &c. Seſe offerebat inſtantia, nempe Intelligentias perpetuo, & ęterno motu mouere ſphæras cæleſtes, & ſimul ex accidente moueri ad motum illarum motu perpetuo. Reſpondet tamen, dupliciter aliquid moueri per accidēs, ſcilicet a ſe, & hoc contingit rebus, quæ intereunt, vt quādo vna pars mouet totū, & mouetur per accidens ad motum illius. Et ab alio, & quod ſic mouetur per accidens, moueri poteſt motu perpetuo, ſi perpetuus ſit motus ille, à quo per accidens mouetur. Sic ſe habent Intelligentiæ reſpectu cæli. Hic locus ita intellectus cum diuo Thoma, Alexandro, & Auerroe de Intelligētijs motricibus cęlorum, facilior eſt, quam ſi intelligatur cum Simplicio de inferioribus orbibus planetarum, qui ad motum primi mobilis rapiuntur.

Quod ſi quis eſt, &c. Colligit etiam, ex eo quod ſit primus motor æternus, eſſe etiā primum quod moueatur ęternum. Conſectarium probat, quia nō poteſt eſſe illa ęterna & perpetua rerum generatio

& vi-

& viciſsitudo, quã in ſuperioribus demõſtrauit, niſi ſit aliquid quod moueat, & moueatur. Probat, quia quod ab omni motu eſt liberũ, vt primus motor, ſemper mouet eodem modo, & eodem motu, cũ ex eo quod mouet, nulla in eo mutatio ſequatur. Hinc ſequitur, eſſe conſtituendum primũ mobile, cuius interuentu diuerſa fiant. Inefficax ſane probatio: quaſi nõ poſſent omnia immediatè à Deo fieri.

Quod autem mouetur, &c. Monet, quod primum mobile motum à primo motore, per ſe non ſufficeret ad varietatem generationum, & corruptionum, niſi propter diuerſos aſpectus, & variam inferiorum rerum diſpoſitionem.

Ex his ergo, &c. Concludit dicens, manifeſtum manere ex dictis, id quod in ſuperioribus propoſuerat, ſcilicet cur non omnia moueantur, aut quieſcant, aut quædã ſemper moueantur, & alia quieſcant, ſed potius nõnulla interdum moueantur, interdum quieſcant. Etenim quædam ſemper moueri neceſſe eſt, eo quod mouentur à primo motore ſemper eodem modo ſe habente. Alia interdum mouẽtur, interdum nõ, quia mouẽtur à mobili, quod mouetur. Illud vero, quod moueri non poteſt, nempè primus motor, ſemper mouet res eadem ratione.

CAP. VII. MOTVM LOCALEM ESSE PRIMVM inter omnes.

SED *tamenſi*, *&c.* Inſtituti rationẽ reddit, dicẽs, videndum eſſe, vtrum aliquis motus ſit, vel eſſe poſsit continuus, & perpetuus: & ſi poſſit, quis ſit primus inter motus. Si enim neceſſe eſt, ſẽper eſſe motũ, atq; hic ſit primus & perpetuus, erit hic à primo motore, qui huiuſmodi motu vno, primo, & æterno mouet.

Cum tria ſint, &c. Aſſumptum tribus demonſtrat rationibus: primæ hæc eſt vis. Cum motus ſit triplex, accretio, commutatio, & latio, latio primus erit inter motus. Nequit enim eſſe accretio, niſi præcedat alteratio, quia fit per conuerſionem alimenti, quod prius eſt diſsimile, poſtea vero fit ſimile per alterationẽ, quam motus localis ante ire ſolet.

Præterea omnium &c. Secunda ratio deſumitur ex teſtimonio veterum exiſtimantium, rarefactionem & condenſationem ſiue raritatē, & denſitatem cauſam eſſe cæterarum qualitatum, generationis inſuper, & corruptionis rerum: illis vero priorem eſſe motum localem, priorem etiā accretionē, & decretionē, quare primus erit inter motus.

Atque etiam ex his, &c. Tertia ratio. Aliquid dicitur prius alio tribus modis, natura, tempore, & perfectione. Probat imprimis, priorem eſſe natura aliis, quia oportet continenter dari in natura rerum vnum quendam motum, continenter autem eſſe poteſt motus, qui eſt continuus, aut his qui eſt conſequens, ideſt qui ita ſe habet, vt illum præcedat alius, & illum rurſus alius, & ſic cōtinuata progreſſione nulla media quiete: ſed melius eſt eſſe continuū, quā conſequentem, & quod melius eſt, ſi fieri poſsit, ſemper natura facit (fieri poſſe motum continuum, poſtea docebimus, nunc ſupponimus) cū igitur ſola latio continua ſit, ita vt iugem continuitatem abſque intermiſsione ſeruet, erit natura prior aliis motibus. Quod enim mouetur loco, non eſt neceſſe, alteretur, accreſcat, generetur, aut intereat; at horum motuū nullus conſtare poteſt, niſi ſit ille motus localis continuus primi cœli factus à primo motore.

Præterea in quouis, &c. Lationem cęteros motus tēpore anteire, probat, quia æterna ſolū motu locali cieri poſsūt.

Præterea in quouis, &c. Opponere aliquis poterat, inter motus rerum, quę oriuntur, localem eſſe vltimum, nā poſt generationem rei prior eſt cōmutatio, deinde accretio, poſtea vero motus localis, cū animal perfectius euaſit. Reſpōdet, generatione ſemper eſſe priorem aliquē motum localem generantis, ſiue generans ſit remotum, & ingenitum, vt cælum: ſiue proximum, quod, vt generet, neceſſario moueri debet locali motu. Generatio enim, cum ante illā non ſit res, prior eſſe videtur, ſed quanquam hoc ita ſit reſpectu cuiuſuis rei, rędpectu tamen diuerſarum localis motus generantis rei ortę generationem debet anteire. Cum igitur motum localem non præcedat generatio (fieret enim inde, omne quod mouetur localiter, prius generari, & conſequenter tandē corrumpi, quod in cœlo aperte eſt falſum) perſpicuum

enum eſt nullum motum, ex his qui generationem ſequũtur, priorem eſſe locali: illam autem ſequitur alteratio, hãc accretio, accretionem decretio, interitus denique decretionem. Cum igitur ortus latione antiquior non ſit, nec illã cæteri motus anteibunt.

Præterea, cũ omnino, &c. Cæteris motibus lationẽ dignitate priorem eſſe, ita concludit. Natura in rerum generatione ab imperfectis progreditur, quod igitur generationis ordine vltimum tenet locum, cætera perfectione ſuperat. Cum itaq; rebus quæ oriuntur, latio vltimo conueniat, vt plantæ demonſtrant, quæ ob inſtrumentorum defectum latione ferri nequeũt (mouentur tamen aliis motibus) & animalia, quorũ multa latione itidem non mouẽtur, vt quæ ſaxis adhærent, & quæ moueri poſſunt, preſtant hoc, cum iam perfecta ſunt, non ſtatim ac ſunt genita: fit ergo inde, lationem cæteros motus dignitate ſuperare.

Et ab hanc cauſam, &c. Idẽ ſecundo demõſtrat, quia localis motus minus dimouet rẽ ab ſtatu, & perfectione ſuæ naturæ. Etenim accretione dimouetur a quãtitate & à qualitate per commutationem.

Maxime autẽ id, &c. Tertio idẽ probat, quia quæ à ſe mouẽtur, magis proprie dicũtur moueri à ſe locali motu, quã alteratiõe, aut accretione.

Quæ autem mutatio, &c. Demonſtraturus erat, ex lationibus quæ nã ſit æterna, & prima ſed rẽ in ſequens trãſfert caput, modoq; quod antea ſuppoſuerat, ſcilicet ſolũ motum localem poſſe eſſe æternum, ex eo confirmat, quia ſi illũ excipias, cæteri motus & mutationes ſunt inter oppoſitos terminos, & conſequẽter oppoſiti: qui vero ſic ſe habent, æterni eſſe nequeunt, Cumq; certam habeãt durationem, inuoluũt quietem in vtroq; termino, antequã ſ. moueri incipiant, & dũ in adquiſito termino conquieſcunt.

Quod etiã ſit, &c. Similiter rẽ ſe habere in mutationibus probãs, ait, ex oppoſitis mutationibus fieri nõ poſſe vnã cõtinuã. Nõ enim ſimul res oritur, & interit: nec poſtquã orta eſt, ſtatim ad interitũ manet deducta: tẽpus enim neceſſario intercedit. Nec refert, inquit, an hæ mutationes inter cõtradicẽtia poſitæ, propria gaudeãt cõtrarietate, dũmodo fieri non poſſit, vt ſimul in eodem inueniãtur. Nec rerefert, an res, quæ generatur, in termino contradicente quieſcat: nec, an quieti mutatio

tatio contraria ſit:) Quod enim proprie nō exiſtit, non dicitur quieſcere: interitus autem eſt ad non eſſe rei, quæ interit) ſed ſat eſt, inter illas mutationes tempus verſari: ſicq. ex illis continuata mutatio non efficietur.

Nec vero conturbari, &c. Poſuit motui duo contraria, nempe oppoſitum motum, & quietem, cum tamen vnum vni debeat eſſe contrarium. Occurrit, nihil incommodi hoc ad ferre, ſi alia, atq. alia ratione ſumātur. Motus enim motui opponitur contrarie poſitiue, priuatiue vero quies. Certum tamen manere, mutationes contrarias eidem rei nūquam ſimul conuenire.

Præterea in ortu, &c. In capitis fine concludit, ortum & interitum non continuari: quia eſſet perabſurdum, rem ſtatim, ac eſt per generationem facta, interitu perire. Hinc deducit, in cæteris motibus & mutationibus idem omnino eſſe iudicium.

CAPVT. VIII. SOLVM MOTVM IN ORBEM POSSE eſſe æternum.

I*NFINITVM autem &c.* Demonſtremus iam, dari motum infinitum, vnū, & continuum, illumq. eſſe circularem. Omnis enim localis motus, aut rectus eſt, aut circularis, aut ex vtroq. compoſitus. Si igitur rectus, aut circularis, non eſt æternus; ergo neq. compoſitus ex vtroq. Cum itaq. motus rectus infinitus non ſit, cum nulla linea recta ſit infinita, & ſi ſupra rectam motus repetantur, erūt contrarij, qui vnum continuū efficere nequeūt: nā vt in ſuperioribus dictum eſt, ad motus vnitatem mobilis, temporis, & formæ ſiue ſpatij vnitas deſideratur. Quare ſi aliquis motus eſt æternus, ille erit circularis.

Contrarium autem motū, &c. Oſtendit, motus reflexos eſſe inter ſe oppoſitos, eo quod ſi per eandem lineam rectam oppoſite ferātur duo mobilia, mutuo ſe impediēt. Prædictam vero repugnantiam docet non inueniri inter motus, quorum vnus ſurſum eſt, alter vero ad latus, & obliquè deflectit.

Motum autem, &c. Motum

tum rectum, qui perpetuus ſit dari non poſſe, ita oſtendit. Hic nequit fieri perpetuus, niſi per reflectionem; in hoc autem, ſiue ſit in linea recta ſiue in circulari, datur quies. Obſeruat, non eſſe idem, moueri in circulum, & in circulo, ſiue ſupra circulum. Nam quod mouetur in circulũ ſiuẽ in orbem, poteſt moueri perpetuo motu, vt patet in cœlo. Quod vero ſupra circulum mouetur, non ſic ſe habet, nam poteſt intercedere reflectio, ſi mobile retro comeet.

Neceſſe autem, &c. In reflectione inſiſtere, & detineri mobilia, ſenſuum iudicio & ratione manifeſtum eſſe docet. Sed prius hoc principiũ & veluti totius diſputationis fundamentum ſupponit. In linea, ſupra quã fit motus, tria reperiuntur, principium, medium, & finis: & mediũ ad extrema comparatum, vtriuſq; rationem obtinet, re ipſa vnũ eſt, formaliter vero duo. Præterea cum aliud ſit eſſe potentia, & aliud eſſe actu, quæuis rectæ lineæ nota, ideſt quoduis pũctum in medio exiſtẽs, poteſt eſſe mediũ, re ipſa autem & actu non eſt, niſi ipſam diuidat, & inſiſtẽs mobile iterum moueri incipiat: ſic enim actu erit medium, principium ſcilicet vnius partis, & alterius finis: vt ſi mobile A, in B, inſiſtat, & rurſus feratur ad C.

Cum autem continenter, &c. Hic eſt horum verborũ ſenſus. Quod vtitur aliquo puncto tãquã principio actu, & tanquam fine motus, debet quieſcere; ſed quod reflexe mouetur, ſic ſe habet; ergo non mouetur continue, ſed quieſcit. Rem hanc diffuſe pertractabo in quęſtionibus.

Itaque quæſtioni, &c. Tribus, quæ ſe offerunt, ſatisfacit obiectionibus. Prima eſt. Si mobile nõ poſſet ad aliquod punctum ſpatii accedere, & ab illo recedere ſimul & in eodem inſtanti; igitur ſi duo mobilia ęqualis velocitatis initio duarum linearum æqualium conſtituantur, vnum cælerius ad finem perueniet altero: quod manifeſte falſum eſt. Cõſequẽtia probatur, ſi cõſtituamus alterum mobile ad punctum in medio ſuæ lineæ poſitum habens actu rationem principii & finis accedere, & ab eodem inſiſtendo recedere: aliud vero mobile continuo ferri. Primum enim tardius perueniet, cum tardius à medio recedat. Hanc eſſe vim huius rationis obſcure ab Ariſtotele propoſitæ, nec magni momenti, nec multæ vtilitatis, monet Vicomercatus.

n Reſ-

Reſpondet tamen Ariſt. non poſſe mobile ad punctum proprie accedere, & recedere, ita vt inſiſtat, niſi retro cedat. Inquit enim: *Id quidem quod in medio eſt, eſſe poteſt, non reipſa eſt: & cum deorſum fertur, finis eſt, principium autē cum ad ſuperum locum.* Ideſt in medio lineæ nō datur actu punctum, ſed potentia tantū: datur vero reipſa in fine lineę, quod reſpectu motus ſurſum eſt principiū, & reſpectu deorſum finis. Quare quod in recta linea regreditur, neceſſario inſiſtit. Vnde motus ſupra illam factus nō poteſt eſſe cōtinuus & perpetuus, cum fiat per regreſſum.

Eodem autem modo, &c. Eodem modo occurrendum eſſe ait illis, qui argumento Zenonis ita diſputāt. Si ſemper mobile debet dimidiam partē ſpatii prius pertranſire, & partes dimidię ſunt infinitæ multitudine, cum infinita actu pertranſiri non poſſint, non eſt motus conſtituendus.

Aut quēadmodū hāc, &c. Alios philoſophos Zenonis rationem docet ita proponere. Mobile per motū prius numerat primā dimidietatē ſpatii, & idem præſtat cum eſt in aliis dimidiis partibus; ergo decurſo toto ſpatio, numerauit numerum actu infinitum, quod, inquit, citra controuerſiam eſt impoſsibile.

Non quidem, &c. Repetēs ſolutionem, quam adhibuit in primis diſputationibus de motu, ſcilicet lib. 5. cap. 2 ait ſe ibi docuiſſe, tempus etiam eſſe infinitum. Nec eſſe abſurdū, mobile tempore infinito percurrere ſpatiū infinitum. Addit. *Similiter autē infinitū quiddā, & in longitudine ineſt, & in tempore:* Ideſt, vt magnitudo eſt infinita ſecūdum illas dimidias partes, ita etiā tēpus eſt infinitū ſecundum has dimidias partes.

Sed hæc explicatio, &c. Fatetur planè adhibitam ſolutionem euaſionem eſſe & ad diſputandum ſufficere, ad rem vero ipſam & veritatem non ſufficere. Nam ſiquis, inquit, prætermiſſa magnitudine, prætermiſſa etiam propoſita quæſtione, idem illam de tempore pertractat, an ſcilicet in tempore percurri poſsint infinitæ partes, cum tempus in infinitum diuiſibile ſit, ſuperior quidem reſpōſio non ſatisfacit.

Sed id quod res eſt, &c. Rationi Zenonis ait adhibēdam eſſe ſolutionem ex proxime dictis. Dictum autem eſſe, puncta inter media poteſtate reperiri in linea, non actu.

actu. In actu vero reduci, ſi quis diuiſerit lineam, atque vno puncto pro duobus vtatur. Sic etiam facit, qui numerat, & diuidit in duas partes: & ſic nec linea erit continua, nec motus ſupra illam factus continuus erit. Supra magnitudinem enim continuam fit motus continuus, & incontinuo partes dimidiæ, id eſt, proportionales, non ſunt infinitæ actu, ſed potentia. Si iſtæ inter ſe continuæ ſint ſupra illas, fit motus vnus & continuus: actu vero diuiſis, illicò diſſoluitur continuitas.

Quo circa ei qui, &c. Plenè dubitationi ſatisfacit, dicens, inquirenti num in tempore, vel in magnitudine poſſint infinitæ partes pertranſiri, reſpondendum eſſe, poſſe quadam ex parte, & quadam ex parte non poſſe. Si enim actu ſint, non poſſunt pertranſiri: ſi vero potentia, poſſunt. Qui enim mouetur motu continuo, abſolute & per ſe, id eſt, actu, non percurrit infinita: per accidens vero, id eſt, potentia (ſic enim cũ. Simplicio interpretatur Vicomercatus) percurrit infinita: quia ſcilicet percurrit totum, quod diuiſibile eſt in infinitum: per ſe vero & ſimpliciter non percurrit, quia accidit, inquit, lineæ habere illas partes infinitas: *Alia enim eſt illius ratio & eſſentia.* Quæ verba ſic intelligo: de eſſentia lineæ eſt continuata extenſio, diuiſio autem illi accidit.

Non eſt autem, &c. Eſt tertia dubitatio. Supra docuerat, eodem inſtanti non poſſe dari acceſſum mobilis ad punctum, & receſſum ab illo. Idem modo præſtat inſtantis naturam explicando. In qua probatione ſolum ſe offert obſeruatione dignum, temporis inſtans eſſe quid inſectibile, & indiuiſibile omninò. Poſtea vero, quia huius capitis inſtitutum huic nitebatur principio, ſcilicet tempus non componi ex indiuiſibilibus, proinde rem hanc (vt Vicomercatus obſeruat) à præſenti inſtituto ſatis alienam demonſtrare inſtituit. Sed de illa dictum eſt ſexto Phyſicorum.

Atque hæ quidem, &c. In reliqua cap. parte tribus communiſsimis, & probabilibus tantum rationibus iterum oſtendit, motus reflexos continuos inter ſe eſſe non poſſe. Sed hæ rationes vt ſunt parum efficaces, ita parum vtiles.

CAP.IX. MOTVM IN ORBEM ESSE SEMPITERNVM.

AT vero is quo.&c. Statim initio capitis docet, motũ quo mobile fertur in orbem, eſſe vnum, & continuũ; & ex hoc nullum ſequi incommodum. Quod enim mouet ex A, tanquã ex termino a quo eodem motu tendit in A, tãquam ad terminũ ad quem. Ex hoc enim nõ ſequitur, idẽ diuerſis aut contrariis motibus moueri: ſiquidem motus quo ab aliquo termino recedit mobile, non eſt oppoſitus illi motui, quo ad eundem terminum accedit, niſi fiant per lineam rectam: ſic enim inter ipſos terminos maxima reperitur diſtantia, quæ huius rei cauſa exiſtit. Nihil igitur obſtat, fieri motum continuũ perpetuo, abſque eo quod intercipiatur quiete. Nam motus in orbem eſt recurſus ab aliquo in aliud. Vnde in motu circulari tranſitus à puncto ad idem punctũ nunquã fit ſupra eaſdẽ partes ſpatii, ad in motu recto per eaſdem partes tendit mobile ad punctum, à quo motus initum duxerat. Motus vero factus per diuerſas partes ſpatii poteſt eſſe perpetuus, ſed non ille, qui ſupra præcurſas regreditur: fieret enim inde, vt mobile eodem motu ſimul motibus oppoſitis moueretur.

Quo circa nec, &c. Ex dictis infert, nec ſupra ſemicirculum, nec ſupra aliquã circuli partem fieri poſſe motum continuum. & perpetuũ, propter eadem incommoda: in circulo tamen poſſe, quia hæc incommoda non ſequuntur.

Quam etiam, &c. Errorẽ Heracliti, & Cratyli, omnia ſcilicet in viciſsitudine quadã & perpetuo fluxu verſari, ex dictis docet manere ſatis euerſum, cum demonſtratum ſit, cęteris motibus à circulari perpetuitatem eſſe denegandam.

Eum autem.&c. Demonſtraturus conuerſionem eſſe omnium lationum primam, hoc vtitur argumẽto. Omnis motus localis vel circularis eſt, vel rectus, vel ex vtroque compoſitus; ſed mixtus eſt poſterior, cum ex aliis componatur: & rectus poſterior eſt circulari: ergo circularis eſt primus. Minorem probat, quia circularis ſimplicior eſt, & perfectior, quia circulus eſt

figura perfecta, cui nihil poteſt addi. At vero, inquit Ariſt. ſupra lineam rectam actu infinitam nõ fit motus rectus, quia nõ datur talis linea: imo ſi eſſet, ſupra illam non fieret motus, quia infinitum nequit motu percurri. In linea vero, quæ finita eſt, motus perpetuus eſſe non poteſt, niſi per reflectionem: quare non erit vnus perpetuus, ſed multiplex, & cõpoſitus: motus vero compoſitus poſterior eſt ſimplici. Si vero motus factus ſupra lineam rectã finitam non retrocedat, finietur tandem, & euaneſcet. Motus igitur circularis prior erit, cũ natura, ratione, & tempore prius ſit perfectum imperfecto, perpetuum ſtatim perituro: motus vero in orbẽ perpetuus eſſe poteſt, ex alijs vero aliquis minime, niſi in reflectione quiete interrcipiatur. Quod ſi intercipitur, non eſt vnus perpetuus.

Sola conuerſio poteſt eſſe motus infinitus.

Motus autem, &c. Conuerſionem eſſe motum vnum, & æternum, non vero lationẽ rectam, iterũ ita demõſtrat. In linea recta, ſupra quam fit latio recta, ſunt determinata principium, medium, & finis, vnde mobile, quod ſupra illã mouetur, habet vnde incipiat & vbi moueri deſinat: nam omnia quieſcũt vel in termino à quo, vel in termino ad quem: in conuerſione autem neq; datur principium, neque medium, neq; finis, cum in linea circulari, ſupra quam fit, nullum punctum initii, magis quam finis, vel medii rationẽ obtineat. Hincq; fit, vt ſphæra ſemper, dum mouetur, dicatur quodam modo moueri, & quodam modo quieſcere; moueri, quia circumuoluitur: quieſcere, quia hoc præſtat, manens ſemper ſecundũ ſe totã in codẽ loco. Cauſam eſſe ait centrum, quod horũ omnium rationem, principii ſcilicet, medii, & finis habet. Quod cum ſit poſitum extra circumferentiam, non eſt terminus motus, in quo mobile in orbem quieſcat. quaſi trãſacto ſpatio: nam ſemper fertur circa centrum, non vero ad terminum. Quoniam igitur centrum fixum eſt, & immobile, proinde quod circa illud mouetur, totum quodã modo quieſcit, quia ſcilicet eandem ab illo ſeruat diſtantiam: & quodam modo totũ motu perpetuo mouetur, quia ſcilicet fertur non in finem, ſed circa medium.

Primũ menſura eſt cæterorum in quouis genere.

Aliud autem, &c. Aliam, ad idem probandum, rationẽ adhibet, ſcilicet menſuram cæterorum motuum eſſe primum inter omnes: nam primum

mum inquauis re menſura eſt cæterorum; & ſic primus etiã motus, qualis eſt cõuerſio, debet etiam eſſe cęterorũ menſura.

Propterea ſola, &c. Iterum rẽ demonſtrat, quia ſola conuerſio eſt æquabilis: quę vero mouẽtur ſupra lineam rectã, inæquabili motu recedunt a termino à quo, & perueniunt ad terminum ad quem: nam quę magis recedunt à termino a quo, eo celerius mouentur, ſola autem conuerſio talis eſt conditionis, vt principio, & fine careat.

Eum autem, &c. In primo huius operis libro veterũ auctoritatem interpoſuit, vt ſuã ſententiam de principiis confirmaret, ita nunc in propoſita de lationis inter alios motus principatu concluſione, vt ſuam magis ſtabiliat, multis ex veteribus in mediũ adductis ſententiis illam confirmat.

Motu autem eo, &c. Ratione idem ſuadet, quia ſcilicet animalia, quę cætera, quę à ſe mouentur, nobilitate excellunt, ſe latione mouent. Inſuper, quia ex communi vſurpatione motus prolatione ſumitur. Si enim res in loco quieſcat, licet ibi commutetur, accreſcat, decreſcatue, plane non dicitur abſolute moueri, ſed quadã ex parte.

Ac fuiſſe quidem, &c. Summatim recolit ea, de quibus toto libro egit, dictum nempe eſſe, motum fuiſſe ab æterno, ſemper fore duraturum, quod ſit principium motus perpetui, qui primus motor, qui motus perpetuus eſſe valeat, & primum motorem à motu quocunq; eſſe liberum.

CAP. X. PRIMVM MOTOREM VIRTVTIS ESSE INFINITÆ PARTIBVSQVE VACARE.

NVnc ſine partibus, &c. Tria theoremata proponit, vt doceat, primum motorem partibus vacare, nullaque eſſe magnitudine præditum. Primum eſt. Mouens finitæ virtutis nõ poteſt mouere tempore infinito. Hoc vt confirmet, aſſumit, ad motum neceſſario tria concurrere, nimirum virtutẽ mouentẽ, mobile, & tẽpus: quæ omnia vel ſunt infinita, vel finita, vel quædam, vt duo, vel vnum.

1. Theor.

Quę

Quo poſito rationẽ conſtruit cuius(omiſsis elementis,quibus illã proponit Ariſt. quia obſcuritatem pariunt)hęc eſt vis. Moueat aliqua virtus aliquod mobile tempore infinito,&pars virtutis moueat partem mobilis: hæc pars virtutis non mouebit tempore infinito eo quod mobile maius ſemper mouetur tẽpore diuturniori: quare pars virtutis non mouebit tempore infinito. Hac igitur ratione ſi a tota virtute detraham, & addã eius parti, abſumetur tandem virtus, & mobile etiam, ſi ab eo,proportione ſeruata, detraham & addam eius parti: tempus autẽ ab illo æqua detrahendo proportione,nũquam abſumetur, cum ſit infinitum;ergo illa virtus finita non mouebit mobile finitum tempore infinito: ergo à virtute finita nequit fieri motus infinitus. Quare perſpicuum eſt, virtutẽ finitam tempore infinito mouere non poſſe. Obſeruandũ occurrit,in verſione Perionii, quam ſequitur,vitiatum eſſe textum. Sic enim concludit. *Ergo illud perſpicuum eſt, id quod ſit finitum immenſo tempore mouere poſſe.* Debebat enim dicere,*mouere non poſſe.*

2. Theor. *Vim autem, &c.* Secundum Theorema. Virtus infinita nequit eſſe in magnitudine finita. Hoc vt probet, aſſumit, maiorem virtutem idem efficere minori tempore, quod in maiori tempore efficiet minor: tum etiam, virtutem infinitam citius mouere quauis alia virtute finita. a Sic ergo diſputat. Si in magnitudine finita eſſet virtus infinita, mouendo non conſumeret tẽpus: quod repugnat dictis.6.phyſic.cap.5.Probat maiorem,quia ſi hęc virtus infinita moueret in tempore,inde fieret,poſſe infinitã & finitam virtũtem æquali tempore mouere, quod repugnat ſuppoſitioni præmiſſæ. Conſequentia probatur,quia cum quoduis finitum,facta illi additione,poſsit quamuis finitã rem tandem ſuperare, virtus infinita totum tempus finitũ ſuperaret. Huius & ſuperioris rationis vim quæ debilis certe eſt, in ſequentibus perpendemus.

Nec igitur,&c. Tertiũ theorema. In magnitudine infinita nequit eſſe virtus finita. Nã licet in minori magnitudine ſit interdum magna virtus,in magnitudine tamẽ multo maiori maior virtus erit. Quare in immenſa,immenſa virtus. 3. Theor.

Si enim in aliquo,&c. Idẽ ita confirmat. Aliqua pars illius infinitæ virtutis mouebit

uebit aliquo tempore; ergo maior pars eiuſdem mouebit minori tēpore: ergo tota magnitudo infinita nihil temporis conſumet, & ex conſequenti obtinebit infinitam virtutem mouentem.

Quod etiam hoc, &c. Tertio ſuadet quia ſi magnitūdini infinitę ineſſet virtus finita, virtus finita eiuſdem rationis exiſtens in magnitudine finita poſſet metiri virtutem exiſtentem in magnitudine infinita: & ita magnitudo infinita poſſet menſurari à magnitudine finita, nam quæ ratio eſt virtutis ad virtutē, eſt magnitudinis ad magnitudinem.

De iis autem, &c. Interponit duas dubitationes ad motū pertinentes. Prima eſt. Si enim quod mouetur, ab alio mouetur, in his quæ mouentur à proiiciente, verbi gratia in lapide, qua ratione poteſt motus eſſe continuus, ſi in illius progreſſu non tangitur à mouente? Si dicas, moueri ab äëre à tergo cōcitante, eadem dubitatio manebit, à quo ſcilicet äër à tergo fluens moueatur.

Hæc autem neceſſario, &c. Reſpondet, primum mouens parti propinquiori imprimere virtutē, illam quæ mouere, & illā rurſus aliā, donec quæ lapidi cohæret, illū moueat. Motum autē corporis proiecti lāgueſcere incipere, cū incipit deficere virtus impreſſa corpori intermedio: omnino vero ceſſare motum, quādo virtus ſic deficit, vt pellere mobile non ſufficiat.

Atque hic, &c. Addit his verbis, motum proiectionis non conuenire corporibus, quæ motu perpetuo mouentur, ſed illis, quæ interdū ceſſant à motu. Cum vero proiiciuntur, non ferri continuo motu, probat ex eo, quod nō eſt idem mouens.

Nec vero quæſtiones, &c. Reiicit ſolutionem exiſtimātium, motum iactus fieri per antiperiſtaſim, docens, quòd etſi hæc inueniatur in motu iactus, tamen non eſt cauſa adęquata illius, ſed illa, quam ſupra attulit.

Quoniam autem, &c. Regreditur ad diſputationē de primo motore, demonſtrans eſſe vnum, ex perpetuitate primi, & æterni motus: cū enim neceſſario debeat eſſe alicuius magnitudinis (nam quod magnitudine vacat, non mouetur) & vnius, atq; ab vno motore (ſin minus non eſſet vnus, ſed eſſent multi, quorū alter eſſet poſt alium) profecto mouens huiuſmodi motū, ſi vnum eſt, aut mouet, & ſimul

ſimul mouetur, aut ab omni motu eſt liberũ. Si mouetur; ergo ab alio, & cum nõ ſit progreſſus in infinitum, deueniẽdum eſt ad primum motorẽ immobilem.

Hoc enim modo, &c. Oſtẽdit, primum mouens mouere abſq. laſſitudine, eo quod, dũ mouet, non mouetur, & conſequenter non defatigatur.

Aequabilis etiam, &c. Ex permanentia & ſtabilitate primi mouentis, concludit ęquabilem eſſe motum primi mobilis, & ſibi ipſi maxime ſimilem; nam cum primum mouens ſit immobile, ſumma æquabilitate mouebit. Vnde ipſius primi mobilis conſtantia & permanẽtia deducitur, quia naturæ conſentaneum eſt, vt motus & mobile ſibi ipſis reſpondeant.

Atq. illud, &c. Cum in vniuerſo ſint duo veluti principia mundanæ ſphæræ, ſcilicet centrum, & ſupremi orbis circumferentia, potius dicendũ eſt, primum motorem eſſe in circumferentia, & in ea eius parte, quæ rapidiſſima vertigine fertur, vbi ſcilicet periſphęriæ linea æqualiter ab vtroq. polo diſtat, ſi quidẽ ibi ſuæ virtutis apertiora ſigna demonſtrat multo clarius.

Exiſtit autem quæſtio, &c. Eſt ſecũda dubitatio, an quod ſic mouet, vt etiam moueatur, poſsit mouere motu perpetuo, ita continuo, vt non ſolum non impediatur quiete, ſed ſit omnino æquabilis. Reſpondet, id fieri nõ poſſe, quia tale mouens vel pelleret rẽ, vel traheret immediate, aut medijs alijs corporibus, ex quibus rationibus mouendi nulla efficit motũ omnino cõtinuum, æqualem, & perpetuum, cum mobile ſic motum defectui ſubiectum ſit. Quare ſolum erit continuus & perpetuus motus factus a motore omnino immobili, & ſemper eodem modo ſe habente.

His autem, &c. Præcipuũ deniq. colligit inſtitutum, primum nempe motorem motu & magnitudine vacare. Si enim in eo eſſet magnitudo, vel illa eſſet finita, vel infinita. Infinita non poteſt dari, vt demonſtratum eſt 3. phy. neq. finita; quia hæc habere nequit infinitã virtutem, nec mouere tempore infinito. Cũ igitur primus motor moueat motu perpetuo, & tempore infinito, perſpicium eſt, omni magnitudine vacare.

DISPVTATIONES IN EA, QVÆ DOCVIT ARIST. HOC LIB. 8.

HIC octauus liber ordine nouiſſimus inter omnes ab Ariſtot. de phyſica auſcultatione conſcriptos, doctrinæ præſtantia, & rebus preclaris philoſopho dignis omnium ſane primus eſt. In eo namq., iuxta dictum Pauli ad Romanos 1. ex rerum naturalium diuerſitate, & inconſtantia, ex cauſarum itidem ſubordinatione, veluti per gradus quoſdam ad Primæ cauſæ, eius ſimpliciſſimæ naturæ, infinitæ perfectionis, ſempiternæq. virtutis cognitionem aſcendit. Doctrinam igitur hoc libro conſcriptam tres diſputationes explanabunt. Agemus in prima de mundi æternitate. Pertractabimus in ſecunda nonnulla dubia ægregia de motu locali. Deniq. in tertia de primo rerum omnium motore, vt præſens poſtulat inſtitutum, ſermo erit.

DISPVTATIO I. DE MVNDI ÆTERNITATE.

QVEST. 1. in qua aliquæ dubitationes pertractantur, veluti præludia diſputationis.

QVAERES. 1. quid ſit creatio. D. Damaſcenus li. 1. fidei orth. cap. 8 & lib. 2. cap. 2. & D. Auguſt. 12. de Ciuitate Dei cap. 25. hanc proponunt creationis definitionem. Alicuius ex nihilo productio. Particula, *productio*, eſt veluti genus creationis in hac diffinitione; latius enim patet quam creatio. Particula, *alicuius*, dupliciter ſumitur: primo proprie, vt ſit idem quod ſubſiſtentis. Huius rei reddit rationem. D. Tho. 1. parte quæſt. 45. articu. 4. in corp. dicens, fieri ordinari ad eſſe, vnde illis conuenit proprie creari, quibus conuenit eſſe: proprie vero conuenit eſſe ſubſiſtentibus, ſiue

Definitio creationis

ſiue ſint ſimplicia, vt ſubſtantiæ ſeparatæ; ſiue compoſita, vt ſubſtantiæ materiales: nã accidentia, & formæ ſubſtantiales, excepta anima rationis participe, magis dicuntur concreari. Sumitur 2. illa particula late, pro quacunque re a Deo promanante, ſiue ſit ſubſiſtens, ſiue incompleta, ſiue pars ſubſtantiæ, ſiue accidens illius. Particula, *ex nihilo*, negat ſubiectum præſuppoſitum, ex quo res fiat. Hoc vero quatuor contingit modis. Primo quando res producenda non poteſt habere ſubiectum, ex quo fiat: talis eſt materia prima. 2. quando ſimul materia, & forma fiunt ex nihilo, vt ſi crearetur Petrus. 3. quando non fit res ex preſuppoſita materia, neque ex illa educitur, etiam ſi illam informet, vt anima rationis particeps. 4. quando res educitur à ſubiecto & recipitur in eo, in quo non erat potentia naturalis, ſed obedientialis tantum in ordine ad agens ſupernaturale, Deum ſcilicet. Sic gratia licet improprie, dicitur creari, vt docet D. Tho. 1 2. q. 110. a. 2. in ſolutione ad 3 Scotus in 4. diſt. 1. q. 4. Capreol. ibid. & alij quãplures.

Infertur ergo ex dictis, omnia quæ fiũt ex nihilo, creari. Vnde creatura recte definitur, ens ex nihilo ab alio. In qua definitione triplex illa deueniendi via ex rebus creatis in Dei cognitionem, propoſita a Diuo Dyoniſio, deſſignatur, nempe via eminentię, negationis, & cauſalitatis. Hanc triplicem viam cognoſcendi Deum ex creaturis iuxta dictũ Pauli ad Romanos 1. colligit Durãdus in 1. diſt. 3. quæſt. 1. Ens enim perfectionem dicit, & quantum ad hoc cognoſcimus Deum via eminentiæ, dum quidquid in rebus eminet, ſecluſa imperfectione, ei tribuimus. Particula, *ex nihilo*, importat negationem, & deffectum, quem dum à natura diuina omnino remouemus, dicimur accedere ad notitiam Dei, qui actus purus, & infinitus eſt, omni deffectu, & potentialitate vacans. Particula, *ab alio*, efficiẽtiam denotat, ex qua in Dei omnium rerum creatoris deuenimus cognitionem. Sumũtur etiam creatura & creatio latiori quadã ſignificatione, pro vt ſcilicet creatura eſt quodcũq. ens a creatore pendens, & ab ipſo condiſtinctũ; & creatio productio horum entiũ, vt a Deo pẽdẽt, ſiue in illorũ productione ſupponatur, ſiue nõ ſupponatur ſubiectũ.

Sed dices 1. vt docet D. Tho. in diſputatis q. đ ſpiritua

libus creaturis art. 2. ad. 8. anima rationalis proprie creatur; ſed hæc nō eſt ſubſiſtens; ergo &c. Probatur minor. Eſt in alio: ergo non eſt ſubſiſtēs. Reſpondemus negando conſequentiam, quia eſt in alio tanquam pars formalis ſubſtantialis, quæ per ſe & à materia ſeparata poteſt exiſtere. Sed dices. Eſt ſubſiſtens: ergo ſuppoſitum: ergo proprie poſſunt tribui illi appellationes actionum, quia hæ proprie ſūt à ſuppoſitis, quod repugnat D. Thom. 1. parte quæſt. 75. art. 2. ad 2. vbi docet, quòd proprie dicitur hominem intelligere per animā, non vero animam intelligere. Reſpondemus, quòd anima, dum eſt in corpore, eſt actu pars totius, cui veluti dignitatis iure actionum appellationes debentur, ac proinde magis proprie dicimus hominem intelligere per animam, quam animam intelligere: inde tamen non ſequitur, D. Thō. negare, animam rationalem eſſe ſubſiſtentem: imo hoc expreſſe docuit in corpore articuli.

Creatio agnoſci poteſt lumine naturę. QVAERES. 2. an creatio ſiue creaturarum productio cognoſci poſsit lumine naturæ. Sit cōcluſio affirmās, Eſt D. Tho. in 2. diſt. 1. q. 1. art. 3. Alen. 2. par. q. 6. art. 6. Scoti collib. 7. Henrici collib. 8. q. 6. Eam demonſtrant rationibus ex ipſo rationis lumine deſſumptis, & præcipue D. Tho. non ſolum loco citato, ſed etiā prima parte. q. 44. art. 1. ſecundo contra gentes cap. 2. de potentia. q. 3. art. 1. & 5. Eſt igitur prima ratio, quia lumine naturæ cognoſcimus primum agens virtutis infinitæ poſſe producere ex nihilo; ſed lumine naturæ cognoſcimus dari tale agens; ergo, &c. Secunda eſt, quia ſolus Deus eſt eſſe per eſſentiā, reliqua vero per participationem. Tertia eſt, quia virtus & cauſa, quo excellentior eſt, eo paucioribus eget adminiculis ad operandum; ſed natura eſt excellentior arte, & Deus natura; ergo, &c. Sed ars ſupponit compoſitum, natura materiam primam; ergo Deus potens eſt producere ex nihilo.

Multi etiam ex Sanctis Patribus eandem variis in locis apertiſsimis verbis cōfirmāt. D. namq; Aug. 11. de ciuit. Dei. c. 4. ita habet. *Exceptis enim propheticis vocibus, mūdus ipſe ordinatiſsima ſua mutabilitate, & mobilitate, & viſibilium omnium pulcherrima ſpecie quodammodo tacitus, & factum ſe eſſe, & non niſi à Deo ineffabiliter atque inuiſi-* Tho. ſ.

inuiſibiliter magno, & ineffabiliter atque inuiſibiliter pulchro fieri ſe potuiſſe proclamat. D. Greg. Nazianzenus oratione.2.de theologia ſic ſcribit. *Etenim quod Deus ſit, ac princeps quædam cauſa rerum omnium procreatrix & conſeruatrix, tum oculi ipſi tum lex naturalis docet: illi dum rebus in aſpectum cadentibus aciem affigunt. Hæc autem dū per res oculis ſubiectas præclareque conſtitutas auctorem earum coniectura qudam colligit, atque aſſequitur.* Et paucis interiectis, quadam pulcherrima ſimilitudine a cithara, & citharœdo deſſumpta rem demonſtrat. D. Athanaſius Alexandrinus. lib. contra gentiles non multum ab initio ita habet. *Nam cum oculi idcirco dati ſint corpori, vt per eos intueamur creaturam, ac per huiuſmodi mirabilem harmoniam, agnoſcamus opificem.* Et quibuſdā interiectis *Quod nā vero erit eſſentiæ boni Dei documentum, ſi non ſint eius opera, per quæ poſſit agnoſci.* Tandē verſus finē. *Deus creaturam verbo ſuo ita diſtinxit, atque compoſuit, vt quia ille eſt natura inuiſibilis, vel ex operibus agnoſci mortalibus poſſet. Sæpe enim artifex ex operibus etiam cum non videtur, agnoſcitur.* Euſebius lib.7. de præparatione euangelica cap.2. demonſtrans, ſolum hebreorum genus veram ſequutum pietatem, inquit: *a magnitudine atque pulchritudine creaturarum puritate mentis creatorem, omnium immortalem cognouerunt.* Sāctus Maximus cēturia. 3. cap. 8. eandem rem proſequitur, & eandē ex profeſſo pertractat D. Dionyſius cap.7. de diuinis nominibus lect.4. Sed elegantiori certe modo rem hanc, quadā pulcherrima vtēs proſopopeya, nobis deſcribit regius Vates pſal.18. dicens. *Cœli enarrāt gloriam Dei, & opera manū eius annuntiat firmamentū. &c.* vſque in illa verba, *nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.* Et pſalmo 148. quaſi conſtruens duplicem creaturarum chorum, viſibiliū vnū, & inuiſibilium alterum, omnes veluti inuitat, vt cum iubilo, & celebritate Deū creatorem laudent. Laudent inquam non vocibus, ſed Angeli intellectu & operationibus, cæleſtia corpora non ſolum ſuæ naturæ ſubſtantia, ſed perenni conuerſione, efficacia ſingulari, ratis proportionibus, amplitudine maxima, effectis præclaris, motu vniformi, luce & claritate pul-

T.5. Bibli. S. patrum.

cherrima, qualitatibus beneficis, obſequio promptiſsimo, quaſi mutis vocibus, vt ait Nazianzenus. Sunt enim corpora hæc anima deſtituta contra Platonis Epimenidē. Et quaſi rationem reddens Dauid inquit, *quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt.* Omniū enim Deus conditor eſt ſola volūtate, & dicto, abſq; labore & moleſtia, abſq; alterius ope & adminiculo omnia creans, & conſeruans. Idem expreſſe cō firmant plurima ſcripturæ ſacræ teſtimonia. Ad Roma. 1.
C. 20. *Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciūtur.*
D. 25. Iob. 36. *omnes homines vident eum, vnuſquiſque intuetur procul:* Ideſt per creaturas, quæ ita procul diſtant, vt infinite diſtēt à diuina perfectione. Et clarius cap. 12. *Interroga iumenta, & docebunt te: & volatilia cœli, & indicabunt tibi: Loquere terræ, & reſpondebit tibi: & narrabunt piſces maris. Quis ignorat quòd om-*
A. 7. *nia hæc manus Domini fecit?* Et Sapientiæ. 13. *à magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit*
A. 5. *creator horum videri.*

Sed dices. 1. Quæ implicant, nequeunt cognoſci lumine naturæ; ſed dari creationem implicat; ergo, &c. Probatur minor. Creatio definitur productio entis ex nihilo; ſed implicat ens fieri ex nihilo; ergo, &c. Probatur minor. Idem eſt aliquid fieri ex nihilo, & nihilum fieri aliquid; ſed implicat nihilum fieri aliquid; ergo implicat aliquid fieri ex nihilo. Reſpondemus negando tertiam maiorem. Sed dices. 1. In generatione idem eſt hoc fieri illud, & ex hoc fieri illud: ergo idem erit in productione ex nihilo. Reſpondemus modo admittendo antecedens, etſi explicatione egeat: negamus tamen conſequentiam, nam eſt diſpar ratio, cū generatio ſupponat ſubiectum, productio vero ex nihilo minime. Illa enim particula, *ex*, in definitione creationis negat ſubiectum præſuppoſitum.

Dices. 2. Hæc propoſitio, creatio non eſt poſsibilis, ſequitur ex lumine naturali; ergo eius oppoſita nequit eodem lumine cognoſci. Probatur antecedens. Lumine naturali cognoſcimus, ex nihilo nihil fieri; ergo lumine naturali non videtur poſsibilis creatio, cum fiat ex nihilo. Reſpondemus, antecedens ſolum eſſe verum, loquendo de

de agentibus naturalibus, nō vero de Deo: nā vt dictū eſt, ſuperiora teſtimonia ſatis indicant, ex creaturis duci nos in cognitionem omnipotentiæ Dei, præſertim ſi perpendantur, quæ docet D. Damaſcenus in expoſitione teſtimonii Pauli ad Rom. 1. & inter alios Adamus Sasbaut, qui per inuiſibilia Dei eius æternam potentiam, diuinitatē, ſapientiam, & bonitatē intelligit, quā ait cognoſci à creatura mundi id eſt ex ipſa mundi creatione, licet Magiſt. in. 1. diſt. 3. ſequutus in hoc. D. Bernardum per creaturam mundi hominem intelligat. Sed dices. Deum eſſe creatorem, eſt articulus fidei; ergo nequit eſſe euidens lumine naturali. Reſp. negando conſequentiam; nā eadē propoſitio poteſt à nobis cognoſci habitu fidei, & ſcientiæ, & opinionis penes diuerſa media, & diuerſas rationes formales, vt diximus in logica in diſput. de opinione quæſt. 6.

Dices. 3. Si creatio eſſet poſsibilis, vel ea quæ creantur, ante creationem eſſent actu, vel potentia, vel neutro modo: ſi actu; ergo non fierent ex nihilo; ſi potentia; ergo ſimiliter, cum potentia ſit aliquid, non fierent ex nihilo; ſi nec actu, nec potentia; ergo erant impoſsibilia: ergo nō poterāt creari, quia creatio nō eſt impoſsibiliū. Reſp. eſſe in potentia actiua Dei, & obiectiua, quæ non eſt potētia paſsiua, & ſubiectiua, ſed non repugnantia rei.

Dices vltimo. Si lumine naturæ hoc cognoſci poſſet, veteres Philoſop. cognouiſſent, at nō cognouerunt; ergo, &c. Reſp. minorē eſſe falſam, vt dubitatione ſequēti cōſtabit.

QVAERES igitur tertio, an Ariſtot. cognouerit creationem. Multi ex veteribus Philoſophis illam cognouiſſe, refert inter alios Iuſtinus martyr, in ſira Paræneſi. De Ariſtotele vero non eſt res omnino certa. Veriorem tamen iudicamus partem affirmantem, quam ſequuntur D. Tho. hic, Scotus quodl. 7. Herueus in tractat. de æternitate mundi quęſt. 4. & Auicen. 9. ſuæ metaph. c. 4. ſuadetur q; eiuſdem Ariſt. doctri. 2. enim de ortu. cap. 10. ita habet: *ob eā cauſā Deus eo modo quo reliquus erat, perpetuam rerū originē, fabricatus, vniuerſum omnibus ſuis numeris expleuit.* Et hoc lib. 8. & ſepę in Methaph. expreſſe docet, nō eſſe progreſſum in infinitū in cauſis, ſed deueniendū ad primā, à qua cętera pēdēt.

Vn-

Vnde ex eius doctrina videtur colligi, ipſum agnouiſſe creationem. Non deſunt grauiſsimi Philoſophi oppoſitum exiſtimantes, & confirmantes eiuſdem Ariſtotelis doctrina, qui ſæpe docet, omnem productionem inuoluere ſubiectum in vtroque termino; tum etiam, ex nihilo nihil fieri, vt ſemel & iterum docuit primo Phyſico. Reſpond. tamen, intelligendũ eſſe de productionibus factis ab agentibus naturalibus, quæ neceſſario præ requirunt ſubiectum, & non poſſunt producere ex nihilo, agens vero primum, primaq; cauſſa infinitæ virtutis cum ſit, omnia nullo præſuppoſito ſubiecto in principio creauit, vt ſequens dubitatio demonſtrat.

C. 4. & 8.

QVAERES ergo. 4. vtrum mundus ſit efficiẽter à Deo. Pro ſolutione dubitationis obſeruandum eſt, quinque mũdos tum à veteribus, Philoſophis, tum a Theologis celebrari, nempè mundũ archetypum, angelicum, elementarem, magnũ, & paruũ. Archetypus ſiue intelligibilis eſt, diuinus intellectus, in quo omnium faciendarũ rerum exemplaria relucent, iuxta illud Boetii. 3. de conſolatione metro. 9. *Tu cuncta ſuperno ducis ab exemplo, &c.*

Mũdi quinque acceptiones.

Archetypus.

Et D. Auguſt. lib. 83. quęſtionum: *Singula igitur propriis ſunt creata rationibus, has autem vbi arbitrandum eſt eſſe niſi in mente diuina.* Et proinde primo retractationum cap. 3. ita diffinit mundũ archetypum: *Ratio ſempiterna, & incommunicabilis, qua fecit Deus mundum.* Mundus angelicus eſt, qui ex triplici Angelorum Hierarchia conſtat. Elementaris eſt compages ex quatuor elementis, & cœlo; hoc enim elementum ſæpè vocat Ariſt. vt. 3. de cœlo cap. 1. primo metheor. cap. 3. & initio libri de coloribus. Mũdus magnus eſt tota creaturarum collectio. Mundus paruus eſt homo, mũdus appellatus, eo quod in ſe veluti omnium creaturarum ſummam cõtineat, vt egregie obſeruarunt Triſmegiſtus in Pymandro, & Gregorius Magnus homil. 29. in illa verba Marci vltimo, *prædicate euãgelium omni creaturæ:* copioſa enim oratione rẽ explicat, & concludit dicens, *omnis autem creatura aliquid habet homo.* D. Gregorius Nazianz. oratione. 2. de paſchate; D. Greg. Niſſenus lib. de hominis opifitio cap. 16. Damaſcenus lib. 2. Fidei orthodoxę cap. 12. & Auguſt. in lib. ad Oroſium contra Priſciliani ſtas

Angelicus

Elementaris.

Magnus.

Paruus.

Tom. 3.

Tom. 6.

ſtas cap.3 ibi enim inter alia, hæc habet verba. *Nullum eſt creaturæ genus, quod non in homine poſſit agnoſci. Ac ſic omnis creatura in eo ingemiſcit, &c.* Vt ad Rom.8. docuit Paulus. Modo ergo ſermo eſt de mundo ſumpto in quarta ſignificatione, in qua diffinitur ab Ariſtot. lib. de Mundo ad Alexandrum:

Mũdi duæ definit.

Cõpages è cœlo, terraque coagmentata, atque ex iis naturis, quę intra eam cõtinentur: ſiue, ordo & digeſtio vniuerſorum, quę à Deo, & per Deũ aſſeruantur.

Mũdũ eſſe efficiẽter a Deo.

Sic igitur concluſio affirmans. Eſt firmiſsimum fidei noſtræ fundamentum. Illam probãt primo teſtimonia ſcripturæ adducta dubitat.2. Cõſtat etiam ex Symbolo Apoſtolorũ, & Niſſeno, in quibus dicitur Deus auctor cœli, & terrę, viſibiliũ omniũ, & inuiſibiliũ. Idẽ diffinitur. c. firmiter de ſũma Trinit. & fide Catholica, quod caput deſumptum eſt ex Concilio Lateran. ſub Innocen.3. Probant eandem alia quamplurima ſcripturæ

C.14.

teſtimonia. Sapien.1. *Creauit enim, vt eſſent omnia.*

C.18.

Cap.11. *Non enim impoſſibilis erat omnipotens manus tua quæ creauit orbem terrarum ex materia inuiſa, &c.*

A.1.

Eccleſ.18. *qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.*

A.3.

Ioan.1. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Ad Coloſ.1. *quoniã in ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis & in terra, viſibilia, & inuiſibilia &c.* Et licet certitas hæc ſit fidei, natura tamen lumine conſtat, vt multis rationibus inter alios egregiè demonſtrat D. Tho. 1.p. q.44. art.1. & eius acutiſsimus interpres Caietanus.

Circa concluſionem propoſitam ſolum dubitant hæretici, contra quos egregiè diſputant D. Auguſt. lib.1. de Geneſ. ad litteram, Athan. lib. citato contra Gentiles. Ambr. hõ.1. in Geneſ. Manet igitur dubitatio indoct. Ariſt.

QVAERES igitur.5. an Ariſt. ſenſerit, mundum

Quæ certa ſunt.

magnum, ſiue omnes creaturas eſſe efficienter a Deo. In hac re primò certum eſt ex ſententia Ariſt. eſſe vnum primum principium, primumq; motorem immobilem, & incorporeum, qui ſui ipſius cõtemplatione eſt Beatus, vt ex hoc lib. & ex. 12. Metaphy. conſtat. Secundò certum eſt in doctrina eiuſdem, eſſe ſubſtantias immateriales omninò immobiles, & intrãſmutabiles ipſius Dei contemplationa beatas, vt docuit. 1. de cœlo cap.9. illis verbis, *perſpicuũ eſt igitur nec locũ, &c.*

Tertiò certum eſt in eius doctrina, ſæpe in libris de Cœlo repetita, cœleſtia corpora eſſe incorruptibilia, & ſolùm poſſe tranſmutari locali motu. Quartò in eius doctrina non ſolum eſt certum, omnia corruptibilia eſſe efficienter à Deo, verum etiam illorum generationem pendere à corporibus cœleſtibus, vt docet præſertim. 2.phy.ca.2. illis verbis, *Homo enim & Sol hominem generant.* Pendere etiam in conſeruari, vt primo Metheoro.cap.2. loquens de mundo inferiori docuit dicens: *Hic autem orbibus cœleſtibus continens ſit quodammodo, neceſſe eſt, vt ab illis omnis eius vis adminiſtretur, & regatur.* Dubium ergo eſt in eius ſententia, an mundus in quarta acceptione ſumptus, prout etiam cōplectitur ſubſtantias incorporeas, & incorruptibiles, ſit efficienter à Deo.

Omnia eſſe à Deo cognouit Ariſto.

Sit Aſſertio. Ariſtoteles cognouit, omnia fuiſſe facta à Deo. Eſt D. Tho. hic lectione 2. quem ſequuntur multi ex eius diſcipulis. Tenent etiam illam quamplures ex veteribus Ariſt. interpretibus, quam demonſtrant primo, quia 1 Politic. docet, omnia fuiſſe facta propter hominē. Deinde quia 2. Rhetor. ad Theod. dicit, dæmones eſſe opus Dei. Idem confirmant mundi magni diffinitiones, quas retulimus ex eius libro de Mundo, in quo paulò ante finem docet, quod Deus in mundo dicitur, quod in naui gubernator, in curru agitator, in choro præcentor, quod denique lex in ciuitate, & dux in exercitu.

Pro oppoſita ſententia, quam viri ſequuntur grauiſsimi, dices 1. Ariſt. 1. phy. docuit, materiam primam eſſe ingenerabilem; ergo non fuit facta à Deo.

Dices 2. eodem li. docuit, tria eſſe omnium rerum generabilium principia, inter quæ connumerauit priuationem, quam habere nequeunt ſubſtantiæ ſpiritales, & incorruptibiles. Reſ. vtrique argumento, Ariſtotelem loqui de generatione naturali propriè, ſed non de productione in communi.

Dices 3. ſubſtantiæ ſpiritales & incorruptibiles nequeunt fieri niſi per creationem, quæ fit ex nihilo, ſed in eius ſententia ex nihilo nihil fit; ergo iſtæ ſubſtantiæ nequeunt fieri, ſed erūt ab æterno. Reſpond. in ſententia Ariſtotelis ex nihilo nihil poſſe fieri ab agente naturali, nō vero à Deo.

Dices 4. Quæ habent cauſſam efficientem, poſſunt non eſſe; ſed incorruptibilia ex Ariſtot. ſententia non poſſunt non eſſe, quia ſunt entia ſempiterna, & neceſſaria; ergo non habent cauſam efficientem. Reſpond. diſtinguendo maiorem ita; poſſunt non eſſe à principio intrinſeco, vel extrinſeco, concedimus: poſſunt non eſſe à principio intrinſeco, negamus maiorem: quare falſa eſt minor, nam omnia poſſunt definere per virtutem principij extrinſeci, licet à principio intrinſeco ſint æterna, & neceſſaria. Sed dices. Omnis creatura eſt facta ex nihilo; ergo nulla illarum ab intrinſeco eſt ens neceſſarium. Reſpond. negando conſequentiam, quia dicitur creatura quæuis facta ex nihilo, non quia ipſum nihil ſit pars cõpoſitionis eius, ſed quia non ſupponit ſubiectum creatio: cum hoc tamen ſtat, aliquas creaturas eſſe entia neceſſaria, & perpetua, & incorruptibilia ab intrinſeco, cum nullum principium ſuæ definitionis in ſeipſis habeant. Sed dices. Nulla creatura per ſe habet eſſe, ergo nulla creatura eſt ens neceſſarium ab intrinſeco. Reſpond. duplicem reddere ſenſum propoſitionem: primus eſt. Ab intrinſeco omnis creatura includit non ens, & ſic eſt falſa. Secundus eſt, non habet eſſe à ſe, & independens omnino ſicut eſſe diuinum, & ſic eſt vera propoſitio; negatur tamen conſequentia, quia incorruptibilia habent ſuum eſſe in ſe neceſſarium, & indeficiens, licet non à ſe, ſed mendicatum ab alio, a quo poteſt deſtrui, & in nihilum redigi. Sed dices. Multa ſunt ſanctorum Patrum teſtimonia affirmantia, Ariſtotelem oppoſitam habuiſſe ſententiam; ergo &c. Reſpon. quod illi quidem doctiſſimi ſunt, & illorum doctrina admiratione, & veneratione dignisſima, ſed ex illis quamplures fuerunt parum verſati in Ariſtotelis doctrina.

Dices vltimo. Si omnia pẽderent ab alio, vel illud eſſet agens liberum, vel ex neceſsitate naturæ: ſi liberum, potuiſſet antea creare, & conſequenter rebus iniuriam intuliſſet, non communicando illis eſſe multo ante: ſi ex neceſsitate naturæ, poſſet impediri, quia omne agens naturale impediri poteſt, ergo, &c. Reſpond. eſſe agens liberum, vt ex ſequenti quæſtione conſtabit.

QVAESTIO II.

Vtrum Deus produxerit mũdum liberè, vel ex neceſſitate naturæ.

DIVIDITVR quęſtio in duas partes. In prima directe ſatisfaciemus quæſito. In ſecũda quid ſenſerit Ariſtoteles de hac re, vocabitur in dubium.

IN PRIMA parte quæſtionis obſeruandum eſt cum Durando in 1. diſt. 43. q. 4. agere ex neceſsitate naturæ eſſe ita agens agere, vt nõ poſſit non agere. Hoc autem dupliciter intelligi poteſt, primo ſolo naturæ impetu & propenſione citra omnem actum intellectus, & voluntatis: vt ignis in productione caloris. Secundo, quia etſi per intellectum, & voluntatem agat, non tamen ex delectu, & libertate, ſed ita, vt actionem ſuſpendere non valeat. Sic in diuinis Pater per intellectum generat Filium: & Pater & Filius per actum voluntatis ſpirant Spiritum Sanctum. Si de priori modo ſermo ſit, nullus vnquam philoſophorum ſic miſere eſt deceptus, vt ſibi perſuaſerit, Deum agere ex neceſsitate naturæ, cũ omnes illi voluntatem & intellectum tribuerint. Inter illos tamen, vt referunt Plato in Theet. & Ariſt. 1. meth. primus omnium Anaxagoras affirmauit, diuinum intellectũ rerum omnium cauſam eſſe effectricem. De poſteriori tamen modo non parua inter eos diſſenſio fuit.

Quid ſit agere ex neceſsitate naturę.

Sit aſſert. De fide eſt Deum libere mundum produxiſſe. Hanc confirmant quamplurima ſacræ paginæ eloquia. Pſal. 134. *Omnia quæcunq. voluit, Dominus fecit in cælo, in terra, in mari, & in omnibus abyſſis.* Ad Epheſ. 1. *Qui operatur omnia ſecundũ conſilium voluntatis ſuæ.* Apocal. 4. *Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erãt, & creata ſunt.* Hæc enim teſtimonia non ſolum demonſtrant, Deum voluntate & intellectu prædirum eſſe, ſed etiam libere, & pro ſuæ volũtatis arbritatu procreaſſe omnia. Probatur etiam cõtra Philoſophos oppoſitum opinantes 1. hac ratione Durandi. Si Deus vult ex neceſsitate alia a ſe, aut vult tanquam finem, aut propter aliũ finem; ſed non tanquam finem, quia ſicut Dei potentia eſt primum principium omnium entium, ſic diuina bonitas eſt omnium finis. Item nec vult ea neceſsitate naturæ propter bonitatem ſuam, quia volentem aliquem finẽ, non

B. 7.

B. 11.

D. 11.

non eſt neceſſe velle illa, ſine quibus finis & aſſequi & cõſeruari poteſt; ſed ſine rebus creatis diuina bonitas perfectiſsime habetur,& conſeruatur, nam creaturæ ſolum ſunt manifeſtatiuæ diuinæ bonitatis;ergo Deum volentem bonitatem ſuam non eſt neceſſe velle alia præter ipſum,ſed libere vult,& poteſt non velle. Primam partem primæ minoris poſſumus confirmare illo
A.4. teſtimonio Prouerb.16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt dominus*. Secundã etiam minorem confirmat il-
A.2. lud pſal.16. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

Secundo confirmatur ratione D. Tho. 2. contra gen. cap.23. & in quæſtionibus de potentia.q.3.art.15.in primis Deum agere per intellectum, & voluntatem, quia primo agenti prima & perfectiſsima operatio debetur; ſicut primo mobili primus & nobiliſſimus motus;ſed operatio ab intellectu & voluntate promanans præſtantior eſt operatione promanante à natura;ergo primo agenti,nempe Deo debetur agere per intellectum, & voluntatem. Idem aperte confirmant ordo admirandus, & ſingularis partium vniuerſi digeſtio,quæ niſi a ſapientiſsimo agente eſſe nequeunt.

Secunda etiam pars, ſcilicet omnino libere & ſponte ſua omnia Deum agere,oſtẽditur,quia Deus,vt ait Ariſt. 2. magnorum moral. cap.15. & 7. polit. cap.1. aliquo externo non indiget, ſed fælix eſt natura ſua, atque beatus, ſummè bonus, infinite perfectus, in cuius natura & eſſentia omnis boni & appetibilis ratio inuenitur: quare nihil extra ſe neceſſario appetet, & conſequenter neque aliquam creaturam ex neceſsitate producet. In ſuper quia eſt dominus omnium rerum. Tandem,quia ſi ex neceſsitate naturæ ageret, ageret in quantum poſſet,& ſic ſemper produceret nouos effectus perfectiſsimos,præſertim cũ nõ poſſet eius actio ab aliqua ex inferioribus cauſis impediri. Rem autem aliter euenire experimur.

Soluenda igitur ſunt in hac, & in ſequentibus huius diſputationis quæſtionibus nonnulla pro infidelium parte argumenta. Præcipit enim concil. Lateranẽ. ſub Leone. 10. ſeſſione.8. infidelium aduerſus noſtram fidem rationes à doctoribus eſſe diſſoluẽdas. Dices igitur. 1. Quidquid Deus agit,ex neceſsitate agit:ergo (Præceptũ con.lat.)

neceſſario mũdum produxit. Probatur antecedes, quia ſi non ageret ex neceſsitate, ageret ex cõtingenti, quod nõ eſt aſſerendum, cum contingentia inconſtantiam & mutabilitatem importet, à qua longe diuina abeſt operatio. Reſpondemus negando antecedens. Probationi, reiecto dicendi modo Scoti, dicimus cum D. Tho. in. 1. diſt. 43. q. 2. art. 1. & loco citato de potentia, Deum neq; neceſſario, nec contingenter creaturas producere, ſed inter media quadã ratione, hoc eſt, ex libero arbitrio, qui operandi modus accipit à modo operandi ex neceſsitate conſtantiam, ex cõtingentia verò poſsibilitatem aliter ſe habendi erga res, illas producendo. Sed dices. Quidquid Deus ſcit, neceſſario ſcit; ergo quidquid vult, neceſſario vult: conſequentia probatur, quia Diuina voluntas non minus quam ſcientia diuina cum diuina eſſentia idẽtificatur, quæ nullam prorſus mutationem, aut varietatem habere poteſt. Reſpondemus, quod ſi ſcientia & voluntas ſumantur ſecũdum ſe, recte probat argumentum, tamen ſecundum reſpectus ad creaturas diuinam intellectionem neceſſariam habitudinem ad illas obtinere, non vero diuinam voluntatẽ, quia Deus nequit potentiam ſuam comprehendere, niſi cognoſcat omnes creaturas, quas per eam poteſt producere. Secũdo, quia cognitio fertur in res, quatenus in cognoſcẽte inſunt, volitio autẽ in res, quatenus ſunt in ſe ipſis, vt egregiè docuit D. Tho. 1. p. q. 19. art. 3. ſextum ſoluens argumẽtum. Conſulatur articulus iſte, in quo rem hanc ex profeſſo pertractat, & multa argumenta diſſoluit.

Dices. 2. Deus producit creaturas ex bonitate ſua, ſed illa eſt neceſſaria, ergo producit ex neceſsitate naturę: reſpondemus negãdo conſequẽtiam, nã ſolum ſequitur, agere ex bonitate, quę neceſſario eſt in Deo, non tamen agere ex neceſsitate. Ita enim libere producit effectũ, vt ſi nullum produxiſſet, eſſet in ſe æqualiter bonus.

Dices. 3. Ita ſe habet neceſsitas reſpectu actus ſecũdi, ac reſpectu actus primi, ſiue eſſe rei; ſed actus primus neceſſarius eſt perfectior quã liber; ergo actus ſecundus, operatio ſcilicet, perfectior erit, ſi ſit neceſſaria, quã ſi ſit libera: ergo Deus, cui tribuẽda eſt perfectiſſima actio, nõ producit creaturas libere, ſed ex neceſ-

neceſsitate naturæ. Reſpondemus. 1. negando maiorem propoſitionem. Nam ens dicitur neceſſarium per ordinē ad eſſe intrinſecum indeficiens; agens vero dicitur agere ex neceſsitate per ordinē ad extrinſecum: vnde perfectius eſt, non pendere ab extrinſeco, quam ab illo pendere neceſſario. Reſpondemus 2. co nmitti fallaciā, quia neceſſarium reſpectu actus primi idem eſt quod eſſe indeficiens: neceſſarium vero reſpectu operationis & actus. 2. non eſt indeficiens operatio, ſed potius imperfectio quædam, ratione cuius, poſitis requiſitis ad operandū, nequit ab operatione ceſſare.

Deus agēs liberū iuxta Ariſt.

IN. 2. part. quæſt. quid de hac re ſenſerit Ariſt. paucis exponamus. In qua re primo certum eſt, Ariſt. cognouiſſe, Deum eſſe perfectiſsimū ens, liberum arbitrium habere, & non omnia ex neceſsitate naturæ operari. Probatur. 1. ex variis eius teſtimoniis. Cap. enim. 5. huius libri docet, nō dici aliquem prauum aut ſtudioſum, propter ea, quæ poteſt facere, ſed propterea, quę facit: nam Deus, inquit, multa poteſt facere, quæ non facit; ergo ex eius ſententia non agit ex neceſsitate naturę, ſed libere. Secundo, aliis probationibus omiſsis, confirmatur ex Laertio, qui in vita Ariſtot. refert, antequam diem obiret, Deum oraſſe, ac religionis cauſa quædam fieri cōmendaſſe. Quod proculdubio nō præſtaſſet, niſi ſibi perſuaſum haberet, diuinum numen precibus flecti, & honeſtis, piiſque hominum actionibus ad beneficia largienda allici: quibus manifeſte conſtat, nonnulla eſſe, quæ Deus ex arbitrio ſuo, & libertate iuxta Ariſt. mentem moliatur. Aliis etiam rationibus ex eius teſtimoniis deſumptis multi ex recentioribus philoſophis perdoctè, & eleganter eandem veritatem demōſtrant.

Omnia producta per intellectū, & voluntatem Dei.

Secundo certum eſt, Deum omnia produxiſſe per intellectum & volūtatē iuxta Ariſt. ſententiam. Probatur, quia multis locis teſtatū reliquit, Deum & volendi & intelligēdi facultate pollere, vt. 1. & 12. meth. 7. ethico. cap. 4. & ſæpe alibi. Secundo, quia ſatis probabile eſt, Ariſt. diuinam cognouiſſe prouidentiā: quæ cum ſit ratio ordinis rerum in finem, iis tantum, quæ finem intelligēdo præcipiūt, atq; amādo expetunt, poteſt conuenire. Tandē, quia lib. 2. huius operis demōſtrauit, naturam non temere, ſed alicu-

ius

uis finis gratia agere. Quod ex eo verum eſt, quia res naturæ conſtantes in ſuum ferũtur finem, in quantum à ſuæ naturæ authore Deo in finem certum, quem ipſe cognouit, & illis præſcripſit, diriguntur.

Manet ergo dubitatio, an in eius doctrina prima cauſa Deus habuerit libertatem, in productione rerum omnium, præſertim partium præcipuarum vniuerſi, intelligentiarũ ſcilicet, & orbium cœleſtium. Vtramq; huius dubitationis partem, & probabilem iudico, & à grauiſsimis philoſophis defendi video. Toletus multis rationibus contendit probare, iuxta Ariſt. doctrinam Deum ex neceſsitate naturæ mundũ procreaſſe iuxta has præcipuas partes, quãuis multæ ex eius rationibus tantum demonſtrent defacto, nõ vero iuxta Ariſt. mentẽ. Oppoſitam ſententiã tenẽt grauiſsimi philoſophi, quos inter alios referũt hic Conimbricenſes. q.5 a.2. illos conſulite circa ea, quæ de re hac intacta prætermittimus, vt ad alia gradum faciamus.

QVAEST. III.

In qua pertractantur dubitationes ad mundi æternitatem pertinentes.

QVAERES primo, an mũdus fuerit ab ęterno, vel potius in tempore à Deo productus. Sit aſſertio. Mundus fuit factus à Deo initio temporis. Hæc aſſertio eſt fidei noſtrę catholicæ firmiſsima veritas. Confirmatur primo illis geneſeos primis verbis. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Ibi enim nomine principii temporis initium, iuxta communem Patrum conſenſum debet intelligi. Conſulatur Lyppomanus in catena in hunc locum. D. Tho. 1. par. q.46.a.3. & inter alios omnes Aſcanius Martinengus Brixianus tomo. 1. gloſæ magnę, vbi doctrina ex ducentis fere Patribus deſumpta primi huius capitis explanationẽ illuſtrat. Quamplurima etiã ſcripturæ ſacræ teſtimonia idem aparte demõſtrãt. Pſal. 101. D.26.
Initio tu domine terram fundaſti, & opera manum tuarũ ſunt cæli. Ioan. 17. *& nunc clarifica me tu pater apud te* A.5.
metipſum claritate, quam habui prius, quam mũdus eſſet, apud te. Et Prouerbiorum. 8. C.22.
Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequã quidquam faceret à principio. Manet ergo fide noſtra certiſsimum, Dei creantis imperio non ab æternitate, ſed in

in temporis initio mundum fuiſſe creatum. Sed licet veritas à prima veretate deſcendens ſibi aduerſantes errores quaſi nebulam diſcutiat, & omnem ſe extolentem altitudinem aduerſus ſcientiã Dei funditus euertat, vberioris tamen doctrinæ gratia ſequẽtes dubitationes hoc in loco, grauiſsimorũ virorũ exẽplo, proponendas eſſe duximus.

QVAERES igitur ſecundo, quo anni tempore mũdus à Deo conditus eſſe videatur. Grauiſsimorum doctorum ſententia eſt, Abulẽſis videlicet. q. 21. in primum caput Gen. Lyrani. 1. & 7. ca. gen. & exodi. 12. mundum fuiſſe conditum in autumno, menſe ſcilicet Septembri, ſole circiter in fine virginis, vel in principio libræ exiſtente. Eiuſdem fuiſſe ſententię egyptios ex eo coniici poteſt, quod tempore Moſis annum à menſe Septẽbri incoabant, teſte Ioſepho. 1. lib. iudaicarum antiquitatũ. Apud illos enim conſuetudo hæc ortum habere videbatur, eo quod ſibi perſuaſum haberent, creaturarum productionem initium eo tempore habuiſſe.

Oppoſitam tamen ſententiam probabiliorem multo iudicamus, quam ſequuntur D. Damaſc. lib. 2. fidei ortho. cap. 7. Leo Papa ſermone. 9. de paſsione D. Athan. in quæſtionibus ad Anthiochum. q. 17. D. Iſidorus. 5. etymologiarum cap. de temporibus, Auguſtinus in quæſtionibus veteris, & noui teſtamenti. q. 106. Cyrillus hieroſolymitanus cathecheſi. 14. Ambroſius lib. 1. exameron, Theodoretus. q. 72. in Exodum, affirmant enim, verno tempore fuiſſe mundũ a Deo creatũ mẽſe Martio. Hoc ſtatuit etiã Paleſtina Synodus coacta à Theophilo Epiſc. Ceſarienſe mãdato Victoris papę, cuius decreti mentionẽ fecit V. Beda lib. de ratione temporum cap. 40. Huius ſententiæ quamplures congruentiæ adducuntur. Congruũ enim erat, vt mundo recens nato, & in exordio ſui eſſe, omnipotens Deus, qui ſuauiter omnia diſponit, optimum anni tempus largiretur in hoc noſtro hemiſphærio, quod nobilius eſt & illuſtrius, vt numerus, magnitudo, & pulchritudo ſydærũ, quæ ad polum articũ fulgent, egregiè demonſtrãt. Præterea quia in eo condenda erat Hyeroſolyma, miſteriis redemptionis noſtræ & Chriſti domini præſentiæ in poſterum conſecranda. Subquo etiam futura erat totius mundi caput Roma, & inſu-

August. tomo. 4. Cyril. t. 2. Biblio. S. Patrum.

q per

per alia multa, ad quę, congruum eſt affirmare, opificē mundi in eius reſpexiſſe conditione. Congruentia eſt etiā verni tēporis præſtantia, quā commendans D. Ambroſius lib. 1. Examerō, in hæc prærumpit verba. *Inde mūdi capi oportebat exordium, vbi erat opportuna omnibus verna temperies, &c.* Ab his parū diſsimilia proponit Theodoretus. q. 72. in Exodū. Eſt etiam alia non leuis congruētia, quia ſcilicet menſe martio Deus à miſera ſeruitute egyptiaca Iſraelitas liberauit, eodemq; noſtram in puriſsimis Deiparæ viſceribus naturam humanam aſſumpſit, & eodem menſe cruore in cruce perfuſo ſcelera expiauit, & genus humanum à demonis ſeruitute edemit. Vt igitur ſecunda hominis creatio per gratiā fuit menſe Martio, ita & prima eiuſdem & cæterarū rerū productio.

De die autem creationis mundi, omiſsis aliis ſententiis, aſſerendum eſt cum D. Hierony. libro de Eccleſiaſticis ſcriptoribus, Deum mūdum creaſſe die vigeſsimo quinto martij. Baſil. etiam homil. 2. Exameron & Leo Papa epiſtola. 9. ad Dioſcorum afirmant, eadem etiā die Deum creaſſe mūdū, & Chriſtum à mortuis ſurrexiſſe, dic ſcil. dominica, quod Eccleſia canit in hymno diei dominicæ dicens. *primo dierum omnium, quo mundus erat conditus, vel quo reſurgens conditor nos morte victa liberat.*

Dies creationis mūdi.

Pro. 1. tamen ſententia inſtabis. Conueniens fuit arbores creari a Deo in ſtatu perfecto, atque adeo cum fructibus iam maturis: primo quia Dei perfecta ſunt opera: tum etiam quia huiuſmodi fructibus tam noſtris primis progenitoribus, quam brutis animātibus ad alimentum Deus cōceſsit, vt Gen. 1. c. narrat hiſtoria. Sunt vero fructus arborum maturi menſe Septēbris, non vero martij. Reſpondemus, Deum non in omnibus arboribus mūdi in illius exordio maturos fructus produxiſſe: id enim operis perfectio minime requirebat. Cōdidit enim arbores pulchra varietate, alias floribus vernantes, alias maturis, alias immaturis fructibus onuſtas. Nec obſtat, ſi dicas, quod ſi in hoc noſtro hemiſphęrio creatæ eſſent arbores verno tempore, fieret inde conſequēter, nec eiuſdē creationis anno, nec aliis annis autumno tempore menſe illo maturos fructus arbores ferre poſſe; nā illa prima productio

ductio Summi parentis indul gentia in gratiam recens nati mũdi tali modo facta fuit. Aliis multis cõgruentiis præter miſsis, quid de hac re cẽſerit Ariſt. paucis perſtringamus.

QVAERES igitur tertio, quid de hac re cenſerit Ariſt. Docte, vt cętera ſolet, obſeruat hic D. Tho. tex. 4. quod etiam alij multi ex Recentioribus obſeruant, omnes veteres phyloſophos in ea fuiſſe ſentẽtia, vt exiſtimarent, aliquid æternum & ſuæ durationis principio carens eſſe conſtituendũ. Ratio huius rei euidens ſatis eſt, & lumine naturæ cognita. Si enim non fuiſſet aliqua res ab æterno, qua ratione potuiſſet poſtea in tempore eſſe. Nulla enim res potuit vnquam eſſe productiua ſui ipſius, & quod nihil eſt, producere nequit aliud. Hinc manifeſte deducitur, id quod pleno ore omnes fatentur philoſophi, conſtituendam ſcilicet eſſe cauſam aliquam efficientem æternam, quę omnem effectum aliqua ſaltem prioritate præcedat. Et licet hæc ita ſint, de principio tamen durationis ipſius mundi antiqui dubitant phyloſophi, nec nobiſcũ conueniunt. Quid quid tamẽ cẽſerint alii, ſolum modo curamus de ſententia Ariſt.

Sit aſſert. iuxta Ariſt. doctrinam mundus non fuit factus in tempore, ſed ab æterno. Conueniunt in hac re omnes fere Ariſtot. interpretes: imo non ſolum exiſtimant, eum in hac fuiſſe ſententia, verũ credidiſſe, rationes, quibus hoc ſuadebat, demonſtrationes eſſe firmiſsimas, vt docte obſeruãt Philoponus, Alexander, & Simplicius. Mũdus ab ęterno iuxta Ariſt.

Solum inuenio doctiſsimum Petrum Martinez complutenſem in expoſitione capitis. 12. primi de cœlo (ibi plane fatetur Ariſtotelis ſcopum in illo capite neminem atigiſſe) dicentem, non fuiſſe Ariſtotot. arbitratum, mundum eſſe ab æterno, ſed potius ſuæ durationis habuiſſe initium. Id aſſeueranter aſſerit, locum tamen non aſſignat, in quo hoc docuerit Ariſtoteles. Adſunt tamen expreſſa, in quibus oppoſitum docet, vt videre eſt hoc libro, & ſecundo de cœlo cap. 12. & 12. Metaphy. quibus aduerſus Platonem, & alios philoſophos multas rationes proponit, vt contra eos mundi æternitatem oſtendat. Reiicitur præterea huius doctoris ſententia, quia manifeſte deſtruit doctrinam hic traditam ab Ariſtotele de primi motoris æternita-

te, quę tota in motus æternitate fundatur. Imo non aliũde colligit, cœlorum intelligentias motrices, & primum rerum omnium motorẽ eſſe ab æterno, niſi ex motus æternitate. His etiã accedit, quod Ariſt. 1. de ortu. c. 2. generationes perpetuas, & ab æterno conſtituit, tum & materiam primam, quam ſine forma cõſtare nõ poſſe. 1. Phyſi. docuit: quare in eius ſententia ab æterno fuit materia cũ formis, & conſequenter mundus.

Ductus eſt Petrus Martinez in hanc ſententiam, eo quòd vbicumque videtur Ariſt. docere, mundum fuiſſe ab æterno, loqui videbatur ex antiquorum ſententia. Quod ex eo confirmat, quia illis in locis philoſophorum dogmata ſemper referſet. Secũdo, quia tertio phyſico negauit infinitũ actu, quod neceſſario eſſet conſtituendum, ſi mundus ab æterno fuiſſet. Reſpondemus tamẽ, ſemper Ariſt. dum ſuã inſtituit ſentẽtiam proponere, prius aliorum dicta referre, & examinare, ne indicta cauſa calumniæ nota illos afficere videatur. Secundo motiuo illius auctoris occurrunt multi dicentes, tantũ negaſſe Ariſtotelem, dari infinitum in cauſis per ſe, quod ex mũdi æternitate non ſequeretur, ſed tantum numerus infinitus in cauſis per accidens. Quantum vero hęc reſponſio poſit, ſequentia demonſtrabunt. Interim tamẽ ſat ſit reſpondere, Ariſt. cap. 5. lib. 3. loquutũ fuiſſe de infinito ſecundum molem & magnitudinem, vt ibi in diſput. de infinito. q. 1. docuimus.

Soluamus iam præcipuas Ariſt. rationes. Eſt igitur. 1. quam propoſuit cap. 1. huius lib. illis verbis. *Ita hæc etiã*, &c. quam in commentariis propoſuimus. Reſpondemus tamen, mouens quod non eſt Deus, & mobile, ſcilicet cœleſtia corpora incepiſſe, ſed non per generationem, ſed per creationẽ potius. Secunda ratio, quam eodem capite proponit, eſt; quia tempus eſt ęternum, nam ſi habuit initiũ, prius non fuit; prius autem & poſterius non ſunt abſque tẽpore: ergo motus, qui idẽ eſt cum tempore, erit etiam ab æterno. Reſpondemus, particulam, *prius*, non importare differentiam veri & realis tẽporis, ſed negationem illius, vel, vt aliis placet, tẽpus imaginarium, quod non eſt quid reale. Tertia deſſumitur etiã ex eodẽ capite, & ita habet; nullum tẽpus eſt abſque momento, quod eſt finis præteri-

1. Ariſt. ratio.

2

3

tæ partis, & initium futuræ: ergo tempus eſt æternũ. Probatur; quia ſi incepiſſet, incepiſſet per inſtãs, quod ſemper anteit temporis pars. Reſpõ: duo falſa aſſumere Ariſt. ſcilicet, dari inſtãtia copulantia, vt late diximus. 6. Phyſi. inſuper omnia inſtãtia, eſto quod
4 eſſent, eſſe copulantia. Quarta ratio deſſumitur ex cap. 2. illis verbis: *Quod autem infinitũ, &c.* Cuius rationis vis, vt patet ex commentario, cõſiſtit in ordine, quem rerum natura poſtulat, qui in proportione poſitus eſt: at nulla fuiſſet proportio, ſi tempore infinito non fuiſſet motus, & poſtea incepiſſet, quia infiniti ad finitum nulla eſt proportio. Reſpondemus, ordinem non eſſe expectandum inter præcedens non eſſe creaturarum, & illarum eſſe, ſed ſolum in eſſe. Quid quod Deum, qui naturæ legibus non alligatur, aliquẽ inſpexiſſe, & ſpectaſſe ordinem ſibi notiſsimum, nobis vero ignotum, nõ producendo mundum vſque ad tẽ-
ad Ro. 11. poris initium, credẽdum eſt.
1. Cor. 2. *Incõpræhenſibilia enim ſunt*
Sap. 9. *iuditia eius, & inueſtigabiles*
Iſaiæ. 40. *viæ eius, quis enim cognouit*
ſenſum domini, aut quis con-
5 *ſiliarius eius fuit.* Quinta ratio deſumpta ex ſexto cap. eſt, quia idem, in quantũ idẽ, ſemper eſt natura; ergo nequit ergo Deus, qui omnino quod æmutabilis eſt, aut ſemper exercit motum, aut nũquam: cum igitur videamus dari motum, aſſerendum eſt illum fuiſſe ab æterno. Reſp. ſolum eſſe verum de agentibus ex neceſsitate naturę, nõ vero de liberis
Sexta ratio deſumpta ex. 7. 6
cap. ita habet. Deus & natura ex poſsibilibus ſemper faciunt melius; ſed melius eſt motum eſſe æternũ, quia melius eſt eſſe, quam nõ eſſe; ergo Deus fecit motũ ab æterno. Reſpon. motum eſſe opus nõ ſolius naturę, ſed Dei, qui non facit abſolutè optima, cũ poſsit in infinitũ facere meliora, licet ſemper efficiat id, quod omnibus ſpectatis conditionibus, magis rebus conuenit.

Ex aliis etiam Ariſt. teſtimonijs aliæ deſumuntur rationes. Eſt ergo ſeptima. Ma
teria prima eſt ingenerabilis, 7
& incorruptibilis, & anteit omnem productionem, cum ſit primum ſubiectum, vt docuit Ariſt. 1. Phy. ergo debet eſſe æterna, quare cum non poſsit eſſe abſque forma, formæ etiam æternæ erunt, & cõ ſequenter mundus. Reſpon. materiam primam eſſe ingenerabilem & incorruptibilẽ, non vero increabilem. Per-

QVAESTIO II.

Vtrum Deus produxerit mũdum liberè, vel ex neceſſitate naturæ.

DIVIDITVR quęſtio in duas partes. In prima directe ſatisfaciemus quæſito. In ſecũda quid ſenſerit Ariſtoteles de hac re, vocabitur in dubium.

IN PRIMA parte quæſtionis obſeruandum eſt cum Durando in 1. diſt. 43. q. 4. agere ex neceſsitate naturæ eſſe ita agens agere, vt nõ poſſit non agere. Hoc antem dupliciter intelligi poteſt, primo ſolo naturæ impetu & propenſione citra omnem actum intellectus, & voluntatis: vt ignis in productione caloris. Secundo, quia etſi per intellectum, & voluntatem agat, non tamen ex delectu, & libertate, ſed ita, vt actionem ſuſpendere non valeat. Sic in diuinis Pater per intellectum generat Filium: & Pater & Filius per actum voluntatis ſpirant Spiritum Sanctum. Si de priori modo ſermo ſit, nullus vnquam philoſophorum ſic miſere eſt deceptus, vt ſibi perſuaſerit, Deum agere ex neceſsitate naturæ, cũ omnes illi voluntatem & intellectum tribuerint. Inter illos tamen, vt referunt Plato in Theet. & Ariſt. 1. meth. primus omnium Anaxagoras afirmauit, diuinum intellectũ rerum omnium cauſam eſſe effectricem. De poſteriori tamen modo non parua inter eos diſſenſio fuit.

Quid ſit agere ex neceſsitate naturę.

Sit aſſert. De fide eſt Deum libere mundum produxiſſe. Hanc confirmant quamplurima ſacræ paginæ eloquia.
Pſal. 134. *Omnia quæcunq. voluit, Dominus fecit in cælo, in terra, in mari, & in omnibus abyſſis.* Ad Epheſ. 1. *Qui operatur omnia ſecundũ conſilium voluntatis ſuæ.* Apocal. 4. *Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erãt, & creata ſunt.* Hæc enim teſtimonia non ſolum demonſtrant, Deum voluntate & intellectu prædicum eſſe, ſed etiam libere, & pro ſuæ volũtatis arbritatu procreaſſe omnia. Probatur etiam cõtra Philoſophos oppoſitum opinantes 1. hac ratione Durandi. Si Deus vult ex neceſsitate alia a ſe, aut vult tanquam finem, aut propter aliũ finem; ſed non tanquam finem, quia ſicut Dei potentia eſt primum principium omnium entium, ſic diuina bonitas eſt omnium finis. Item nec vult ea neceſsitate naturæ propter bonitatem ſuam, quia volentem aliquem finẽ,

B. 7.
B. 11.
D. 11.

non

non eſt neceſſe velle illa, ſine quibus finis & aſſequi & cõſeruari poteſt; ſed ſine rebus creatis diuina bonitas perfectiſsime habetur, & conſeruatur, nam creaturæ ſolum ſunt manifeſtatiuæ diuinæ bonitatis; ergo Deum volentem bonitatem ſuam non eſt neceſſe velle alia præter ipſum, ſed libere vult, & poteſt non velle. Primam partem primæ minoris poſſumus confirmare illo A.4. teſtimonio Prouerb. 16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt dominus.* Secundã etiam minorem confirmat il- A.2. lud pſal. 16. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

Secundo confirmatur ratione D. Tho. 2. contra gen. cap. 23. & in quæſtionibus de potentia. q. 3. art. 15. in primis Deum agere per intellectum, & voluntatem, quia primo agenti prima & perfectiſsima operatio debetur; ſicut primo mobili primus & nobiliſſimus motus; ſed operatio ab intellectu & voluntate promanans præſtantior eſt operatione promanante à natura; ergo primo agenti, nempè Deo debetur agere per intellectum, & voluntatem. Idem aperte confirmant ordo admirandus, & ſingularis partium vniuerſi digeſtio, quæ niſi a ſapientiſsimo agente eſſe nequeunt.

Secunda etiam pars, ſcilicet omnino libere & ſponte ſua omnia Deum agere, oſtẽditur, quia Deus, vt ait Ariſt. 2. magnorum moral. cap. 15. & 7. polit. cap. 1. aliquo externo non indiget, ſed fælix eſt natura ſua, atque beatus, ſumme bonus, infinite perfectus, in cuius natura & eſſentia omnis boni & appetibilis ratio inuenitur: quare nihil extra ſe neceſſario appetet, & conſequenter neque aliquam creaturam ex neceſsitate producet. In ſuper quia eſt dominus omnium rerum. Tandem, quia ſi ex neceſsitate naturæ ageret, ageret in quantum poſſet, & ſic ſemper produceret nouos effectus perfectiſsimos, præſertim cũ nõ poſſet eius actio ab aliqua ex inferioribus cauſis impediri. Rem autem aliter euenire experimur.

Soluenda igitur ſunt in hac, & in ſequentibus huius diſputationis quæſtionibus nonnulla pro infidelium parte argumenta. Præcipit enim conſil. Lateranẽ. ſub Leone. 10. ſeſſione. 8. infidelium aduerſus noſtram fidem rationes à doctoribus eſſe diſſoluẽdas. Præceptũ con. lat. Dices igitur. 1. Quidquid Deus agit, ex neceſsitate agit: ergo

neceſſario mūdum produxit. Probatur antecedes, quia ſi non ageret ex neceſsitate, ageret ex cōtingenti, quod nō eſt aſſerendum, cum contingentia inconſtantiam & mutabilitatem importet, à qua longe diuina abeſt operatio. Reſpondemus negando antecedens. Probationi, reiecto dicendi modo Scoti, dicimus cum D. Tho. in. 1. diſt. 43. q. 2. art. 1. & loco citato de potentia, Deum neq; neceſſario, nec contingenter creaturas producere, ſed inter media quadā ratione, hoc eſt, ex libero arbitrio, qui operandi modus accipit à modo operandi ex neceſsitate conſtantiam, ex cōtingentia verò poſsibilitatem aliter ſe habendi erga res, illas producendo. Sed dices. Quidquid Deus ſcit, neceſſario ſcit; ergo quidquid vult, neceſſario vult: conſequentia probatur, quia Diuina voluntas non minus quam ſcientia diuina cum diuina eſſentia idētificatur, quæ nullam prorſus mutationem, aut varietatem habere poteſt. Reſpondemus, quod ſi ſcientia & voluntas ſumantur ſecūdum ſe, recte probat argumentum, tamen ſecundum reſpectus ad creaturas diuinam intellectionem neceſſariam habitudinem ad illas obtinere, non vero diuinam voluntatē, quia Deus nequit potentiam ſuam comprehendere, niſi cognoſcat omnes creaturas, quas per eam poteſt producere. Secūdo, quia cognitio fertur in res, quatenus in cognoſcēte inſunt, volitio autē in res, quatenus ſunt in ſe ipſis, vt egregiè docuit D. Tho. 1. p. q. 19. art. 3. ſextum ſoluens argumētum. Conſulatur articulus iſte, in quo rem hanc ex profeſſo pertractat, & multa argumenta diſſoluit.

Dices. 2. Deus producit creaturas ex bonitate ſua, ſed illa eſt neceſſaria, ergo producit ex neceſsitate naturę: reſpondemus negādo conſequētiam, nā ſolum ſequitur, agere ex bonitate, quę neceſſario eſt in Deo, non tamen agere ex neceſsitate. Ita enim libere producit effectū, vt ſi nullum produxiſſet, eſſet in ſe æqualiter bonus.

Dices. 3. Ita ſe habet neceſsitas reſpectu actus ſecūdi, ac reſpectu actus primi, ſiue eſſe rei; ſed actus primus neceſſarius eſt perfectior quā liber; ergo actus ſecundus, operatio ſcilicet, perfectior erit, ſi ſit neceſſaria, quā ſi ſit libera: ergo Deus, cui tribuēda eſt perfectiſſima actio, nō producit creaturas libere, ſed ex neceſ-

neceſsitate naturæ. Reſpondemus. 1. negando maiorem propoſitionem. Nam ens dicitur neceſſarium per ordinē ad eſſe intrinſecum indeficiens; agens vero dicitur agere ex neceſsitate per ordinē ad extrinſecum: vnde perfectius eſt, non pendere ab extrinſeco, quam ab illo pendere neceſſario. Reſpondemus 2. committi fallaciā, quia neceſſarium reſpectu actus primi idem eſt quod eſſe indeficiens: neceſſarium vero reſpectu operationis & actus. 2. non eſt indeficiens operatio, ſed potius imperfectio quædam, ratione cuius, poſitis requiſitis ad operandū, nequit ab operatione ceſſare.

Deus agēs liberū iuxta Ariſt. In N. 2. part. quæſt. quid de hac re ſenſerit Ariſt. paucis exponamus. In qua re primo certum eſt, Ariſt. cognouiſſe, Deum eſſe perfectiſsimū ens, liberum arbitrium habere, & non omnia ex neceſsitate naturæ operari. Probatur. 1. ex variis eius teſtimoniis. Cap. enim. 5. huius libri docet, nō dici aliquem prauum aut ſtudioſum, propter ea, quæ poteſt facere, ſed propterea, quę facit: nam Deus, inquit, multa poteſt facere, quæ non facit; ergo ex eius ſententia non agit ex neceſsitate naturę, ſed libere. Secundo, aliis probationibus omiſsis, confirmatur ex Laertio, qui in vita Ariſtot. refert, antequam diem obiret, Deum oraſſe, ac religionis cauſa quædam fieri cōmendaſſe. Quod proculdubio nō præſtaſſet, niſi ſibi perſuaſum haberet, diuinum numen precibus flecti, & honeſtis, piiſque hominum actionibus ad beneficia largienda allici: quibus manifeſte conſtat, nonnulla eſſe, quæ Deus ex arbitrio ſuo, & libertate iuxta Ariſt. mentem moliatur. Aliis etiam rationibus ex eius teſtimoniis deſumptis multi ex recentioribus philoſophis perdocte, & eleganter eandem veritatem demōſtrant.

Secundo certum eſt, Deum omnia produxiſſe per intellectum & volūtatē iuxta Ariſt. ſententiam. Probatur, quia multis locis teſtatū reliquit, Deum & volendi & intelligēdi facultate pollere, vt. 1. & 12. meth. 7. ethico. cap. 4. & ſæpe alibi. Secundo, quia ſatis probabile eſt, Ariſt. diuinam cognouiſſe prouidentiā: quæ cum ſit ratio ordinis rerum in finem, iis tantum, quæ finem intelligēdo præcipiūt, atq; amādo expetunt, poteſt conuenire. Tandē, quia lib. 2. huius operis demōſtrauit, naturam non temere, ſed alicu- Omnia producta per intellectū, & voluntatem Dei.

ius

uis finis gratia agere. Quod ex eo verum eſt, quia res natura conſtantes in ſuum ferũtur finem, in quantum à ſuæ naturæ authore Deo in finem certum, quem ipſe cognouit, & illis præſcripſit, diriguntur.

Manet ergo dubitatio, an in eius doctrina prima cauſa Deus habuerit libertatem, in productione rerum omnium, præſertim partium præcipuarum vniuerſi, intelligentiarũ ſcilicet, & orbium cœleſtium. Vtramq; huius dubitationis partem, & probabilem iudico, & à grauiſsimis philoſophis defendi video. Toletus multis rationibus contendit probare, iuxta Ariſt. doctrinam Deum ex neceſsitate naturæ mundũ procreaſſe iuxta has præcipuas partes, quãuis multæ ex eius rationibus tantum demonſtrent defacto, nõ vero iuxta Ariſt. mentẽ. Oppoſitam ſententiã tenẽt grauiſsimi philoſophi, quos inter alios referũt hic Conimbricenſes. q. 5 a. 2. illos conſulite circa ea, quæ de re hac intacta prætermittimus, vt ad alia gradum faciamus.

QVAEST. III.

In qua pertractantur dubitationes ad mundi æternitatem pertinentes.

QVAERES primo, an mũdus fuerit ab æterno, vel potius in tempore à Deo productus. Sit aſſertio. Mundus fuit factus à Deo initio temporis. Hæc aſſertio eſt fidei noſtræ catholicæ firmiſsima veritas. Confirmatur primo illis geneſeos primis verbis. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Ibi enim nomine principii temporis initium, iuxta communem Patrum conſenſum debet intelligi. Conſulatur Lyppomanus in catena in hunc locum. D. Tho. 1. par. q. 46. a. 3. & inter alios omnes Aſcanius Martinengus Brixianus tomo. 1. gloſæ magnæ, vbi doctrina ex ducentis fere Patribus deſumpta primi huius capitis explanationẽ illuſtrat. Quamplurima etiã ſcripturæ ſacræ teſtimonia idem aparte demõſtrãt. Pſal. 101. *Initio tu domine terram fundaſti, & opera manum tuarũ ſunt cœli.* Ioan. 17. *& nunc clarifica me tu pater apud te metipſum claritate, quam habui prius, quam mũdus eſſet, apud te.* Et Prouerbiorum. 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequã quidquam faceret à principio.* Manet ergo fide noſtra certiſsimum, Dei creantis imperio non ab æternitate, ſed in

D. 26.

A. 5.

C. 22.

in temporis initio mundum fuiſſe creatum. Sed licet veritas à prima veretate deſcendens ſibi aduerſantes errores quaſi nebulam diſcutiat, & omnem ſe extolentem altitudinem aduerſus ſcientiã Dei funditus euertat, vberioris tamen doctrinæ gratia ſequẽtes dubitationes hoc in loco, grauiſsimorũ virorũ exẽplo, proponendas eſſe duximus.

QVAERES igitur ſecundo, quo anni tempore mũdus à Deo conditus eſſe videatur. Grauiſsimorum doctorum ſententia eſt, Abulẽſis videlicet. q. 21. in primum caput Gen. Lyrani. 1. & 7. ca. gen. & exodi. 12. mundum fuiſſe conditum in autumno, menſe ſcilicet Septembri, ſole circiter in fine virginis, vel in principio libræ exiſtente. Eiuſdem fuiſſe ſententię egyptios ex eo coniici poteſt, quod tempore Moſis annum à menſe Septẽbri incoabant, teſte Ioſepho. 1. lib. iudaicarum antiquitatũ. Apud illos enim conſuetudo hæc ortum habere videbatur, eo quod ſibi perſuaſum haberent, creaturarum productionem initium eo tempore habuiſſe.

Oppoſitam tamen ſententiam probabiliorem multo iudicamus, quam ſequuntur D. Damaſc. lib. 2. fidei ortho. cap. 7. Leo Papa ſermone. 9. de paſsione D. Athan. in quæſtionibus ad Anthiochum. q. 17. D. Iſidorus. 5. etymologiarum cap. de temporibus, Auguſtinus in quæſtionibus veteris, & noui teſtamenti. q. 106. Cyrillus hieroſolymitanus cathecheſi. 14. Ambroſius lib. 1. examcron, Theodoretus. q. 72. in Exodum, affirmant enim, verno tempore fuiſſe mundũ a Deo creatũ mẽſe Martio. Hoc ſtatuit etiã Paleſtina Synodus coacta à Theophilo Epiſc. Ceſarienſe mãdato Victoris papę, cuius decreti mentionẽ fecit V. Beda lib. de ratione temporum cap. 40. Huius ſententiæ quamplures congruentiæ adducuntur. Congruũ enim erat, vt mundo recens nato, & in exordio ſui eſſe, omnipotens Deus, qui ſuauiter omnia diſponit, optimum anni tempus largiretur in hoc noſtro hemiſphærio, quod nobilius eſt & illuſtrius, vt numerus, magnitudo, & pulchritudo ſydærũ, quæ ad polum articũ fulgent, egregiẽ demonſtrãt. Præterea quia in eo condenda erat Hyeroſolyma, miſteriis redemptionis noſtræ & Chriſti domini præſentiæ in poſterum conſecranda. Subquo etiam futura erat totius mundi caput Roma, & inſuper

Auguſt. tomo. 4. Cyril. t. 2. Biblio. S. Patrum.

per alia multa, ad quę, congruum eſt affirmare, opificē mundi in eius reſpexiſſe conditione. Congruentia eſt etiā verni tēporis præſtantia, quā commendans D. Ambroſius lib. 1 c. Examerō, in hæc prærumpit verba. *Inde mūdi capi oportebat exordium, vbi erat opportuna omnibus verna temperies, &c.* Ab his parū diſsimilia proponit Theodoretus. q. 72. in Exodū. Eſt etiam alia non leuis congruētia, quia ſcilicet menſe martio Deus à miſera ſeruitute egyptiaca Iſraelitas liberauit, eodemq; noſtram in puriſsimis Deiparæ viſceribus naturam humanam aſſumpſit, & eodem menſe cruore in cruce perfuſo ſcelera expiauit, & genus humanum à demonis ſeruitute edemit. Vt igitur ſecunda hominis creatio per gratiā fuit menſe Martio, ita & prima eiuſdem & cæterarū rerū productio.

De die autem creationis mundi, omiſsis aliis ſententiis, aſſerendum eſt cum D. Hierony. libro de Eccleſiaſticis ſcriptoribus, Deum mūdum creaſſe die vigeſsimo quinto martij. Baſil. etiam homil. 2. Exameron & Leo Papa epiſtola. 9. ad Dioſcorum afirmant, eadem etiā die Deum creaſſe mūdū, & Chriſtum à mortuis ſurrexiſſe, die ſcil. dominica, quod Eccleſia canit in hymno diei dominicæ dicens. *primo dierum omnium, quo mundus erat conditus, vel quo reſurgens conditor nos morte victa liberat.*

Dies creationis mūdi.

Pro. 1. tamen ſententia inſtabis. Conueniens fuit arbores creari a Deo in ſtatu perfecto, atque adeo cum fructibus iam maturis: primo quia Dei perfecta ſunt opera: tum etiam quia huiuſmodi fructibus tam noſtris primis progenitoribus, quam brutis animātibus ad alimentum Deus cōceſsit, vt Gen. 1. c. narrat hiſtoria. Sunt vero fructus arborum maturi menſe Septēbris, non vero martij. Reſpondemus, Deum non in omnibus arboribus mūdi in illius exordio maturos fructus produxiſſe: id enim operis perfectio minime requirebat. Cōdidit enim arbores pulchra varietate, alias floribus vernantes, alias maturis, alias immaturis fructibus onuſtas. Nec obſtat, ſi dicas, quod ſi in hoc noſtro hemiſphęrio creatæ eſſent arbores verno tempore, fieret inde conſequēter, nec eiuſdē creationis anno, nec aliis annis autumno tempore menſe illo maturos fructus arbores ferre poſſe; nā illa prima productio

ductio Summi parentis indul gentia in gratiam recens nati mũdi tali modo facta fuit. Aliis multis cõgruentiis prętermiſsis, quid de hac re cẽſerit Ariſt. paucis perſtringamus.

QVAERES igitur tertio, quid de hac re cenſerit Ariſt. Docte, vt cętera ſolet, obſeruat hic D. Tho. tex. 4. quod etiam alij multi ex Recentioribus obſeruant, omnes veteres phyloſophos in ea fuiſſe ſentẽtia, vt exiſtimarent, aliquid æternum & ſuæ durationis principio carens eſſe conſtituendũ. Ratio huius rei euidens ſatis eſt, & lumine naturæ cognita. Si enim non fuiſſet aliqua res ab æterno, qua ratione potuiſſet poſtea in tempore eſſe. Nulla enim res potuit vnquam eſſe productiua ſui ipſius, & quod nihil eſt, producere nequit aliud. Hinc manifeſte deducitur, id quod pleno ore omnes fatentur philoſophi, conſtituendam ſcilicet eſſe cauſam aliquam efficientem æternam, quę omnem effectum aliqua ſaltem prioritate præcedat. Et licet hæc ita ſint, de principio tamen durationis ipſius mundi antiqui dubitant phyloſophi, nec nobiſcũ conueniunt. Quid quid tamẽ cẽſerint alii, ſolum modo curamus de ſententia Ariſt.

Sit aſſert. iuxta Ariſt. doctrinam mundus non fuit factus in tempore, ſed ab æterno. Conueniunt in hac re omnes fere Ariſtot. interpretes: imo non ſolum exiſtimant, eum in hac fuiſſe ſententia, verũ credidiſſe, rationes, quibus hoc ſuadebat, demonſtrationes eſſe firmiſsimas, vt docte obſeruãt Philoponus, Alexander, & Simplicius. Mũdus ab ęterno iuxta Ariſt.

Solum inuenio doctiſsimum Petrum Martinez complutenſem in expoſitione capitis. 12. primi de cœlo (ibi plane fatetur Ariſtotelis ſcopum in illo capite neminem atigiſſe) dicentem, non fuiſſe Ariſtotot. arbitratum, mundum eſſe ab æterno, ſed potius ſuæ durationis habuiſſe initium. Id aſſeueranter aſſerit, locum tamen non aſſignat, in quo hoc docuerit Ariſtoteles. Adſunt tamen expreſſa, in quibus oppoſitum docet, vt videre eſt hoc libro, & ſecundo de cœlo cap. 12. & 12. Metaphy. quibus aduerſus Platonem, & alios philoſophos multas rationes proponit, vt contra eos mundi æternitatem oſtendat. Reiicitur præterea huius doctoris ſententia, quia manifeſte deſtruit doctrinam hic traditam ab Ariſtotele de primi motoris æternita-

te, quę tota in motus æternitate fundatur. Imo non aliũde colligit, cœlorum intelligentias motrices, & primum rerum omnium motorẽ eſſe ab æterno, niſi ex motus æternitate. His etiã accedit, quod Ariſt. 1. de ortu. c. 2. generationes perpetuas, & ab æterno conſtituit, tum & materiam primam, quam ſine forma cõſtare nõ poſſe. 1. Phyſi. docuit: quare in eius ſententia ab æterno fuit materia cũ formis, & conſequenter mundus.

Ductus eſt Petrus Martinez in hanc ſententiam, eo quòd vbicumque videtur Ariſt. docere, mundum fuiſſe ab æterno, loqui videbatur ex antiquorum ſententia. Quod ex eo confirmat, quia illis in locis philoſophorum dogmata ſemper refenſet. Secũdo, quia tertio phyſico negauit infinitũ actu, quod neceſſario eſſet conſtituendum, ſi mundus ab æterno fuiſſet. Reſpondemus tamẽ, ſemper Ariſt. dum ſuã inſtituit ſentẽtiam proponere, prius aliorum dicta referre, & examinare, ne indicta cauſa calumniæ nota illos afficere videatur. Secundo motiuo illius auctoris occurrunt multi dicentes, tantũ negaſſe Ariſtotelem, dari infinitum in cauſis per ſe, quod ex mũdi æternitate non ſequeretur, ſed tantum numerus infinitus in cauſis per accidens. Quantum vero hęc reſponſio poſit, ſequentia demonſtrabunt. Interim tamẽ ſat ſit reſpondere, Ariſt. cap. 5. lib. 3. loquutũ fuiſſe de infinito ſecundum molem & magnitudinem, vt ibi in diſput. de infinito. q. 1. docuimus.

Soluamus iam præcipuas Ariſt. rationes. Eſt igitur. 1. quam propoſuit cap. 1. huius lib. illis verbis. *Ita hæc etiã,* &c. quam in commentariis propoſuimus. Reſpondemus tamen, mouens quod non eſt Deus, & mobile, ſcilicet cœleſtia corpora incepiſſe, ſed non per generationem, ſed per creationẽ potius. Secunda ratio, quam eodem capite proponit, eſt; quia tempus eſt ęternum, nam ſi habuit initiũ, prius non fuit; prius autem & poſterius non ſunt abſque tẽpore: ergo motus, qui idẽ eſt cum tempore, erit etiam ab æterno. Reſpondemus, particulam, *prius*, non importare differentiam veri & realis tẽporis, ſed negationem illius, vel, vt aliis placet, tẽpus imaginarium, quod non eſt quid reale. Tertia deſſumitur etiã ex codẽ capite, & ita habet; nullum tẽpus eſt abſque momento, quod eſt finis præteritæ

(margin: 1. Ariſt. ratio. — 2 — 3)

tæ partis, & initium futuræ: ergo tempus eſt æternũ. Probatur; quia ſi incepiſſet, incepiſſet per inſtãs, quod ſemper anteit temporis pars. Reſpõ: duo falſa aſſumere Ariſt. ſcilicet, dari inſtãtia copulantia, vt late diximus. 6. Phyſi. inſuper omnia inſtãtia, eſto quod
4 eſſent, eſſe copulantia. Quarta ratio deſſumitur ex cap. 2. illis verbis: *Quod autem infinitũ, &c.* Cuius rationis vis, vt patet ex commentario, cõſiſtit in ordine, quem rerum natura poſtulat, qui in proportione poſitus eſt: at nulla fuiſſet proportio, ſi tempore infinito non fuiſſet motus, & poſtea incepiſſet, quia infiniti ad finitum nulla eſt proportio. Reſpondemus, ordinem non eſſe expectandum inter præcedens non eſſe creaturarum, & illarum eſſe, ſed ſolum in eſſe. Quid quod Deum, qui naturæ legibus non alligatur, aliquẽ inſpexiſſe, & ſpectaſſe ordinem ſibi notiſsimum, nobis vero ignotum, nõ producendo mundum vſque ad tẽ-
ad Ro. 11. poris initium, credẽdum eſt.
1. Cor. 2. *Incõprehenſibilia enim ſunt*
Sap. 9. *iuditia eius, & inueſtigabiles*
Iſaiæ. 40. *viæ eius, quis enim cognouit ſenſum domini, aut quis con-*
5 *ſiliarius eius fuit.* Quinta ratio deſumpta ex ſexto cap. eſt, quia idem, in quantũ idẽ, ſemper eſt natum facere idẽ: ergo Deus, qui omnino immutabilis eſt, aut ſemper fecit motum, aut nũquam: cum igitur videamus dari motum, aſſerendum eſt illum fuiſſe ab æterno. Reſp. ſolum eſſe verum de agentibus ex neceſsitate naturę, nõ vero de liberis.
Sexta ratio deſumpta ex. 7. cap. ita habet. 6
Deus & natura ex poſsibilibus ſemper faciunt melius; ſed melius eſt motum eſſe æternũ, quia melius eſt eſſe, quam nõ eſſe; ergo Deus fecit motũ ab æterno. Reſpon. motum eſſe opus nõ ſolius naturę, ſed Dei, qui non facit abſolutè optima, cũ poſsit in infinitũ facere meliora, licet ſemper efficiat id, quod omnibus ſpectatis conditionibus, magis rebus conuenit.

Ex aliis etiam Ariſt. teſtimonijs aliæ deſumuntur rationes. Eſt ergo ſeptima. Ma-
teria prima eſt ingenerabilis, 7
& incorruptibilis, & anteit omnem productionem, cum ſit primum ſubiectum, vt docuit Ariſt. 1. Phy. ergo debet eſſe æterna, quare cum non poſsit eſſe abſque forma, formæ etiam æternæ erunt, & cõſequenter mundus. Reſpon. materiam primam eſſe ingenerabilem & incorruptibilẽ, non vero increabilem. Per-

multæ aliæ adducuntur rationes ex Ariſt. doctrina, ſed ex dictis facilè ſoluentur, præſertim cum inter alios P. Pererius eruditè copioſè, & doctè innumeras ferè veterum Philoſophorum de hac re proponat, & diſſoluat rationes. Nõ eſt igitur cur illas modo trãſcribamus: humana enim ratio, ſi earum futilem vim perpendat, non ſolum diſſoluet, ſed irridebit, præſertim cum Fidei regula æquiſsimum veritatis tribunal aliud quam illę doceat, & clare proponat de facto nullam eſſe ab æterno creaturam, ſed omnes in tempore à Deo fuiſſe procreatas. Videamus igitur qualiter ſe habeat de poſsibili.

QVAEST. IIII.
Vtrum à Deo potuerit Mũdus creari ab æterno.

CVM res creatæ aliæ ſint ſucceſsiuæ, & aliæ permanentes, quæſtio hæc duas habebit partes: in prima erit ſermo de ſucceſsiuis, & in ſecunda de permanentibus.

IN PRIMA parte quęſtionis ſit prima obſeruatio. Res aliqua & eius productio duobus modis dici poteſt æterna, vel ab æterno. Primo ex intrinſeca neceſsitate ſua, vt generatio Verbi diuini. Secũdo ex parte ipſius agentis potentis & volentis illam libere ab æterno producere. Certũ igitur eſt, nullius creaturæ productionẽ eſſe ab æterno primo modo. Manet igitur dubitatio de ſecũdo modo.

Secunda obſ. Quæſt. duplicẽ reddit ſenſum. Primus eſt, an potuerit Deus ab æterno producere mundum, id eſt, an in Deo fuerit ab æterno hæc potentia mundum creandi, & in hoc ſenſu certa fide tenendum eſt, potuiſſe Deum ab æternò mundum creare: quia in tẽpore creauit illũ ſua omnipotentia, quę attributũ eſt ipſius Dei, nec re, ratione ab eius eſſentia diſtinctum, niſi ex noſtro modo concipiendi, & cõſequenter illi coæterna. Secũdus ſenſus eſt; an mundus potuerit creari ab æterno, id eſt, an implicet cõtradictionem, vel non, mundum habere durationem æternam, & principio carentem, & in hoc ſecũdo ſenſu procedit quæſtio.

Tertia obſ. Aliud eſt rem poſſe fieri à Deo, aliud vero fieri poſſe ab ipſo in tali duratione, ſiue exiſtẽtia. (diximus ſiue exiſtẽtia, quia docuimus lib. 4. Diſp. de durationibus q. 1. non omnẽ exiſtentiã eſſe durationem.) Hæc duo inter ſe diſtingui manifeſtum eſt in motu locali, qui ſemper po

teſt

teſt fieri à Deo, non tamen in quacunq; duratione ſiue exiſtentia, quia in inſtāti nequit fieri ab illo propter incompoſsibilitatem terminorum à quo, & ad quem.

Quarta obſ. Infinitum potētia ſemper eſt actu finitum, ſic tamē vt ſemper poſsit eſſe maius, ſed citra infinitū actu; v.g. numerus hominum infinitus eſt potentia, actu finitus, quia ex certis conſtat vnitatibus, ſemper tamē poteſt fieri maior, quia illi poſſunt addi homines, & illis additis poſſunt addi alij, ſemper tamen citra infinitum.

Quinta obſeruatio. Ens implicans contradictionem non poteſt facere Deus, vel vt caſte loquūtur theologi, nequit fieri à Deo: eſt enim extra obiectum diuinæ omnipotentię, cum hæc ſolū verſetur circa poſsibilia: quę vero cōtradictionē inuoluunt, impoſsibilia ſunt. Eſt namq; implicatio contradictionis eſſe, & nō eſſe eiuſdē rei, v.g. eſſe hominem petrū, & non eſſe animal: aliquid eſſe tempus, & nō eſſe ſucceſiuum.

Sit prima aſſertio. Nullius creaturæ corruptio ſiue deſitio poteſt eſſe ab æterno. Aſſertio probatur quia, ſiue ſit corruptio rei ſucceſsiue, ſiue per manentis ſupponit rem, quę corrumpitur; ergo nequit eſſe ab æterno, quia quod æternum eſt, nil ſupponit: ęterno namque nil datur prius.

Secunda aſſertio, nec motus, nec tempus, nec denique aliqua res ſucceſsiua tempori ſubiecta, & à tempore pendēs poteſt eſſe ab æterno. Hanc tenent D. Damaſcenus libro primo de fide Orthod. capite octauo, vbi afirmat, id quod ex non eſſe ad eſſe traducitur, nequire ſuo principio coæternum eſſe; D. Ambroſius libro primo Exameron cap. 3. D. Augu. lib. 12. de ciuitate Dei cap. 15. & Hugo Victorinus lib. 1. de ſacramentis cap. 10. inquit: fugit diuinam virtutē, vt aliquid ſibi coæternum faciat. Imo multi ex his, & alii quamplures tenent eandem ſententiam loquendo in communi tam de rebus ſucceſiuis, quam de permanentibus. Res ſucceſiua nō poteſt eſſe ab æterno.

Hæc aſſertio poteſt confirmari à priori; tum etiam & à poſteriori argumentis ducētibus ad incōmodū. Eſt ergo ratio à priori; ęternitas eſt tota ſimul, vt ex eius definitione cōſtat: ergo res æterna debet tota ſimul, & inmutata perſiſtere in ſuo reali eſſe: ergo nec motus, nec tēpus, nec aliqua res ſucceſsiua, & tēpori ſubiecta poteſt eē ab ęterno. Prob. 2. conſequētia, quia nulla res ſuc-

ſucceſsiua poteſt habere totum ſuum eſſe ſimul, cum de eius intrinſeca ratione ſit ſucceſsio.

Probatur ſecundo aſſertio. Motum aut tempus fuiſſe ab æterno, implicat contradictionem: ergo nec motus, nec tēpus poſſunt eſſe ab æterno, quia quę contradictionē implicant, fieri non poſſunt. Probatur antecedens. Implicat aliquid ſimul eſſe infinitum, & non eſſe infinitū; ſed ſi motus fuiſſet ab æterno eſſet infinitus, & non eſſet infinitus; ergo implicat motum fuiſſe ab æterno. Probatur minor. Imprimis eo quod fuiſſet ab æterno, fuiſſet infinitus: deinde eo quod haberet ſucceſsionem, non eſſet infinitus; ergo ſimul eſſet infinitus, & non infinitus. Probatur ſecūda pars (prima enim certa eſt) à ſimili. Si eſſet aliqua linea, cui Deus poſſet addere lōgitudinem, illa non eſſet infinita; & ſi eſſet aliquod corpus, cui Deus poſſet addere trinam dimenſionem, non eſſet infinitum; ergo motus, cui poſſet fieri additio ſecundum ſucceſsionem, non eſſet infinitus: ſed etiam ſi motus eſſet ab æterno, illi poſſet fieri additio ſecundum ſucceſsionem; ergo non eſſet infinitus. Probatur minor, quia ſi fuiſſet ab æterno, & vſq; in hunc diem durasſet, poſſet illi fieri additio ſucceſsionis, quam haberet craſtina die. Si reſpondeas, diſparem eſſe rationē de quātitate ſucceſiua, & permanente, vellem certe diſparitatem rationis audire; nam illā huc vſq; deſidero. Si reſpondeas ſecundo, illum motum nō eſſe infinitum à parte poſt, ſed à parte ante, reiicitur ſolutio ita. A parte ante aliquid præceſsit motū, aut ſaltē pręcedere potuit; ergo motus non fuiſſet æternus à parte ante; quia æterno nil datur prius, aut antiquius. Probatur antecedens. Mobile potuit eſſe antiquius: ergo potuit præcedere motum. Probatur antecedens. Motus incipit per vltimum non eſſe, quod eſt indiuiſibile initians illud; ſed vltimum non eſſe eſt inſtans, in quo verum eſt dicere, res non dum eſt, erit autem tempore ſequenti; ergo motus incipit, quando non dum eſt: ſed in illo inſtanti potuit eſſe mobile; ergo poteſt aliquid præcedere quēuis motū, quare motus non poteſt eſſe ab ęterno, cum æterno nil ſit antiquius.

Probatur tertio. Si tempus potuiſſet fieri ab æterno, hoc poſito, ſcilicet fuiſſe ab æterno, nullum ſequeretur incommodum; quia, vt docet Ariſt.

poſito

poſito poſsibili nullum ſequitur incommodum; ſed ſi motus & tempus fuiſſent ab æterno, multa ſequerētur incommodo; ergo aſſerendum eſt, nec motum, nec tempus potuiſſe eſſe ab æterno. Primum incomodum eſt, poſſe dari infinitum actu: hoc vero eſſe incommodum, demonſtrauimus in diſputatione de infinito. Probatur ita. Si mundus fuiſſet ab æterno, præceſiſſet numerus dierum, & annorum infinitus; ſed in quolibet anno potuiſſet Deus creare vnũ hominem, ſiue Angelũ; ergo poſſet eſſe numerus actu infinitus. Si reſpódeas cum oppoſita ſententia, illum numerum eſſe infinitum à parte ante, nó vero à parte poſt, loquutio eſt impropria, quia ante, & poſt in ſucceſsione & duratione reperitur, non vero in numero. Eſt etiam reſponſio veritati manifeſte reluctans: nã ſi numerus eſſet infinitus ſecũdum vnam partem, neceſſario etiam deberet eſſe infinitus ſecundum aliam; ergo ſi infinitus a parte ante, etiam à parte poſt, vel neutro modo. Sequela probatur. Ille numer' fuiſſet numerabilis à parte antea ad partem poſt: ergo etiã eſſet uumerabilis à parte poſt in partẽ ante: ergo nullo modo infinitus, quia infinitum nec re ipſa, nec numerando pertrãſiri poteſt. Conſequẽtia probatur, quia eadẽ eſſet multitudo numero, & realiter, & ex eiſdemmet omnino entitatibus & vnitatibus: cur ergo non eſſet numerabilis, & pertrãſibilis vtroque modo? Antecedens vero probatur. Vel Deus cognouiſſet primũ hominem, quem in primo anno creaſſet, & ſic alios, quos in aliis annis creaſſet, vel non cognouiſſet: hoc ſecundum non eſt aſſerendum, aborrent enim aures chriſtianæ verba hæc. Si vero cognouiſſet: ergo omnes hos homines potuiſſet numerare: ergo numerus hic, quem illi conſtituunt infinitũ, eſſet numerabilis. Si reſpondeant, in tali numero hominum tunc non fore primum, neque ſecundum, & ſic de cæteris, reiicitur ſolutio ita. In illa duratione infinita à parte ante fuiſſet primus annus: ergo fuiſſet aliquis homo productus prius cæteris omnibus. Conſequẽtia recta eſt, quia ex ſuppoſitione in quolibet anno creaſſet vnũ ſolum hominẽ; ergo in primo primũ hominem. Antecedens probatur ea ratione, qua libro ſexto idem ſæpe demonſtrauimus de indiuiſibilibus. Eſt igitur ratio. Cæteros omnes annos antecederet vn': ergo

ille eſſet prior cæteris omnibus. Antecedens probatur. Nunquam eſſent multi ſimul: ergo neceſſario deueniendũ eſſet ad vnum priorem cæteris omnibus. Probatur antecedens, quia tota illa annorum duratio tẽpus eſſet, quod cum quantitas ſucceſsiua ſit, proculdubio nequit habere duas, aut multas partes ęquales æque primas. Confirmatur etiam præcipuum inſtitutum ita. Ante quemcumque hominem ex iſtis conſtituentibus numerum infinitũ iuxta oppoſitam ſententiã, potuiſſet Deus alium prius creare: ergo ſi in quolibet anno crearet Deus vnum hominem, ille numerus hominum non eſſet infinitus à parte ante, & conſequẽter nec numerus annorum eſſet infinitus a parte ante: quare non fuiſſet ab æterno. Probatur antecedẽs, ſupponendo, quod ſi in numero infinito annorũ creaſſet Deus in quolibet anno vnum hominem in principio, vel in medio, vel in fine anni, idem eſſet numerus, hominũ; nec ex pluribus, nec ex paucioribus conſtaret hominibus. Eſt ergo ratio. Ex dictis, ſi Deus creaſſet in medio cuiuſlibet anni vnum hominem, ille numerus hominum non eſſet infinitus à parte ante: ergo in quacunque parte anni illum creaſſet, ille numerus nõ eſſet infinitus a parte ante. Probatur conſequentia, quia à parte ante tot eſſent vnitates vno modo, quã alio. Antecedẽs probatur. In quolibet anno, ſuppoſito quod creaſſet in medio illius vnum hominem, potuiſſet alios multos in prima parte anni creare: ergo ſi creaſſet homines in medio annorum, numerus nõ eſſet infinitus a parte ante, quia omnium creationẽ potuiſſet aliorum creatio præcedere. Ex hoc primo incõmodo ſequetur ſecundum, ſcilicet vnũ numerum actu infinitũ habere plures vnitates alio. Prob. Si mũdus eſſet ab æterno, quilibet annus haberet multos dies, & quiuis dies multas horas: ergo maior eſſet numerus dierum, quam annorũ; & horarũ, quã dierum; ergo vel numerus annorũ eſſet infinitus, vel non: ſi nõ; ergo tẽpus non fuiſſet ab æterno: ſi vero eſſet ille numerus infinitus, infinitum multitudine eſſet maius alio, cũ in quolibet anno eſsẽt multi dies, & in qualibet die multæ horæ. Reſp. quod tot eſſent anni, quot dies & quot horæ. Fateor tamen ingenij mei imbecilitatem, quę tanta eſt, vt rem hanc capere non poſsit. Si enim inquouis anno

anno tot dies ſunt,& in quolibet die tot horæ,qui fieri poteſt,vt tot ſint anni,quot dies, & dies quot horæ. Hæc enim noſter non capit intellectus, qui capaciores ſunt,& hoc capiunt,huic ſatisfaciant rationi,cui facillimo negotio ſatiſfacient.Si enim Deus ab ęterno ſimul duos creaſſet homines,quos vſque in hunc diem conſeruaſſet, ſi alter illorum quolibet anno vnum commiſiſſet peccatũ,alter vero quolibet die vnũ cõmiſiſſet peccatum eiuſdẽ ſpeciei, & eiuſdẽ intẽſionis in malitia, exquiro ab illis,an tot pecata haberet vnus homo,quã alter:& ſi ambo ſimul hac die, v.g. in peccato dicederẽt,ęqualibus cruciatibus apud inferos torquerentur. Huic etiã ſatisfaciãt. Vt ſe habẽt in numero particulæ ſiue partes minores reſpectu aliquarum partiũ maiorũ totius,ita ſe habẽt reſpectu omniũ partium, v.g. ſi palmi duarũ vlnarũ ſunt plures numero, quã palmi vnius vlnæ, palmi centum vlnarũ plures erũt numero quã palmi vnius vlnæ,aut duarũ eiuſdẽ totius centũ vlnarũ; ſed ſi illud tẽpus eſſet ab æterno, horæ eſſent particulæ dierũ, dies vero particulæ annorũ,anni vero partes maiores illius tẽporis: ergo vt ſe haberent horæ reſpectu aliquorũ dierũ,& dies reſpectu aliquorũ annorũ illius tẽporis, ita ſe haberent omnes horę reſpectu totius tẽporis,ſimiliter & omnes dies, & anni:ſed in duobus diebus eſſent plures horæ quã in vno die,& in duobus annis plures dies,quã in vno:ergo in omnibus partibus maioribus, ſ. in omnibus illis annis infinitis eſſẽt plures horę quã anni, & dies eſſent plures in illo infinito,quã anni:ergo vel nulli' ex his numeris annorũ,dierũ,vel horarũ eſſet infinitus actu,vel certe vnus numerus actu plures haberet vnitates, quã alter numerus actu. Huic etiã tertiæ ſatisfaciãt.Si in iſto tẽpore propoſito quolibet anno vnũ tantũ hominẽ creaſſet Deus, & quolibet die vnũ equũ,& qualibet hora vnũ leonẽ,eſſẽt ne tot homines quot equi,& tot equi quot leones? Alia multa incõmoda,quę mihi ſe offerunt,prætermitto,ne infinitã negans durationem creatã,penę infinitã illã reiiciẽdo conſumã.Prob.4. eadẽ aſſertio, quia æterno nil datur prius;at ſi motus ab ęterno eſſet,aliquid poſſet eſſe prius ęterno,nẽpe mobile,nã ſi eſſet ab ęterno motus,deberet eſſe alicuius mobilis,hoc vero potuiſſet eſſe prius motu:proba. minor.Supponamus illud mo-

bile fuiſſe primum cœlum, & primum motum fuiſſe motũ eius. Eſt argumentum. Quocumque modo iſta ſe haberent, procul dubio eſſent efficenter a Deo; ſed hoc eſſe, quod haberet primum mobile, potuiſſet eſſe prius, quam ſuccesſio motus; ergo, &c. Probatur minor. Vel illud inſtans eſſet in principio motus, vel in medio motus: ſi in medio; ergo motus haberet eſſe, antequam mobile: ſi vero in principio; ergo eſſet prius motus, quia in illo inſtanti haberet eſſe, & motus non dum haberet eſſe: ergo æterno aliquid eſſet prius.

Pro ſententia oppoſita quã grauiſsimi tenẽt Philoſophi, dices primo. Si Deus ageret ex neceſsitate naturæ, potuiſſet mundũ ab æterno creare; ſed ex eo quod ſit agens liberum, nõ habet minorem virtutem; ergo potuit mundum ab æterno creare Reſpondemus totum eſſe verum, nam vt initio quæſtionis obſeruauimus, ab æterno omnipotens eſt. Sed dices agens ex neceſſitate naturæ, cum primum potuiſſet, produxiſſet effectũ; ſed potuiſſet ab æterno; ergo produxiſſet ab æterno: ſed ex eo quod ſit agens liberum, non eſt minoris virtutis; ergo potuit mundũ producere ab æterno. Probatur maior, quia agens naturale nõ impeditũ, cum primum poteſt, producit effectum; ſed Deus nõ poſſet impediri; ergo cum primum poſſet, produxiſſet effectum: ſed potuit ab æterno: ergo produxiſſet ab æterno. Reſpondemus negando maiorẽ. Probationi dicimus, veram eſſe maiorem, quando non inplicat ex parte ipſius effectus: at implicat, mundum eſſe ab æterno, vt dictum eſt, & diffuſius ſtatim dicemus. Sed dices. Eo quod Sol eſt potens producere ſplẽdorem, ſi fuiſſet ab æterno, ab æterno ſplẽderet; ſed Deus eſt potens producere mundum ab æterno: ergo ab æterno potuit producere. Reſpondemus diſparem eſſe rationem, quia Sol & ſplendor eodẽ modo ſunt mutabiles. Vnde, ſi ſol fuiſſet ab æterno, etiam & ſplendor: at vero Deus & creatura non ita ſe habent, nam Deus ſemper immutabilis eſt, creatura vero ſemper mutabilis. Eſſe vero diſparem rationem, cõſtat, quia ſin minus, concluderet argumentum, mundum de facto eſſe ab æterno, quod hæreticum eſt. Sed dices. Tẽpus poteſt eſſe infinitũ à parte poſt; ergo poteſt eſſe infinitum à parte ante. Reſpondemus aliis omiſis ſolutionibus,

bus, concedendo totum enthimema, quod noſtram cõcludit ſententiam: nam tempus à parte poſt nequit eſſe infinitum actu, ſed potentia, & ſincategoremmatice, quia dato quocumque tempore, poteſt dari aliud poſterius, ſemper tamen citra infinitum actu: ita etiam dato quo cũque tẽpore, poterit dari aliud prius, ſemper tamen citra infinitum actu.

Dices ſecundo. Tota ratio cur res modo exiſtant, eſt volũtas Dei; ergo tota ratio, cur antea non extiterint, eſt etiã præciſſa Dei voluntas: ergo tota ratio cur non fuerint ab æterno eſt, quia noluit ab æterno eas producere: ergo ſi voluiſſet, produxiſſet ab ęterno: ergo motus & tempus potuiſſent eſſe ab æterno. Reſpondemus diſtinguendo cõſequens ita. Antea, ideſt in quocumque inſtanti initianti tempus finitum antecedens hoc, quod defacto habemus, concedo: ante, ideſt ab æterno, negamus minorem, nam tota ratio, cur res ab æterno non extiterit, non eſt voluntas Dei, quæ ſolum eſt circa poſsibilia, ſed poſsibilitas etiam rei, ad hoc vt producatur.

Dices tertio. Deus ab æterno eſt omnipotens; ergo ab æterno in eius omnipotentia mundus habet eſſe poſsibile; ergo potuit eſſe ab æterno. Reſpondemus ex tertia obſeruatione, negando conſequẽtiam: nam quamuis Deus ab æterno eſt omnipotens, creatura tamẽ nequit eſſe ab æterno. Aliud nãque eſt, Deũ poſſe facere ab æterno, id eſt ab æterno eſſe omnipotentẽ, & aliud rem poſſe fieri in quacumque menſura ſiue temporis differentia.

In ſecunda parte quæſtionis ſit prima obſeruatio. Res permanentes in duplici ſunt differentia, aliæ corruptibiles à principio intrinſeco, & hæ tempore menſurantur. Aliæ incorruptibiles quarum duratio eſt æuũ, vt diximus lib. 4. in diſputatione de durationibus.

Secunda obſeruatio. Res permanentes poſſunt dupliciter ſumi. 1. prout in ſe ſunt. 2. ita vt De' cõſeruaret eas abſq; omni mutatione, omnino immotas, & in hoc. 2. ſenſu eſt maior dubitatio.

Sit. 1. aſſertio. Nulla creatura permanens ſuæ naturæ relicta potuit eſſe ab æterno. Hanc inter alios egregie cõfirmat magiſter Bañes. 1. p. q. 45. art. 2. con. 2. Probatur. ergo ratione. Omne quod eſt mutabile menſuratur aliquo

tempore; ſed omnis creatura permanens natura ſua eſt mutabilis; ergo relicta naturæ ſuæ non poteſt menſurari niſi tempore. Probatur. 2. procederet ex nihilo; ergo ex nō eſſe ad eſſe: ſed quod ita procedit, habet non eſſe, antequā ſit; ergo non eſſet ab æterno, nam entitas æterna non poteſt non fuiſſe. Si enim eſſe Dei potuiſſet non eſſe, procul dubio non eſſet æternus. Probatur. 3. in Angelis v. g. qui natura ſua ſunt incorruptibiles, quia vel Angelus primo creatus & ab æterno, eſſet creatus cum operationibus intellectus, & voluntatis, vel ſine illis: ſi 2. dicas: ergo. Iam non eſſet relictus ſuæ naturæ, cū naturale ſit Angelo, harū potentiarūm habere operationes: ſi primum aſſeras, vel intellectio in qua fuit creatus, durauit tempore infinito, vel finito: ſi finito; ergo non fuit ab æterno, quia nullum finitum, qua parte finitum eſt, poteſt eſſe æternum. Si vero infinito: ergo toto illo tempore non potuit ab intellectione ceſſare: ergo neceſſario intelligebat, quod certe eius repugnaret naturæ, nam ſuę naturę relictus libere vult, & intelligit.

Secunda aſſertio. Creaturæ permanentes quamuis in motæ conſeruarentur à Deo, nulla ratione poſſent eſſe ab æterno. Huius ſententiæ fundamentum eſt, quia nulla eſt creatura, quæ non ſit tranſmutabilis à principio intrinſeco, vel ſaltem ab extrinſeco: implicat vero contradictionem, eſſe ab æterno, id quod mutabile eſt. Hanc aſſertionem inter alios tenent multi Patres locis citatis in prima parte huius. q. aſſertione ſecunda. Probatur ergo rationibus primo ita. Nullum attributum Dei cōmunicari poteſt creaturis; ſed æternitas eſt attributum Dei; ergo non poteſt communicari creaturis: ergo nulla creatura poteſt eſſe æterna, ſiue ab æterno. Reſpondent, ſecundum quod æternitas eſt attributum proprium Dei, concedimus, ſecundum aliquam participationem, negamus. Sicut enim Deus eſt ſapiens, & bonus per eſſentiam, & creatura dicitur ſapiens, & bona per participationem, ſimiliter Deus dicitur æternus ex ſe, & ſine dependentia ab alio, creatura vero dicitur æterna per participationem. Solutio tamen hæc etſi Grauiſsimorum ſit Phyloſophorum, tamen, quod illorum pace dixerim, nullius eſt momen-

ti, nam creatura per participationem, nec poteſt eſſe bona bonitate infinita, nec ſapiens ſapientia infinita; ergo neque æterna: nam æternitas eſt duratio infinita. Licet ergo creatura ſit durans per participationem, bona per participationem, & ſapiens per participationem; tamen quemadmodum per participationẽ, nec eſt bona bonitate infinita nec ſapiens ſapientia infinita, ita nec erit durãs duratione infinita, quę eſt æternitas.

Probatur ſecundo. Si res permanens illo modo ſumpta poſſet eſſe ab æterno, vel illam produceret Deus in tempore, vel in inſtanti. ſi in tempore; ergo non fuiſſet ab æterno. Si vero in inſtanti, vel ergo illud præceſsit tempus, & ſic non eſſet ab æterno, vel ſi non præceſsit, tale inſtans eſſet principium durationis; ergo non fuiſſet æterna, quia æternum non habet principium durationis. Reſpondẽt huic argumẽto, quod produceret in inſtanti, quod non eſſet fluens, ſed inſtans æternitatis, vel totum ſimul. Reiicitur tamen ſolutio ita. Vel Deus abſolute loquendo modo poſſet idem tranſmutare, vel non: ſi dicas non poſſe, ſequitur inde, creaturam aliquam eſſe extra obiectum omnipotentiæ, & non dependere à Deo ſecundum potentiam obediẽtialem, & tranſmutabilem. Si vero poteſt tranſmutari; ergo non potuit eſſe æterna, quia quod æternum eſt, ita eſt totum ſimul, vt nec actu tranſmutari poſsit, nec aliqua ratione ſit tranſmutabile. Si enim quæ de ratione æternitatis, etſi obiter, attigimus libro quarto diſputatione quarta, accuratè perpẽdãtur, inueniem' ſanè, trãſmutabilitatem è diametro cũ æternitate pugnare: nam eo ipſo quod res eſt ęterna, debet habere totum ſuum eſſe ſimul, & cõſequenter tale eſſe nequit eſſe tranſmutabile.

Sed dices contra aſſertionem. Quidquid non inuoluit contradictionem, potuit à Deo fieri; ſed aliquid ab æterno creari, non inuoluit cõtradictionem; ergo potuit à Deo fieri: ergo potuit creatura eſſe ab ęterno. Probatur minor. Si implicaret contradictionem, vel implicaret ex parte Dei creantis, vel ex parte rei createę, vel ex parte creationis ab ęterno; ſed nullo ex his tribus modis implicat; ergo non implicat. Probatur minor hac ratione.

In

In primis nō implicat ex parte Dei, quia ille ab ęterno omnipotens eſt. Deinde nec ex parte rei, quæ producitur, nā aliquid genitum eſt ab æterno, nempe Verbum diuinum: denique nec ex parte ipſius creationis, quia ſi ex parte illius implicaret, maxime quia creatio eſt ex nihilo, quare creatura per creationem videtur habere eſſe poſt nō eſſe, quod durationi æternæ repugnat; ſed hoc non obſtat, quia particula, *ex nihilo*, non ſumitur poſitiue & denotando ordinem termini ſub quo res prius fuerit, ſed negatiue, prout idem eſt ac non de aliquo, ſeu nullo præiacēte ſubiecto; ergo non implicat ex parte creationis. Reſpondemus negando minorem. Probationi dicimus, repugnare ex parte ipſius creaturæ: & probatio quæ adducitur de Verbo diuino, ſatis aliena eſt à præſenti inſtituto. Verbum namque diuinum genitum à Patre illi coæternum eſt, conſubſtantiale, & ab omni trāſmutatione liberum, quia purus actus vt Pater æternus. Creatura vero, quæuis ſit, producitur a Deo, ita vt ab eodem accipiat eſſe tranſmutabile, inconſtans, infirmū: quare implicat ex parte creaturæ, eſſe æternam: quod vero implicet, oſtenditur ita. Implicat aliquid eſſe tranſmutabile, & nō eſſe tranſmutabile, ſed ſi creatura eſſet ab æterno eſſet tranſmutabilis, & nō eſſet tranſmutabilis; ergo implicat creaturam eſſe ab ęterno. Minor probatur. In primis ſi eſſet ab æterno, eſſet intranſmutabilis, nam omne quod eſt totum ſimul, eſt intranſmutabile, & omne æternum eſt totum ſimul: ſed eo ipſo quod eſſet creatura, eſſet trāſmutabilis; ergo eſſet traſmutabilis, & non eſſet tranſmutabilis. Probatur minor, quia citra cōtrouerſiam nulla eſt creatura, cuius entitas non ita intrinſece pendeat a Deo, vt ab eodē milies tranſmutari, & in nihillum redigi poſsit. Nec valet ſi dicas, Deū illā cōſeruare immutatā: hoc enim reſpectu creaturæ per accidens ſe habet, nam de intrinſeca eius ratione eſt, quod poſsit à Deo tranſmutari: eſt enim Creatura ens participatum & dependens a Deo.

Dices. 2. Cauſa agens in inſtanti & ſine motu nō eſt neceſſe, quod præcedat effectū ſecundum durationem, ſed ſolum ſecundum naturam; ſed Deus producere poteſt mundum in inſtanti, & ſine motu; ergo nō eſt neceſſe, quod pręcedat

cedat effectum ſecundum du rationem: ergo mundus potuit eſſe ab æterno. Reſpondemus, veram eſſe minorem ſecundum ſe, ſi ex parte effectus non implicet: diximus vero implicare, creaturã eſſe ab æterno.

Dices in. 2. aſſertionẽ. Omne omnino inuariabile menſuratur æternitate; ſed poteſt Deus aliquam creaturã omninó inuariabilem conſtituere; ergo illa poterit menſurari æternitate: ergo eſſe ab æterno. Reſpondemus negando minorem, nam implicat eſſe creaturam, & eſſe omnino inuariabilem. Aliud enim eſt, creaturam cõſeruari omnino inuariatam, & aliud eſſe inuariabilem. 1. poteſt efficere Deus. 2. contradictionem implicat.

DISPVTATIO II. QVAE EST DE MOTV LOCALI.

Superioribus libris de natura, partibus, ſpeciebus, vnitate, termino, & affectionibus motus multa pertractauimus, modo vero illis nonnulla addemus partim ex ſuperius dictis, partim ex ijs, quæ hoc loco Ariſtoteles pertractauit, emergẽtia, vt motus diſputatio, de qua philoſopho præcipua cura eſſe debet, numeris omnibus maneat abſoluta, quod vnica duntaxat quæſtione multas dubitationes continente, qua poterimus breuitate, pertractabimus.

QVAEST. VLTIMA.

In qua multæ dubitationes de motu locali pertractantur.

QVæres. 1. à quo nã moueãtur proiecta, an ab impetu illis impreſſo a proiciẽte, vel potius à partibus aëris concitatis & à tergo confluẽtibus. Grauiſsimi namq; philoſophi à ſola hac partium cõcitatione proiectorum motũ fieri, tradiderunt.

Sit aſſertio. Proiecta non ſolum mouentur à concitatio

ne partium aëris atergo confluentium, ſed etiam ab impetu eiſdem proiectis à proiiciente impreſſo. Probatur. 1. Aëris commotio cauſatur à proiectis; ergo illorum motus non eſt ſolum à commotione partium aëris. Probatur. 2. Res læuiſsimæ difficilius mouētur a proiiciente, quam res alicuius mediocris ponderis, ergo nō mouētur a ſolo aëre à tergo confluente; nam ſi ab illo ſolo mouerentur, facilius multo mouērentur quę læuiſſimæ eſſent. Probatur. 3. quia flante rapidiſsimo vento, vehementius cōmouentur partes aëris, quam cum mouentur a proiiciente, & tamē quādo ſic commotus eſt aër, interdum non mouentur paleæ leuiſsimæ.

Sed dices. Ariſtot. hoc lib. cap. vlt. docuit proiecta moueri ab aëre circunſtanti; ergo noſtra ſententia Ariſtoteli repugnat. Reſpondemus negando conſequentiā, quia Ariſt. ibi ſolū tradit partialē cauſam motus proiectorum.

Dices 2. Vel impetus eſſet ipſemet motus, vel aliqua qualitas ab illa diſtincta: ſi motus; ergo idem cauſaretur à ſe ipſo, quod eſt abſurdum. Si dicas, eſſe qualitatem, non videtur eſſe alicuius ex quatuor ſpeciebus illius. Reſpondemus eſſe qualitatem primæ ſpeciei, affectionem ſcilicet quandam diſponentē ad motum. Sed dices. Vel eſſet grauitas, vel leuitas; ſed neutra eſſe poteſt; ergo nō datur talis qualitas. Probatur minor, quia grauitas inclinat ad motum deorſum, & læuitas ad motum ſurſum, at proiecta interdum nec mouētur ſurſum, nec deorſum. Reſpondemus negando maiorem propoſitionem, nam nec eſt grauitas, nec læuitas, ſed alia diſtincta qualitas impetus appellata.

Quæres 2. quæ nā ſit cauſa velocioris, aut tardioris motus. Duplicem habet ſenſum quæſtio. Primus eſt, quæ nam ſit cauſa efficiens velocioris, aut tardioris motus. Et in hoc ſenſu certum eſt, maiorē virtutem mouentis, ſi cętera ſint paria, eſſe cauſam velocioris motus: & minorem virtutem mouentis eſſe cauſam tardioris motus. Secūdus ſenſus eſt, per quid intrinſece conſtituatur velocitas, aut tarditas motus, id eſt quid ſit motum eſſe velociorem, aut tardiorem. Gallenus lib. de dignoſcendis pulſibus cap. 1. quem refert & ſequitur Velleſius ſingularem habuit ſententiam. Lib. 3. cōt. med. c. 4. Exiſtimauit enim, inter quas cumque partes motus media re manſiunculas quaſdam, ſiue

ue quietes, ex quarum magnitudine, vel paruitate motus velocior, vel tardior redditur.

Sit aſſertio. Vt motus ſit velocior, vel tardior, non eſt neceſſe conſtituere has medias quietis inter partes illius. Aſſertionem hanc egregie demonſtrat cōtinuus cœli motus, cuius partes, quæ magis accedunt ad æquatorem, velocius mouentur, cum æquali tempore maius percurrant ſpatium: & quo magis vicinæ, & propinquiores ſunt polis, eo tardius mouentur, cum æquali tempore minus percurrant ſpatium. Reſtat ergo, velociorem motum eſſe illum, qui minori, vel æquali tempore maius percurrit ſpatium: & illum tardiorē, qui minus percurrit ſpatium. Itaque per ordinem ad hoc intrinſece dicetur motus velocior, vel tardior. Sed dices pro ſententia appoſita. Motus dicitur tardior, quo mobile magis quieſcit in termino a quo, & dicitur velocior, quo mobile minus quieſcit in termino à quo; ſed magis, vel minus quieſcere eſt ratione manſionum, ſiue quietum; ergo velocitas & tarditas motus ortum habēt eſt ipſa quiete. Reſpondemus, maiorem propoſitionem falſam eſſe in motu continuo, de quo modo eſt quæſtio. Si enim de motu diſcreto, & quietibus intercepto, qualis eſt pulſus ſiue motus arteriarū, de quo procul dubio loquitur Galſenus, intelligatur, vera eſt & nil cō cludit contra noſtram aſſertionem. Quies enim propriè ſignificat carentiam motus, quę nequit in mobili reperiri dum motu continuo mouetur. Sumitur etiam interdum pro carētia maioris velocitatis, ſed hæc ſignificatio impropria eſt.

Dices. 2. in partibus motus æqualiter ſemper ſe habent mobilia; ergo ſolum mouentur velocius, vel tardius ratione inſtantium menſurantium mutata eſſe motus, in quibus mutatis eſſe magis vel minus quieſcunt: ergo velocitas, & tarditas motus promanant à quietibus. Reſpondemus negando maiorem propoſitionem, nam mobilia ratione velocitatis in partibus motus aliquādo ſe habent æqualiter, aliquando vero inęqualiter. In mutatis vero eſſe nū quam mobilia quieſcunt, tum quia non ſunt admittēda huiuſmodi mutata eſſe in medio motus, vt. 6. Phyſico ſatis abū de demōſtrauimus; tum etiā, quia etſi eſſent admittēda, in illis mobile non quieſceret

poſitiue; imo neque priuatiue, ſed negatiue tantum.

Quæres, 3. à quonam moueantur, quæ reſiliunt, verbi gratia pila, dum contingit parietem?

Quidam enim exiſtimant, moueri repercuſſa a corpore quod contingunt. Alij vero moueri à primo pellente, & imprimente illis impetum. Sit tamen aſſertio. Pila, verbi gratia, in illo ſecundo motu mouetur à pariete, vel alio corpore percuſſo; & vniuerſaliter omnia quæ reſiliunt, mouentur ab eo corpore in quo reſiliunt. Probatur. 1. quia cũ pila, verbi gratia, ab homine in parietem proiecta parietẽ tangit, vel quoduis aliud corpus, iuxta corporis diſpoſitionem repercutitur, & iterum verſus proiicientem mouetur; ſi igitur ex diſpoſitione corporis percuſsi maior vel minor impetus in pila reperitur, aſſerendũ eſt, illius repercuſſionem à corpore tacto promanare.

Sed dices. Etiam hoc modo mota & veluti repercuſſa, mouentur velocius, aut tardius iuxta impetum acceptũ à primo pellente, & iuxta cõcitationem partium a tergo fluẽtium, vt patet in pila, quæ ſi maiori impetu proiiciatur, maiori impetu reflectitur: tũ etiam iuxta propriam naturã, vt ſi lapis ſurſum proiectus contingat corpus, & per reflectionem deſcendat, eius velocitas maior erit ratione propriæ grauitatis; ergo nõ recte docuimus, omnia quæ reſiliũt, moueri ab eo corpore, in quo reſiliunt. Reſpondemus negando conſequentiam, quia ſolum concludit argumentũ, non ſolum moueri a corpore, in quo reſiliunt, quod libenter admittimus.

Probatur. 2. aſſertio, quia ſi lapis deſcendat deorſum, & percuſſus ab alio reuertatur, ille ſecundus motus nequit cauſari niſi à corpore percuſſo; nam grauitas a qua mouebatur, nõ eſt principiũ motus ſurſum, ſed motus deorſum.

Sed dices. Nullum corpus manens omnino immotum, ſufficiẽs eſt aliud mouere; ſed paries manet omnino inmot⁹; ergo non poteſt mouere pilã. Reſpondemus negando maiorem propoſitionem: nã non eſt neceſſe, quod mouens motu locali, ad hoc vt moueat, moueatur, præſertim cũ motus non ſolum ab illo promanat, ſed a virtute etiã mobili impreſſa à primo proiiciente, vel à propria grauitate, vt patet in noſtro caſu. Sufficit ergo cõtactus ratione cuius quodammodo virtus mobili impreſſa

preſſa, & impulſus ille incrementa ſuſcipit,& velociorem efficit motum.

Dices. 2. Totus motus mobilis eſſet vnus,& idem nume to; ergo totus eſſet à primo proiiciente,à quo cœpit moueri,nō vero à corpore,quod contingit. Reſpondemus negando antec. quia in puncto reflectionis neceſſario debet dari duplex quies, quæ ſufficiens eſt ad multiplicitatē numericam motus, vt ſequens dubitatio demonſtrabit.

Quæres igitur. 3. An in pūcto reflectionis mobile quieſcat; verbi gratia, cū lapis ſurſum proiicitur, an in pūcto in quo deſinit virtus illi à proiiciente impreſſa, antequā deorſum tendat, quieſcat ibi. Pro cuius rei intelligentia reuocādæ ſunt in memoriā diuiſiones quietis in quietem poſitiuam,& priuatiuam,& negatiuam: tum etiā in inſtantaneā,& ſucceſsiuam; ſiue vt rectius loquamur, in tēpore,& in inſtanti; quas diuiſiones adduximus. 6. phyſic. diſp. de modis incipiendi,& deſinendi, quæſtione vlt.

Sit. 1. aſſertio. In puncto reflectionis neceſſario debet dari quies. Probatur. Iſti motus, qui reperiuntur in reflexione, ſunt numero diſtincti; ergo neceſſario inter illos debet dari quies. Conſeq. legitima eſt. Anteced. probatur. Quia eſſent motus habentes diſtinctos terminos. Prob. 2. quia omnis motus rectus ordinatur ad quietem: ſed ordinatur ad terminum ad quem; ergo in termino ad quem debet eſſe quies. Probatur. 3. motus diſtincti numero, vt diximus, neceſſario debent intercipi aliqua quiete: ſed motus ſurſum, & deorſum ſunt motus numero diſtincti; ergo neceſſario debent intercipi aliqua quiete. Probatur minor. Motus, qui fiunt à diſtinctis virtutibus mouentibus, neceſſario debent eſſe numero diſtincti phyſice & realiter; ſed motus ſurſum & deorſum, inter quos datur punctum reflexionis, ſunt à diuerſis virtutibus mouentibus; ergo neceſſario debent eſſe numero diſtincti. Probatur minor: quia motus quo lapis ſurſum proiicitur eſt à virtute illi impreſſa à proiiciente; motus vero quo deorſum fertur, eſt a propria grauitate. Manet ergo dubitatio, an illa quies, quæ reperitur inter hos motus ſit quies poſitiua, ſiue priuatiua & in tempore, vel potius negatiua & in inſtanti: & ſi in inſtanti, an ſit vna, vel multiplex.

Sit.2.aſſertio.Illa quies nequit eſſe priuatiua. Probatur 1. quia ſi in puncto reflectionis eſſet quies priuatiua, cum nõ ſit maior ratio de vno pũcto reflectionis quam de aliis in omni puncto reflectionis eſſet quies; ſed conſequens eſt abſurdum, ergo & antecedens. Probatur minor. Aſcẽdat motu proiectionis pila verbi gratia, & contingat maximum lapidem impetu deſcendentem, qui lapis ſecum deorſum trahat pilam, in iſto caſu eſt punctus reflexionis, & tamen non eſſet quies priuatiua; ergo nõ in omni puncto reflectionis eſt quies priuatiua. Quod eſſet reflexio patet. Quod vero non eſſet quies priuatiua, probatur ita. Non quieſceret in tempore; ergo non quieſceret quiete priuatiua. Conſequentia legitima eſt, quia vt diximus lib.6. diſp. 3.q.vlt.dubitatione.4.& 5. quies priuatiua motus ſucceſsiui non poteſt eſſe niſi in tempore, quia ſolum in tẽpore poteſt eſſe motus ſucceſsiuus. Antec. probatur ita. Pilæ obuiam fieret lapis & ad inuicem; ſed lapis non quieſceret priuatiue; ergo neque pila. Reſpondent nõnulli lapidem quieſcere quiete priuatiua iudicio intellectus, nõ vero indicio ſenſus. Sed exiſtimo reſponſionem eſſe ridiculam, quod pace autorum eius dixerim, nam nec virtus pilę impreſſa, nec vis partium aëris a tergo confluentiũ ſufficerent ad detinendum lapidem. Si enim caput meũ proximum eſſet ictui horum corporum, nõ curans de quiete, ſumma curra illud ſubducerem.

Probatur.2. aſſertio in motu pilæ ſurſum: motus enim tã diu duraret quãdiu impetus ille impreſſus aut virtus partium confluentiũ à tergo; ſed talis virtus deſineret in inſtãti; ergo & motus ſurſum lapidis deſineret in inſtanti, ergo poſt inſtans non quieſceret quiete priuatiua in loco ſuperiori. Vltima conſequentia probatur, quia impoſsibile eſt corpus graue in loco ſuperiori priuatiua quiete cõquieſcere, niſi detineatur, ſed à nullo detineretur; ergo non quieſceret priuatiue: ſtatim enim illius grauitas cauſa eſſet motus deorſum.

Tertia aſſertio. Illa quies in pũcto reflectionis eſſet duplex quies negatiua, quarum prima eſſet primum non eſſe motus ſurſum, & altera vltimum nõ eſſe motus deorſum eiuſdem. Hæc aſſertio euidẽter deducitur & confirmatur ex dictis in ſuperioribus; ſæpe

enim

enim docuimus, motus contiguos habere indiuiſibilia ſimul, & in. 1. aſſertione dixim', reflectionis punctum eſſe inter duos motus contiguos.

Dices in. 1. aſſertionem. In puncto reflectionis nec datur quies priuatiua, neque quies negatiua; ergo nulla datur quies. In primis non datur quies priuatiua, quia non quieſcit in tempore, vt demonſtrauimus confirmando. 2. aſſertionem: deinde neque priuatiua, quia quies priuatiua motus ſucceſsiui eſt in inſtanti, at nō dantur inſtantia in tempore, vt diximus. 4. phyſ. diſp. 3. q. vlt. & 6. phyſ. diſp. 2. q. 4. Reſpondemus, dari duplicē quietem priuatiuam, & illam eſſe in duobus inſtantibus, quorū vnum eſt terminans durationem motus ſurſum, & aliud initians durationem motus deorſum: locis vero citatis ſolum negauimus inſtantia copulantia. Sed dices. Duo inſtantia nequeunt eſſe immediata; ergo & ſolutio & 3. aſſertio falſa eſt. Reſpōdemus, antecedens eſſe verum de inſtantibus in eodem cōtinuo, falſam tamen de inſtantibus in temporibus contiguis, vt ſæpe diximus in ſuperioribus. Sed dices. In caſu ſuperius propoſito lapis maximus deſcendens nō quieſceret duplici quiete negatiua in puncto reflexionis pilæ; ergo neque pila. Probatur anteced. quia motus lapidis illius eſſet continuus. Reſpondemus negādo conſeq. quia motus lapidis vnus eſſet, motus vero pilæ duplex. Sed dices. Huic duplici inſtati in pūcto reflexionis pilæ quid correſponderet in motu lapidis? Reſpondemus, nihil: nam, vt ſæpe diximus in ſuperioribus, præcipue diſputationibus vltimo citatis, in diuiſibilibus temporū contiguorum nihil correſpōdet in tempore contiguo illis coëxiſtente.

Quæres vlt. An motus naturalis velocior ſit in principio, vel in fine, ſimiliter & violentus, & cur. Reſpondemus, motum naturalē progreſsiuū velociorem eſſe in medio, quā in principio, & in fine. Ratio eſt, quia in fine iam virtus & inſtrumenta ſunt defatigata, in principio vero non dum partes aptæ ſunt ita moueri, quia non dum incaluere. De motu vero naturali lapidis, verbi gratia, deorſum aſſerēdum eſt, velociorem eſſe in fine, quā in principio; non quia in loco naturali ſit virtus attrahendi in genere cauſæ efficiētis, nam ſolum eſt in genere cauſæ finalis, ſed potius quia partes aëris magis concitatæ ſunt,

ſunt, & partes concitatæ & impellentes ſunt multo maiores. Denique, ſi ſermo ſit de motu violento, aſſerendum eſt, tardiorem eſſe quo magis recedit ab impellente. Hoc experientia patet, & ratio demonſtrat, quia ſcilicet quo magis ab impellente recedit virtus, aqua pellitur, quæ ei naturalis nō eſt, deficit paulatim, quouſq; tādē euaneſcat.

DISPVTATIO III.

DE PRIMO MOTORE.

Tandem in his noſtris Commentariis videndum eſt, an ſit aliqua prima cauſa, aliquiſue primus motor, a quo in ſuis actionibus omnia pendeant inferiora. Hoc enim pertractauit Ariſtoteles cap. 5. 6. 8. & vlt. idemque pertractant Theologi. 1. p. q. 2. Obiter ergo vt Ariſtotelis mentem apperiamus, attingemus nonnulla.

QVAESTIO. I.

VTRVM ſit primus motor.

PRO huius rei intelligentia ſupponēdum eſt cū Ariſtot. 2. met. c. 3. in cauſis per ſe ordinatis nō dari progreſſum in infinitum. Idē de cauſis eſſentialibus docuit. 7. & 8. Phyſi. & cū eo omnes philoſophi. Doctrina hæc eſt huius quæſtionis fundamentum. Sed dices contra illam. Ariſt. exiſtimauit, mūdum fuiſſe ab æterno; ergo in eius ſententia neceſſario debet cōcedi proceſſus in infinitum in cauſis, ſin minus manifeſte pugnantia doceret Ariſtoteles. Reſpondemus, recte concludere argumentum, hæc duo inter ſe pugnare: miſere enim deceptus fuit Ariſtoteles in ſua illa de mundi æternitate opinione. Dices iterum. Cauſa materialis eſt magis interna, quam efficiens; ſed in hac datur proceſſus in infinitum; ergo etiam in cauſis efficientibus. Probatur minor, quia partes materiales continui actu ſunt infinitæ. 2. quia in figuris, quæ recipiūtur in materia,

teria, eſt proceſſus in infinitū. Reſpondemus negando minorem. Primæ probationi dicimus, in continuo non dari actu partes infinitas, imo neq; dari partes actu, vt. 6. phyſi. diſp. 1. docuimus. 2. probationi reſpondemus, figuras, quæ recipiuntur in materia, nunquā poſſe eſſe actu infinitas.

Secundo ſupponendum eſt cum cōmuni philoſophorum conſenſu, dari poſſe infinitas cauſas per accidens alicuius effectus, non tamen actu, ſed potentia ſolum. Si vero ſub ordinatione quadam concurrant ad producēdum effectū, certum eſſe debet, nec poſſe eſſe infinitas actu, nec potencia. Probatur prima pars, quia infinitū actu non eſt cōſtituendum, vt demonſtrauimus lib. 3. Secunda pars probatur ita. In cauſis eſſentialiter ſubordinatis nequit proxima operari ſine actuali cōcurſu aliarum; ſed ſi illarum numerus eſſet infinitus, non eſſet poſsibilis iſte cōcurſus; ergo, &c.

Datur. 1. motor. Ex dictis facillimum eſt quæſtioni ſatisfacere. Sit igitur aſſertio. Datur primus motor, à quo cœtera omnia moueantur. Ex dictis facile probatur, quia ſcilicet in cauſis per ſe ordinatis nequit dari proceſſus in infinitum.

Sed dices. Ad rerum omnium actiones ſufficiunt natura, & ratio; ergo non eſt cur præter has conſtituamus primum motorem. Probatur antec. omnis cauſa vel eſt naturalis, vel libera; ſi naturalis, ſufficiens principiū illius eſt natura: ſi libera, ſufficiēs principiū illius eſt ratio; ergo ad rerum omnium actiones ſufficiunt natura & ratio. Reſpondemus negando antecedens. Probationi dicimus, naturam quidem & rationem illarum actionum eſſe principia immediata, hęc vero principia requirere neceſſario motionē à primo motore Deo, qui cum omnibus cauſis concurrit immediate immediatione ſuppoſiti, & virtutis, vt 2. phyſi. abunde demonſtrauimus.

QVAEST. II.

Vtrum primus motor ſit vnus.

PRima aſſertio. In mundi vniuerſitate eſt aliquod primum ens non factum, nec creatum a quo cœtera fiant. Primū ens non factū. Hæc eſt de fide & multa ſcripturæ ſacræ teſtimonia illam confirmant: eſt etiam naturæ lumine euidēter nota. Ex dictis ergo ita demonſtratur.

Om-

Omne ens aut eſt factum, aut non factum, quia factum, & non factum contradictorio nomine opponuntur; ſed non poſſunt omnia eſſe facta; ergo neceſſario concedendum eſt, dari aliquod non factum, à quo cætera fiant. Probatur minor, quia omne ens factum eſt ab alio factum; cum nihil poſsit facere ſeipſum.

Secunda aſſertio. In rerum vniuerſitate cõſtituendus eſt vnus primus motor æternus, & perpetuus, à quo omnes motus procedant. Prob. illo principio ab Ariſt. adducto: omne quod mouetur, ab alio mouetur; ſed nõ eſt concedẽdus proceſſus in infinitũ; ergo neceſſario deueniendũ eſt ad aliquem primum motorem immotum, à quo cætera moueantur. Idem non obſcure demonſtrant quamplurima Scripturæ ſacræ teſtimonia, & illud præcipue Deuteronomij. 6. *Audi Iſrael dominus Deus noſter Deus vnus eſt.*

Sed dices. 1. motor eſt vnus; igitur aut vnitate prædicamẽtali, aut tranſcẽdenti; ſed neutra; ergo primus motor non eſt vnus. In primis non vnitate prædicamentali, quia hæc ſuppouit quantitatem, quæ in primo motore eſſe nõ poteſt, cum partibus careat, vt in ſequentibus dicemus. Deinde neque vnitate tranſcendentali, quia hæc dicit priuationem & defectum, Deus autem eſt actus puriſsimus. Reſpondemus, Deum ſiue primum motorem non eſſe vnum vnitate prædicamentali, quia à prædicamentis ens infinitum excluditur, eſſe vero vnum vnitate tranſcendentali, quæ non dicit priuationem. Diximus enim in Logica in diſputatione de vniuerſis quæſt. 5. de vnitate formali carentiam diuidi in priuationem, negationem, & naturam mediam, quæ partim conuenit cum vtraque, & ab vtraque partim diſtinguitur. Eſt ergo primus motor vnus, & conſequenter indiuiſus in ſe, & diuiſus à quolibet alio per carentiam diuiſionis, quę eſt natura media inter priuationem & negationem: conuenit enim cum negatione, quia non dicit aptitudinem ad diuiſionem: cum priuatione vero, quia determinat ſub iectum quemadmodum illa. Conſulatur quæſt. citata.

Sit. 3. aſſertio. Idem Ariſt. exiſtimauit, imo demonſtrauit quamplurimis rationibus. Eſt ergo prima. Fruſtra fiunt per plura, quæ fieri poſſunt per pauciora; ſed ſat eſt vnum primũ principium primumq; me-

motorem conſtituere; ergo non eſt cur multos admittamus. Probatur minor. Si eſſent plures, vel quod vnus poſſet, alij poſſent, vel nō: ſi poſſet, ergo ſuperfluum certe eſſet, alios admittere: ſi vero nō poſſit; ergo nullus ex illis erit perfectus in ſuo eſſe & potētia, ſed limitatæ potius ac diminutæ virtutis, & per conſequens non eſſet omniū principium primum effectiuum.

Eadem aſſertio ab eodem Ariſt. confirmatur. 12. metaphyſico, quia ſi primi motores eſſent plures, vel eſſent æqualiter perfecti, vel vnus perfectiſsimus: ſi hoc ſecundū afferas, ſuperior aſſertio manet cōfirmata. Si vero primū dicas, ſequitur illos eſſe eiuſdem ſpeciei, nam quę in perfectione æqualitatem habent, ſpecie differre nequeunt: quæ vero ſpecie non differunt, ſed ſunt eiuſdem ſpeciei, materia conſtāt: quare primus motor materiam haberet, cuius oppoſitū vltimo huius libri cap. egregie Ariſt. demonſtrauit.

Eandem aſſertionem eodē libro iterū demonſtrat Ariſt. ita. Tantum eſt vnus primus finis; ergo; tātū eſt vnus prim⁹ motor. Antec. demonſtrat, quia ſi multi eſſent, vel vnus in alium ordinaretur, vel nō: ſi vnus in aliū ordinaretur, ille ſolus, inquem alter ordinaretur, eſſet vltimus: ſi vero vnus in aliū non ordinaretur; ergo ſimiliter nec media omnia in vnum & eundem finem ordinarentur, & per cōſequens diſſolueretur ordo vniuerſi, qui in perfectione quadā deſumpta ex ordine ad vnā primam cauſam, primūq; principiū deſumitur, vt 1. de cœlo circa primum cap. abunde ſatis docuimus.

Nec dictis obſtant quāpluri ma ex Ariſt. doctrina deſumpta teſtimonia, quibus docere videtur, multos eſſe deos, vt videre eſt. 2. Ethic. c. 14. & 1. politico. c. etiā. 14. & ſępe alibi: nā in locis his appellat Deos participatione quadam ſpirituales ſubſtantias, tum etiam homines virtute Deo coniunctiſsimos, quæ res ob ſuam maximam præſtantiam Dei aliquam ſimilitudinē videntur præſeferre.

QVAEST. III.

Vtrum primus motor ſit omnino immobilis.

SIT aſſertio. Primus rerum omnium motor Deus eſt omnino immobilis. Eſt de fide, & illam confirmat illud Malachiæ. 3. *Ego enim dominus, & nō mutor*. Prob. 1. quia De⁹ eſt purus actus: ergo nullo modo eſt mutabilis, quia 1. Motor immobilis.

omne mutabile dicit potentiam. Probatur 2. ex Dei ſimplicitate, nã omne quod mouetur, dicit aliquo modo cõpoſitionem. Demõſtratur. 3. ex infinitate ipſius Dei, nam omne quod mutatur, neceſſario aliquid de nouo adquirit; quod vero infinitum eſt, & ab æterno, in poſsibile eſt aliquid de nouo adquirere.

Sed contra propoſitam aſſertionem videtur in primis obſtare doctrina Sapiẽtiæ. 7. capite, vbi ſapiẽtia diuina dicitur mobilior omnibus rebus, & Iacobi. 4. dicitur appropinquate Deo, & ipſe appropinquabit vobis. Primo enim teſtimonio dicimus, diuinam ſapientiam dici mobiliorem omnibus rebus, nõ quia mutetur, ſed quia ſimilitudine quadam abſque ſui mutatione videtur mutari, eo quod eius eſſe ad omnes creaturas diffunditur. 2. teſtimonio dicimus, Deũ accedere ad nos, non per mutationem Dei, ſed per donum gratiæ, quam ab illo accipimus.

Sed dices. 1. ſi Deus eſſet immobilis, maxime quia ſolũ eſt in ſe ipſo; ſed hæc ratio eſt nulla, quia eſt in omnibus rebus per eſſentiam, præſentiã, & potentiam: Reſpondemus, Deum eſſe in ſe ipſo per eſſentiam, in creaturis vero per participationẽ eſſentiæ, quia ſcilicet eſſe quod creaturæ habent, à Deo acceperunt abſq; aliquã Dei mutatione: hoc enim ſonat creatura, ens ſcilicet participatum à Deo. Eſt etiam in omnibus per præſentiã, quia omnia ſunt nuda & aperte oculis eius. Tandem per potẽtiam, quia ex nihilo omnia produxit, & in nihilum ab eo redigi poſſunt, iuxta illud pſalmi. 103. *aperiẽte tẽ manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem, turbabuntur: auferẽtes ſpiritum eorum & deſſicient, & impuluerem ſuum reuertentur.*

Dices. 2. Primus motor incipit eſſe in quacunque creatura de nouo producta: ergo mouetur localiter. Probatur conſequentia, quia rem moueri localiter eſt, habere locum, quem prius non habebat. Reſpondemus, Deũ eſſe in creatura de nouo producta, non per mutationem ipſius Dei, qui ſua immenſitate omnia replet, ſed potius per mutationem ſiue productionem ipſius creaturæ.

Sit. 2. aſſertio. Idem exiſtimauit Ariſt. 4. c. huius libri, & illud demõſtrauit ex eo, quod in motibus, & mouentibus nõ eſt admittendus proceſſus in infinitum, ſed deueniendũ, tan-

tandem ad aliquem primum motorem, qui cętera moueat, & non moueatur : ſin minus non eſſet ordo in rebus, ſed omnia neceſſario eſſent per turbata.

QVAEST. VLT.

Vtrum primus motor ſit infinitæ virtutis.

SIT 1. aſſertio. Primus motor é infinitę virtutis. Hęc eſt de fide, & probatur. 1. ratione D. Tho. quia primus motor producit rem ex nihilo, ad quod infinita virtus neceſſario deſideretur: nam productio ex nihilo eſt productio entis in quantũ ens, ad quod proculdubio virtus infinita deſideratur.

Sed dices. Si eſſet aliqua magnitudo infinita, extra illã non eſſet alia magnitudo; ſi igitur primus motor infinitæ virtutis eſt; ergo extra illlum non erit alia virtus, quod ſenſibus repugnat. Reſpódemus diſparem eſſe rationem de infinito ſecundum magnitudinem, & ſecundum virtutem: nam ſi eſſet magni[illegible]ita, repugnaret eſſe aliam, eo quod quæuis magnitudo occupat locum, & conſequenter infinita locum infinitum: vnde poſita magnitudinę infinita, nihil loci aliis magnitudinibus relinqueretur: infinitum vero ſecundum virtutem locum non occupat, & ideo alia non excludit, imo ex eius infinita virtute omnia pendét.

Sed dices. Primus motor eſt virtutis infinitæ: ergo poteſt producere aliquem effectum infinitum. Reſpondemus negando conſequentiam, imo, vt docuimus. 3. Phyſ. in diſputatione de infinito, oppoſitum ſequitur: nam eo quod Dei virtus & potentia infinita ſit, exauriri nequid, ſed dato potius quocunq; effectu, illo alium maiorem, & præſtã tiorem producere valet.

Secunda aſſertio. Huius ſententiæ fuit Ariſt. Probatur, quia ex eo quod primus motor ſit infinitæ virtutis, cap. vltimo demonſtrauit, primũ motorem partibus, & magnitudine vacare. Inquirẽtes huius, probationis vim, multum conſumunt temporis ægregij eius Interprtęes, ſed quia hoc in dubium vertere nullius fere momenti eſt, a Iunioribus dicta circa rem hanc modo ſufficiant, nam ſatis & pluſquam ſatis illa[illegible]plicant. De his nãq; quę tota hac vltima diſputatione pertractãtur, maior dubitatio eſt de Ariſt. mente: nam apud philoſophos chriſtianos non eſt

t 3 cur

cur in dubiũ vertatur, an primus rerum omnium motor Deus rerum omniũ cauſa ſit, primumque principium. Docet enim veræ Philoſophiæ parens, & rectè ſentiendi de Deo Magiſtra Fides reuelata, Dei omnimodam eſſe vnitatẽ, ſimpliciſsimam naturã, incomprehenſibilem bonitatem, ſapientiam ęternam, potentiam infinitam, & immutabile eſſe: a quo omnis bonitas naturæ, & natura bonitatis; omnis vitæ fœlicitas, & omnis fœlicitatis vita promanat: à quo omnia, per quem omnia, in quem ſingula: cuius virtute omnis robur, cuius robore omnis virtus, cuius bonitate omnia bona, cuius bono omnia bonitate referta; cuius intuitu animæ trãquilitas, mẽtis ſecuritas, cordis lætitia, voluntatis repletio, & omniũ bonorum plena aggregatio cumulatiſsimè inuenitur: cui ſit laus, honor, & gloria in ſeculorum ſecula. Amen.

FINIS.

Hæc nobis viſa ſunt ad octo Phyſicorũ libros Ariſtotelis explanationem pertinere: quæ omnia non ſolum Eccleſiæ Catholicæ Romanæ cenſuræ, ſed grauiſſimorum etiam hominũ correctioni ſubmittimus. Sed bone Deus, noſtris adeſto votis, noſtros conatus adiuua, vt tuo diuino ſuffulti auxilio, quo cœpimus pergentes pede, in cæteros, qui ſuperſunt, Naturæ, & primæ Philoſophiæ libros, Commentarios conſcribamus, in tui laudem, necnõ Deiparæ ſemper Virginis Mariæ, & Scripturarum ſcrutatoris Diui Hieronymi, quem ab ineunte ætate patronum habui.

[redacted] [redacted]

Carmel. Diſcal. Romę.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE